BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III NAPOLI
B. Prov.
XIX
288

REALE OFFICIO
BIBLIOTECA PROVINCIALE
Armadio XVII
Palchetto
Num° d' ordine 87
49 72

B. Prov.
XIX
988

124
9
93

MATTHIAE BELII,

NOTITIA
HVNGARIAE
NOVAE

GEOGRAPHICO HISTORICA.

PARTIS SECVNDAE,

CIS-DANVBIANAE,

TOMVS SECVNDVS.

MATTHIAS BELIVS.

Puluis et vMBra Sumus.

HORATIVS, Carm. IV. Od. VII. 16.

Andreas et Josephus Schmutzer ad vivum del. et sc. Vien. Austriæ.

642888

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE HISTORICO GEOGRAPHICA,

DIVISA IN PARTES QVATVOR,

QVARVM

PRIMA, HVNGARIAM CIS-DANVBIANAM; ALTERA, TRANS-DANVBIANAM; TERTIA, CIS-TIBISCANAM; QVARTA, TRANS-TIBISCANAM:

Vniuerſim XLVIII. Comitatibus Deſignatam,

EXPROMIT.

Regionis Situs, Terminos, Montes, Campos, Fluuios, Lacus, Thermas, Cœli, Solique ingenium, Naturæ munera & prodigia; Incolas variarum Gentium, atque harum mores; Prouinciarum Magiſtratus; Illuſtres Familias; Vrbes, Arces, Oppida, & Vicos propemodum omnes; Singulorum præterea, Ortus & Incrementa, Belli Pacisque Conuerſiones, & præſentem Habitum;

Fide optima, Adcuratione ſumma,

EXPLICAT.

OPVS, HVCVSQVE DESIDERATVM, ET IN COMMVNE VTILE.

SACRATISSIMIS AVSPICIIS

CAROLI VI. CAESARIS,

ET REGIS INDVLGENTISSIMI,

ELABORAVIT

MATTHIAS BEL.

ACCEDVNT

SAMVELIS MIKOVINII

Mappæ, ſingulorum Comitatuum, Methodo Aſtronomico-Geometrica concinnatæ.

TOMVS SECVNDVS.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

VIENNAE AVSTRIAE, Impenſis PAVLLI STRAVBII Bibliopolæ.
Typis JOHANNIS PETRI VAN GHELEN, Typographi Cæſarei.
ANNO MDCCXXXVI.

AVGVSTISSIMO,
INVICTISSIMO,
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI,
CAROLO
SEXTO,
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO,
GERMANIAE, HISPANIAE,
HVNGARIAE, BOHEMIAE,
NEAPOLIS, ET SICILIAE,
REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
PRINCIPI TRANSILVANIAE, &c. &c. &c.
SACRVM.

Digitized by Google

Vod ab Numine immortali, anno ſuperiore, & re-

 bus

bus adhuc difficilibus, conceptiſſimis verbis, religione ſumma, precatus fui, cum primum commentariorum, quos de Hungaria ſuſcepi edere, volumen, Sacratiſſimo TVO, AVGVSTISSIME IMPERATOR! nomini, auſpicato conſecrarem; id iam, ſingulari DEI beneficio, ita cœpiſſe euenire, TIBI, INVICTISSIME CAESAR! ex animo gratulor; nobis, qui TVI ſumus, impenſe gaudeo.

Caput tunc votorum fuit; vti, quam irrequies Martis concitauerat, procellam ſanguineam, TVO conſopitam arbitratu, orbis melior admiraretur; reuocaretur pax, intempeſtiuis belli ſtudiis, profligata; coirent, in noua ſolidaque fœdera, reges ac populi diſſociati; repararetur, nupera temporum felicitas; atque in primis, Auguſtæ Domui Auſtriacæ, DEVS, Im-

Imperii TVI ſtator, perennitatem adfirmaret.

Ita precabar, SACRATISSIME IMPERATOR! dum, nec opinante Europa, TVA vnius prouidentia,

Iam Fides, & Pax, & Honos, Pudorque
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet: adparetque beata pleno
Copia Cornu.

Hæc ita ſunt omnino: vt, ſeu TIBI, CAESARVM OPTIME! REGVM INDVLGENTISSIME! ſeu regnis, quibus late imperas, ad conſummatæ felicitatis poſſeſſionem, vſuramque, nihil deſit amplius; quam, vt Auguſtalibus Nuptiis, quas, diuiniſſimo vſus conſilio, Filiæ PRINCIPI, ac HAEREDI, adparauiſti, ex PARENTE, plurium nepotum, capacium maieſtatis Auſtriacæ, AVVS efficiare. Quod ſane, ita euenturum, & Numen Diuinum, Domui TVAE nunquam non propitium, benigniſſime ſpon-

det, & boni omnes, plane confidunt.

Tunc vero, orbitatis ille metus, qui Europam omnem, ſuſpenſam hucusque tenuit; dubios fecit ſocios; armauit hoſtes; TVIS autem, ſollicitudinem incuſſit, conuerſionum futurarum, iuſtam profecto, neque ſuperuacuam; cum ab omnibus, tum a ſingulis, tanquam malus diuturnitatis cuſtos, longiſſime ſubmotus, locum faciet perpetuitati. Tunc inquam:

Defluet ſaxis agitatus humor;
Concident venti, fugientque nubes;
Et minax, (ſic Dii voluere,) ponto
Vnda recumbet.

Iſtud eſt autem, SACRATISSIME IMPERATOR! in cuius maiore fiducia, quam ſpe, orbis eſt Auſtriacus, atque in eo, HVNGARIA TVA; cum tota vniuerſim; tum ea potiſſimum, quæ TE ſoſpitatore, man-

manſuetioribus Muſis operatur. Sed, iſtud quoque eſt, REX CLEMENTISSIME! quod animum mihi addidit, vt tantorum, tamque felicium euentuum, HVNGARIAM hanc, cuius deſcribendæ prouinciam, TVIS auſpiciis, pergo exornare, ſponſorem, ad TVAE ſolium Maieſtatis, tanto confidentius adducam, quanto certior ſum, haud paſſurum cæleſte Numen, vt tot populorum preces, quas pro Domus TVAE perpetuitate, pientiſſime, nunc in primis, dicunt, ad irritum cadant.

Accipe proinde, AVGVSTISSIME CAESAR! vadem hunc, clemens, bonus, & plenus ſpei optimæ; deſtinationes TVAS, quas, non minus conſcio, quam moderante Numine, ſuſcipis, & ratas fore diuinitus, & ad Auguſtæ gentis TVAE firmamentum, nec quid-

quam

quam ringente inuidia, comparatas.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus interſis populo Quirini:
Neue TE noſtris vitiis iniquum
Ocior aura

Tollat: hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici PATER *atque Princeps:*
Neu ſinas Medos equitare inultos,
Te Duce, CAESAR!

DEVS, pro ea, qua erga TE, AVGVSTISSIME IMPERATOR! TVOSQVE, benignitate eſt, votis, ab animo profectis obſequentiſſimo, addat pondus, valiturum ad æternitatem.

SACRATISSIMAE CAESAREAE,
ET REGIAE,
MAIESTATI TVAE,

Deuotiſſimus, Subiectiſſimus,
MATTHIAS BEL.

LECTORI
BENEVOLO SALVTEM.

BStrictam, reipublicæ litterariæ, fidem liberaturo, elaborandum fuit omnino, id, vti ſine monitore, exſequerer. Spoponderam, nec inuitus, nec incogitans, cum primus, operis huius tomus, DEO, & CAESARE propitio, lucem publicam adſpiceret, operam me daturum, vt eum, e veſtigio, alter, reliqui poſtea, conſequantur. Hoc vero, quod poſſim præſtare iam, Sereniſſimo Principi, ac Domino, Domino FRANCISCO STEPHANO, D. G. *Lotharingiæ & Barri Duci, atque per Hungariam Locumtenenti* benigniſſimo, in acceptis feram, oportet. Vti enim, rerum Hungaricarum, non amans minus eſt, quam gnarus, ſimul ex me cognouit; cognouiſſe autem clementer voluit; quid honeſtiſſimam deſtinationem ſufflaminarit adhuc; de eo, ſingulari vſus benignitate, ad *Excelſum Conſilium Regium Locumtenentiale*, cui, ſumma omnium adprobatione præeſt, non retulit tantum; ſed effecit etiam, vti, promouendi in poſterum operis prouinciam, SANCTIOR hic SENATVS, ſuam faceret: qua vna re, quantum profecerim, ſequutura volumina, quibus vadum, grauiſſimis iuſſis, benigne adaperuit, proxime condocebunt; ego vero, laudibus celebrare, nullo vnquam tempore, intermittam. Nunc ad ea pergamus, quæ non ignorare *Lectores*, noſtra intereſt plurimum.

II. Complectimur nempe, iſto, quantum quantum eſt, volumine, quatuor *Comitatuum* deſignationem, ita factam, vt, quem nobis propoſuimus, adcurationis tenorem, eum heic quoque, cum in definienda regionum poſitione, tum in explicandis rebus, eo adtinentibus, ſtudioſe non minus obtineamus, quam conſtanter: ſaltem, omni ope caueamus, ne in vaſto hoc commentationis genere, ſiue in rebus, atque orationis habitu, ſiue in elaborationis diligentia, & contentione, quidquam a ſe inuicem diſſideat. Enim vero, nihil eſt, in magnis moliminibus, ſeu procliuius, ſeu frequentius, quam deſciſcere, a calore illo animi, qui nos, ad præclaros auſus, primum inflammauit. Scilicet (*a.*):

amphora cœpit
Inſtitui, currente rota, cur vrceus exit?

Ergo, id propoſuimus nobis, omni cura & ſtudio euitandum, quod, in poeta ſuo, damnat HORATIVS (*b.*):

ſectantem, inquit, *lenia, nerui*
Deficiunt, animique; profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus, nimium timidusque procellæ.

Ea tamen circumſpectione vſi pridem, quam idem ille, ſcripturientibus, tempeſtiue commendat: (*c.*)

Sumite materiam, veſtris, qui ſcribitis æquam
Viribus: & verſate diu, quid ferre recuſent
Quid valeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo:
Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor.

Quod monendum erat, eorum cauſſa, qui non tantum metuunt de nobis, ne deſeramur, cum ab rerum ſcribendarum adparatu, tum a laboris patientia; ſed ominantur etiam, laxam capacemque amphoram, quam tornare cœperimus, in vrceum informem, arctumque, deſituram. quos quidem, ſua hac diuinatione, vel quidquid ſit aliud, lætari

a.) HORATIVS, de Arte Poetica, v. 21.
b.) Ibidem, v. 26.
c.) Verſu 38.

tari permittimus; calcar interim nobis ſubdi remur, ad enitendum, vt, eum in modum ſe habeant operis media, vltimaque, quo erant eius exordia comparata.

III. Ad *Comitatus* ipſos, quod adtinet, *quatuor* eorum exhiberi, nunc diximus. In his eſt, eximia *Piſonienſis* portio: illa videlicet, quam nobis, amplitudo prioris tomi, fecit reſiduam. Nam, cum illic, præter generalem notitiam prouinciæ, ſolum *Piſonium*, & quæ iſtud commendant, prærogatiuas, expromere haud licuit; heic iam, vrbes reliquas, *Tyrnauiam*, *Modram*, *Baſingam*, atque *S. Georgium;* quinque item *Proceſſus*, cum arcibus, oppidis, caſtellis, vicisque, & præcipua inſulæ *Cituorum* regione, exhibemus. in quibus deſcribendis, qua verſati fuerimus prouidentia, quia ſuo loco docuimus, ſuperuacuum fuerit recognoſcere denuo.

IV. *Piſonienſem*, amplam nobilemque prouinciam, *Thúróczienſis* excipit, inter eos Hungariæ *Comitatus* referenda, qui, non tam terrarum ſpatiis valent; arctus eſt enim, & ad horti ſpeciem, montibus circum ſeptus; quam populi, a quo colitur, ſolertia, atque nobilitatis inſigni numero. In deſcribendo eo, facilia erant omnia, pronaque; eo quod, non ſituum modo, & totius regionis habitum, prouinciales ipſi, vltro ac lubentes, deſignauere, noſtra demum dictione illuſtrandum; ſed liberali etiam manu, vetera, & recentiora diplomata, tabulas item genealogicas, primores, iuxta & nobilium, plerique omnes, nobiſcum communicauerunt: idque, procul omni metu, quaſi ea re, aut ſua iura proderentur; aut periculi quidpiam compararetur poſteritati. quod ſane, in tota hac ſcriptione noſtra, metuendum eſt nemini. Vtimur diplomatibus, cum ſe dat occaſio, non, vt importune propalemus, quod familiis eſt peculiare, & ad tuendam poſſeſſionum ſecuritatem, clam habendum; ſed, vt hiſtoriam, cum totam generatim, tum familiarum etiam, &, quas in poteſtate habent, arcium, caſtellorum, vicorumque, luculentiorem efficiamus: id quod, toties inculcauiſſe, eo minus piget, quo plures in ea ſunt, de nobis, ſuſpicione, quaſi iuribus inſidiari velimus alienis. quod, vti abeſt ab hiſtoriæ

natura; ita, prorſus non congruit, cum ingenio noſtro. Alioquin, eadem alacritate, qua neceſſarios, ad deſcribendum Comitatum, adparatus, nobis ſuppeditauere *Thúróczienſes;* id, quod elaborauimus, recognitum, emendatum, locupletatumque, ab iis eſt: vt, teſtificationem beneuolentiæ aliam, inexſpectatam liberalemque, taceamus. Sed, qui *Thúróczienſium* hæc tellus, agro *Piſonienſi* cohæſerit, nihil iam adtinet dicere; eo quod, rei cauſſam, in aditu, ad hiſtoriam eius prouinciæ, indicauimus.

V. Arctius Thúróczienſi, *Comitatus Zoliénſis* adunatus eſt. Ergo, illum emenſis, nihil viſum eſt opportunius, quam hunc adtexuiſſe; vt, quam alibi migrare cogebamur, ſituum cognationem, heic eius tenaces eſſemus. Vix autem, in vniuerſo opere hoc, obſequentior, ad ſcribendum, materies, nobis ſe dabat, quam apud *Zolienſes.* Enim vero, quia, inde a puero, cognitum habuimus regionis, poſitum non minus, quam, ſiue opportunitates eius, ſiue incommoda; non indigebamus mendicatione illa notitiarum, quæ nos alibi, vehementer, ac fere ad impatientiam vsque, exercuit. Quid? quod amici, vix rogati, nedum moniti, quæ de Comitatus habitu, in aduerſaria ſua, inſtituti huius noſtri, prorſus ignari, olim retulerant, id omne, locupletandis lucubrationibus noſtris, non modo hilares impenderint, ſed vocauerint etiam poſtea, ſchedas noſtras, ſub examen, eo diligentius; quo magis, ad prouinciæ ſuæ laudem id pertinere exiſtimauerunt, ne de ea, temere in litteras referretur, quod, vel parum eſt, vel nimium. Quin, & ipſe ego, omni cura ac ſtudio, elaborandum mihi propoſui, ne, aut non ſatis illuſtraſſe, patrium iſtud ſolum, aut certe, ornauiſſe immodicis laudibus, iure poſſim accuſari. Ergo, diligentiam omnem, intra mediocritatem continui; maxime, quod *Zolienſis* hæc *Comitatus* hiſtoria, in iis fuit, quæ vaſtæ ſcriptioni, poſt vulgatum *Prodromum*, exordia dedere. Ceterum, habeo heic quoque, cur prouincialium, non æquitatem modo, ſed bonitatem etiam, ac beneficentiam, gratus memorem.

VI.

VI. Denique, mole voluminis, ne iuſto fieret exilior, ita poſcente, *Liptouienſem* Comitatum, *Zolienſi* adnectere placuit; tum, vt ad ſituum adfinitatem adtenderemus iterum; tum, quod, poſt elaboratum *Zolienſem* illum, *Liptouienſis* fuerit, cui expromendo, ante hæc duo luſtra, operam impendimus. quam, præter viros nobiles, rerum patriæ gnaros, amantesque, eruditi eiusdem prouinciæ, inſigniter adiuuerunt. Ederem, ſicuti meruerunt, ſingulorum nomina, niſi retentaret me, cognita eorum modeſtia. Eximio huic beneficio, cumulum addiderunt, quando in recognoſcendis lucubrationibus noſtris, nihilo ſegniorem curam adhibuere. Quia enim, & tum procliue eſt, ſcriptorem labi, cum ſunt luculentæ ſatis, & concinnatæ fideliter, notitiæ; quales fuerunt omnino *Liptouienſium;* haud putaui committendum, quin, quod noſtra dictione conueſtiuimus, reuocauimusque, ad ordinis, quem ſequimur, præſcriptum, ad eosdem illos remitteremus, a quibus erant profectæ; vt, ſi quid eſſet., vel a rerum indole alienum, vel dubitationi obnoxium, vel certe, pronum ad offenſam, idem, ex vero ac recto, emendarent.

VII. Atque, hæc eſt adcuratio illa, & ſollicitudo, *Lector Beneuole!* qua ſumus vſi, ne quid nobis ſubreperet, quod, aut accuſari poſſit falſitatis, aut damnari maleuolentiæ. Nobis, regulam dictaſſe HORATIVM, (*d.*) rebamur ſemper, dum:

Si quid tamen olim, inquit,
Scripſeris, in Mæci *deſcendat iudicis aures*
Et patris & noſtras; nonumque prematur in annum,
Membranis intus poſitis. delere licebit,
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reuerti.

Profecto enim, plus nouennio, pleraque hæc, quæ iam edimus, & ipſi preſſimus, &, ab iudicibus, *Mæcio* (*e.*) Horatiano ſeuerioribus, formari ſubinde, reformarique, permiſimus. Anne vero, immunes nos ideo profitebimur, ab

 aber-

d.) Inibi v. 386.
e.) De MÆCIO, vide HORATII commentatores: & ad CICERONIS Epiſtolar. Familiar. Lib. VII. I, notam P. *Manutii*, edit. VERROVRII, fol. p. 86. Poemata nimirum, propalam recitanda a mimis, ſeuere iudicabat.

aberratione? Nequeo ſpondere: cum, ob rerum varietatem, quam pergimus litteris complecti; tum, ob conuerſiones, quæ nobis, iſta ſcribentibus, heic, atque illic, ſubito eueniunt. Proinde, ſupereſt, vt rogemus, ne offendantur ciues noſtri, ſi quid relatum legerint, quod aliter cecidit poſtea, quam eſt a nobis perſcriptum. Si fuerit, quod confidimus, poſteritas, auida honoris gentis ſuæ, facile erit, quod abeſt nunc a commentariis noſtris, ex rerum, quo tunc erunt, ingenio, adtexere.

VIII. Ceterum, *Mappas chorographicas*, vrbium item, atque arcium, obtutus, doctiſſimo MIKOVINIO noſtro, debemus iterum. Tametſi enim, ſingulari, Auguſtiſſimi CAESARIS REGISque, benignitate, munus *Geometræ*, per montanas Hungariæ vrbes, & harum fodinas machinasque, obtinuit anno ſuperiore; haud ceſſabit tamen, pari adcuratione *Hungariam* deſignare, qua id, ad primum, & ſecundum hunc tomum, præſtitum ab eo cumulate eſt. Nam, & iſtud ad muneris eius partes, ita iubente AVGVSTO, pertinebit, vt hibernos quidem menſes, rei metallicæ, & erudiendis iis, qui eam curaturi ſunt olim; æſtiuos contra, deſignandæ regioni, pro ea, qua eſt, in his ſtudiis, eruditione, impendat. quod vtrumque, vt feliciter cadat, ſitque, cum reipublicæ ciuilis, atque litterariæ, vtilitate coniunctum, tam optamus auide, quam qui auidiſſime. Iam vale, *erudite Lector!* & nobis, ſtudiisque noſtris, bene precari perge, dum, quod ſuſcepimus, grande non minus, quam laborioſum opus, bono cum DEO, feliciter conficiamus. PISONII A. MDCCXXXVI. XII. Cal. Februarii.

QVVM

QVVM
CELEBERRIMVS VIR,
MATTHIAS BELIVS,
DE
ALMA PATRIA SVA,
Optimisque ſtudiis, optime promeritus, ſecundis auſpiciis,
SECVNDVM, OPEROSISSIMI OPERIS, VOLVMEN,
PVBLICARET VIENNAE PANNONVM,
Suum Ei decus lubens rependebat,
JO. CAR. NOB. A NEWENSTEIN, S. R. I. Eq.
CAES. AVL. POETA LAVR.

HVngaria, *alma parens, ſublimibus apta trophaeis,*
Ingenio ſupereſt, Vir peramice! Tuo.

Sic ſcripſiſſe iuuat, coeptis dum purpura diues
Annuit, & fulgens ocia donat ebur,

Obuiaque ingentes ſolatur gratia curas,
Et precium CAROLO Iudice grande refers.

Gens, genius, mores, chartis ſignantur in iſtis,
Pingis & in tabulis Pergama vaſta Tuis.

Muſarum delubra ſubis, & priſca repurgas
Scrinia, per ſcribas continuata ſuos:

Vt decus Hungaricae merito dicare Coronae,
Illuſtraſſe nouum, reſtituiſſe vetus.

Hoc opus, hic labor, hoc AVGVSTO *Vindice dignus,*
Notitiam ſerae poſteritatis alet.

Haec tua ſparta ingens, operoſaque gloria rerum,
Haec manet, haec auidos aufugit vna rogos.

 Hanc

Hanc Colchus Dacusque ſcient, diſcetque Gelonus,
Et trans Oceanum fama loquetur anus.

Tu patria felix, felix Te patria ciue,
Beli! tamen debet patria plura Tibi.

Nam mortale fuit patriae, quod munus habebas,
At, quam das patriae, vita perennis erit.

Sed tamen amborum nomen ſuper aethera notum,
Celſa coronatis gloria portat equis.

Nulla dies memori Doctorum Te eximet Albo,
Nec Libitina caput merget iniqua Tuum.

Nempe negat Phlegeton, & auarus portitor orco,
Inmuba quos Pallas non ſinit eſſe feros.

Quum totiens patriam vaſtarit barbarus hoſtis,
Ille ſolo exitium, non tulit ingeniis.



COMITATVS POSONIENSIS,

PARTIS SPECIALIS MEMBRI PRIMI DE PROCESSVS SVPERIORIS EXTRANEI SECTIONE I.

Quæ eſt, de Liberis Regiisque Vrbibus, CONTINVATIO.

PROOEMIVM.

VOd primus operis noſtri Tomus, ex Hiſtoria COMITATVS PISONIENSIS, reſiduum fecit; id iam, vt altero hoc volumine, complectamur, & res ipſa poſcit, & lectorum intereſt plurimum. Superant vero, præter Liberarum Regiarum Vrbium, *Tyrnauiæ* puta, *Modræ*, *Bazingæ*, & *S. Georgii*, deſcriptionem, Ar-

ces, Oppida, Caſtella, vicique, per ſingulos *Proceſſus*, in quos diuiſa eſt prouincia, ita recenſendi, vt neque nimium dixiſſe videamur, neque parum.

II.
HISTORIA
VRBIS TYRNAVIENSIS.
CAPVT I.
De
Originibus, & Fatis Tyrnauiæ, ad noſtram vsque ætatem.

SYNOPSIS.

Tyrnaviae *dignitas : nomen , Slauicum ſit , an Germanicum ? fabula , de huiate ſenticeto : Hungarica vrbis denominatio.* §. I.

Vrbis origines, an ad Belam II. *referendæ ? eius conditrix* Constantia , *Belæ* III. *filia : qua ætate.* §. II.

Magiſtratus vrbicorum, de origine Tyrnauiæ *ſententia : diplomate firmata.* §. III.

Vrbis nuperæ clades, ab Ottocaro , *illatæ : eius rei occaſio & cauſſa : quam tertium repetit : vrbis , poſt cædem* Ottocari , *felicitas.* §. IV.

Reliquæ vrbis fata , ſub Ladislao *Cumano : ſub* Andrea *Veneto : ſub* Wenceslao *puero : an in poteſtate fuerit* Matthæi *Trentſinienſis ? ſit poſtliminio regum peculiaris : vrbis , ex fœdere Bohemico , celebritas : regnante* Carolo I. *opulentia.* §. V.

Datur a Ludovico I. *pignori ,* Margaritæ *Bauara : quam ob rem ? diplomate docetur : dotis ſoluendæ neceſſitas , vnde* Ludouico ? §. VI.

Illatæ , ab Huſſitis , clades : ſigillatim Tyrnauiæ. §. VII.

Quomodo ſe vrbs ſub Alberto *habuerit : bella ciuilia , quæ eius mortem excepere : Tyrnauia ſunt moleſta.* §. VIII.

Refouetur ſub Ladislao *poſthumo Tyrnauia : regnante* Matthia , *a Schwehla , adpetitur : ſeruatur a Blaſio Podmanitzky : mutuæ Hungarorum & Bohemorum prædæ : enata inde , regum offenſa.* §. IX.

Quid Caſimiriana *ſeditione ,*

Tyr-

Tyrnauiæ euenerit? adit Tyrnauiam Matthias: WLADISLAO, *regnum adeunte, conciliata vrbi, celebritas: obſidionis, a* Maximiliano *intentata periculum, pax ſubita, auertit.* §. X.

Iudæi, *Chriſtiano ſanguine vrbem fœdant: facinus, ex* Bonfinio *recitatur: quibus rebus, ad id patrandum, inducti fuerint Iudæi.* §. XI.

Auctoris, de re vniuerſa, diſputatio: Rabbinorum, *de occidendis Chriſtianis, ſcitum: quomodo interpolarint, recentiores: quid de confeſſione Tyrnauienſium* Iudæorum *ſentiendum, diſquiritur: quorſum hæc diſputatio adtineat.* §. XII.

Tyrnauiæ *incrementa: adfligitur peſtilentia:* Sigismundi *Poloniæ regis, ad vrbem, aduentus: tantæ rei occaſio: quam diu iſthic ſit diuerſatus.* §. XIII.

Mortuo Wladislao, *ſub* Ludouici *initia, latrociniis infeſtatur Tyrnauia: eorum reprimendorum cura: cur irrita?* §. XIV.

Caſo Ludouico, FERDINANDO *obſequitur Tyrnauia: geminis comitiis frequentatur: delectus, ad bellum Saxonicum, hic inſtitutus: comitiorum poſteriorum, hiſtoria.* §. XV.

Capitulum Strigonienſe, *Tyrnauiam, capto* Strigonio, *delatum: eius auctoritas confirmatur: huc & Capitulum Agrienſe deportandum, cenſuere ſtatus:* Iaſzóuiam *poſtea, ac inde* Caſſouiam, *commigrant: lites Tyrnauienſium, cum Capitulo: quemadmodum fuerint diremtæ.* §. XVI.

Societatis IESV, *ad vrbem primus aduentus, quorum patrocinio: ſcholarum exordia, quam tenuibus profecta fuerint initiis:* Ferdinandi, *deprecante* Oláho, *erga Socios, liberalitas: deletur incendio, eorum collegium: vrbem penitus deſerunt.* §. XVII.

Sacrarum Virginum D. Dominici, *Tyrnauiam immigratio: FF.* Dominicanorum *Tyrnauiæ cœnobium: rei geſtæ memoria, altius repetita: donantur a* Maximiliano *poſſeſſionibus: eius diploma: deportantur Piſonium.* §. XVIII.

Rei eiusdem hiſtoria, ex eruditorum Tyrnauienſium recenſione. §. XIX.

Quamdiu exſularint Tyrnauia PP. Ieſuitæ: *donantur a Cæſare Præpoſitura Thuroczienſi: vbi & ſedem figunt, ſcholasque aperiunt: migrant* Selyam: *redeunt Tyrnauiam, patrocinio Cardinalis* Forgáchii: *quo mortuo, ſufflamen eorum rebus iniectum:* Petri Pázmány, *eius ſuc-*

ſucceſſoris, pro Societate, inſignis ſollicitudo. §. XX.

Tumultu Bethleniano, *quibus cum malis conflictata fuerint res ſociorum: Pázmánii liberalitas: diplomate* Ferdinandi *munitur.* §. XXI.

Societatis incrementa: Academia, a Pázmányo fundata: eius tabula: diplomate Ferdinandi II *adfirmata.* §. XXII.

Inauguratio Academia, quibus ritibus ſit peracta: qui ei celebritati interfuerint: accipiuntur conuiuio adparatiſſimo. §. XXIII.

Res Tyrnauiæ *reliquæ: ſub* Maximiliano *ſunt placida.* §. XXIV.

Sub ipſo bellorum ſtrepitu, proficit Tyrnauia: *adfirmantur ei priſtina* Depoſitionis *iura: conſpiratio procerum, Tyrnauia propemodum ſit exitialis: quomodo eam diſiecerit Cæſar: quid poſtea vrbi acciderit?* §. XXV.

Dedito Turcis Laurino, pericula: Maximiliani Archiducis: & legatorum Sigismundi Báthori, *apud Tyrnauienſes, hoſpitium: Turcarum ſanguinolenta impreſſio: Tyrnauiam vsque pertigit: ſed intemeratam tamen reliquit.* §. XXVI.

Seculi XVII. initia, Tyrnauia funeſta: turbarum occaſio: Baſta, *ex Tranſiluania redux, vrbe excluditur: adſunt* Botskaiani: *Tyrnauiam deditione capiunt: faciuntque rapinarum perfugium.* §. XXVII.

Aſtu militari, fruſtra a Cæſarianis tentatur Tyrnauia: is, quomodo fuerit inſtructus: euentus irritus. §. XXVIII.

Quid inde Tyrnauiæ *ſit geſtum: Cæſarianorum & Bethlenianorum conuentus: percuſſum iſthic fœdus, & huius tabula: confirmantur vtrinque: etiam a* Ferdinando II. §. XXIX.

Pax Sitva-Torokœnſis, *adprobatur Vienna:* Bethlenius, *nuperum fœdus rumpit:* Tyrnauiam *deditione capit: Cæſari vindicat* Bouquoius: *recipiturque iterum a Bethlenio.* §. XXX.

Pace Nickelsburgenſi, *Tyrnauia Cæſari adferitur: ſed ea, a* Bethlenio *violata: tertium ab eo intercipitur: in captiuos, quam fuerit iniquus: lis, ideo, inter* Bethlenium, *& Turcas, orta: reliqui Bethlenii actus.* §. XXXI.

Nouam iterum pacem, nouo bello, perturbat Bethlen: nata inde Tyrnauienſibus calamitas. §. XXXII.

Peſtilentia depaſcit Tyrnauiam: *eius acceſſiones ex Academiæ incremento: vrgetur iterum bello & peſtilentia:* Ieſuitarum,

rum, *bello Rákóczziano, fata.* §. XXXIII.

Quales inde res vrbis fuerint: illuſtratur Synodo *prouinciali: nouem martyrum ſolemnis translatio: belli Turcici tempeſtas: orta inde Tyrnauienſium perturbatio:* Ieſuitarum *fuga:* Lingoii *fatum; quid ſaluti fuerit Tyrnauia.* §. XXXIV.

Recreatur pace inopina: ſed conualeſcit tamen difficilius: adfligitur incendio: depaſcitur peſtilentia. §. XXXV.

Calamitoſiſſimis Hungaria temporibus: quid euenerit Tyrnauiæ: *capitur a* Tökölio: *mala, Societati I. inflicta: vrbs ipſa conflagrat: ingenti hominum clade:* Tökölianorum, *& Turcarum clades: vrbi &* Ieſuitis *ſaluti fuit.* §. XXXVI.

Res Tyrnauienſium anguſta poſtea: adflictantur ab incendiario Novákio: *eius & ſociorum atrox ſupplicium.* §. XXXVII.

Fortuna Tyrnauiæ, *poſt ſeculi decimi octaui initia, capitur a* Rákóczianis: *communitur præſidio: eius graſſationes:* Ritſchanianæ *expeditionis finis: qua tunc fuerit Academia facies.* §. XXXVIII.

Cladis Hungarorum, ad Tyrnauiam occaſio: Heiſteri, *in vrbis Tyrnauienſis conſpectu, aduentus: aciei ordo:* Rákóczii *occurſus: inſtructa acies: pugna initium ab Hungaris factum: caduntur dextro cornu Cæſariani: ſed reparatis ordinibus: cadunt iterum Hungaros, & in fugam coniiciunt: virtus peditatus* Hungarici: Wagneri, *de conflictu hoc, verba.* §. XXXIX.

Pugnæ eius atrocitas, Heiſtero *propemodum exitialis:* Czoborii, *in eo ſeruando, virtus:* Heiſteri, *gratus in eum, animus: victoria fructus quis? vrbem ſubeunt victores: vacuam relictam ab Hungaris: hoſpitiorum moleſtia; inedia, & morbi exitiales: damna Tyrnauienſium.* §. XL.

Redeunt iterum Hungari: *occupant decedente* Heiſtero *Tyrnauiam: res Academiæ tunc quales? pacis apud Tyrnauienſes tractatio:* Iosephi *Cæſaris, in eam rem, diploma.* §. XLI.

Coitur in vrbe: Hungarorum poſtulationes: Cæſaris, per arbitros, reſponſio: reiecta ab Hungaris: irrita fiunt pacis conſilia. §. XLII.

Tandem Cæſari vindicatur Tyrnauia: *peſtilentia corripitur: fœdatur incendiis: eluuionis inſolens exemplum.* §. XLIII.

§. I.

Tyrnauiæ *dignitas*:

TYRNAVIA, proxima Piſonio eſt, & dignitate, & populi frequentia, liberis regiisque vrbibus, veterrimo iure, adſcripta. Vulgo, id nominis, a ſpinis arceſſunt; nam Slauis omnino, *Trn*, ſpinam ſignificat. Qui adprobant etymum, vrbis origines, palam ad *Slauos* referunt: dubio extra modum, argumento nixi. Non minus enim, *Dorn*, ſentem Germani dicunt. Proinde, *Dorn-au*, & molliori pronunciatione, *Törnau*, ſeu *Türnau*, aruum ſignificabit, ſentibus obſitum: adeoque, procliue erit, ſi vocis notationem ſequaris, æque ad *Germanos*, vrbis exordia referre, quam ad Slauos. Id vero, vti retruſioris eſt ævi; *Germani* enim, *Slauos*, ſedibus, noſtra hac ora, anteiuere; ita, decus vrbi conciliabit, haud vulgare. Non negarim, potuiſſe, propagatos, e *Carpathi* radicibus, dumos ac vepres, horridam feciſſe regionem, ante, quam habitari inciperet. Nam, ita ſueuerant, priſci illi homines, vrbibus locum facere, vt, aut ſiluas deraderent, aut inacceſſam ſenticetis oram, edomarent. Dedit, hæc vulgi opinio, fabulæ occaſionem, quam eruditi *Tyrnauienſes*, *(a.)* non inuenuſte luſerunt.

nomen, *Slauicum ſit, an Germanicum?*

fabula de huiate ſenticeto:

Sentus ager, multo naui ſudore coloni,
Scilicet in fruges erudiendus erat.
Vepribus horrebant late loca: non ibi greſſum
Figere ſeu Chloris, ſeu fuit auſa Ceres.
Sceptra loci tenuit, telis Palyurus acutis,
Aſpera munitus brachia, ſente caput.
Iuraque natorum populus dabat hamatorum
Compede, quæ veprium, vincta gemebat humo.
His, ceu ſub dominis, tribuli meruere rubique,
Et quicunque minor nobilitate frutex.
Carduus exſerto, circum mucrone verendus
Regales cuſtos conſtitit ante fores.
Eminus aſpiceres? ſtrictis exercitus haſtis,
Barbarus inſeſſo ſurgere viſus agro eſt.

Hungarica vrbis denominatio.

Hæc illi canunt. Aliorſum prorſus *Hungari*, in vrbe denominanda, reſpexere. *Nagy-Szombath* dicunt, quod *Magnum Sabbathum* ſignificat. Nimirum, in eam venio opinionem, *Hungaros*, cum aduerſus *Auſtrios*, *Bohemos*, aut *Morauos*, bellum ducerent, iſthic, poſt expeditionem felicem, caſtra metatos, feſtum egiſſe diem, quem ob ſo-

a.) Libellus eſt, cui titulus: NATALES LIBERAE REGIAEQVE CIVITATIS TYRNAVIENSIS, calamo poetico deſcripti: *Tyrnauiæ* A. MDCCXXVII. *forma duodec.* Hæc noſtra §. 1. p. 3. leguntur.

ſolemnes, quas inſtituerant, ſupplicationes, *Nagy-Szombath*, hoc eſt, *Magnum Sabbathum*, adpellarint. Hæſit poſtea, ſurgenti, piis adeo initiis, ſeu vico, ſeu vrbi, ſacrum nomen. Nos quidem ita opinamur, adducti plurium locorum, conſimili denominatione. Quis enim ignorat, *Mura-Szombath*, *Rima-Szombath*, & *Szombath-Hely*, nota hiſtoriis oppidorum nomina. quæ quidem, non caſu, aut ignaua ratione alia, ſed conſulto, impoſita fuiſſe credimus. Hæc, coniecturæ ſunt, veroſimiles eæ quidem, ſed quas nemini obtruſerimus. Slaui, *Trnawa*, ſuo illo vocabulo, dicunt; rectius ab amniculo, vrbem intercurrente, quam a ſentibus; niſi & illi, hinc enatum ſit nomen. Nam, crebras turres, quæ cuſpidatis faſtigiis adſurgunt, & e longinquo ſpectantibus, ſpeciem ſenticeti videntur ingerere, huc aduocare, vltra modum abſonum eſt: cum eas quidem, poſt vrbem conditam, denominatamque, excitatas demum fuiſſe, nemo non videat. Scilicet:

Filius ante patrem.

§. II.

Vrbis origines, an ad Belam II. referenda?

AT enim, ſi vel maxime exploratas habuerimus nominis rationes, origines certe, vrbis inde haud poterimus definire. Peruulgata opinio eſt; BELAM II. ſeu condidiſſe vrbem, ſeu conditam, auxiſſe in maius, atque incinxiſſe muris. In eius ſane rebus, nullum, tanti moliminis, veſtigium repereris; maxime, ſi, quod volunt huius adſertores ſententiæ, operarum initia, ad annum MCXL. ſint referenda. Tunc enim, ebrioſus iam eſſe cœperat BELA, & reipublicæ minus, quam antea, ſtudioſus. Ac, ſi maxime credas, deſignaſſe BELAM, eo anno, futuræ vrbis pomœrium, opus certe, anno MCXLI. Idibus Februarii, morte occupatus, non perfecit. Ergo, malunt alii, GEYSAE II. eius filio, hoc, quidquid eſt, gloriæ, adtribuere, qui, ſiue ſuo ductus ingenio, ſiue paterni memor inſtituti, vrbem ædificare cœperit, aut adfectam, conſummarit penitus. Quod ſi eſt, poſt eam victoriam euenisſe oportet, qua, anno MCXLII. fuſo fugatoque *Henrico*, Auſtriæ Duce, *Piſonium*, Hungariæ poſtliminio vindicauit. Atque tunc, haberet ſane, quo ſe tueretur noſtra illa, de Hungarico vrbis nomine, coniectura. Diſerte enim BONFINIVS: *(b.) Rex, victoria potitus, ſpoliatis caſtris hoſtium, cum vniuerſo exercitu, in Hungariam rediit, horum exuuiis, templa ditauit. Pro agendis Deo gratiis, ſupplicationes egit, & apud omnes Baſilicas regni, rem diuinam operatus eſt.* En, feſtos dies, decretasque, ob partam victoriam, ſupplicationes! idque in caſtris adhuc, & dum ouaret miles. Ac, ſunt omnino, qui credunt, priuilegiis, a GEYSA, donatam vrbem. quod illi, ſi diplomatum fide nobis adprobarent, non eſſet de conditore ambigendum. At enim vero, nil quidquam agunt, qui, ſeu BE-

b.) Decadis II. Lib. VI. p. 261, 17.

Belae, ſeu Geysae, hanc, conditæ vrbis laudem, circumponunt. Con-
eius conditrix Conſtantia, *Belæ III. filia:* stantiae, filia Belae III. *Primislai*, regis Bohemiæ, coniugis, Ottocari auiæ, hæc, quantacunque gloria eſt. Ita apud Iohannem Dvbravivm, luculentum rerum Bohemicarum ſcriptorem, reperio: *(c.) Conſtantia*, inquit, *ad ceteras heroicas virtutes, quibus regina decorantur illuſtranturque, prudentiam quoque negotiorum publicorum, conſulte tractandorum, adiecerat. Regali præterea munificentia, inſignis erat, dum regia magnificaque edificia, tam in Pannonia, in fundis ſuis dotalibus, Morauia vicinis, quam in ipſa Morauia, exſtruit. In illa*, arcem, *cognomine* rvbram, *excitans*; Ternaviamque *ibidem, antea vicum ignobilem, mœnibus, aliisque priuatis tectis, in ſpeciem nobilioris vrbis cingens, communiensque.* Habes veram *Tyrnauia* conditricem! Vn-
qua ætate? de, & de ætate vrbis, certo licet colligere. Primislavs nimirum, anno MCCXXX. decimo octauo Calendas Ianuarii, fato functus, ſuperſtitem reliquerat Constantiam. quæ, ſiue, vt orbitatem ſolaretur ſuam, ſiue, vti nepotem *Ottocarum*, belli illud fulmen, rebus adminiſtrandis, adſuefaceret, in *Morauiam* venerat: quippe cui, *Wenceslaus*, Marchionis dignitate, filium *Ottocarum*, præfecerat. Hic dum, nepotis iuribus intenta eſt, arcem *Vöröskö*, & Tyrnaviam condit: eo nimirum decennio, quod, poſt mariti fata, in viuis extraxerat. Enim vero, anno demum MCCXL. naturæ debitum perſoluit. *Anno* 1240, inquit Bohvslavs Balainvs S. I. *(d.) obiit* Constantia, *regis* Wenceslai *mater*. Hæc certa ſunt. De Constantia, fueritne omnino Belae III. filia, dubios reddit, ſcriptorum, de ea, Hungaricorum, ſilentium. quod & Thomas Iordanvs *(e.)* obſeruauit: Constantiae *huius*, inquit, *nulla fit vspiam, apud Hungaros mentio; niſi dicas fuiſſe Arragoniam*, Emerici *regis viduam. Eam tamen poſtea* Friderico II. *Cæſari nupſiſſe, tradunt Hungari.* Ita eſt, altum, de ea, ſilentium, in noſtris ſcriptoribus. Proinde, neque Iohannes Pistorivs Niddanvs, in regum Hungariæ genealogia, eius meminiſſe *(f.)* potuit. At enim, in tanta paucitate auctorum, qui rerum noſtrarum memoriam poſteris prodiderunt, mirandum id haud eſt. Sufficit, ſeruatam eius mentionem, ab exteris eſſe. Præter Dvbravivm *(g.)* enim, & Balbinvs *(h.)* vt taceamus reliquos, filiam Belae III. adpellauit.

§. III.

Magiſtratus vrbicorum, de origine Tyrnauiæ, *ſententia:*

Haec noſtra, de origine *Tyrnauia* ſententia fuit: cum magiſtratus vrbis, inſigni, erga lucubrationes noſtras, vſi beneficio, (quippe quas, non recognouerunt modo, quam ſollicitiſſime,

c.) Hiſtoriæ Bohemicæ, Lib. XVI. p. 126, 51. Vtimur editione *Wechelianа*, quam adornauit *Thomas Iordanus*. A. MDCII. fol.

d.) Epitome *Rerum Bohemicarum*, Lib. III. Cap. XIV. p. 264. & antegreſſo Cap. XIII. p. 257.

e.) In Notis ad Dvbravii Lib. XVI. a. p. 125, 30.

f.) Exſtant ea in Scriptoribus Hung. p. 148. Belae III. mentio p. 554.

g.) Libro XV. p. 119, 36. & in Genealogia Regum Hungariæ, *Hiſtoriarum Libris*, præmiſſa.

h.) Epitome *Rerum Bohem.* Lib. III. Cap. XIII. p. 249.

me, ſed locupletarunt etiam, liberaliter, id quod cum grati animi ſignificatione, publice profitemur) iſta nos docuerunt. „ Exſtat, in„ quiunt, in Archiuo ciuitatis, *Bulla* aurea, BELAE Regis, anno „ MCCXXXVIII. regni vero eiusdem, anno tertio, perſcripta, in hunc modum: *In Nomine Sanctæ Trinitatis, & Individuæ Vnitatis.* BELA *Dei Gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæque Rex in perpetuum. Regia magnitudinis incumbit officio, diſperſa colligere, & congregata conſeruare, & populum, ſuæ ditioni ſubiectum, in pace tranquilla, ſua cuilibet iura reddendo, confouere. Cum igitur, in Comitatu Poſonienſi, locus, qui* ZVMBATHELY *dicitur, hoſpitibus congregandis aptiſſimus videatur, ciuibus, in eodem loco reſidentibus, & qui in poſterum venire voluerint, talem conceſſimus libertatem, vt ad Regiam Coronam, ſpecialiter pertineant: nec cuiusquam Iurisdictioni, donationi, vel cuiuscunque Translationis modo, committantur.* reliqua. *Datum per manus Magiſtri Stephani, Aulæ Noſtræ Cancellarii. Præſulibus Venerabilibus Bartholomæo, Veſzprimienſi, Matthia, Váczienſi, Epiſcopis. Andrea Piſonienſi Comite, Dominico Magiſtro Tauernicorum.* cetera. Intercidit *Bulla* hæc, breui poſt, cum, fæuientibus in Hungariam Tartaris, peſſum iere omnia. Proinde, reſtaurandam poſtliminio, tametſi tardius, BELA exiſtimauit, anno MCCLXVII. regni ſui anno trigeſimo primo: palam profeſſus, quemadmodum prius illud diploma ſuum, bello Tartarico, inſigni ciuium damno, interierit. Atque exſtat omnino *Bulla* hæc regis optimi in tabulario vrbico, perſcriptaque fuit, a *Cancellario Regio, Magiſtro Demetrio, Præpoſito Albenſi.* Adparet vero hinc luculenter, veterrimo nomine, Hungaris ZVMBATHELY *(i.)* adpellatam fuiſſe Tyrnauiam; lapſu dein temporum, vt a cognominibus oppidis aliis diſcriminaretur, *Nagy-Szombath*, vocitatam. Hæc Magiſtratus Tyrnauienſes, omni exceptione maiora, quia, fide diplomatum, quam optamus vbique, adfirmata. *diplomate firmata.*

Pergunt poſtea conciliare, diuerſas ſcriptorum, de Vrbis origine, ſententias, ne BELA IV. hac laude fraudaretur temere. *Commode*, inquiunt, *poſſunt conciliari auctores, ſi nimirum, initia vrbis, circa annum MCXL. ad* BELAM II. *referantur; progreſſus vero, atque mœnium in primis molitiones, ad annum MCLII.* GEYZAE II. *adtribuantur: ipſa denique, adfecti operis conſummatio, atque donatio illa priuilegiorum,*

i.) Vocabulum, *Zumbat*, ſiue *Szombat*, nomen *Sabbathi* eſſe, vel hi aduertunt, qui ſunt ignari ſermonis Hungarici. Erat vero in more poſitum *Hungaris*, vt publicos mercatus, hic atque illic, diebus *Sabbathi*, & quum ſacrorum cauſſa, confluebat populus, concelebrarent. Vnde, locis, quibus id fiebat, *Szombathely*, nomen enatum, quaſi *Mercatuum*, ſeu *Nundinarum loca*, dicerent. Poſtea vulgo, tantundem fuit, *Szombat*, ac ſi nundinas diciſſes. Hinc & diei *Dominica* manauit adpellatio; vt *Vaſ-ár-nap*, vocaretur. quod eſt, ſi verba verbis reddideris: *Ferri vendendi dies*: nam, mercium quidem, præcipua olim, *ferrum* in Hungaria fuit, non minus in tela, quam ſupellectilem aliam, procuſum. Hodieque, ex eodem hoc capite, nundinas *Vásár*, accentu permutato, vocitamus. Hæc adnotauiſſe iuuat, vt excitaremus populares, ad rimandas vocum linguæ patriæ, notiones, iuxta & origines.

BELAE IV. *vindicetur. Cum palam fiat, ex aurea eius Bulla*, Zumbathely, *ſiue* Tyrnauiam, *iam tum a ciuibus cultam fuiſſe. Aegre, proinde, fidem merebuntur, qua de* Conſtantia, *Ottocari regis, auia*, DVBRAVIVS *memorat: niſi credamus, eam quoque, elaborauiſſe in vrbe, ſeu communienda operibus, ſeu percolenda aedificiis.* Iſta ſunt, quæ vrbicis magiſtratibus, in acceptis referimus. quorum ſolertiam, vtinam ciuitates reliquæ, pro eo ac decet, æmulentur!

§. IV.

Vrbis nuperæ clades, ab Ottocaro, *illata:*

VIx dum vrbs conualuerat, cum, intercepta iam eſt, expilataque. Maleficii auctor, OTTOCARVS, CONSTANTIAE, quam laudauimus, nepos fuit, vel eo ingratus aduerſus auiam, quod pulcherrimum magnificentiæ eius monimentum, vi illata, non dubitauerit contemerare. Rerum tunc in Hungaria, BELA IV. potiebatur, qui cæſo iam ante, *Friderico*, Auſtriæ duce, de *Styria*, ſub poteſtatem mittenda, cogitationem ſuſceperat. Et ſucceſſura res videbatur, niſi OTTOCARVS, vnus omnium dominandi auidiſſimus, armatus interceſſiſſet. Conflatur ergo bellum, depellitur Styriæ dominatione, *Stephanus*, Belæ filius. Hanc OTTOCARI ferociam repreſſurus BELA, datis ſeueriſſimis quaquauorſum mandatis, exercitum ingentem cogit, inque Auſtriam, quam Bohemus vſurpabat, & Morauiam, infundit, ac regionem late populatus, prædas agit. Obiecit ſe Hungaro *Ottocarus*, ingentia principum Germanorum auxilia, ſecum trahens. Id conſpicatus BELA, exercitum palantem cogit, & citeriore Moraui ripa, caſtra metatur. Adfuit breui poſt OTTOCARVS quoque, confligendi cupidiſſimus. BELA contra, non impetu, ſed conſilio rem gerendam exiſtimans, diu ſe in caſtris continuit; dum fortuita velitatio, ingentes duos exercitus, in pugnam, nec opinato, proliceret. Committitur ergo prælium, atrox & cruentum, victoria, nunc huc, nunc illuc, inclinante. Tandem Germanorum virtute fracti *Hungari*, ſauciato item, *Stephano* duce, & prima acie conuulſa, ſenſim retrocedere, mox, vbi explicatis ordinibus fugæ locus dabatur, terga vertere cœperunt. DVBRAVIVS *(k.)* auctor eſt: *ſedecim millia Hungarorum interfecta eſſe, paullo videlicet minor numerus, quam vniuerſus* OTTOCARI *exercitus fuit.* Profecto, quam pro re, glorioſius! ſicuti aduertit eius editor, IORDANVS *(l.)*, Hungarorum fidem ſequutus: *Hungari*, inquit, *adeo bello Tartarico effœtam fuiſſe dicunt Hungariam, vt vix tot, tota Hungaria, etiam, qui tum vixerant, ſuperſtites relictos teſtentur. Fidem facit, & inopia equorum, vt bigas homines, equorum loco ducerent.* At enim, vtrique dicunt, quod nimium eſt. Quindecim iam anni, poſt decedentes Tartaros abierant, quo quidem temporis interuallo, reſumſit vires Hungaria: tametſi

eius rei occaſio & cauſſa:

k.) Hiſtoriæ Boiemicæ Libro XVII. p. 138, 35.

l.) In notis ad eundem Librum, pag. 143. c.

tametſi diffiteri iniquum fuerit, BELAE exercitum, partem maximam, non e milite natiuo, ſed barbararum gentium ſuppetiis, conflatum fuiſſe. OTTOCARVS enim vero, tametſi Hungaris numero inferior, militum tamen Germanorum virtute, multis modis ſuperior habebatur. Ita legas in *Styriæ Ducum* hiſtoria *(m.)*: BELA, *iræ impotens, non exſpectato induciarum fine, cogi militem, & Auſtriæ infundi iubet. Non Hungari duntaxat, ſed quidquid barbarorum immixtum iis degebat, ſeueris imperiis excitum. Sub Iulii initium, centum quadraginta millia, ex aduerſa Morauæ ripa, conſtitere. His* OTTOCARVS, *centum equitum* millia obiecit: quos inter, vt mos ævi illius ferebat, *ſepties mille equos, ferreis loricis cataphractos, immiſcuit.* Iſte exercitus vtriusque, & numerus, & adparatus fuit. Bohemus, tam inſigni victoria, XIII. Iulii, anno, ſupra mille ducentos, ſexageſimo, potitus, *Piſonium* vsque procurrit, circumiectas vrbes, nemine reſiſtere auſo, perdomat, probeque euerrit. Prædæ magnitudinem, ex DVBRAVIO *(n.)* diſcas. Tunc vero, *Tyrnauia* quoque, in rapinam victori ceſſit; ſed an ædibus parſum ſit, non habeo dicere. Pace dein, Piſonii *(o.)* facta, ſequente autem anno *Viennæ*, in tabulas relata, deceſſere *Tyrnauia* Bohemi, illatam nunc cladem, atrociore poſtea, cumulaturi. BELA nimirum ſatis concedente, omnem mouit lapidem, filius STEPHANVS, vti cædem parentis vlciſceretur, & partim fraude, partim vi, ablatos *Piſonio* theſauros, recuperaret. Iuuenilem, noui regis ferociam, retundendam ratus OTTOCARVS, valido cum exercitu, in Hungariæ finibus conſedit. Nihilo ſegnior STEPHANVS, & ipſe prope *Piſonium* metatur. Caſtra oppoſita aliquamdiu caſtris fuere, cum pacem *Conſtantia*, vel, vti eam adpellant domeſtici ſcriptores, *Anna*, *Ottocari* ſocrus, inter reges conciliat. Atque, tunc quidem ab armis diſceſſum fuit. Altero poſt anno, iniuriarum memor STEPHANVS, captata, ex *Ottocari* abſentia; in Carinthia enim armatus verſabatur; belli occaſione, cum quinquaginta ſuorum millibus, in *Ottocarum* mouet. Ille vero, ne imparatus adhuc, manus cum Hungaro cogeretur conſerere, relicto alibi *Stephano*, celeritate, quanta potuit maxima, per Morauiam, Hungariæ ſe denuo infundit, quasque mitius antea habuerat, vrbes, diripit, ignique exurit. In his, præter *Piſonium*, *Szent-Györgyinum*, *Baſingam*, *Vöröskö* arcem, TYRNAVIA *(p.)* fuit. Difficile explicatu eſt, quanta feritate, in homines, inque tecta fuerit ſæuitum. Egeſti e

m.) In OTTOCARO II. p. 92.

n.) Libro citato, p. 138, 39. *In direptis* Belæ *caſtris, tantum auri ex præda nactus eſt, vt aureum deinceps pro argento, abacum ſibi ad menſam inſtruxerit, aureosque calices ad aras, & aurea turibula, facienda curauerit: tantum præterea manubiarum, vt præter donatiuum, adfluenter militibus dilargitum, tam large adhuc ex illis ſupereſſet pecunia, vt inde, nobile atque opulentum in Boiemia cœnobium, quod regium coronam vocari voluit, conderet.* Quis credat, hanc tantam opulentiam, in caſtris fuiſſe repertam? Detractam, vrbibus & oppidis, prædam, fuiſſe oportuit.

o.) Vide eius conditiones, in Vrbis hiſtoria, Periodo III. §. IX. p. 117. Tom. I. Not. Huog.

p.) Vide Hiſtor. Ducum Styr. loco cit. p. 99. Item HIERON. PEZII, Script. Auſtr. Tomo I. exſtans *Chronicon Lobienſe*, col. 833. ſeqq.

templis, ſacri theſauri, pertuſi priuatorum fornices, detractæ feminis virginibusque, vsque ad nuditatem, veſtes: non ſexui, non ætati parſum eſt. Sed nondum expleri his poterat fæuities. Subiecti tectis ignes, nuperam vrbem peſſundedere penitus, tantaque, in ſacris profanisque ædibus, ſtrages fuit edita, vt vix e cineribus *Tyrnauiam* reſurrecturam crederent, qui tunc viderunt. Tametſi vero, repreſſus, poſt hanc cladem, cæſusque fuerit ad Rábczam, OTTOCARVS, tamen *Tyrnauiam*, reliquasque vrbes, quas euaſtarat, adeo non deſeruit, vt potius iuſtis præſidiis communiuerit: dum pax coaleſceret Pragæ. De ea in *Ducibus Styriæ: (q.) Ceſſit* Ottocarus, *& copias regno deducit II. Idus Iulii, anno ſeptuageſimo primo: epiſcopis, Petro Patauienſi, aliisque ſponſoribus, pax Pragæ confecta eſt; reddita Stephano, quæ eo bello ablata; dira intentata, quisquis prior arma temere ſtrinxerit.* Ergo, *Tyrnauiam* quoque, ſed diſſimilem ſui, Bohemi, non item *Piſonium*, reddidere. At enim, temporaria hæc pax fuit. Fatis nempe conceſſerat *Stephanus*, filio LADISLAO, impubere relicto, quem *Chunum* poſtea vocauerunt. Siue ergo iuuentutem regis, in rem ſuam verteret, ſiue cauſſas obtenderet alias, *(r.)* bellum denuo in Hungaros *Ottocarus*, conflauit. Neque ſegniores Hungari, Auſtriam, Morauiam, Styriam, Carinthiamque, infeſtis agminibus ante percurſant, expilantque, quam hoſtis, auxiliares copias adunaret. Tunc, *Ottocarus*, vbi hoſtes deſæuiere, cum ſexaginta millibus, Hungariam, ea parte, qua ſe nemo obiecturus erat, inuadit, omnemque late regionem, ad *Nitriam* vsque, euaſtat. Eo impetu, Piſonium, *Tyrnauia*, & quidquid circum caſtrorum oppidorumque fuit, interceptum eſt. Facile fuerit exiſtimare, peſſime habitam vrbem; præterquam quod in eam, vix dum e cineribus adſurgentem, minus iam furori licuit; niſi cutem, pro veſte, nudo detractam, voluiſſet. Manſit poſtea, vsque ad eam pacem, *(s.)* in *Ottocari* poteſtate, cum Piſonio *Tyrnauia*, qua cum RVDOLPHVS *Habſpurgicus* Auſtria, Styria, Carinthiaque exuit. Nam LADISLAVM quidem, inter fœderis, quod cum RVDOLPHO nuper, æquiſſimis ſuffragiis, in Cæſarem ſublecto, aduerſus *Ottocarum*, inierat, auctoramenta, id quoque habuiſſe, certum eſt, *(t.)* quod vrbes Hungaricas, *Piſonium*, *Szent-Györgyinum*, *Baſingam*, & *Tyrnauiam*, captiuas, & quaſi ferro partas, detineret. Poſt necatum ſociali *(u.)* bello, *Ottocarum*, vti reliquæ circum viciniæ, ita *Tyrnauia* cum primis mitiora eſſe cœperunt omnia. Nam, & e buſto, pulchris incrementis, exſurgebat, & ciuibus exinanita, ſupplementa accepit, triplici e gente, Hungarica, Germanica & Slauica.

quam tertium repoſit:

vrbis, poſt eadem Ottocari, felicitas.

§. V.

q.) Inibi p. 100. initio. Adde laudati PEZII, citatum locum, col. 836.

r.) Excuſſas lege, in Hiſtoria Vrbis Piſonienſis, loco cit. §. XIII. p. 128. Legeſis & PEZIVM ibidem, col. 841. ad annum MCCXXXIII.

s.) Eius leges dedimus loco citato, Hiſtoriæ Vrbis Piſonienſis.

t.) Ita LAZIVS, in Commentario Genealogiæ Auſtriacæ, Lib. I. p. 177, 9.

u.) Aderant nimirum ductu *Ladislai*, Hungarorum auxilia, qua de re, apud Piſonium diximus, p. 129.

§. V.

HAs vrbis acceſſiones, dubito, an non quodammodo interturbarint ea bella, quæ *Alberto* Auſtriaco, cum *Günſienſibus* comitibus, & diutina, & coniuncta cum regionis clade, interceſſere. *Piſonium* certe, vti ſuo loco *(v.)* diximus, victas Auſtriaco manus dedit; Trans Danubiana autem ora, longe lateque ſub poteſtatem miſſa eſt. Nondum eius calamitatis iniuriæ, obliteratæ fuerant, cum, poſt cæſum a Cumanis *Ladislaum*, noua bellorum ſeges, ſpargi cœpit. Capeſſebat ſcilicet, regni diadema, ANDREAS III. Venetus dictus: qui, vti *Alberto*, a quo diutius captiuus hoſpes, detinebatur, ægre faceret, atque obtruſa ſibi adfinitatis fœdera, gladio reſcinderet, ingenti cum exercitu, Auſtriam inuaſit, lateque vagatus, *Albertum*, ad pacis conditiones adegit, recuperauit Moſonienſem, Piſonienſemque oram; ſed adfinitatis vinculo expedire ſe nequiuit, quin *Agnetem*, nuper ſibi deſponſatam, duceret. Breue ANDREAE regnum, idemque diuerſiſſimis procerum ſtudiis infeſtum, obtigerat. Enim vero, anno MCCCI. fatis functus, regnum quidem æmulis, *Agnetem*, cum filia, Hungarorum duritiei, obiecit. Imminebat nempe ſceptris, CAROLVS *Robertus*, quæ tamen, factione inualeſcente, puer WENCESLAVS, Bohemiæ regis filius, obtinuit. Offendit ea res, cum ſummum Pontificem, rum *Albertum* quoque Auſtriacum: quippe qui, CAROLVM, in eo faſtigio collocatum, cupiebat. Neque diſſimulabat collectam offenſam, ſed nec Hungari concoquere potuerunt adtemerata iura ſua, quodque in eligendo rege, leges ſibi a vicinis ferri viderent. Itaque, *Agnetem*, ANDREAE III. viduam, natam vero *Alberti*, cum cognomine filiola, in cuſtodiam mittunt, habentque, quam pro dignitate, fordidius. Inde bellum exardeſcit. *Albertus*, imparatos Hungaros adoritur, *Piſonium*, vicinamque oram, ſub iugum mittit, victoriam, ad ſacrum vsque Pannoniæ montem, profert. Quid tunc euenerit *Tyrnauiæ*, non auſim definire, quia nihil reperio in eius ætatis monimentis. Profecto autem, nihil *Alberti* ducibus erat procliuius, quam puero rege, inter delicias, *Budæ* agitante, regionem, quam late vellent, ſub ſuam mittere poteſtatem. Extortis ea vi, *Agnete*, vtraque, capriuis, deceſſere quidem regione Auſtrii, ſed quas ceperant vrbes, atque in his *Piſonium*, (nonne vero *Tyrnauiam* quoque?) ſibi vſurpauere. Certabatur inde, non æmulorum magis, quam procerum Hungariæ factionibus. Educto enim ex Hungaria WENCESLAO puero, non deerant, qui auctoritate Pontificis nixi, CAROLVM *Robertum*, longa exſpectatione regni, propemodum feſſum, ad clauum admotum percuperent; ſed præualuit tamen eorum optio, qui OTTONEM Bauarum, in regem adſciuerunt. In hac rerum conuerſione, & quod inter plures reges, rex eſſet propemodum nemo, *Matthæus Trentſinienſis*, opibus non

Reliqua vrbis fata, ſub Ladislao *Cumano*:

ſub Andrea *Veneto*:

ſub Wenceslao *puero*:

v.) In Vrbis eius Hiſtoria, Periodo III. §. XIV. p. 132. vbi & conuerſiones, totius huius oræ, memorauimus.

an in poteſtate fuerit Matthiæ *Trentſinienſis?*

non minus, quam clientelis, inualuit, ſeque *Vagi Dominum (x.)* voluit adpellatum: eo quod regionem omnem, inde a *Vagi* capitibus, vsque ad confluentem Danubii, ſibi, iure an iniuria, habuit obnoxiam. Sunt, qui credant, paruiſſe homini *Tyrnauiam:* neque ego video, cur ambigam, in tanta regum variatione, auiditateque hominis. At fortunam vrbis, qua tunc fuit, vix poſſis diuinari: niſi, ex temporis ingenio coniicere velimus, vrbem non minus, quam herum, regi fuiſſe refractariam. Carolo demum *Roberto*, anno MCCCX. in regem inaugurato, *Tyrnauia*, Matthæo *Trentſinenſi*, ſi eam tamen poſſedit, excuſſa e manibus eſt. Quia enim reuocari ad officium nequiuit, atroci, & poſt hominum memoriam, cruentiſſimo prælio, deuictus, omnem, quam longe dominabatur, regionem, regi poſt ſe reliquit peculiarem. Tunc vero demum, & ciuibus inualuit *Tyrnauia*, & frequentari cœpit a regibus. Iſthic, ſolemne illud fœdus, quod Carolvs *Robertus*, cum Iohanne, Bohemiæ rege, pepigerat, coaluit, atque in tabulas relatum eſt. De eo Balbinvs: *(y.) Anno*, inquit, *MCCCXXVII. aternum fœdus icit*, Iohannes *rex*, *cum* Carolo, *rege Vngaria; huius litteras in archiuo regio habemus*, Tyrnaviae, Idibus Februarii, *datas. Promittunt reges mutua auxilia, & coniugium* Annae, Iohannis *filiae, cum* Ladislao, Caroli *primogenito, ſi tamen a Papa diſpenſatio obtineri poſſit, ſuper conſanguinitate nubentium; dos certa & dotalitium, conſtituitur; arma regum iungenda; pro hoſtibus habendi, quicunque alterius hoſtes forent*, Illvstribvs Dvcibvs Avstriae, (verba ſunt Caroli regis Hungariæ) *duntaxat exceptis.* Quam vero opulenta fuerit, rerum potiente Carolo, *Tyrnauia*, colligas id ex decreto eius: *Ciuitatenſes*, inquit, *dare & ſoluere tenentur: videlicet ciuitas* Trinchinienſis *decem marcas; item, ciuitas de* Bách, *triginta quinque marcas; item* Korponja, *ſimiliter triginta quinque marcas; item ciuitas* Barchienſis, *quindecim marcas; &* ciuitas de Tyrnauia, centum marcas; *& ciuitas de* Tapolchán, *viginti marcas, modo prædicto cambire teneantur.* Enim vero, ita exiſtimamus, tanto, reliquis, quæ heic nominantur, vrbibus, *Tyrnauiam*, ea tempeſtate antecelluiſſe, quanto maior *marcarum* ei numerus, ad cambiendum, admenſus eſt.

ſit poſſiminio Regum peculiaris:

vrbis, ex foedere Bohemico, celebritas:

regnante Carolo I. *opulentia.*

§. VI.

Datur a Ludouico I. *pignori, Margarita* Banara:

quam ob rem?

Carolo mortuo, in fatis *Tyrnauiae* id præcipue memorandum eſt, quod vrbem Lvdovicvs I. *Margarita* ſeniori Tyrolenſi, arbitratu *Alberti* Auſtrii, pignori dediſſe, legatur. Rei indicium, Antonivs Steyerer *(z.)* fecit. *Cum*, inquit, Lvdovicvs, *Hungariae rex, ac* Margarita *ſenior Tyrolenſis, eam controuerſiam, quae de dote olim promiſſa, inter ipſos vertebatur*, Alberti *iuſtitiae terminandam permiſiſſent, Vienna*

x.) Hinc illa, apud Hungaros, adpellatio, qua regionem eam, *Mutyni-Földe*, vocant hodieque.

y.) Epitome Rerum Bohemicarum, Lib. III. Cap. XVII. fine, p. 329. ſeq.

z.) In Hiſtoria Alberti II. Cap. I. p. 11. ad annum MCCCLVI.

Vienna ita pronunciauit. Rex, in ducis fidem, deponat florenorum millia triginta, & Tyrnaviense *oppidum, eodem tempore tradat* Margaritæ. *Hæc vero ante Paſchales ferias proximas, producat monumenta, quibus eam dotem, ſibi a rege promiſſam eſſe, oſtendat; quod ni fecerit, viginti millia,* Lvdovico *reddantur, decem* Margaritæ *cedent; Tyrnauienſis praterea ditionis poſſeſſio, eidem permittatur, donec noua ſententia, liti finem ponat.* Hæc ille, prorſus ex diplomate Germanico, quod in additionibus *(a.)* integrum recitat, neque nos poſſumus, quin integrum inferamus. Ita vero habet: *Wir Albrecht - - - Tun chunt, daz der hochgeborn Fürſt unſer lieber bruder Kunig* Ludwig *von Ungern an ainem tail, und unſer liebe Mume Vraw* Margret *Hertzogin von Bayrn an dem andern tail in unſer hant gegeben habent zwiſchen in ze tadingen, und ze ſprechen umb die Morgengab, die der vorgenant unſer Mumen volgen ſol, dævon haben wir geſprochen, und ſprechen ouch, das der vorgenant unſer bruder der Kunig an unſer gewalt ſol hie niederlegen XXX. M. florin, und darzu ſol er ir inantwarten, die Stat* Tyrnna, *und was dazu gehört, alſo mit der beſchaidenhait, daz die vorgenant unſer Mume ir brief die ſi ſpricht, das ſie ober ihr Morgengab hab, furbring, und zaige zwiſchen hinnan und Oſtern, die ſchiriſt chomet, und zaigt ſie in derſelben zeit ir brief, und erwindet ſich darin an denſelben briefen, daz ir der vorgenant Kunig unſer bruder icht meer den XXX. M. florin fur ir Morgengab geben ſoll. So ſulen ir zu denſelben XXX. M. florin an gult, und was des an derſelben gult ze* Tyrnna *abgieng, das ſol ir der vorgenant unſer bruder der Kunig anderwo erſollen, als lang er unſer egenanten Mumen daz übrig gelt verricht. Was aber daz ſi ir brief in derſelben friſt nicht furprecht, noch zaigte, ſo mag der vorgenant unſer bruder der Kunig, oder wen er dazu ſchaffet, der vorgenant XXX. M. florin die er in unſer gewalt niderlegt XX. M. hinwider nemen, und die obigen X. M. flor. ſollen wir unſer vorgenant Mumen inantwurten, unſerm bruder dem Kunig abzeslahen an derſelben Morgengab, und ob ſi dann ir brief zwiſchen denſelben Oſtern, und den Phingſten die darnach allſchiereſt chomend, nicht furpringt, noch zaigt, ſo ſol ſi dennoch* Tyrnna *und was darzu gehort, als lang innhaben, als wir daruber ſprechen wellen, ſollen wir ez unſerm bruder dem Kunig entbüten, daz er dazue chome oder ſeinen rat ſende, der ouch, ſein recht furbringe, und melde, und waz wir dann darumb ervinden oder ſprechen, des ſullen ſi uns baidenthals gevölgig ſein. De sgeben wir &c. Datum Vienne, Dominica poſt Epiphaniam Domini, Anno Domini MCCCLVI.* Hucusque diplomatis verba. Non dubito, fore plerosque, qui credant, nimium tribuiſſe Lvdovicvm Hungarum, Alberto Auſtriaco. ſed ü fere ignari fuerint eorum temporum. Decernebant tunc inuicem lites, multo quidem facilius, principes viri, quam priuati hodie, & proletarii homines. Id apud laudatum Steyrervm, eodem loco, poſſis legere. *In Vngariam,* inquit, *poſtea Dux ipſe deſcendit, ac Regem viciſſim arbitrum eligit, qui lites*

diplomatis docetur.

a.) Ad Cap. I. p. 187. B.

lites omnes, inter CAROLVM *Caſarem, &* ALBERTVM *natas, componeret, (b.)* reliqua. Proinde, mutua hæc fuere officia, magnæ ea quidem efficacitatis, & ſi fateri velimus, quod res eſt, maioris, quam ſunt hodie, ſolemniſſima quæque fœdera. Sed quæſo! vnde hæc dotis ſoluendæ neceſſitas, LVDOVICO noſtro incubuit? Placet, heic quoque, ingenua, STEYRERI, confeſſio. *Quando, & qua de cauſſa*, inquit, *Vngariæ rex, ad dotem ſoluendam obſtrictus fuerit, nihil certi occurrit; memini tamen me legiſſe:* CAROLVM, LVDOVICI *patrem, ad conciliandum primum* MARGARITAE, *cum* IOHANNE *Morauo, connubium, quandam pecuniam* HENRICO, *ſponſa patri, obtuliſſe; ſeu potius, vadem ſe dediſſe, pro* IOANNE *rege, ſponſæ patre, qui, vt Henrici Tyrolenſis, & Beatricis Sabaudæ, dein Ioannis Henrici filii, ac præfatæ Margaritæ, nuptias conciliaret, partim dotis nomine, partim, vt Henricus, omni, in Bohemiam, iure, ſe abdicaret, magnum, vt infra in addit. Cap. VII. (c.) ad annum MCCCLII. patebit, argenti pondus, Henrico promiſerat. Quodſi* Henrico *appenſum non fuit, filia* MARGARITA, *ac hæres, iure litem mouit* LVDOVICO, *ad quem paterni vadimonii onus, cum regno tranſierat.* Sed, an Tyrnauia, in poteſtatem *Margaritæ* venerit, quod ſeu negem, ſeu adfirmem, non habeo. Nam in his, ſcriptores noſtri, muti ſunt piſces: in exteris autem, qui id adnotarit, hucuſque reperi neminem. Interim, pretium nos feciſſe operæ exiſtimamus, ignota hæc, intertexuiſſe.

dotis ſoluendæ neceſſitas, vnde Ludouico?

§. VII.

Illata, ab Huſſitis, clades.

HVſſitæ hinc, qui poſt initia ſeculi XV. emerſerant, vti circumſitas Bohemiæ regiones, rapinis, igni, ferroque, extra modum fœdauerunt; ita Hungariam quoque, non vna adflixerunt clade. Sua tunc *Tyrnauia* calamitas fuit, eius belli ſcriptoribus memorata. Nobis, BALBINVM *(d.)* aduocaſſe ſuffecerit, qui rem geſtam, in compendio exhibet. *Anno*, inquit, *MCCCCXXXII. initio menſis Maii, Taborenſes ac Orphani, per Sileſiam, in Hungariam deſcenderunt; ibi, quidam eorum, ſimulato mercatorum habitu, ad* Tyrnauienſes *nundinas, circa feſtum S. Ioannis, vrbem ingreſſi, nocte, duas portas vrbis occupant, ac ſuis admiſſis, vrbem capiunt, & diripiunt. In Nouembri, Taborita rurſus & Orphani, Morauiam & Vngariam tranſeuntes, incendiis omnia fœdarunt. Ad Vagum, IX. Nouembris, deprehenſi ab Hungaris, magnam cladem acceperunt. In reditu per Morauiam, vindicauere cladem, & loca omnia, quæ ſuperiore anno,* ALBERTVS *Archidux occupauerat, recepere.* Non eſt dubitandum, magna tunc mala, vrbi fuiſſe inflicta. Anne vero, eadem hæc *Tyrnauia* eſt clades, quam BONFINIVS *(e.)* in litteras retulit? *Blaſium quendam referunt, humili*

ſigillatim Tyrnauiæ.

b.) Videſis diploma, loco cit. p. 188. C. ſignatum, *Rab*, anno eodem.

c.) Lege, IOHANNIS, Bohemiæ Regis diploma illud, cit. loco p. 596. vbi criticam, de *Margarita* hac, & *Iohanne* Morauo, hiſtoriam, reperias.

d.) Epitome Rerum Bohem. Lib. IV. Cap. XI. p. 477.

e.) Decadis III. Lib. III. p. 400, 53.

mili genere, ac tenui re, natum, ex Imperatoris peregrinatione, tantum ſibi audacia comparaſſe, vt coacto facinoroſorum exercitu, quem ex gregario milite, plane conflauerat, Thernauiam, *noctu, clam intrauerit, & Vngarici Bohemicique militis viribus fretus, caſa, haud parua ciuium multitudine, in poteſtatem ſuam, vrbem redegerit. Mox* Thernauia *potitus, locumque nactus, ad inferendum vicinis bellum, quam accommodatiſſimum, ſuperiores omnis Hungaria partes, quæ ad Auſtriam Moraniamque pertinent, longe lateque cædibus, rapinis, incendiis, tumultuque perculerit, ad Danubium vſque regionem, quam a Matthæo (f.) denominant, magnis calamitatibus, & terrore compleuerit, atque, niſi magna nobilium multitudine congregata, comparato tumultuario exercitu, occurriſſet, multo latius peſtis illa debacchata fuiſſet. Quum is accepiſſet, quod ad coercendam eius audaciam, nobiles molirentur, cautius rem egit, de pace agi cœptum eſt. Ea conditione res pacata, vt, quæcunque ſæuus latro occupaſſet, nobilium permiſſu, tuto potiretur.* Si annum latrocinii huius, eadem, qua BALBINVS, adcuratione, adnotauiſſet BONFINIVS, non eſſet ambigendum, idem illud, cuius meminimus, *Huſſitarum* fuiſſe maleficium: quod profecto ita eſt. Nam, diſerte *Bohemos*, nominat hiſtoricus, quorum opera vſus ſit *Blaſius*, ad annum, ſi reliqua circumſpicias, fere eundem.

§. VIII.

HAec, SIGISMVNDO, Huſſitarum hoſte, non tam felici, quam acri, rerum potiente, accidere. Nam, ſub ALBERTO quidem, qui ei nuptiarum iure, ſucceſſerat, vix quidquam, quod memoremus, *Tyrnauiæ* euenit: fatis ita volentibus, vt ex clade nupera vrbs, ante conualeſceret, quam nouo belli turbine, perturbaretur. ALBERTO enim fatis concedente, Hungaria omnis, ciuili bello conuulſa eſt, colliſi diuerſiſſimis ſtudiis ordines, plusque triennio, datum acceptumque mutuo cladium, quam id poſſis exiſtimare. Tutabatur ELISABETHA, *Ladiſlai* poſthumi, iura, quæ in Hungariam habuit. Neque ſibi defuit, WLADISLAVS Polonus, ad capeſſenda ſceptra, arceſſitus. Igitur, gemina hac factione, non potuit non res publica lacerari, & cum omnium, tum ſingulorum, adteri opes fortunæque. *Tyrnauia* certe, in iis vrbibus cenſebatur, quæ belli eius damna, in primis ſenſere, tunc maxime, cum arcem *Piſonienſem*, expugnandam ſibi ſumſerat ELISABETHA. *Arcis oppugnationem adorta, & difficultate deterrita, ſubinde deſtitit, militem in Ternauianum agrum immittit; partim, vt aſſidua præda copias aleret, partim, vt Ternauianos, a* Wladislai *regis fide, cædibus & calamitatibus, auocaret:* verba ſunt BONFINII. *(g.)* Proinde, eas tunc partes ſequebatur *Tyrnauia*, quæ pro *Polono* dimicabant. Impreſſiones, præter Hungaros, quorum fide

Quomodo ſe vrbs, ſub Alberto, *habuerit:*

bella ciuilia, quæ eius mortem excepere:

Tyrnauiæ *ſunt moleſta.*

Tom. II. C nite-

f.) Etymon, a *Matthæo Trenſinenſi* arceſſitum, ſupra indicauimus.

g.) Decadis III. Lib. V. p. 436, 30.

nitebatur *Eliſabetha*, Bohemi, rapinarum auidiſſimi, & Germani factitabant. Sed audiamus porro hiſtoricum: *Qua, vbi regi nunciata ſunt, extemplo Andream Taurinenſem, cum ingenti Polonorum & Pannonum equitatu*, Ternauiam *mittit, mandatque, vt vrbem ab hoſtili incurſione tueatur, Piſonianum agrum incurſet, obſeſſamque arcem, commeatibus, armis, & ceteris denique munitionibus, obſirmet. At præfectus impigre mandata peragit: quum* Ternauiam *veniſſet, non ſolum hoſtium incurſionem inhibet, verum etiam Piſonianum agrum, ſic igni ferroque deuaſtat, vt hi potius obſeſſi, quam obſidentes dici poſſent.* reliqua. *(b.)* Ita tunc viciniſſimæ, ac conſobrinæ quodammodo vrbes, mutuo ſe adflictabant, ſtudia ſequutæ diuerſa.

§. IX.

Refouetur ſub Ladislao *poſthumo*, Tyrnauia:

Ciuili hoc bello, pace terminato, atque Wladislao Polono, cæſo ad Varnam; ſub Ladislao poſtbumo, quies *Tyrnauiæ*, & non vna facta eſt acceſſio. Præterquam enim, quod viribus Bohemorum, qui *Eliſabethæ* militauerant, acciſis, tranquillitati hæc ora reddita eſt; omni ſtudio atque cura, elaborauit *Iohannes Coruinus*, Hungariæ gubernator, ne quid detrimenti, limitaneæ iſtæ vrbes, & propugnacula, acciperent. Ac fuit omnino, intemerata vrbis fortuna, ad Matthiae vſque tempora. Eo, ad profligandas res nouas, quibus in Croatia, *Frangepani* ſtudebant, anno MCCCCLXV. cum exercitu profecto, *Schwehla* Bohemus, turbarum quidpiam conciuit, quæ *Tyrnauiam* videbantur correpturæ; ni eas, *Blaſius Podmaniczky*, tempeſtiuius auerruncaſſet. Stipendia, apud Matthiam, inſigni bellicæ virtutis laude, *Schwehla* meruerat; ſed, cum rex, in *Frangepanos* mouet, nec impetrata miſſione, cum ſociis ſeceſſionem fecerat; eo conſilio, vt per abſentiam Matthiae, rapinas, in citeriore Hungaria, ageret, eoque compendio, ſtipendiorum, quæ non ſoluta opinabatur, damna repararet. Aeſtiuabant tunc forte in Morauia, inauctoratæ, ab Imperatore, *fraterculorum* legiones, ſeptem mille viris cenſæ. Has ille, in prædarum ſocietatem, nullo negotio illectas, *Piſonium* euocat. Huc vt venere, de occupanda *Tyrnauia*, agi cœptum, vt arcem illic ponerent latrociniorum. E centurionibus, vnus erat Hungarus, cui *Blaſio Podmaniczky* nomen. Hic, patriæ ductus caritate, facinus, liberrimo ore, improbat, vtque arma verterent aliorſum, cum ratione *(i.)* ſuadet, &, cum ne quidquam agit, accepta miſſione, cum contubernalibus, noctu, clam omnes, *Tyrnauiam* euadit. *Cum eum cuſtodes admittere recuſarent, præfectum vrbis ad ſe vocari iuſſit; feſtinati cauſſam aduentus, & quantum periculi immineret, expoſuit, omni, iubens eos, ſuſpicione carere. Cum iſta retexiſſet, a præfecto vrbano,*

regnante Matthia, *a Schwehla adpetitur:*

ſeruatur a Blaſio Podmaniczky:

mox

b.) Fuſius expromſimus hiſtoriam ad *Vrbem Piſonienſem*, Periodo III. Hungarica, §. XXXV. p. 160.

i.) Depromtam ex Bonfinio, orationem eius, legeſis, in Hiſtoria *Piſonienſi*, loco cit. §. XI. p. 167.

mox admiſſus eſt. Poſtero die, rumor paſſim increbuit, quidquid agri Piſonium Ternauiamque interiacet, id omne a Bohemis populatum iri. Hæc enim XXV. millibus paſſuum a Piſonio remota eſt. Atqui res ipſa rumorem anteceſſit. nam, ad portas vrbis Bohemi ſtatim adfuere, & vrbem ſibi dedi poſtulabant: huic exitium interminati, ni portas continuo patefacerent. Dicere adhæc, nihil eſſe metuendum, ſe præter commeatus & hoſpitium, nihil aliud expoſcere, nihil etiam ſine mercede accepturos: polliceri, ſi admiſerint, omnibus, cum integra libertate, incolumitatem. Contra, a mœnibus extemplo Blaſius *ſe prodidit, qui imperioſus eos abire iubens, minis ac vi, nihil ibi profecturos eſſe ſignificauit, quando ſat commeatibus, & præſidio ciuitas munita foret; quin etiam, ni continuo receſſerint, pœnas interminatur. Ii, poſtquam in vrbe* Blaſium *eſſe cognouere, pedem continuo retulerunt, & ad decimum lapidem, ad Diui Viti fanum, caſtellum inſtaurarunt, quod* Coſtolán *adpellabant, a* Schwehla *prius occupatum.* Iſta Bonfinivs *(k.)* ſuppeditauit. Defunctam, eo periculo, vrbem, breui poſt, cum exercitu Matthias adiit, vt maleficentiſſimum genus, *Coſtolánum*, prædas congerens, mature deturbaret. Ceterum, mutua tunc, graſſantium, latrocinia, tam fuerunt enormia, vt eſſet, cur Georgivs Podiebradivs, Bohemiæ rex, apud Matthiam, atque rurſus hic, apud illum, acerbiſſime, conquereretur. Didicimus id, ex Bohvslao Balbino, *(l.)* cuius verba lubet interſeruiſſe: *Erupere hoc anno,* (MCCCCLXVI.) *quædam, inter hoſte duos reges,* (Matthiam & Georgium) *nuper tam amicos, diſſidia, qua ex multis, vltro citroque datis litteris, in codice meo deſcriptis, ſatis intelliguntur. In Octobri, binas inuenies regis* Matthiæ, *aduerſus* Matthæum de Sternberg, *litteras, qui ex Morauia egreſſus, prædas in Hungaria egiſſet: habeo ſuper ea re, quina reſponſa* Victorini, *Capitanei Morauiæ, regis* Georgii *filii. Alia contra leguntur littera,* Georgii, *ad* Matthiam *regem, quibus fraternitates illas, ſeu* fratrias, *vt in iure dicuntur,* (de quibus multa eſt in Hungaricis ſcriptoribus mentio) *excuſat, & ad ſe nihil pertinere, adfirmat. Queritur, e contrario* Georgius, *de quodam Vngaro,* Bielkone de Ledenicz, *qui in Morauia prædas egerit, & monachos clauſtri Wiſowiczenſis,* (quod cœnobium Domini de Kunſtad, Georgii regis maiores, fundarunt:) *grauibus damnis adfecerit. At iterum, ternis litteris* Matthias *rex, conqueritur, de* Matthæo Sternbergio, *tum pluribus litteris, aduerſus* Henricum de Lippa, *ſupremum Mareſcallum Regni Bohemiæ, Vngariam depradantes. Rurſus rex* Georgius *queritur de quodam Vngaro,* Blaſio Bodmeniczky (Podmanicky). *(m.) Tales, ex cauſſa ſubditorum, lites, & certamina epiſtolarum, plurima ibi leguntur, præſertim, cum Vngari quidam, in Morauia prædas agentes,*

mutua Hungarorum & Bohemorum, prædæ: enata inde, regum offenſa.

k.) Decad. IV. Lib. I. p. 539. 23. Quod reliquum eſt hiſtoriæ, ad *Koſtolanum*, in deſcriptione *Comitatus Nitriuſis*, Parte Speciali, expromſimus.

l.) Epitome Rerum Bohem. Lib. V. Cap. VII. in notis, extremo.

m.) Hic idem eſt, qui *Tyrnauiam* ſeruauerat. Atque erat omnino *Podmanickiorum* gens, dum floruit, rapinis dedita. Vide Decr. VI. Ferdinandi I. Artic. XLIV. & XLV. & Decreto VIII. Artic. XLVII.

a Morauis capti fuiſſent; quos, rex Matthias, *ſine mora ſibi vult reſtituí: quod, an factum ſit, ſcire non poſſum.* Quis hinc non videat, regiones vicinas, ea tempeſtate, & tunc rapinis dediſſe operam, cum pax fuit regibus. Demum, vbi exarſerunt bella, quo quisque erat potior, eo magis ducebatur prædandi libidine. *Tyrnauia* profecto, ſaltem eius ager, numquam non infeſtus latrunculis fuit. Poſtea, armamentarium heic, ſicuti & Piſonii, Bohemico Auſtriacoque bello, habuiſſe MATTHIAM, nihil opus eſt monere: locorum, ad eam rem, opportunitas, ſi maxime taceant hiſtoriæ, pro coniectura noſtra, loquatur, oportet.

§. X.

Quid Caſimiriana ſeditione, Tyrnauiæ meruerit?

EXcepit, has, cum Bohemicas, tum Auſtriacas, bellorum procellas, turbo domeſticus, quem procerum coniuratio, ex Polonia excitum, in MATTHIAM, cuibrauerat. CASIMIRVM illi, ad retundendam *Coruini* ferociam, in regem delegerant, tanta deficientium conſenſione, vt parum abfuerit, quin de regno periclitaretur. Serpſit, coniurationis virus, trans *Vagum*, vsque ad *Danubium*; quando rei gerendæ theatrum, *Nitria* fuit; ſed an corripuerit *Tyrnauiam* quoque? eo difficilius adfirmatu eſt, quo magis conſtat, exquiſiriſſimam operam a MATTHIA nauatam fuiſſe, ne longius propagaretur ſeditionis contagio, & ſibi exitioſa, & rei publicæ. Rebus domi forisque pacatis, ſubinde *Tyrnauiam* rex adiit, tunc maxime, cum *Beatricem, (n.)* per oppida vrbesque, itinere feſtiuo, circumductaret. Exſtant eius in vrbem ſingularia merita, quando priſcorum regum diplomata, non adfirmauit modo, ſed auxit etiam, indulgentia vſus prorſus ſingulari. MATTHIA, humanis rebus exemto, WLADISLAVS Polonus, iam tum in Bohemia rerum potitus, nec quidquam contracunte MAXIMILIANO Cæſare, in regem adſcitus, *Tyrnauia*, celebritatis permultum conciliauit. Iſthic enim aduentantem ex Bohemia regem, miſſi obuiam oratores, exſpectauere: *Legati, pronunciato, in frequentiſſima concione, rege*, vti memorat BONFINIVS, *(o.) ſenatus conſulto decreti. In primis*, Iohannes Varadienſis, Thomas Iaurienſis, Iohannes Chanadienſis, & Stephanus Syrmienſis, *ex epiſcopis: e proceribus vero, ac regulis*, Stephanus Báthor, Stephanus comes Scepuſienſis, Sigismundus D. Georgii comes, Drách, *(p.)* Bertholdus, Ladislaus Orſzág, *veteris Palatini filius*, Ladislaus Rosgonius, Ladislaus Loſontius, *multique alii ornatiſſimi optimates: quibus adducendi honorificentiſſime regis, data pronuncia, & adiecta mandata, vt antea, quam intra fines regem accipiant, in oblatas conditiones iurare compellant. Iuſſi,*

adit Tyrnauiam Matthias:

Wladiſlao, *regnum adeunte, conciliata vrbi, celebritas:*

u.) Vide BONFINIVM, Decad. IV. Lib. V. p. 600, 28. Scilicet, *Piſonio*, anno MCCCCLXXVIII. profectus *Cremnitziam*, hinc, *Neoſolium*, inde *Caſſouiam*, non potuit, poſitam, in itinere, *Tyrnauiam*, præteruehi; ſaltem id eum feciſſe exiſtimandum haud eſt, qui vrbes, data opera, luſtrandas, ſuſceperit.

o.) Decad. IV. Lib. IX. p. 669, 23.

p.) *Drágffy* legendum eſſe, nemo non videt: quomodo & ipſe BONFINIVS infra p. 718, 49. &c. ac paſſim.

Iuſſi, mandata viri impigre curant. Cum honeſto munitoque equitatu, Tyrnauiam, *& ad regni fines perueniunt, decem millibus paſſuum a Schempte oppido remotam. Vagus*, Tyrnauiam *& Schempten, amnis interfluit, vt Vngaria fines, (q.) a Bohemica ditione, dirimat.* Prorſus credimus, *Tyrnauiam*, ſenatus conſulto, fuiſſe deſtinatam, vbi nouus rex, a ſpectatiſſima hac procerum corona, conſalutaretur. Sed res aliter euenit. Quia enim, decem mille cataphractorum equitum, in comitatu rex habuit, neque eorum cuſtodia forte ſe voluit nudatum, prima caſtra non ad vrbem, ſed ad vicum *Kereſztúr*, metabatur, ibique ſalutatus *(r.)* ab Hungaris eſt. Inde *Schemptam* ibatur, vbi WLADISLAVS, adparatiſſima cœna, a *Ladislao Rosgonio*, acceptus, noctem exegit. *Edito*, inquit, *ibi plauſu, ac ingenti acclamatione, rex, cum oratoribus, & Bohemia Pannoniaque proceribus, in* Schempte *oppidum venit, a* Ladislao Rosgonio, *loci domino, ad cœnam inuitatus. Vngaricam ibi primum liberalitatem expertus eſt: quando pro dignitate non ſolum exceptus, ſed prater omnium opinionem, ample donatus, in Hungariam abiit.* Sed hæc, quantacunque celebritas, altero poſt anno, in vrbis propemodum exitium, conuerſa eſt. Nempe, capta deletaque *Alba Regali*, *Tyrnauiam* obſidendam, MAXIMILIANVS ſtatuerat. *Prater opinionem omnium, maiorum vndique malorum nuncii deferuntur: - - Sueuos*, Maximiliani *milites, excurſionibus in Morauiam factis, ac magno pecoris numero abacto, ad* Tyrnauiæ *obſidionem, Danubium traieciſſe.* Verum, eos tunc conatus, *(s.)* pax neceſſaria magis Hungaris, quam honeſta, interuertit.

obſidionis, a Maximiliano *intentata, periculum, pax ſubita, auertit.*

§. XI.

ANno deinde, ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo quarto, Chriſtiano ſanguine, *Tyrnauiam* Iudæi cruentauerant. Non poſſumus nobis temperare, quin refricemus, triſtem, tanti facinoris, memoriam, vt adpareat, quomodo gens iniquiſſima, de Chriſtianis, etiam rerum dominis, mereri conſueuerit. Expromemus, rem geſtam, verbis BONFINII, ne, quod ſeu parum eſt, ſeu quod nimium, dixiſſe exiſtimemur: *iisdem*, inquit, *menſibus*, Tyrnauiæ, *Iudæi quidam, cum ſe diro atque immani quodam ſcelere obſtrinxiſſent, meritum ſano ſupplicium inuenerunt. Duodecim viri, cum duabus mulieribus, ingenuum adoleſcentem Chriſtianum, occulte captum, atque in proximas ades abductum, obſtructis repente faucibus, miſere ſtrangularant, & adapertis venis, ſanguinem eius, dum animam ſenſim & ſanguinem efflaret, partim abſorbuerunt; partim aliis adſeruarunt; corpus autem in partes diſſectum, membratim humi defoderunt. Cum adoleſcens, diu*

Iudæi, Chriſtiano ſanguine, vrbem ſædant.

facinus, ex Bonfinio *recitatur.*

q.) Male! neque enim *Vagus*, ſed *Morauus*, Hungariæ & Bohemiæ ditionis, determinator eſt.

r.) Legendus omnino eſt BONFINIVS loco cit. atque in primis oratio *Iohannis Varadienſis*, qua regem accepit, ſimulque officii admonuit: plane enim, & regum *Hungaria* munia, & gentis noſtræ ingenium, expromſit.

s.) Apud eundem, Decadis v. Lib. II. p. 699. ſeqq.

diu a parentibus quæſitus, nusquam adpareret: ſatisque conſtaret, eum, pridie in vico Iudæorum verſatum, haud poſtea fuiſſe conſpectum; legitima in Iudæos quæſtio inſtituitur. Lictores in eorum ades immiſſi, deprehenſis recentibus cruoris notis, dominum, cum tota familia, comprehendunt. In quæſtionem abrepta mulieres, metu tormentorum adacta, totam facinoris indigniſſimi ſeriem, confitentur. quarum teſtimonio, conuicti reliqui, Palatini iuſſu, qui præfectus vrbis erat, omnes, magno, ad id in foro excitato incendio, conflagrarunt: alii, qui minus videbantur obnoxii, magno pecunia numero ſunt multati. Abeant nunc *Iudæorum* patroni, & negent, Chriſtianorum eos ſanguinem ſitire. Nos profecto, fœdiſſimi criminis reos haud ageremus, niſi hiſtoriæ *(t.)* & res ipſa, paſſim, bipedum maleficentiſſimos, ~~accuſaret~~. At enim, videamus, quibus adducti rationibus, ſcelus perpetrauerint. *Cum e ſenibus, cauſſas tanti patrandi facinoris, per tormentorum cruciatum eruerent, quatuor eas eſſe, reperiebant, quibus* Tyrnauiæ *tum, & alias ſæpe in aliis regionibus, eo ſe Iudæi flagitio adſtrinxiſſent.* Vnam, *quod ita maiorum auctoritate perſuaſum haberent, Chriſtiani hominis ſanguinem, præputiis in circumciſione adpoſitum, ſiſtendo ſanguini opportunum eſſe remedium.* Alteram, *quod eundem, ad conciliandum inter ſe amorem, plurimum valere, in cibo datum, exiſtimarent.* Tertiam, *quod cum viri ac mulieres, aque apud eos fluxu menſtrui laborarent: ſanguinem hominis Chriſtiani epotum, idoneam, ad id morbi, eſſe medicinam, experti erant.* Quartam, *vt vetus apud ſe, ſed reconditum decretum, exſequerentur, quo quotidianis ſacrificiis, in aliqua regione, Chriſtianum Deo ſanguinem libare coguntur: quo factum eſſe dictitabant, vt in eum annum, ea ſors Iudæis Tyrnauienſibus obtigiſſet.* Hactenus Bonfinivs. *(u.)*

quibus rebus, ad id patrandum, inducti fuerint Iudæi.

§. XII.

Auctoris, de re vniuerſa, diſputatio:

IVuat, rem omnem, prorſus excuſſiſſe. Vniuerſim certum eſt, in præclaris facinoribus ponere *Iudæos*, ſi liceat ſibi, manus ſanguine Chriſtiano imbuere. quod illi, dum ſe dat occaſio, eo faciunt confidentius, quo vulgatius eſt apud eos, Rabbinorum illud præceptum: טוב שבגוים הרוג hoc eſt: *Optimum quemque inter ethnicos, occidito.* Tametſi enim, regulam eam, recentiores Rabbini, adiectione vocularum: בשעת מלחמה id eſt, *tempore belli*, interpolarunt, vt ſenſus ſit: *Optimum quemque inter ethnicos*, (ſeu Chriſtianos, hoc enim nos dignantur nomine,) *occidito, tempore belli;* tamen, quia ea interpretatio, in antiquiſſimis eorum commentariis, qualis *Mechilta* eſt, & *Sephe-*

Rabbinorum, de occidendis Chriſtianis, ſententia:

t.) Legeſis, quæ congeſſit, crudelitatis, in Chriſtianos exempla, Ioh. Andreas Eisenmenger, *Entdecktes Iudenthum*, Part. II. Cap. III. p. 218. ſeqq. Editionis *Regiomontana*, Anno MDCCXI. forma quadrip. Item Bohvslavs Balbinvs, Epitome Rerum Bohem. Lib. V. Cap. XI. p. 572. vbi, ſeuera Wladislai regis, aduerſum *Iudæos*, edicta memorantur.

u.) Decadis V. Lib. III. p. 718, 9. Non ſunt *menſtrui*; ſed *Hæmorrhoidum* fluxus, quibus laborant *Iudæorum* plerique.

Spherim, haud legitur; nemo non videt, fucum facere voluiſſe Chriſtianis, homines vaferrimos, ne crederent, fræna immanitati ſuæ laxare voluiſſe, diuiniſſimos ſcilicet illos doctores. Nouum, eumque longe alieniſſimum a vero, rabbinico illi ſcito, ſenſum adfinxit, *R. Salomon Leui.* Delati, haud iniuria, apud Summum Pontificem, MARCVM *Florentinum*, Iudæi fuerant, quod docerent, *optimum quemque Chriſtianorum, occidione eſſe occidendum.* Is ergo, vti in maleficium indagaret, *Salomonem*, in Rabbinis tunc forte præcipuum, ad ſe arceſſit, deque ſanguinolento eo dogmate, ſciſcitatur ſerio. Ille, nouitate rei, &, ſi malignitatem fateretur, metu etiam ſupplicio-rum perculſus, extemplo reſpondit: הרג *Harŏg*, non eſſe imperatiuum, *occidito;* ſed infinitiuum, *occidere.* Proinde, verborum ſententiam eſſe; *Optimum in Chriſtianis* cenſeri, quod ſontes, rite, & ex iuſtitiæ præſcripto damnatos, procul omni cunctatione & indulgentia, *occidere* iubeant. En ſophiſtam impudentiſſimum! cum vel his obuium ſit, qui Hebræa, extremis tantum labris, deguſtarunt: הרג *Harŏg*, haud quaquam *Infinitiuum* hoc loco, ſed *ſingularem Imperatiui* eſſe. Igitur, ſuæ hanc labem doctrinæ, eo minus expungent *Iudæi*, quo plura exſtant, belluinæ eorum, in Chriſtianos fœuitiei, documenta. Itane vero eſt: *Chriſtianorum ſanguinem, cruori circumciſorum ſiſtendo, adhibere Iudæos apellas;* ſicuti Tyrnauienſes faſſos fuiſſe, meminit BONFINIVS? Ita multi, non e Chriſtianis modo credunt, ſed hi etiam profitentur paſſim, qui migratą ſuperſtitione Iudaica, ſacris Chriſtianorum initiati ſunt. Quin, id quoque relatum legas, difficilem partum, apud Iudæorum vxores, non alia re, felicius, efficaciusque expediri, quam Chriſtianorum adhibito ſanguine. Sceleſtum ritum, *Eiſenmengerus (v.)* ex αὐτοψίᾳ cuiusdam confeſſione, expromſit; ſed ita, vt rem omnem vocarit in dubium. Et negant omnino, rerum Iudaicarum periti, eo ſceleris Iudæos prolabi, in quibus, præter alios, WAGENSEILIVM, in hoc ſtudiorum genere, ſine controuerſia, ſummum, nominaſſe ſuffecerit. Vt adeo, iniquius agi putent, cum Iudæis, ſi id illis crimi-nis intentetur: cum conſtet, plerosque, qui Chriſti fidem amplectuntur, id raro ἐκ τῆς ἀνθρώπων τῦ πονηροῦ, ſed aliis adductos auctoramentis, facere: tum vero, vt palpum obtrudant Chriſtianis, tribules ſuos, non vna onerare calumnia. Procliuius ad credendum eſt, quod altero loco faſſi ſunt, infelices *Iudæi*: *conciliando mutuo amŏri, hunc eiusmodi cruorem, a gente ſalaciſſima, forte impendi.* Sed id quoque, non ex Iudaiſmi ingenio, cui ſanguinem comediſſe, exitiale probrum eſt; verum, prauis ductos moribus, ſi faciunt, facere, exiſtimandi ſunt. Eodem cenſu, & illud habueris, quod *leniendo fluxui menſtruo adhiberi eiusmodi cruorem, profeſſi ſunt miſeri.* Certum eſt, *hæmorrhoidibus*, extra modum obnoxios eſſe Iudæos: quippe quorum, morbum eum, an naturæ beneficium, ante patiuntur multi, quam puberes eſſe cœperunt. Quid ergo mirum, ſi moleſtiæ inuſitatæ, inuſitata pharmaca, vti ſunt ſuperſtitio-

quomodo interpolarint recentiores?

quid de confeſſione Tyrnauienſium Iudæorum, ſentiendum, diſquiritur?

v.) Loco, quem nunc citauimus, p. 225.

ſtitioſiſſimi, maiorum forte inſtituto, nitantur opponere? quamuis eſt, cur heic quoque dubitemus. Illud Rabbini pernegant, ſanguinem Chriſtianum, eſitare Iudæos, & paſchalibus laganis immixtum, ſacris potionibus haurire. Nam, hoc forte fateri voluerunt *Iudæi* Tyrnauienſes, dum quotidianis ſacrificiis, libandum ſibi, hic alibiue, ſanguinem Chriſtianum, aiebant. Suffecerit, vnicum *R. Iſaac Abarbanel*, querulantem has iniurias, & diuinam ideo, Chriſtianis vindictam imprecantem, audiuiſſe. Ita vero ille: *(x.) Sic ait Dominus Iehouah, eo quod dicunt vobis, edentem homines te eſſe, &c. En*, inquit, *vaticinium iſtud adiectum heic eſt, vt grande illud infortunium indicaretur, quod nos in noſtro hoc exſilio, atque miſeria, inter filios Edom,* (Chriſtianos videlicet) *manet, qui filios Iſraelis diffamant. quod ethnicos, ſeu Chriſtianos, clam interimant, vt diebus Paſchatos, de ſanguine eorum queant edere: quod quidem mendacium, cauſſa multarum & grauium perſecutionum atque cædium fuit, quas ethnici, ſiue Chriſtiani, in populo noſtro, perpetrauerunt:* יקום השם נקמתם *Vindicet nomen diuinum, vindictam eorum.* Ita ille Chriſtianis, dira quæque imprecatus, maleficium, a popularibus ſuis, amoliri nitebatur. Quid, quod ſanguinis eſus, vel brutorum animantium, ne dicam, hominum, ſeueriſſime, & cum internecionis comminatione, populo ſuo, prohibuerit *(y.)* Devs. Ergone, inquis, inſontes fuerint *Iudæi?* Non id agimus, hac noſtra diſputatione; ſed vt doceamus, gentem, ex ſe infidam, ac nequam, hæc iſtiusmodi facinora, non tam, ex religionis ſuæ habitu, atque indole, quam ex inueterato Chriſtianorum odio, patrare: quod, qui deſcribendum vellet, næ ille ſibi laborem conſciret inexſuperabilem. Iam tot paſſim ſuppliciis perterriti, rarius cruenta hæc maleficia patrant; ſaltem, clam ea habere, cenſendi ſunt, ne emanent in vulgus. *Tyrnauia* profecto, peſſimo ſuo merito, id retulere, vt æternum ex vrbe exeſſe debeant; ſed ne agrum quidem audeant adtingere, niſi data opera malam crucem quærant. Felix *Tyrnauia*, cui vno, maleficentiſſimæ gentis facinore, perpetua ſecuritas parta eſt. Sed, redeamus ex diuerticulo iſto, ad vrbem.

quorſum hæc diſputatio, adtineat?

§. XIII.

Tyrnauiæ incrementa:

EXactis *Iudæis*, inſigni profectu, res Chriſtianorum, ſuccreuiſſe, pronum coniectatu eſt. Concordabat temporum indoles, pace egregie refocillata. Nam, hinc *Maximiliano*, illinc *Alberto*, conſopitis, *Turcis* autem, per limitaneas legiones, ſubinde repreſſis, refouebatur, conuulſum, nupero bello, regnum. Sed annus poſtea MDIX. durus & peſtilens fuit, qui ſimul regem Wladislavm, cum *Ludouico*, & *Maria*, liberis, in *Morauiam*, atque inde, ad *Sileſios*,

adfligitur peſtilentia:

(z.)

x.) Commentario in *Prophetam Ezechielem*, ad Cap. xxxvi. v. 13. fol. 202. col. 4. citante etiam Eisenmengero, dicto loco, p. 226.

y.) Vide omnino, Gen. ix, 4. Leuit. vii, 26. 27. Cap. xvii, 14. Deut. xii, 23. 24. 25.

(z.) Bohemosque, exegit. Magnam, peſtilentiæ illud virus, cum alibi, tum potiſſimum *Tyrnauiæ*, ſtragem, in promiſcua multitudine, edidit. Ergo, lue deſæuiente, nouis iterum ſupplementis, redintegrandus fuit ciuium numerus. Admiſſæ denuo fuere, ad capeſſenda iura ciuitatis, non vernaculæ modo nationes; ſed *Germani* etiam atque *Bohemi*, in primis mercatuum cauſſa, quibus pridem celebrabatur *Tyrnauia*. Quinquennium, poſt vrbem, peſte liberatam, abierat, cum inſolitum prorſus hoſpitem, intra mœnia *Tyrnauienſes* accepere. Fuit is, SIGISMVNDVS, Poloniæ rex, WLADISLAI frater. Nempe, conuenerat inter *Maximilianum* Cæſarem, *Wladislaum* Hungariæ, & *Sigismundum* Poloniæ, reges, vti habito *Piſonii*, colloquio, & iniurias veteres antiquarent, & mutua iuncti adfinitate, vicinissimis regnis, ex æquo, conſulerent. Proinde, inuitatus a fratre, Sigismundus, in iter ſe dedit. *A fratre*, inquit ISTVÁNFFYVS, *(a.) ſollicitatus, e Lithuania, vbi eo tempore, Moſchici belli cauſſa, cum regina Barbara coniuge, Vaiuodaque Tranſiluanici ſorore, agebat, Cracouiam venit. quo ad eum miſſus eſt, a Wladislao Bohemicus Cancellarius, Ladislaus Sternbergius, qui eum rogaret, ne ab hoc itinere ſuſcipiendo, alienum animum habere vellet, fœderique feriundo, adeſſet. Quod ſane ille, amori fraterno ſe tributurum recepit; quamquam vt ſe excuſaret, ne* Maximiliano, *vel reconciliato, & amicitiam promittenti crederet, complures, e ſenatorum numero, ſuaderent. Itaque, cum mille quingentis equitibus, ſplendide exornatis, ſupra aulæ regiæ comitatum, itinere per Morauiam facto, ad initium menſis Martii*, TYRNAVIAM, *Panoniæ oppidum venit. Vbi eum, Georgius, Marchio Brandenburgicus, vtriusque regis, e ſorore Sophia, nepos, ac Georgius Sacmarius, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, idemque regius, in Panonia Cancellarius, obuiam progreſſi, nomine fratris, pro dignitate, exceperunt, indeque Poſonium deduxerunt.* Id, ſi ita eſt, veniſſe *Tyrnauiam* Sigismundum, ſub Martii initia, & diutius iſthic hoſpitatum fuiſſe oportuit; ſiue, vti requieſceret ab itinere, ſiue, vt, quod ad pompam deerat, ante inſtrueret, quam ſubiret *Piſonium*. Enim vero, CVSPINIANVS, qui hvdc regum congreſſum, in ephemerides retulit, IX. Calendas Apriles, regem *Piſonium* acceſſiſſe, memorat. *Vigeſimo quarto*, inquit, *die*, (Martii) *Sabbatho illius Dominicæ, qua canitur in Eccleſia*: Iudica me Domine! *rex Polonia* SIGISMVNDVS, *cum celeberrima pompa, ingreſſus eſt Piſonium, quem ex* Ternauia *vsque conduxerunt, epiſcopus Quinqueeccleſienſis Georgius, & Georgius Marchio Brandenburgenſis, iuſſu regis Hungariæ.* Iſta tunc Tyrnauiæ euenerant.

Sigismundi *Poloniæ regis, ad vrbem, aduentus:*

tanta rei occaſio:

quam diu iſthic ſit diuerſatus.

z.) ISTVANFFYVS, Lib. IV. p. 59., 26. Adde, BOHVSLAVM BALBINVM, Epitome Rer. Bohem. Lib. V. Cap. XI. p. 573. vbi de *Ludouici* pueri, in Bohemiæ regem, coronatione, & facta, per tumultum Hungarorum, cæde, legas.

a.) Libro VI. p. 77., 36.

§. XIV.

Mortuo Wladislao, ſub Ludouici initia, latrociniis infeſtatur Tyrnauia:

QVi ſolemnitatem hanc excepit, annus, ſupra milleſimum quingenteſimum decimus ſextus, emortualis WLADISLAO fuit, idemque calamitatum, quæ poſtea agrum Tyrnauienſium, quin vrbem ipſam, adflixere, exordium. Didita, nimirum, mortis, in vulgus, fama, quod rex LVDOVICVS puer eſſet, limitanei milites, an latrones, hinc in *Morauiam*, in *Hungariam* illinc, impreſſiones faciebant, agebantque prædas, non ſecus, quam ſi hoſticum popularentur. Semel iterumque, ad muros vsque *Tyrnauiæ*, latrunculorum agmina procurriſſe, eius ætatis ſchedæ, meminerunt. His auerruncandis, quam curam impenderint, cum tenero rege, Status & Ordines, ex ISTVÁNFFYO, *(b.)* condiſcas. *Eodem*, inquit, *tempore*, (poſt celebrata nimirum comitia Peſtana, quæ in annum MDXVII. inciderant) *mittuntur in Bohemiam*, Ladislaus Salcanus, *Epiſcopus Vacienſis*, *nec non* Blaſius e Raſca, *Tauernicorum*, *quos vocant*, *Magiſter*, *qui Bohemos*, *de his*, *quæ in comitiis Peſtanis*, *de creando Palatino*, *ac regia poteſtate* LVDOVICO *permiſſa*, *acta fuere*, *edoceant*; *hortenturque*, *vt ſimili promtitudine*, *ipſi idem faciant &c.* *Illos vero*, *qui latrocinia exercendo*, *rapinis & cædibus*, *tam Morauiam quam Hungariam infeſtam redderent*, *vel ad officium reducant*, *vel omnino exterminent.* *Si autem tantas vires non habeant*, LVDOVICVM *eis auxilia miſſurum: iamque habere in mandatis*, *Epiſcopum Nitrienſem*, *& Ladislaum Orſzágum*, *Michaelem Podmaniczkyum*, *Chriſtophorum Comitem Bozienſem*, *vt Bohemis & Morauis*, *admoniti*, *cum ſuis copiis*, *ſine mora*, *concurrant.* Egregia hæc quidem prouidentia fuit; ſed quod vrgentibus fatis, ſenſim res Hungara, in deterius ruere cœpit, ſatis habebat quisque, ſi aduerſus prædonum hos globos, ſe ſuaque ſeruaret: dum, inualeſcentibus Turcis, rex ipſe, cum regno vniuerſo, in exitium *Mohátſienſe*, præcipitaret.

eorum reprimendorum cura:

eur irrita?

§. XV.

Caſo Ludouico, Ferdinando obſequitur Tyrnauia:

SImul FERDINANDO, Piſonienſibus comitiis, ſublecto in Regem, melior Hungariæ pars, fidem addixit, *Tyrnauia* quoque, eius ſe obſequio obſtrinxit penitus. IOHANNI certe Zapolitano paruiſſe vnquam, non reperio. Sed, ne tunc quidem, defecit a rege legitimo, cum *Solymannus*, Viennam, magno, ſed irrito conatu, obſidebat. Fluctuabat interim Hungaria, inter vtriusque, FERDINANDI, & IOHANNIS, regum, diuerſiſſima ſtudia: *Tyrnauia*, nihil prius, antiquiusque nihil habuit, quam datam, regi optimo, fidem, ſeruare incorruptam. Quod procliue omnino fuit; cum res, a *Turcis* non minus, quam IOHANNE, procul hinc geſtæ, non poterant ciues ad defectionem ſollicitare. Sublato e viuis *Vajvoda*, mutatis perſonis, eadem ludebatur fabula. Nam, & FERDINANDVS, quod ab Hungaria, ſeu

b.) Loco citato, p. 85, 39. & DVERAVIVS, Lib. XXXI. p. 267, 21.

ſeu Turcæ, ſeu Tranſiluani, armis auulſerant, recuperare nitebatur; neque ceſſabat ELISABETHA, *Iohannis* vidua, regnum *Iohanni Sigismundo*, quibus poterat, artibus, adſerere. Dum hæc fiebant, FERDINANDVS, gemina comitia, *Tyrnauiam* indixit, exſtanti profecto indicio, quanti faceret vrbem, fide optima ſibi obſtrictam. Quid hic, prioribus comitiis, ſtatuerint Ordines, & quemadmodum, latas ab iis leges, acceperit FERDINANDVS, publico decreto, anni MDXLV. perſcriptum eſt. Annus, qui comitium illud excepit, militari delectu, memorabilem fecit *Tyrnauiam*. Bellum, apud Germanos exarſerat, cui ſopiendo, cum FERDINANDVS ſe adparat, militem ſimul Hungaricum, conſcribi iubet. Nicolao Comiti Salmenſi, cubiculi præfecto, & copiarum duci, id negotii datum, vt mille equites haſtatos, leuis armaturæ, ex Hungaris, ſine mora, conduceret, eisque *Franciſcum Nyárium*, parta nuper de Turcis victoria, clarum, præficeret. Proinde, nihil cunctatus *Salmenſis*, communicato, cum *Nyário* conſilio, deſtinatam equitum alam, celeriter conducit, & Calendis Octobris, *Tyrnauiæ* luſtratæ, ſtipendia ſoluit, poſteaque via, per Szakolczianum agrum, & Morauos facta, *Nyário* duce, in Bohemiam ire iubet. Ducentos equites *Nyárius*, quamquam podagra impeditus, legato *Laurentio* fratre ſibi adſcito, ductabat. in qua, præclari ducis turma, clari nominis præfecti erant: *Paullus Sarkándy*, *Ioſephus Kavay*, *Lucas Farnoſy*, aliique. Totidem egregiæ virtutis Thraces, *Petrus Bakith*, habebat. Eundem equitum numerum, *Franciſcus Zay*, & *Petrus Erdődy*, ſub ſignis ducebant. *Iohannem Petheő*, & *Bartholomæum Horváth*, ducenti quinquaginta, ſequebantur. *Sebaſtianus Abſtemius*, *(c.)* e Sirmio oriundus, qui tempore obſeſſæ, a Solymanno Viennæ, in claſſe Turcica, trierarchi munere functus erat, finitoque bello, ad nos tranſierat, quinquaginta equites, totidem & *Franciſcus Gettey*, adduxerant: ſic, vt numerus omnium, ad MCL. accederet. Nihil adtinet, expeditionis eius ſucceſſus, quos apud ISTVÁNFFYVM *(d.)* legas, commemorare: ſatis nobis eſt, inſtituti *Tyrnauiæ* delectus, mentionem habuiſſe. Confecto bello Saxonico, comitia iterum *Tyrnauiam* indixit FERDINANDVS, quorum hiſtoriam, laudatus nunc hiſtoricus, *(e.)* in litteras retulit. *Poſt finem belli Saxonici*, inquit, FERDINANDVS, *ordinibus Pannoniæ, qui erant e tot cladibus & calamitatibus reliqui*, Tyrnauiam *comitia indixit, ad menſem Nouembrem. Et quoniam, ad comitia Germaniæ a Cæſare Auguſtam Vindelicorum indicta, ad Calendas Septembres, ei neceſſario erat veniendum*, Nicolaum Comitem Salmenſem, & Thomam Nádasdium, *loco ſui, Tyrnauiam miſit, qui abſentiam ſuam excuſarent, & comitiis præeſſent.* Multa iis comitiis decreta fuere, in commune, quorum illud fere præcipuum fuit: quod ruſticis, *ad benignas* FERDINANDI *preces, libertas migrandi ad alia loca, quam bello cruciato,*

geminis comitiis frequentatur:

delectus ad bellum Saxonicum, hic inſtitutus 1

comitiorum poſteriorum, hiſtoria.

c.) Eſt hic, gentis *Szulyowſzkyorum*, ſiue *Sirmienſium* de *Szulyó*, patet: poſtea, *Camera Hungarica Poſonienſis*, Conſiliarius & Secretarius. Vide, *Hiſtoria Vrb. Iſon.* Cap. v. Art. v. §. XII. p. 455.

d.) Lib. XVI. p. 279.

e.) Eodem Libro, p. 282, 40.

ciato, Wladislao *regnante*, *amiſerant*, *antiquata perduellionis lege*, *reſtituta (f.) eſt: quamquam eſſent plerique*, *qui minime abrogandam*, *magna contentione*, *cenſerent*. *Quæ res* FERDINANDO *admodum grata fuit*: *& agreſtes eum*, *vt libertatis adſertorem*, *iuſtiſſimis laudibus*, *in cælum extulerunt*; *& lata legis beneficio*, *hactenus vtuntur*. *Deinde*, *ad querelas varias*, *vt fit*, *deuentum eſt*, *inter quas*, *frequens comitiorum ordo*, *graues & enormes*, *Matthiæ Baſonis*, *rapinas*, *furta*, *viatorum & mercatorum*, *ac aliorum omnium*, *promiſcuas cædes*, *& ſpolia*, *ac in Poloniam vsque & Sileſiam exercita latrocinia*, *publice propoſuit*: *ac*, *vt eis auertendis*, *ac plectendo Baſoni*, *remedia adhiberentur*, *ſupplex flagitauit*. *Cis-Danubiana quoque nobilitas*, *ac ciuitates*; *quas montanas vocant*, *in quibus aurum & argentum effoditur*, *Melchiorem Balaſſium*, *ſimilium latrociniorum & rapinarum criminibus*, *haud falſe inſimulatum*, *accuſabant*. reliqua.

§. XVI.

Capitulum Strigonienſe, *Tyrnauiam, capto Strigonio, delatum:*

NOndum hæc *Tyrnauiæ* geſta fuerant, cum anno MDXLIII. Strigonium, *Solymannus*, arcesque alias, qua vi, qua deditione, ſub ſuam mittit poteſtatem. Neſcio, eiusne aduentantis metu, an, quod ita iuberet FERDINANDVS, vrbe, *Paullus Vardanus*, Archiepiſcopus decedere, & Piſonium *(g.)* commigrare iuſſus fuerat. Tunc, & *Venerabile Capitulum*, perpetua hac ſede, quam inde a S. STEPHANI temporibus, ſi Tartarorum impreſſionem excipias, BELAE IV. ætate factam, pluribus retro ſeculis obtinuit, demigrare cogebatur. Quæ rerum conuerſio, vti triſtis *Strigonio* accidit, ita non potuit non coniuncta eſſe, cum ſingulari *Tyrnauienſium* incremento. Meminit rem ISTVÁNFFYVS, *(h.)* ad *Vardáni* mortem: *Dum hæc*, inquit, *geruntur*, PAVLLVS *Archiepiſcopus Strigonienſis*, *e viuis excedit*: *ac Tyrnauiam delatus*, *quo collegium ſacerdotum*, *poſt amiſſum Strigonium transtulerat*, *ſimplici & tumultuario ſepulchro conditur*. Ne vero delatum iſthuc *Capitulum*, ea, qua in rebus ciuilibus pollet, auctoritate diminueretur, Cæſaris primum FERDINANDI, tunc & Ordinum prouidentia, effectum eſt, adtributaque ei poteſtas, vt per vniuerſam, quam late libera a Turcis patuit, Hungariam, libere *procedere*, *& exſecutiones peragere poſſet*. Luculenta, in eam rem, exſtat ſanctio, in FERDINANDI *(i.)* decretis, quam non exhibuiſſe, nefas putarim: *Cum amiſſo ſuperioribus annis* Strigonio, *cum Alba Regali*, *aliisque nonnullis locis*, *ſupplicatum fuiſſet*, *ab Ordinibus & Statibus regni*, *Sacræ Regiæ Maieſtati*, *vt in tanta paucitate Conuentuum & Capitulorum*, *a quibus exſecutiones iudiciaria in regno fieri poſſunt*, *concedere dignaretur*, *quo Capitulum Strigonienſe*, *quod nunc* Tyrnauiæ *reſidet*, *in omnes regni partes*

eius auctoritas, confirmatur:

f.) Vide Articulos, XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. in eiusdem anni MDXLVII. Decreto Tyrnauienſi.

g.) ISTVÁNFFYVS Lib. XV. p. 262., 5.

h.) Libro XVI. p. 290., 22.

i.) Decreto XVIII. anni MDLVI. Art. XXXIX.

tes procedere, & exſecutiones facere poſſit, Sacra Maieſtas Sua, ad ſupplicationem fidelium ſuorum clementer adnuerat, litteris ſuis regiis ſuperinde emanatis. A quo quidem tempore Capitulares ipſi, iuxta commiſſiones regias, Iudicumque ordinariorum, in omnibus regni partibus, ad limites vſque Tranſiluania, proceſſerunt, in bonisque tam Regia Maieſtatis, quam aliorum, exſecutiones fecerunt, & litteras, de more, ſuperinde extradiderunt. Sed quia in articulos eius temporis, aut vllius poſtmodum Dieta, annuentia huiusmodi, vndecunque hactenus inſcripta non fuit; ne, vel Maieſtas ſua, vel Ordines & Status, futuris vnquam temporibus, aliquid detrimenti ex eo pati poſſint, iuſtum & neceſſarium eſſe, immo publicum commodum concernere viſum eſt, vt pradicta regia annuentia, publicusque in eam conſenſus, in præſentis Dieta articulos, inſcribatur, omnibusque proceſſibus, & exſecutionibus quibusuis, per dictum Capitulum Strigonienſe, in bonis Regiis, vel alterius cuiusuis factis, & in poſterum fiendis, litterisque ſuperinde ab ipſo Capitulo emanatis, vigor & perpetua firmitas detur, omniaque ſupra dicta, rata atque firma habeantur. Adeo, ſedis illa permutatio, tametſi ab acerbo profecta euentu, de auctoritate venerabilis collegii, detraxit nihil, vt eam multis modis reddiderit exaggeratiorem. Huc, & *Agrienſe Capitulum*, transferendum cenſuere Status & Ordines, ſicuti id anni MDCIX. decretum *(k.)* loquitur: *Dignetur*, inquit, *Sua Maieſtas, vſque ad certum tempus*, Tyrnauiæ *illis reſidentiam concedere.* Sed, quod illic Strigonienſe iam inerat, *Iáſzóviam*, prouinciæ Abaujvarienſis oppidum, adſcriptum *(l.)* ei eſt, dum *Caſſouiam*, lege publica, *(m.)* demigraret. Interceſſere poſtea vrbi, cum *Capitulo*, lites, haud leues, & quibus componendis, publicis comitiis, elaborandum fuit. Quales vero fuerint, & ex quo promanarint capite, quia in earum mentionem ventum eſt, ipſius *Decreti (n.)* verbis, explicandum eſt. *Occaſione illarum controuerſiarum, qua inter Venerabile Capitulum ab vna, & ciuitatem Tyrnauienſem, partibus ab altera, ratione certa cuiusdam conceſſionis, a* FERDINANDO I. *Imperatore & Rege, felicis recordationis, ipſi Capitulo, pro emtione certarum domorum, in eadem ciuitate, vltra beneficiales domos, pro reſidentiis Canonicorum ſuorum, earundemque a regiis taxis exemtione, elargita, ac a pia quoque recordationis,* FERDINANDO II. *genitore Sua Maieſtatis deſideratiſſimo, confirmata, (prout id ipſum ſua quoque Maieſtas, in ſerie propoſitionum ſuarum, repræſentare, clementer dignata eſt) intercederet: viſum eſt Statibus & Ordinibus, quod illa quidem domorum, per Capitulum fienda emtio, ex eoque ipſi Capitulo, futura earundem applicatio, aliaque in eadem conceſſione expreſſa, iuribus libertatibusque ac priuilegiis, dicta ciuitatis Tyrnauienſis, eidem a Diuis quondam Hungaria Regibus, elargitis præiudicioſa foret: habita tamen antelati Capituli, in eo, condigna ratione, quod ipſum, per tyrannidem Turcarum, Strigonio pulſum, ſolita ſua reſidentia eſſet priuatum; ob hoc, idem Capitulum, accedente etiam dicta ciuitatis Tyrnauienſis aſſen-*

huc & Capitulum Agrienſe deportandum cenſuere Status:

Iáſzóviam poſtea, ac inde Caſſoniam, commigrat:

lites Tyrnauienſium, cum Capitulo:

quemadmodum fuerint dirimta.

k.) Articulo x.

l.) Anni MDCXIII. Articulo III.

m.) Vide, Anni MDCXLIX. Art. XXXVIII.

n.) Anni MDCXXVIII. Artic. XXXVI.

ſu, vltra beneficiales domos, a regiis taxis exemptas, (qua ſemper ex totius ciuitatis taxa, per Cameram defalcari debebunt) non vigore prænotata conceſſionis, verum præſentis conſtitutionis, emere & poſſidere valeant; ita tamen, vt extra taxas regias, omnia ciuilia onera præſtent & ſoluant. Inſuper, vt prædictas octo domos, vltra decurſum quinquaginta annorum, ſi eouſque Strigonium recuperari non poterit, tenere ipſi Canonici, conſequenterque Capitulum non poſſit; ſi vero ante effluxum illorum quinquaginta annorum terminum, Capitulum ipſum, Deo bene propitio, ad propria remeare poterit, tunc in priori vtroque caſibus, depoſito per fiſcum memorata ciuitatis, domuum præmiſſarum, competenti, iisdem Canonicis, vel Capitulo, pretio, eadem, non alio, quam in ipſorum fiſcum, poſſint deuolui & deriuari: ipſeque eadem, ſeruata prætacta conditione ipſo facto valeat apprehendere. De Capitulo hactenus.

§. XVII.

Societatis Iesv, *ad vrbem primus aduentat, quorum patrocinio:*

IAm quietum reſederat venerabile illud ſacerdotum collegium, fungebaturque, ſacri & ciuilis muneris partibus, cum *Patres Societatis* Iesv, benignitate Ferdinandi I. & *Nicolai Oláhi*, Archiepiſcopi Strigonienſis, patrocinio adiuti, nouas Tyrnauiæ ſedes poſuere. Tantæ rei initia, ad annum MDLXI. referri video, quo *Nicolaus Oláhus*, exorato prius Ferdinando Imperatore, Vienna, iſthuc Patres arceſſiuit. Dabimus rem, ſuis ipſorum verbis, expreſſam. Ita vero habet auctor *Declarationis Iurium (o.) Societatis* Iesv. *Fixere primum pedem, volente Imperatore* Ferdinando I. *in libera regiaque ciuitate Tyrnauienſi; in qua accepta, pro habitatione, domo illa, quam poſtea abeuntibus, (vt mox referam) Tyrnauia Patribus, necdum ex integro abſolutam, ſuis adaptauit vſibus, Nicolaus Telegdinus, nuper vero, quaſi poſtliminio, ſingulari iuuentutis Hungarica commodo, (qua nunc ſub eorundem Patrum diſciplina, ad omne Chriſtianitatis aque ac doctrinæ genus, inſtituitur) ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo* Iohanne Telegdi, Archiepiſcopo Colocenſi &c. *Societati eſt reſtituta, ac noua inſuper munificentia, non exiguo are ampliata eſt, & adornata. In hac ergo ciuitate, euocatis, a Patre* Iohanne Victoria, *per id tempus Præpoſito Prouinciali Auſtriæ, diuerſis diuina humanaque eruditione, viris ordinis ſui, præſtantibus, ſub annum Domini MDLXI. Academicas lectiones publice legere cœperunt Patres; quod, vt abſque impedimento præſtare poſſent, in perſonarum ſuſtentationem, contulit Imperator Abbatiam Zéplakienſem, & in collegii quoque erectionem, certos quotannis prouentus deſtinauit.* Hæc ille in compendio: nos fuſiora certioraque dare connitemur. Fuere in his, quos *P. Victoria*, Tyrnauiam, Calendas Maii, in nouam hanc coloniam, adduxerat: *Iohannes Saidelius* ſacerdos, & *Antonius Flandrus*, laicus. Hos, anno inclinante; plures ſequuti ſunt, nimirum: *Thomas Slauus, Gerhardus Hero Flandrus*, & *Theodorus Caniſius*; quorum hic, latinitatis

ſcholarum exordia:

fun-

o.) Prodiit libellus, *Vienna Auſtria*, A. MDCXLVI. forma quadrip.

fundamenta; iſte poeticen; ille rhetoricen, tradebant: *Seidelio*, rem ſacram; familiarem, *Antonio Flandro*, curantibus. Dici nequit, quam tenuibus initiis, vtrobique cœperint Patres increſcere. Claſſis prima, in vrbica ſchola, duæ reliquæ, in curionis ædibus, quas mercede conduxerant, inſtituebantur. Non poterat, hæc iuuentutis diſſipatio, non moleſta exiſtere magiſtris. Itaque operam dedere, quorum id intererat, vt peculiares ædes, quæ poſtea in collegii molem excreuerunt, ad *D. Iohannis* ædem, quam *Dominicanorum* fuiſſe, paullo poſt, ex inſtituto dicemus, iacto, Calendis Septembribus, fundamento, educerentur. Lætus, his incrementis, *Oláhus*, FERDINANDVM, admotis ſemel atque iterum precibus, eo adduxit, anno, qui ſequutus eſt, ſupra *mille quingentos ſexageſimo ſecundo*, vti *Præpoſituram Miſlenſem*, quæ eſt in Abaujvarienſi prouincia, atque ex *Abbatia Szalavarienſis* reditibus, annuos florenos tercentum, ſeptuaginta duos; quadringentos, ex *Præpoſitura Thúroczienſi*, Societati adtribueret. Creuit ergo, hac principis liberalitate ornata, non ipſa modo collegii moles, ſed ludus etiam litterarius. Vix luſtrum, in hoc ſtadio decurrerunt Patres, cum orto, forte fortuna, incendio, eximia vrbis pars; centum quinquaginta fuiſſe domos conſtat; cum nupera collegii Ieſuitarum fabrica, penitus conflagrauit. Huic reparandæ ſumtus requirebantur, quam pro noui huius inſtituti opibus, multo maiores. Ergo, placuit *Borgiæ*, qui tunc vniuerſi ordinis præſes fuit, vti, ex vrbe, non vndiquaque fauſta, collegium educeretur. Neque, ſeu CAESAR, ſeu *Nicolaus*, ob ſummam rerum perturbationem, adflictis opem ferre poterant. *Itaque, ſocii, ſub auctumnum emigrarunt Tyrnauia. Supellex, & quidquid ex incendio ſuperabat, duorum, e collegio Strigonienſi ſacerdotum manibus, diſtributum inter egenos, aut piis vſibus adtributum eſt. Bona, quæ moueri non poterant, iis, qui donarant, reddita. Caſari, ſcilicet, ſacerdotia; hortus, familiæ Horváthiorum, qui de Vegla nuncupabantur. Aedem Nicolaus Telegdinus vendicauit, atque ad familiam ſuam tranſtulit; Archiepiſcopus, poſtea quam diſceſſerunt Ieſuitæ, in vſum ſeminarii Strigonienſis, ſuperius allati, a Cæſare Maximiliano impetrauit.* Verba ſunt *(p.) Eruditorum Tyrnauienſium.*

quam tenuibus profecta fuerint initiis:

Ferdinandi, *deprecante* Oláho, *erga Socios, liberalitas:*

deletur incendio, eorum collegium:

vrbem penitus deſeruit.

§. XVIII.

SVb idem tempus, dum & *Ieſuitæ* vrbe excedunt, & ſusque deque feruntur omnia, atque Turcarum tyrannis, oppido ſanguinolenta, nouis, in dies acceſſionibus, inualeſcit, celeberrima, *Monialium D. Dominici* familia, ex inſula leporum, Budæ vicina, ad *Varadinum*, aliquamdiu exſulans, *Tyrnauiam* immigrauit. Res altius repetenda eſt. Fuit, *Tyrnauiæ Dominicanis*, inſigne, ad ædem *S. Iohannis*, cœnobium. Docet id, præter auorum memoriam, Frater Stois-

Sacrarum virginum D. Dominici, *Tyrnauiam, immigratio:*

p.) In Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis Societatis Iesv Vniuerſitatis Tyrnauienſis, p. 12.

FF. Dominicanorum *Tyrnauia cœnobium:*

Sigismvndvs Ferrarivs. *(q.) Certum eſt*, inquit, *nobis fuiſſe cœnobium, S. Baptiſtæ nomine, quo loco nunc degunt PP. Societatis* Ternauiæ, *ſiue* Tirnauiæ, *vel* Tyrnauiæ, *varie enim pronunciatur & ſcribitur. quæ vrbs eſt Hungariæ ſupra Danubium viginti quinque circiter mille paſſibus Poſonio diſtans, a capto Strigonio, Strigonienſis Archiepiſcopi & Capituli ſedes: iam vero munificentia Eminentiſſimi Pázmány Vniuerſitate, apud PP. Societatis* Iesv, *egregiiſque PP. Franciſcanorum, & PP. Societatis - - ædificiis exornata. Vetuſtum ordinis cœnobium fuit, quando & a Bernardo Guidone, anno Chriſti MCCCV. memorabatur; ſed & poſtremo omnium, ordini defecit.* At, quando, quæſo? Anno certe MDLVII. ſuperfuiſſe adhuc, ex *Vener. Capituli Caſtri Ferrei*, litteris, *(r.)* adparet. Earum initium, ſic habet: *Nos Capitulum Eccleſiæ Caſtri Ferrei, Memoria &c. Quod Reuerendus Dominus* Caſparus de Kermend, *Ordinis* Prædicatorum Tyrnauienſium, *noſtram perſonaliter veniens in præſentiam, in ſuo proprio ac totius prouinciæ, præſcripti ordinis Prædicatorum, ex familia D. Dominici, per modum ſolennis proteſtationis, & inhibitionis, nobis ſignificare curauit, in hunc modum.* reliqua. Immo vero, ſuperabat, ad initia vſque ſeculi decimi ſeptimi, colebaturque,

rei geſtæ memoria, altius repetita:

a Monachorum, iuxta & Monialium conuentibus. Huc, enim vero, vniuerſa illa Monialium, quam diximus, familia, quæ inde ab anno MCCLII. in inſula leporum, ſacris operabatur, quamque *B. Virgo Margarita*, Belae IV. fundatoris filia, in primis illuſtrauerat, poſt captam, a *Solymanno*, Budam, & tentata alibi hoſpitia, vltimo euaſerat. Inibimus, quod credo, lectorum gratiam, ſi triſtem eius demigrationis memoriam, recoluerimus. De ea, laudatus Ferrarivs *(s.)* *Sic, tamquam omnis pietatis, religionis, cunctarumque virtutum laude clariſſimum, planeque ſanctiſſimum, Deo dicatarum Virginum aſceterium, per tria & amplius ſecula, perſeuerauit. donec Turca, per immaniſſimam tyrannidem, vniuerſa deuaſtante, ſanctimoniales, correptis Sanctiſſ. V. Margarita reliquiis, aliisque charioribus rebus, & inter eas, muneribus, a* Bela *rege in profeſſione eiusdem Virginis oblatis, veſtibus nimirum ſacerdotalibus, auro gemmisque ingentibus, candelabris ex Iaſpide, calice cum patina, vnionibus, aurique pigmento, inſigniter exornato, ſacris chori libris, ſcripturis etiam, atque aliis, (vti in metu & periculo tanto licuit) in fugam ſe coniicientes, Tyrnauiam appulerunt. Vbi Fratres, ad S. Ioannis Baptiſtæ degentes, extorrium conſororum calamitatis, vt par erat, commiſerantes, diuiſo cœnobio, partem ſibi vnam, alteram illis, ita tamen, vt vltro citroque aditus non pateret, attribuerunt.* Fugæ annum, non adſcripſit Ferrarivs; vt dubium ſit, an poſt *Mohácſienſem* cladem, vel captam a *Solymanno* Budam, quod anno MDXXXIX. euenit, vel certe ſerius, huc acceſſerint exſules. Equidem, vltimum iſtud exiſtimo. Certe enim paſſus haud fuiſſet, pientiſſi-

q.) In Commentariis, de *Rebus Prouincia Hungaricæ Ordinis Prædicatorum*, Parte IV. p. 532.

r.) Leguntur ea, loco nunc citato, p. 518.

s.) Inibi, p. 545, ſeqq.

tiſſimus FERDINANDVS, cum rerum inopia, colluctari, infelices virgines, ſi, ſub regni ſui exordia iſthuc fuiſſent delatæ. Ergo, tunc aduenisse oportuit, cum, nimia exſulum multitudo, difficilem ſuſtentationem, iam pridem effecerat. Adfirmant nobis hanc ſententiam, *Eruditi Tyrnauienſes. (t.) Excedentibus*, inquiunt, *Tyrnauia Ieſuitis, Virgines Dominicani inſtituti, diu, inſula Leporum extorres, ac incertæ ſedium, iuſſu Cæſaris, ad D. Iohannis Baptiſtæ, introducta ſunt.* MAXIMILIANVS poſtea, vicis *Nagy-Kolos, Kis-Kolos*, & *Iaczho*, easdem donauit, vt haberent, vnde vitam degere, & factis poſſent operari. Diploma FERRARIVS adſeruauit, eodem, quem nunc indicauimus, loco. Hoc poſſeſſionum modo potitæ ſacræ virgines, commodius poſtea agebant. Pergit FERRARIVS: *Hiſce bonis, a Maximiliano donata ſanctimoniales; Deo altiſſimo, in altera monaſterii parte famulabantur, quousque Fratribus vniuerſis morte extinctis, totus illis locus, ſolide ceſſit; vbi ad annum circiter MDCXIV. perſeuerarunt; quando Maioribus agentibus, vrgentibusque, etſi nolentes, reluctantes, Deumque obteſtantes, iniuriam ſe pati; adeoque inde exturbatæ verius, quam eductæ, Poſonium denique, ad Clariſſarum monaſterium, cum rebus ſuis deportatæ fuere. Ibi, quibusdam ordinem permutantibus, aliæ, in primæua ſua profeſſione conſtanter perſtiterunt: e quibus anno MDCXXXV. duæ adhuc erant ſuperſtites, quæ fuerant Tyrnauiæ, ceterarum antiſtita: ſed altera iam pie defuncta, altera viuit hoc ipſo anno MDCXXXVII. menſe Septembri.* Ad hunc modum, Cœnobium *Dominicanorum Tyrnauienſe*, partim emortuum, partim, monialibus aliorſum deportatis, exinanitum eſt. Quo animo rem tulerint *Dominicani*, non obſcure prodit FERRARIVS: *Nonnullis viſa eſt res illa ſuperis minus placuiſſe; quod intra annum, aliquot præcipua illius capita, ſint morte ſublata; præter maximi ſane cuiusdam principis, ædes, etiam ipſum forum, incendio conflagrarit. Eccleſia* S. Iohannis Baptiſtæ, *nouas reparationes, nunquam ſuſtinuerit; neque quicquam effici potuerit, donec nouis iactis fundamentis, aliud exſtructum eſt adificium. Verum ego, nihil temere ſuſpicatus, quidquid eſt, diuina ſententiæ committo.* Verba ſunt FERRARII.

donantur a Maximiliano poſſeſſionibus: eius diploma:

deportantur Piſonium.

§. XIX.

AEquius, rem geſtam, *Eruditi Tyrnauienſes (u.)* meminerunt, quos ideo audiendos cenſemus. Ita vero, totam deficientis Cœnobii hiſtoriam, complexi ſunt. *Erat in vrbe monaſterium quoddam, cum templo* D. Iohanni Baptiſtæ *ſacro, quod olim Patres*, e D. Dominici *familia, tenuerunt; poſtea, refrigeſcente pietate, & hæreſium colluuione, latius ſeſe diffundente, ita religioſorum numerus imminui cœperat, vt vix vnus alterue eſſet, qui & cœnobium ſartum tectumque tueri, & alia ab ipſis frequentata munia, obire poſſet.* Fuit omnino, totum

Rei eiusdem hiſtoria, ex Eruditorum Tyrnauienſium, recenſione.

t.) In Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis Societatis Iesv Vniuerſitatis Tyrnauienſis, p. 13.

u.) Inibi, p. 53. cuius libelli teſtimonio, vtemur frequentius.

iſthoc ſeculum, bellis cum ciuilibus, tum barbaricis illis, infeſtum, ac, quemadmodum ſacris ordinibus aliis, ſic *Dominicanorum* Cœnobiis, luctuoſum in primis: quippe qui, direptis paſſim, vnde vita erat toleranda, dotibus, magno numero *(v.)* interciderunt. Pergunt eruditi: *Vnde factum, vt poſteaquam Budam vrbem regiam, aliasque munitiſſimas arces, Turca, ſub ſuum miſit iugum, ſacra virgines, Cœnobii eiusdem* INSVLAE *Budenſis,* LEPORVM *nuncupata, ſedibus ſuis migrare debuerint, & primo quidem, in quoddam Cœnobium* S. Iohannis *iuxta Varadinum, translata, deinde hæreticorum vi, ac furore exturbata, demum, in hoc Tyrnauia PP. Dominicanorum monaſterio, eo, quod & ipſa eiusdem ordinis eſſent, ſunt collocata.* FERRARIVS, adhuc floruiſſe tunc Patres, cum ſorores immigrauerant, ſupra meminit; vt adeo eodem ſub tecto; ſed diſterminatis cellis, diu ſatis fuiſſe hoſpitatas, poſſit coniici. Iterum Tyrnauienſes: *Euolutis annis aliquot, cœnobii ædificium, cum templo, miſere conflagrauit; adeo, vt eorum reſtaurandorum facultas nulla virginibus illis ſupereſſet, immo, religioſa diſciplina, quaſi ſucciſo neruo, ſolui cœperit. Animaduertens itaque Cardinalis* FORGACHIVS, *ædificii parietinas, cali iniuriis expoſitas, quotidie magis ac magis labaſcere, ipſasque ſanctimoniales, collapſa religioſæ vitæ diſciplina, exiguo fructu ibi morari, accedit Imperatorem* MATTHIAM, *eumque; vt virgines, in aliud transferri iuberet cœnobium, vtque huius ruinas, cum ipſo, vt dicunt fundo, Societati donaret, exorauit.* Proinde, nil quidquam priuato auſu, a Cardinale actum putes; ſed neque ab Imperatore, niſi PAVLLO V. ſummo tunc Pontifice, indulgente. *Non erat id factu difficile Cæſari,* inquiunt illi, *præſertim, cum &* PAVLLVS V. *Pontifex Maximus id deſiderauerit, atque vt perfici poſſit, ſua etiam auctoritate, conceſſerit. Poſteaquam igitur Poſonium virgines, in Parthenonem D. Clara, deportandas curauit, mandatum accepit a Cæſare, vt Cœnobium Tyrnauienſe, hominibus Societatis quam primum traderet, ſimulque eum de exitu rei, per litteras certiorem faceret.* Hæc memoranda omnino fuerunt, ne errori, locus relinqueretur. Sed, ad res Societatis IESV, porro cognoſcendas, redeamus.

§. XX.

Quamdiu exſulauerint Tyrnauia PP. Ieſuitæ?

DEcem, & nouem annis, exſulabant Patres, dum ſe daret, eos tuto reducendi opportunitas. *Georgius Draskovitius,* hanc ſibi laudem propriam voluit facere. *Non diu potuere,* inquit auctor *(x.)* declarationis iurium Societatis IESV, *Patres optatum Academia huius curſum tenere; vnde non multo poſt, vrgentibus cauſſis, ita exigentibus, domicilio, iis, a quibus acceperant, ſponte ac voluntarie reſignato, ceſſerunt Tyrnauia: cum ecce Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Stephanus Radetius, Epiſcopus Agrienſis, nec non Sacræ Cæſareæ Regiaque Maieſta-*

v.) Vide, Res Hungaricæ Prouinciæ Ord. Prædic. Lib. IV. Cap. II. integro.

x.) Cap. I. p. 2. ſeq.

ieſtatis, in Hungaria Locumtenens, idemque Thúróczienſis Præpoſitus, moritur; & alter Illuſtriſſimus itidem & Reuerendiſſimus Georgius Draskouitius, *Tridento redux, vbi ſacro patrum concilio interfuerat, a ſummo Pontifice, S. R. E. Cardinalis nominatur. Hic, cum Viennæ, in ade diua Annæ, feſto S. Iohannis, ab felicis recordationis Imperatore Rudolpho, galerum accepiſſet, anno videlicet MDLXXXIV. ſecundum prandium, quod cum Cæſare ſumſerat, primæ gratiæ nomine, id ab eo demiſſe poſtulauit, vt Patribus Societatis* Iesv, *(quorum cum ſingulari religione doctrinam, partim ſpectauerat Tridenti, partim ex aliis, variarum gentium legatis intellexerat:) Præpoſituram Thúróczienſem, per dicti Stephani Radetii obitum, legitime vacantem, conferret, ipſosque Patres, in Hungariam, Cæſarea Regiaque auctoritate, reponeret. Vix finuit, pro Societate orationem Cardinalis, cum Imperator, clementiſſime petitioni adnuit, & impetrato Gregorii XIII. tunc ſummi Pontificis, conſenſu, anno poſtea MDLXXXVI. die XIX. menſis Maii, dictam Præpoſituram Thúróczienſem, cum omnibus bonis, ad eam ſpectantibus, contulit.* Hæc ille. Nos diploma Rvdolphi, in Præpoſituræ hiſtoria, exhibuimus. Et capeſſiuit ſane eius poſſeſſionem Societas, miſſo illuc *R. P. Donio*, Rectore Viennenſi, qui per manus quaſi, a regiis, quos vocant, *commiſſariis*, Præpoſituram acciperet. Deducti huc Patres, annis duodecim hic egere, & ſacris operantes, & Muſis. At enim, dum hic quoque, ex temporum, quæ fuit, indole, aduerſis fatis vrgerentur, anno MDXCVIII. *Selyam*, Præpoſituræ oppidum, tranſtulere ſedem, ibique, magna celebritate, ludos aperuere litterarios. Egregie huius collegium inualuerat, cum *Botskaiana* ſeditio, Muſarum, cum magiſtris, alumnos, anno MDCV. prorſus disiecit, *Cardinalis* demum *Franciſci*, e *Comitibus Forgách*, Archiepiſcopi Strigonienſis, cura & labore, ſub priſtina ſigna, recollectos, *Tyrnauiam* poſtliminio, anno MDCXV. reponeret. Longum foret, & disiunctum ab inſtituti rationibus, proſequi ſingula. Iſtud certe, ſine famæ diſpendio, ſilere nequimus, quod *eruditi Tyrnauienſes, (y.)* de re, ad poſteritatem memorabili, in litteras retulerunt. *Anno*, inquiunt, *MDCXV. Calendis Octobribus*, Cardinalis Forgáchius, *litteris, ad* R. P. Theodorum Buſæum, *prouinciæ Auſtriacæ præſidem datis, viros ſibi ſubmitti petit, qui deſerti Cœnobii* (S. Iohannis, Ordinis Dominicanorum) *futuri breui Collegii, poſſeſſionem;* (quippe iam ante, a Matthia Cæſare non minus, quam Paullo V. ſummo Pontifice, impetratam) *acciperent. Morem geſſit Eminentiſſimi præſulis imperatis* Buſæus, *& duos Græcio*, Patrem *ſcilicet* Martinum Káldium, *& P. Franciſcum Szeghium, Tyrnauiam miſit. quorum vterque Hungarus, & prior etiam Tyrnauienſis erat. Adfuere illi VI. Idus Septembris, (z.) & vna hebdomada, in domo matris, P. Káldii commorati ſunt; dein, voluntate Cardinalis, ad aulam translati,*

donantur a Cæſare, Præpoſitura Thúróczienſi:

vbi & ſedem figunt, ſchola que aperiunt:

migrant Selyam:

redeunt Tyrnauiam, patrocinio Cardinalis Forgáchii:

y.) In laudato libello, de Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis Societatis Iesv, Vniuerſitatis Tyrnauienſis, p. 54.

z.) Octobris crediderim, quod inuitatoriæ litteræ ipſis Calendis ſcriptæ dicuntur.

in extremo bibliotheca Capitularis habitauere; donec tandem, felicibus auſpiciis, in deſertum D. Iohannis Baptiſta cœnobium, inducti ſunt. Qua res celebritate geſta ſit, & qui plauſus, quin & conuiuiorum ſolemnia, cum ab vniuerſa, quæ aderat, panegyri, tum a *Cardinali Forgáchio*, edita fuerint, inibi legas. Sed *Forgáchio*, eodem hoc anno, XVII. Cal. Nouembres, in oppido *S. Crucis*, Archiepiſcopali, e viuis ſublato, ingens, nouo huic inſtituto, ſufflamen iniectum, haud ab re Patres metuebant. Is enim, Thúróczienſem Præpoſituram, Patrum commodo, adminiſtrabat, quod ex nuperis legibus, eius poſſeſſionem ſociis ipſis, adire non liceret. Sed ea fuit prouidentia, MATTHIAS Imperator, vt hoc, quidquid erat difficultatis, ſcite exſuperauerit. Præficitur nempe, *(a.)* ei Præpoſituræ, *Petrus Pázmány*, S. I. veniam faciente PAVLLO V. Neque enim, niſi iubente ſummo Pontifice, fas eſt ſocietatem profeſſis, dignitates Eccleſiaſticas, capeſſere. Hac ergo via, eo tutius res omnis expedita eſt, quo MATTHIAS, conſtantius *Pázmányo* pergebat fauere. Nempe, IV. Calendas Octobris, anni MDCXVI. in ſedem Archiepiſcopalem prouectus, non ſumtibus, non curis, non dignitati pepercit, quin dies noctesque, rebus *Societatis*, in maius augendis, inſignem operam nauaret.

quo mortuo, ſuffimen eorum rebus iniectum:

Petri Pázmány, *eius ſucceſſoris, pro Societate, inſignis ſollicitudo.*

§. XXI.

VIx autem, ludos adaperuerant litterarios, Socii, cum nouus, deſtinationes eorum, turbo, propemodum interuertit. *Bethleniani* tumultus inciderant, *Societati*, multo fere, quam *Botskaiani* illi, damnoſiores. Iterum ergo, exſules Muſæ Tyrnauienſes, grauiore anno MDCXX. fulmine feriuntur. Quinquennio duraruit procella, cum ſemel iterumque redintegrata pace, ſecuris eſſe liceret Patribus. His malis exercita, immo durata Societas, non modo non diminuebatur, ſed nouis etiam auctibus, inualeſcebat. Eadem tempeſtate, haud quidquam a feruore, ſeu tutandorum, ſeu promouendorum Patrum, remittere viſus eſt *Pázmányus*. Adhuc enim tumultuabatur *Bethlenius*, cum ille, *Conuictum Nobilium Hungarorum*, adprobante deſtinationem FERDINANDO, munificentia prorſus ſingulari, inſtituit. Prolixius eſt diploma, *(b.)* ſed dignum tamen, quod iſthic legatur, vt adpareat, quanta, vir ſummus, adcuratione, cœpta ſit proſequutus. „ Nos FERDINANDVS Secundus &c. Memoriæ commenda„ mus &c. Quod Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Petrus „ *Pázmánus*, Archiepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, &c. „ noſtram perſonaliter veniens in præſentiam, exhibuit, & præſenta„ uit nobis quasdam litteras, nouæ fundationis Seminarii liberi nobi„ lium

Tumultu Bethleniano, *quibus cum malis conflictata fuerint res ſocietatis:*

Pázmány *liberalitas:*

diplomate Ferdinandi *munitur.*

a.) Diploma videſis, in Præpoſituræ Thúróczienſis hiſtoria.

b.) Decerpſimus illud ex Libello, cui Titulus: *Decreta, Diplomata, Priuilegia aliqua, ex multis, qua in fauorem religionis Catholicæ, & Catholicorum in Germania emanarunt*, ab A. 1620. vſque ad Ann. 1629. ex Cancellaria Aulica Imperii, nec non, ex Cancellariis Regni Hungariæ, &c. p. m. 65. ſequ.

„ lium Hungarorum, in ciuitate Tyrnauienſi a ſe erecti, cum perpe-
„ tua aſſignatione annuorum quinque millium florenorum Hungarico-
„ rum, ſupplicauitque nobis humillime, vt quemadmodum Sanctiſſi-
„ mus Dominus noſter, *Vrbanus* diuina prouidentia Papa *Octauus*,
„ huic fundationi aſſenſum præbuit, ita Nos quoque easdem litteras
„ nouæ fundationis Seminarii, omniaque & ſingula in eis contenta,
„ clementer ratificare, & confirmare dignaremur. Quarum quidem
„ litterarum tenor eſt talis. Nos Petrus Pázmánus, miſeratione diui-
„ na, Archiepiſcopus Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, locique
„ eiusdem Comes perpetuus, Primas regni Hungariæ, Legatus natus,
„ ſummus Secretarius, Cancellarius, ac Sacratiſſimi Principis, & Do-
„ mini, Domini Ferdinandi Secundi, electi Romanorum Imperatoris
„ ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Re-
„ gis, &c. intimus Conſiliarius, damus pro memoria. Quod, cum ad
„ officii Paſtoralis curam, ac ſollicitudinem, illud vel maxime pertine-
„ re intelligamus, vt Catholicæ religionis, ac honeſtarum diſciplinarum
„ ruinas, quas vel bellorum ſtrages, vel hæreſium fraudes, intulerunt,
„ quantum Deo auxiliante valemus, priſtino nitori reſtituamus: Id-
„ circo conatus omnes eo direximus, vt vias, ac rationes auitæ reli-
„ gionis ac eruditionis, in integrum reſtituendæ, ſollicite indagaremus,
„ atque inter has ipſas inteſtinorum motuum clades, pro virium, ac
„ facultatum noſtrarum tenuitate, incunctanter, Deo Duce, arripere-
„ mus. Cum igitur animaduertamus, vt in ſemente ſpem meſſis, ita
„ in iuuentutis proba educatione, religionis Catholicæ, & probitatis
„ reſarciendæ ſummam conſiſtere, diu multumque anxie laborauimus,
„ vt modum adinueniremus, quo nobilis iuuentus, tenuioris præ-
„ ſertim fortunæ, in religione, ac eruditione, ita educaretur, vt
„ ætate matureſcente, ornamento eſſe poſſit, & ſubſidio patriæ: Ecce,
„ Deus Optimus, pro ſingulari ſua clementia, deſiderio, ac precibus
„ noſtris, occurrens, modum oſtendit, quem optare magis, quam
„ ſperare, poteramus. Nam, licet a ſanctiſſimis Hungariæ Regibus, ex
„ monetæ cuſione, certi quidam, nec contemnendi reditus Archiepi-
„ ſcopo Strigonienſi fuerint aſſignati, ita quod ex ſingulis argenti,
„ auriue, cuſi, vel non cuſi, marcis, *Piſetum* vnum, hoc eſt, qua-
„ drageſima octaua pars marcæ, certo, ac infallibiliter aſſignaretur:
„ tamen hos reditus, ab anno Domini 1573. quo diem ſuum obiit fe-
„ licis memoriæ, Antonius Verantius, Archiepiſcopus Strigonienſis, vs-
„ que ad annum 1623. per quandam vſurpationem Camera Cremni-
„ cienſis percipiebat, nihil quicquam prædeceſſoribus Archiepiſcopis,
„ intra hos quinquaginta annos, ex eo prouentu repræſentando; ve-
„ rum inuictiſſimus Imperator ac Rex Hungariæ, Ferdinandus Secun-
„ dus, viſis autenticis, ac aliquot ſeculorum continuo vſu roboratis
„ Archiepiſcopatus priuilegiis, habito etiam reſpectu fidelium obſe-
„ quiorum noſtrorum, cum alias ſemper, tum in hiſce ſuperioribus
„ patriæ motibus exhibitorum, ex innata ſua clementia, reditus *Piſeti*

„ Archiepiſcopatui reſtituit, eo lubentius, quod intelligebat Maieſtas
„ Sua, bonam horum redituum pattem, nobilium iuuenum ſeminario
„ erigendo a nobis deſtinari. Quod igitur Deus præpotens, ad ſui
„ nominis æternam gloriam, ad Eccleſiæ Catholicæ incrementum, ad
„ vtilitatem afflictæ patriæ noſtræ, bene feliciterque vertat, accedente
„ Sanctiſſimi Domini noſtri *Vrbani* Papæ *Octaui*, ac Suæ Sacræ
„ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis, nec non venerabilium fratrum noſtrorum
„ Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis conſenſu, pariter
„ ac aſſenſu; ex reditibus *Piſeti Cremnicienſis*, per nos recuperati, annis
„ ſingulis, quinque millia florenorum Hungaricorum, ad honeſtam
„ ſuſtentationem nobilium iuuenum Vngarorum, in perpetuum applicamus:
„ ita, vt quolibet anno, ad feſtum Purificationis immaculatæ
„ Virginis Mariæ, bis mille quingenti floreni Vngarici; ad feſtum vero
„ Aſſumptionis eiusdem Deiparæ Patronæ Vngariæ, alii bis mille quingenti
„ floreni Vngarici, certo & infallibiliter, pro vſu ſeminarii in
„ manus Regentis repræſententur, vel Tyrnauiæ, vel quo transferri
„ contingeret ſeminarium, in caſu mox declarando. Ad quam ſummam
„ recte, fideliterque perſoluendam, non ſolum ſub pœnis Eccleſiaſticis,
„ in Bulla ſummi Pontificis ſpecificatis, ſed etiam ſub indignationis
„ Regiæ vinculo, in approbatione huiuſce erectionis declarato,
„ ſucceſſores Archiepiſcopi teneantur, & ſint obligati: ita quidem, vt
„ iuxta Pontificis Maximi aſſenſum, ac Regiæ Maieſtatis aſſecurationem,
„ futuris ſemper temporibus, Reges Vngariæ, facto in Camera Cremnicienſi
Piſeti arreſto, in duplo dictam penſionem ab Archiepiſcopo
„ exigent, qui ad præfixos terminos, expreſſam antea pecuniariam
„ ſummam, in manus Regentis ſeminarii non aſſignarent. Huius vero
„ ſeminarii Tyrnauiæ in domo ad id ſpecialiter deputata, per nos erecti,
„ adminiſtrationem totalem, ac integram admodum Reuerendis
„ Patribus Societatis Ieſu Tyrnauiæ commorantibus, infra ſcriptis conditionibus
committimus. *Primo*, vt ad hoc ſeminarium, nemo recipiatur niſi nobilis, & ex partibus Coronæ Hungariæ ſubiectis oriundus,
„ ad minus duodecim annorum. Et hi quidem, maiori, quo
„ potuerunt, numero honeſte alantur: Nec vllo ſub prætextu reditus
„ ſeminarii iſtius, ſiue per nos aſſignati, ſiue per alios in poſterum
„ aſſignandi, in vllos alios etiam pios vſus conuertantur, quam ad
„ prædictam honeſtam iuuentutis ſuſtentationem. *Secundo*, vt nulli
„ alii, ad cuiusquam commendationem recipiantur: niſi quos Archiepiſcopus,
pro rempore, exiſtens, vel ſede vacante, Capitulum Strigonienſe
Patribus præſentauerit. Si qui autem ex præſentatis deprehenderentur,
„ vel ad ſtudia inhabiles, vel moribus noxii, poterunt illos
„ honeſte dimittere; ne tamen id leuibus de cauſſis aut præcipitanter
„ fiat, cauendum erit. *Tertio*, de ſolo victu hiſce prouidendum
„ erit ex ſeminario; niſi forte aliqui adeo tenuis fortunæ eſſent, vt
„ nullo modo per ſuos illis prouideri poſſit, & alioquin ſpei non contemnendæ apparerent. *Quarto* obligationem nullam habebunt iu-

„ uenes,

„ uenes, præter eam ſolam, vt in timore Dei pie viuant, diligenter
„ ſtudeant, dum in ſeminario verſabuntur, ac tandem patriæ, &
„ nationi ſuæ fideliter ſeruiant; leges autem & ordinationes, quæ vel
„ pietatis exercitia, vel ſtudia litterarum, vel domeſticam diſciplinam,
„ vel ſtatas pro fundatore Diœceſis Strigonienſis orationes fundendas
„ ſpectant, Patres Societatis Ieſu ordinabunt. *Quinto*, ſi, (quod
„ Deus auertat) Patres Societatis in Vngaria permanere non poſſent,
„ in eo caſu liberum ſit Patribus, Viennam transferre ſeminarium; ibi-
„ que obſeruatis conditionibus memoratis prædictam ſummam quin-
„ que millium florenorum Vngaricorum ex *Piſeto* percipient, ac nihi-
„ lominus Vngaricam nobilitatem, modo ſuperius expreſſo alent, ac
„ erudient. Quodſi vero ne alibi quidem integrum eſſet Patribus
„ Societatis Ieſu ſeminarium huiusmodi erigere & adminiſtrare, in eo
„ caſu venerabile Capitulum Strigonienſe, teneatur iuuentutis erudien-
„ dæ curam ſuſcipere, ac prædictam quinque millium florenorum ſum-
„ mam, in vſus ſeminarii impendere, tantiſper donec prædicti Patres ite-
„ rum ſuo munere libere fungi poſſint. Tunc enim rurſus ſeminarii
„ adminiſtrationis curam, modo antea declarato, Patribus Societatis
„ committi volumus. Rogamus autem, atque ſub interminatione
„ tremendi iudicii obſecramus, non ſolum huius ſedis noſtræ Archie-
„ piſcopalis ſucceſſores, verum etiam venerabile Capitulum Strigonien-
„ ſe, adeoque Patres ipſos Societatis Ieſu, vt huius noſtræ fundatio-
„ nis tenorem, in omnibus ſuis punctis, ac clauſulis obſeruari faciant.
„ Et ne huius fundationis memoriam vlla temporum longinquitas ob-
„ literet, tria exemplaria nouæ huius erectionis ſeminarii, confici cu-
„ rauimus, quorum vnum, Patribus Societatis Ieſu, alterum Capitulo
„ Strigonienſi, tertium Capitulo Poſonienſi aſſignauimus. Datum
„ Poſonii, die 20. Auguſti, Sancti Regis noſtri Stephani natali, anno
„ Domini 1624. Nos itaque, pro ea Catholicæ Religionis promouen-
„ dæ cura, quam rebus omnibus potiorem habemus, proque pecu-
„ liari noſtro affectu in nationem Hungaricam, non ſolum ſponte, ac
„ libenter, prædictam Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi fundationem,
„ in omnibus ſuis punctis, clauſulis, & articulis, acceptamus, appro-
„ bamus, ratificamus, & confirmamus, verum etiam Regiæ munifi-
„ centiæ argumenta extare *(teſtari)* cupientes, in hoc ſeminarium no-
„ bilitatis Hungaricæ, ex Camera noſtra Cremnicienſi, annuatim bis
„ mille florenos Vngaricos, eidem ſeminario in perpetuum aſſignamus,
„ ita, quod ad feſtum Purificationis B. Virginis mille, ad feſtum aſſum-
„ ptionis eiusdem Deiparæ, alii mille floreni Hungarici, certo & infalli-
„ biliter, Regenti ſeminarii aſſignentur. Aſſecuramus item prædictum
„ Reuerendiſſimum Archiepiſcopum, & dictum ſeminarium nobilium,
„ ſiue dum Tyrnauiæ reſtiterit, ſiue quando in caſibus ſpecificatis alio
„ transferretur, quod Nos, & ſucceſſores noſtri, legitimi Reges Vnga-
„ riæ, Archiepiſcopi Strigonienſes pro tempore exiſtentes, ad prædi-
„ ctam quinque millium florenorum Vngaricorum ſummam, ſeminario

„ no-

„ nobilium ex *Piſeto* applicatam, totaliter & integre in terminis ſpe-
„ cificatis perſoluere adigemus, ita quidem, vt iuxta ſummi Ponti-
„ ficis ordinationem, etiam cum *Areſto Piſeti*, in duplo exolui facie-
„ mus, ſi quid pro termino debito ſolutum non fuerit. In quorum
„ omnium firmitatem, ac robur perpetuo valiturum, has litteras no-
„ ſtras, manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo muniri iuſſimus. Quo circa
„ Tibi, fideli noſtro, moderno, ac futuris temporibus conſtituendo
„ Cammergrauio Cremnicienſi, eorumque Officialibus, ac vices ge-
„ rentibus, harum ſerie firmiter committimus, & mandamus, vt vos
„ quoque prædictam bis mille florenorum Hungaricorum ſummam, ex
„ prouentibus Cameræ noſtræ Cremnicienſis, in terminis ſpecificatis,
„ dicti ſeminarii Præfectis, quotannis plenarie, & absque defectu red-
„ dere, & adminiſtrare, modis omnibus debeatis & teneamini, ſecus
„ non facturi, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in
„ ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ. *Hactenus diploma.*

§. XXII.

Societatis incrementa:

CReuit poſtea Societas, ſucceſſibus nec opinatis, vsque dum, Academiæ, eiusdem Præſulis munificentia, fundamenta iacerentur. Cœperat, ſua ætate, id conſilii, NICOLAVS OLÁHVS, vti ſtudiorum Vniuerſitatem *Tyrnauiæ* excitaret; ſed quod tunc, propoſiti eas rationes, cum perturbationes publicæ, tum mors *Nicolai*, interuertit; *Forgáchius* autem Cardinalis, in reducenda *Tyrnauiam*, Societate, plus ſatis, ad agendum habebat; *Pázmányo*, id operis, fata deſtinauiſſe, creditum eſt. Iuuat, totius inſtituti modum, diplomate, quod edidit, expromſiſſe. Id vero ſic habet: *Nos Petrus, miſeratione Diuina S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Pázmány, Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis Archiepiſcopus, locique eiusdem comes perpetuus, Primas Regni Hungariæ, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus Natus, ſummus Secretarius & Cancellarius, ac Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis Conſiliarius intimus &c. Sæpe nobiſcum anxie expendentes, quæ ratione & Catholicam religionem in Hungaria, propagare, & Nobiliſſimæ gentis Hungaricæ dignitati conſulere poſſemus; inter ceteræ adiumenta, primarium illud occurrebat, vt aliqua ſtudiorum Vniuerſitas erigeretur, in qua, & animi bellicoſæ nationis manſueſcerent, & idonei, tam regendis Eccleſiis, quam Reipublicæ adminiſtrandæ, informarentur. Neque nobis animus, aut conatus ad hanc rem defuit; verum, & clades patriæ, & aliæ cum primis neceſſariæ fundationes hucusque obſtitere, quo minus deſiderio noſtro ſatisfacere poſſemus. Nunc vero, quoniam Deo benedicente, conatusque noſtros cæleſti fauore proſequente, aliquæ nobis facultates ſuppetunt, quibus, ſi non pro rei magnitudine, certe pro adflictæ huius patriæ conditione, aliquid, cum gratia Dei, facere poſſe videmur: Egimus cum Admodum Reuerendo Patre Mutio Viteleſco, Soc. Ieſu Præpoſito generali, & erectioni Vniuerſitatis in collegio Tyrnauienſi Patrum Soc. Ieſu*

Academia, a Pázmányo *fundata:*

eius tabula:

ſu aſſentiretur, eiusque curam omnem, ac gubernationem in Societatem recipiendo, ſequentibus conditionibus ac modis adminiſtrare velit. Cum igitur pro zelo gloriæ Dei, ac religionis promouendæ, noſtram oblationem nomine Societatis vniuerſa, Pater generalis acceptauit, nos quoque vltrà priorem iam factam, & omnibus punctis illaſam permanentem collegii Tyrnauienſis fundationem, & reditus alios, quos hucusque habuit Collegium Tyrnauienſe, R. Patri Georgio Dobronokj, Rectori Collegii Soc. Ieſu *Tyrnauienſis, ſimul ad ſemel, in Talleris* 60000. *florenorum Hungaricorum per manus tradidimus, inſuper liquidi debiti ſyngraphum Cæſaream* 40000. *florenorum, per eundem P. Rectorem ſocietati conſignauimus, vt ſic in toto* 100000. *florenorum ſumma conſtitueretur. Hanc igitur ſummam, volumus in primis extra Hungariam in loco ſecuro, vel emptioni bonorum vtilium, vel cenſibus conſtituendis, Societas applicet, vt ex fructibus illius ſummæ, & Collegii cum ſcholis ædificatio a fundamentis acceleretur, & Profeſſores neceſſarii ſuſtententur. Finito Collegii & ſcholarum ædificio neceſſario, & toto etiam* 100000. *florenorum capitali, ad cenſum, vel ad bonorum emptionem plene elocato, ex eius poſtmodum cenſu totali,* 1000. *floreni annui, pro nutrimento pauperum ſtudioſorum in burſa S. Adalberti, per nos Tyrnauia erecta, (etiam ſi dicta burſa commutatione domus alias in ades transferretur) applicentur. Hæc tamen penſio, vti præmiſimus, non obligat Societatem, niſi & dicta ædificia abſoluantur, & reſidua etiam* 40000. *(e quibus ſolis penſioni burſæ S. Adalberti prouiſum in* 1000. *flor. volumus,) a Sua Cæſarea Maieſtate, ad Bonorum vtilium, aut cenſus emptionem obtineantur & elocentur. Quod ſi ſucceſſu temporis, DEO, Hungariam a Turcico iugo liberante, opportunior vrbs occurrat pro Vniuerſitate, liberum ſit Societati, hanc noſtram fundationem, vna cum Vniuerſitate alio transferre, dummodo tamen extra Diœceſin Strigonienſem non extrahatur, & collegio etiam Tyrnauienſi prior ſua fundatio permaneat illæſa. Si autem, (quod clementiſſimus Deus auertat) Vniuerſitas in Hungaria continuari non poſſet, ſed iniuria hoſtium externorum, aut domeſticorum, Patres Societatis exeſſe contingeret, vt ſpes alicuius breuis reditus omnino interciperetur, obligata ſit in hoc caſu Societas, cenſum ac fructum prædicta ſummæ capitalis in vſum clericorum Hungarorum, ita extra Hungariam erogare, vt ſacerdotio idonei iuuenes eruditantur, ac ſacris initiati, in Hungariam redire ſint adſtricti. In caſu abſentiæ Patrum Societatis ab Hungaria, ſi ſpes ſit nonniſi breui annorum decurſu abfuturam, ſeruari volumus interea cenſum omnem, ad reparanda poſt reditum Collegii damna, (quæ in eiusmodi motibus euenire olent) vel ad prouidendum perſonis alio migrantibus, cenſualem pecuniam applicari. Quod ſi vero poſt quoſcunque annorum decurſus, rurſus in Hungariam redire, ac Vniuerſitatem continuare Societati integrum fuerit, volumus immutabiliter, vt Clericorum educatione ceſſante, ſumma a nobis aſſignata fructus ad priorem Vniuerſitatis vſum a Patribus applicentur, Vniuerſitasque continuetur. Tenebitur etiam Societas Tyrnauiæ, hoc ipſo præſenti anno MDCXXXV. vnum curſum Philoſophicum inchoare, ſucceſſiuis ve-*

ro conſequenter annis; tres Philoſophici curſus, vna cum Ethica & Mathematica habeantur, cum duobus Scholaſticæ Theologiæ Profeſſoribus: inſuper vnus S. Scripturæ interpres, Caſuum alter, tertius Controuerſiarum; ſic, vt & linguæ ſanctæ Profeſſor in hac Vniuerſitate ſit, promotionesque ad gradus Academicos, more alibi conſueto, peragantur. Succeſſoribus autem noſtris, Archiepiſcopis Strigonienſibus, nullum ius in hanc Vniuerſitatem per nos erectam concedi volumus, præter illud, quod iure communi conceſſum eſt, ordinariis locorum; Eisdem tamen ſucceſſoribus, ac ſede vacante, capitulo Strigonienſi, authoritatem damus, vt obligationes hiſce litteris noſtris ſpecificatas, & a PP. Soc. Ieſu acceptatas, diligenter adimpleri, & obſeruari facere poſſent, & teneantur; ſalua tamen in omnibus Profeſſorum quiete, ſaluo item lectionum curſu, & modo Societatis, quem iuxta ſuum inſtitutum, in regendis ſeruat Academiis. Succeſſoribus item noſtris, ac ſede vacante, Capitulo Strigonienſi, Vniuerſitatem hanc valde commendamus, & commendatam eſſe volumus. Qua omnia, vt a nobis pura & ſincera intentione, Religionis Catholicæ promouendæ, ac patriæ chariſſimæ ſubleuandæ fiunt; ita DEum optimum ex animo precamur, odoretur ſacrificium hoc bonæ voluntatis, fundationique noſtræ vberem benedictionem largiatur, vt magnum nomen eius laudetur, & glorificetur in æternum. Datum Poſonii in Curia noſtra Archiepiſcopali, D. 12. Menſis Maii, A. MDCXXXV.

PETRVS S. R. E. Presbyter Cardinalis Pazmány,
Archiepiſcopus Strigonienſis.

Diplomate Ferdinandi II. *ad firmata.*

Omnem poſtea mouit lapidem, *Primas* munificus & liberalis, vt ea, quæ fundauerat, publica Cæſaris & Regis auctoritate, præmunirentur, adfirmarenturque. Er dedit hoc ſane precibus eius, non facilis modo, ſed lætus etiam FERDINANDVS II. oblataque, Academiæ bulla aurea, ac nonnullis, quæ in controuerſiam vocari poſſent, explicatis, ſic decreuit: *Specialiſſime*, inquit, *Vniuerſitatum, per Imperii fines, & Prouincias noſtras hereditarias erectarum, vt eſt Colonienſis, Viennenſis, Moguntina, Ingolſtadenſis, Pragenſis, Olomucenſis, Gracenſis, iura omnia ac priuilegia, de Cæſareâ ſimul, ac Regiæ noſtræ poteſtatis plenitudine, Tyrnauienſi huic Vniuerſitati conferimus, & donamus, pleno cum effectu. Actum; in Ciuitate noſtra Viennæ, D. 18. Menſis Octobris Anno MDCXXXV. Regnorum noſtrorum, Romani XVII. Hungariæ & reliquorum XVIII. Bohemiæ vero anno XIX.*

FERDINANDVS.

Georgius Lippay, Epiſcopus Veſprimienſis,
Regni Hungariæ Cancellarius Aulicus.

§. XXIII.

Inauguratio Academiæ, *quibus vitiis ſit practa:*

HVc deductis rebus, diem tandem *Pázmányus*, præſtituit, quo inauguraretur *Academia*. Idus Nouembres, inuſitatæ ſolemnitati deſtinabantur, diplomate propalam adfixo. Magna tunc, ob

ob comitia, quæ *Octaualia* vocant, ſummorum imorumque frequentia *Tyrnauiam* confluxerat. His ergo, pro eo ac decuerat, cohoneſtandæ pompæ, inuitatis, totius rei auſpicium, ad hunc modum inſtitutum fuiſſe accepimus. Pulſato, per ſingulas ædes ſacras, ære campano, ſub horam diei nonam, *Rector* magnificus, cum toto ſenatu Academico, Ieſuitarum ſociis reliquis, & ſtudioſis Academiæ candidatis, præferente ſceptrum *pedello*, ad fundatoris prætorium vſque proceſſit. Inde, concentus inter muſicos, magna ſacerdotum turba comitante, albis amictorum, aliorumque virorum nobilium comitatu, deductus ad ædem *Capituli*, ſummus antiſtes, ſacrificium, de *Spiritu Sancto*, inſtituit. Conſcendit deinde ſedem, quam paratam ſibi purpureo ſub conopeo, habebat, occupataque ea, poſtquam nonnihil de iis, quæ ad inſtitutum docentium, & diſcentium ſpectabant, diſerte non minus, quam grauiter, præfatus fuerat, fundationis & confirmationis regiæ diplomata, ſigillis munita aureis, argenteisque, Rectori, quem creauerat, per manus tradidit. Tum adſurgens *Decanus* philoſophici ordinis, *P. Thomas Láſzberény*, multa egregie dixit, de regis, primatisque, incomparabili erga regnum clementia, & munificentia, planeque docuit, nihil eſſe ad ſalutem Hungariæ accommodatius, Academiarum inſtitutione. Totum poſtea cerimoniarum ſyrma, concluſit hymnus *S. Ambroſii*, præcinente ipſo fundatore purpurato. Aderant rei, & ſpectatores, & teſtes, *Nicolaus Eſzterházy*, Hungariæ Palatinus; *Iohannes Telegdinus*, Archiepiſcopus Colocenſis; *Georgius Lippay*, antiſtes Veſprimienſis, & regni Hungariæ Cancellarius; Comes *Adamus Battyáni*, Generalis partium vltra Danubium; Comes *Stephanus Eſzterházy*, Palatini filius; Comes *Gabriel Erdödy*, regis Hungariæ cubicularius; Comes *Michael Thurzo*; *Georgius Lakuſith*, epiſcopus Sirmienſis, & Præpoſitus Piſonienſis; *Iohannes Püsky*, Abbas Skalcenſis; *Stephanus Bosnyák*, Canonicus Strigonienſis; *Benedictus Kisdj*, Præpoſitus S. Georgii; Baro *Daniel Eſzterházy*, Baro *Ludouicus Nyáry*, B. *Adamus Forgách*, Capitaneus Szécsénienſis; Baro *Ladislaus Csáky*, Capitaneus Papenſis; Baro *Franciſcus Veſſelenius*, Capitaneus Fülekienſis; *Emericus Bercsény*, Cameræ Piſonienſis Conſiliarius; *Iohannes Török*, eiusdem Cameræ Conſiliarius; *Iohannes Kéry*, Capitaneus Gyarmathienſis; *Iohannes Boka*, & *Paullus Sánta*, ſenatores Tyrnauienſes. E Societate Iesv, Vindobona inuitati acceſſerant; *Guilielmus Lamormajni*, Domus Profeſſæ Viennenſis præpoſitus, & Confeſſarius Cæſareus; *Chriſtophorus Ziegler*, Confeſſarius Electoris Moguntiæ; *Ambroſius Pinaloſa*, Reginæ Hiſpaniarum concionator; *Gualterus Paullus*, Belga Duacenſis, profeſſor Vindobonenſis; *Vitalis Pellicerolli*, Doctor, & philoſophiæ Vindobonæ Decanus; *Andreas Kolberger*, lector Collegii Poſonienſis, *reliqui*. Peractis ſacris, conuiuio adparatiſſimo, excepit fundator omnes, qui deducendæ pompæ intercerant, deditque ea re, cum lætitiæ, qua perfuſum nemo non videbat, tum grati, erga hoſpites, animi ſignificationem, ſuo dignam faſtigio.

qui ei celebritati interfuerint:

excipiuntur conuiuio adparatiſſimo.

ſtigio. Dies, qui pompam eam excepere, cum ſcholis aperiundis, tum cerimoniis, quæ ad cohoneſtandas Muſas pertinere videbantur, impenſi ſunt: magna vbique *Cardinalis Pázmány*, & prudentia elucente, & grauitate.

§. XXIV.

Res Tyrnauiæ *reliquæ:*

HActenus, res *Societatis* Iesv Tyrnauienſis, inde a primis exordiis, vſque ad conſummata eius incrementa, compendio exhibuimus. Atque decuit omnino, non ſiluiſſe conuerſiones, per quas, e tempeſtuoſa quaſi bruma, ad halcyonia eluctata eſt. Iam ad vrbem reuocamur, vt, quibus porro fatis, quaque vſa ſit fortuna, per temporum veſtigia, expromamus. Et Maximiliano quidem, ad clauum reipublicæ Chriſtianæ ſedente, placida *Tyrnauia* omnia, & plena proſperrimi ſucceſſus euenere. Tametſi enim, gemino exceptus fuit bello, Turcico altero, altero Tranſiluanico; *Tyrnauia* tamen, procul a fulmine fuerat, quia procul a Iouis iſtis filiis.

ſub Maximiliano *ſunt placida.*

§. XXV.

Sub ipſo bellorum ſtrepitu, proficit Tyrnauia:

BElla poſtea, ex bellis ſerebantur, ſed *Tyrnauia* adeo perturbata non eſt, vt proficeret etiam, cum rei ruſticæ cura aſſidua, tum mercatibus potiſſimum. Vetus vrbi, deponendarum iſthic mercium, priuilegium fuerat; quod ne intercideret, ſaltem a vicinis obſeruaretur diligentius, publica id lege *(e.)* anno MDLXIX. adfirmatum eſt *Tyrnauienſibus*. Nimirum, ſicuti Piſonium & Sempronium, Auſtriæ; ita Morauiæ *Tyrnauia*, deſtinabatur; vt quidquid inde mercium inueheretur, iſthic, deponendarum earum ius eſſet. Atque, longa omnino aduerſum obſeruatione eſt, maxime a Morauis & Sileſiis, fora *Tyrnauienſium*, inde a priſca illa ætate, frequentata fuiſſe. Sub idem tempus, conſpiratione, in Cæſarem, late per Hungariam, auſpiciis *Iohannis Sigismundi*, artibus autem *Georgii Botskaii*, inſtructa, *Tyrnauiæ* perniciabilis futura erat, niſi rem omnem, fata propalaſſent maturius. Erant, in complicibus, *Iohannes Balaſſa*, & *Stephanus Dobó*, viri acres, & multis a Ferdinando beneficiis atque opibus excolti, quin ſublecti etiam, in ſenatum ſanctiorem. Hos, ſubmiſſus a *Iohanne Sigismundo*, quem diximus, *Botskay*, magnis illectos pollicitationibus, in nefariam ſocietatem, pertraxerat. Rem illi, eo maiore ſilentio & conſenſione adminiſtrauere, quod germanas ſorores, *Blaſii Sulyocci*, filias, in matrimonio habebant, erantque ideo proxima coniuncti adfinitate. Conſiliorum ſummam, in eo poſitam fuiſſe, auctor eſt Istvánffyvs: vt *(d.) Balaſſa* quidem, arces *Vetuzolium*, & *Lévam*, quas in poteſtate habebat, Tranſiluano traderet: *Nitriam* poſtea,

adfirmantur ei priſtina depoſitionis iura:

conſpiratio procerum, Tyrnauiæ *propemodum fit exitialis:*

e.) Vide eam, Decreto anni eiusdem, Artic. XVIII.

d.) Libro XXIV. p. 507. fine, ſeqq.

poſtea, circumuento, clandeſtina impreſſione, Epiſcopo *Paullo Abſtemio*, occuparent: ea deſtinatione, vt *Selymo*, & purpuratis eius, tantæ rei bene conſciis, *Tranſiluani*, cum expeditiſſimo ſelectiſſimoque copiarum numero, facto, per *Fiilekiana* & *Szetsèniana* Turcarum præſidia, itinere, celerrime aduolarent, ſedeque belli *Nitriam* translata, ac *Piſonio* & *Tyrnauia*, nec opinato, interceptis, CAESAREM, Hungariæ poſſeſſione deturbarent, ipſeque regno exutus, ſe in Germaniam recipere cogeretur. Eam conſpirationem, *Georgius Rákóczy*, præter poſterorum ſuorum morem, *Rubero*, qui *Schwendio* ſucceſſerat, iſte, MAXIMILIANO detexit. Cæſar profecto, non ante quieſcendum ratus, quam inſtructa nefarie ſcena, diſiiceretur, in eam curam incubuit, vt nulla ſui inuidia, procerum autem adſenſione maxima, funditus elideretur conflatum maleficium. Quod, quemadmodum geſtum ſit, in comitiorum anni MDLXIX. hiſtoria, ISTVÁNFFYVS retulit, neque nos ſiluimus, in *Piſonii (e.)* deſcriptione: heic, ſubductam periculo *Tyrnauiam*, meminiſſe ſufficiat. Inde, plures anni abiere, cum nihil, quod in litteras referri meretur, geſtum in vrbe eſt: niſi incendium illud, cuius ſupra, ad annum MDLXVI. indicium fecimus, atque terræ motus, ſolito redeuntes, & frequentius, & vehementiore cum impetu, meminiſſe voluerimus. Ac primus quidem, in Calendas Ianuarias, anni MDLXXXVI. inciderat. *(f.)* Hunc, peſtilentia excepit, dirum in modum, & late adeo graſſata, vt paſſim non vicos modo, ſed vrbes etiam, incolis diminueret; *Tyrnauiam* vero, propemodum exinaniret. Exſtantiora, alterius terræ motus, damna fuere, qui auctumno, anni MDXC. ineunte, vrbem funeſtauerat. ISTVÁNFFYVS *(g.)* certe, in iis ciuitatibus *Tyrnauiam* nominat, *quæ, non ſine ingenti mortalium formidine, collapſis pleriſque ædificiis, concuſſa fuerunt.*

quomodo eam diſſecerit Cæſar.

quid poſtea vrbi acciderit?

§. XXVI.

ADhuc bellum Turcicum, RVDOLPHI auſpiciis, vtraque, citeriore & vlteriore in Hungaria, trahebatur, cum *Iaurinum*, *Hardecci*, ſeu imbelli metu, ſeu, quod reuera fuit, perfidia, in Turcarum poteſtatem venit. Creuere hinc *Tyrnauienſium* pericula, cum incurſantes hoſtes, e turrium faſtigiis proſpectare iam, & deſpicere late fumantem regionem potuerunt. Sed ea fortuna, breui in melius vertit, dum Strigonio quidem expugnato, Iaurino autem, inſigni ſtratagemate, hoſtium manibus eliſo, tota circum regio, priſtinæ ſecuritati adſerebatur. Vidit, eadem hac tempeſtate, *Tyrnauia*, MAXIMILIANVM Archiducem, redeuntem ab expeditione anni MDXCVIII. atque iſthic diuertentem. Sed legati etiam *Sigismundi Báthori*, Tranſiluaniæ Principis, cum a RVDOLPHO, Praga reduces, turpiter ſe, a

Dedito Turcis Iaurino, pericula;

Maximiliani Archiducis:

e.) Capite v. de Celebritate & Prærogatiuis Vrbis Piſonienſis, Artic. III. §. IX. p. 369. *Tomi I.*

f.) ISTVANFFYVS Lib. XXVI. p. 563, 39.

g.) Ibidem, p. 589, 47. Adde eundem, Lib. XXXI. p. 742, 21.

& legatorum Sigismundi, *apud Tyrnauienſes, hoſpitium:*

quo miſſi fuerant, deluſos viderent; (nuperum enim fœdus *(h.)* cum Cæſare iuſſi redintegrare, antequam ex Morauia pedem extuliſſent, *Sigismundum*, prouinciam, *Andreæ* Cardinali, contra fidem, RVDOLPHO obſtrictam, tradidiſſe acceperant) *Tyrnauiam*, ex itinere, tantiſper ſeceſſerant, dum ſe, doli mali ignaros, apud Cæſarem excuſarent. *Quibus cognitis*, vti habet ISTVÁNFFYVS, *(i.)* Tyrnauiam, *eundum, ibique ſubſiſtendum rati, Cæſarem, de his rerum mutationibus, certiorem reddere, ſeque earum penitus ignaros aſſeuerando, quid fieri velit, ibidem exſpectaturos, perſcripſere. Qui, eorum excuſatione accepta, miſſo Tyrnauiam Bartholomæo Péczio, qui Cæſari eos fide obſtrictos redderet, ſuis rationibus, quo poſſent modo, in præſens conſulere permiſit, ſicque alter Naprágyius, poſt Cardinalis eadem, in prouinciam reuerſus eſt: Botskaio autem, extra fines, diutius fuit delitescendum.* Vſus nimirum fuerat, legatis, *Demetrio Naprágy*, Tranſiluaniæ Epiſcopo, & *Stephano Botskaio*, de *Kis-Maria*, auunculo ſuo; fidei tunc in Cæſarem vltra ingenium ſuum, intemeratæ. Enim vero, exeſſe *(k.)* ex Tranſiluania maluit, quam ius iurandum, quo ſe obſtrinxerat RVDOLPHO, reſcindere. Sed hæc ad annum MDXCIX. ob iter. Triſtiora fuerunt, quæ Turcæ, eodem hoc anno, ediderant maleficia. Pacis conditiones noſtris, fallendi ſtudio, obtulerat barbarus. Quas, ſi æquæ eſſent, cum non aſpernendas putaret Cæſar, *Nicolao Pálffyo*, qui tunc Strigonio præfuit, in mandatis dedit, vti acceptis obſidibus, loco opportuno, cum Turcis coiret, eorumque animos, qua poſſet arte, pertentaret, pacem denique, ſi honeſta ea daretur, conficeret. Conuenere vtrinque in inſula legati, medio, inter Budam, & Strigonium, itinere. Prolatis vtrinque conditionibus, cum Turcæ iniquiſſima peterent; neque noſtri concederent quidquam, a tractandæ pacis propoſito, deſitum ſubito eſt; barbari contra, ad euerrendam, igne ac ferro, regionem, conuerſi ſunt. Ergo, in *Neogradienſem*, *Hontenſem*, *Barſchienſem*, *Nitrienſem*, *Poſonienſem*, *Trentſchinienſem* Comitatus, diſpertitis Turcarum, & Tartarorum agminibus, effuſi, non ſexui, non ætati, parcunt. Prolixus, in deſcribenda clade ISTVÁNFFYVS eſt. *(l.)* *In hunc modum egreſſi hoſtes, quidquid terrarum, a Nógrádo, Tyrnauiam verſus, illinc vero, vsque ad Bezkoneim & Trenchinium, inter Granum, Hippolum, & Vagum flumina adiacet, vrere, vaſtare, & incolis, partim in ſeruitutem abductis, partim cæſis, crudeliſſime graſſari cœperunt.* Captiuorum numerum, tredecim millium fuiſſe creditum eſt: cæſorum, in tanta hoſtis immanitate, definiri haud potuit. *Tyrnauiam*, euaſtatis circum oppidis, metus hoſtium, quod turritam, e longinquo viderent, non ſine numinis beneficio, intactam reliquit.

Turcarum ſanguinolenta impreſſio:

Tyrnauiam *vsque pertigit:*

ſed intemeratam tamen reliquit.

§. XXVII.

b.) Eius Tabulas, WOLFGANGVS BETHLENIVS, Hiſt. Lib. x. p. 691. ſeqq. exhibet.

i.) Libro XXXI. p. 736, 45. Aliter paullo, rem loco cit. p. 695. ſeqq. refert BETHLENIVS.

k.) Ibidem BETHLENIVS, p. 698. Et ISTVANFFYVS Lib. XXXIII. p. 785, 35.

l.) Libro XXXI. p. 744, 29.

§. XXVII.

INiit ſeculum, a CHRISTO nato, decimum ſeptimum, *Tyrnauiæ* noſtræ, poſt prima ſtatim exordia, in primis funeſtum. Tumultuabatur adhuc Tranſiluania, nuper *Sigiſmundi Báthorii*, præpoſteris conſiliis, extra modum perturbata. Neque ceſſabant Turcæ, belli fortunam experiri: vt haberet omnino Cæſar, quod vtrobique ageret. Et Tranſiluania quidem, *Baſta*, a *Sigismundo*, vti eam pro Cæſare adminiſtraret, tradita, officium factura videbatur, niſi auaritia & crudelitas ducis, efferatos Tranſiluanorum animos, ad res nouas, ſemel iterumque moliendas, impuliſſet. Igitur, tametſi non vno vicerit prælio *Baſta*, bello tamen nequiuit vincere. Tranſiluania decedenti, in ſuperiore Hungaria, moleſtiſſima hiberna fuere, dum & hinc, cum reliquüs exercitus, emigrandum erat. Itinere militari, per Scepuſios, Liptouienſes, Thuroczienſes ac Nitrienſes inſtituto, cum *Tyrnauiam* acceſſiſſet, vrbis aditu excluſus eſt. Neque id ciuium, in Cæſarem, malignitate, ſicuti *Baſta* interpretabatur, ſed exercitus factum maleficio eſt. Vix caſtra, in ſuburbano agro, metari cœperat; cum, miles horrea diripere, inferre oblu&tantibus necem, denique, ſubiecto igne, quidquid extra mœnia villarum fuit, inflammare. Hoc tam indigno facinore moti *Tyrnauienſes*, obſirmatis portis, *Baſtam* reiecere, quod metus eſſet, ne ab intromiſſis cohortibus, grauius quidpiam pati cogerentur. Inſtabant retrocedenti *Baſta*, Hungari, ſublato, per tumultum ſigno, a *Botskayo*, in bellum exciti. Quidquid a tergo fuit regionis, in verba noui hominis, iurare coactum, materiam aduerſus hos ferociendi ſuggerebat, qui in fide Cæſaris perſtabant. *Franciſcus Rédey*, dux præcurſorum erat, vir omnino militaris, ſi bellicam virtutem, æquiori militiæ impendiſſet. Nempe, qui *Botskaio* adhærere detrectabant, hos ille, omni iniuriarum genere adficere, iniicere tectis nobilium ignes, & ſe, aduerſum populares hoſtem gerere. Capta *Nitria* & *Galgoczio*, imminebant *Tyrnauia* Tranſiluani, ſpe prædæ, vltra modum exſultantes. *Ergo, terrore permoti, Tyrnauienſes, eiusque minis adacti, cum nullas, quibus fidere poſſent, copias haberent, nec vllum a præfectis Cæſaris auxilium ſperarent, quos, incertum, quisnam torpor, ignauia & ſocordiæ haud abſimilis, aut metus & deſperatio, ceperat; Redeio, niſi imperata facerent, obſidionem certam, & eadem denuncianti, abſque cunctatione, portas aperuerunt: eo quidem maiore contumelia; quod Baſtæ, e ſuperiori Hungaria, nuper reuertenti, easdem claudere non dubitaſſent; exulceratis nempe ciuium animis, quod inter conſilia & tractatus intromittendorum agminum, horrea, & ſuburbana eorum villæ, a Vallonibus, & aliorum militibus, inſigni cum ciuitatis damno, concremata fuiſſent.* Verba ſunt ISTVÁNFFII. *(m.)* Inde, rapinarum arcem, *Tyrnauiam* fecerunt *Botskaiani*. Nam *Rédeyus* quidem, in vrbe ſubſtitit, imperata ciuibus pecunia, & coccineo

Seculi XVII. initia, Tyrnauiæ *funeſta*:

turbarum occaſio:

Baſta, *ac Tranſiluania redux, vrbe excluditur*:

adſunt Botskaiani:

Tyrnauiam *dedi. tione capiunt*:

ſuiuntque rapinarum perfugium.

m.) Libro XXXIV. p. 826, 39.

neo panno pretioſiore, e quo ſibi, & ſuis, veſtes fierent; *Denghelegium* vero, (ſubſidiarias ille copias, *Rédeyo*, proxime adduxerat) cum octo millibus *Hajdonum*, & mille circiter *Turcis*, ad populandam Morauiam, facto, per montem, quem Album vocant, itinere, dimiſit. Non eſt huius loci, incendia, rapinas, atque promiſcuæ multitudinis cædes, quas cum ſuis, in Morauia patrauerat *Denghelegius*, commemorare. Illud, ad vrbis ignominiam pertinuit; quod detracta, innocuæ regioni, ſpolia, iſthuc, tamquam ad commune latrociniorum aſylum, congererentur, venderenturque ſub haſta. Hinc & in *Piſonienſes*, facti incurſus, quorum mentionem, illic *(n.)* habuimus.

§. XXVIII.

Aſtu militari, fruſtra a Cæſarianis tentatur Tyrnauia:

TAntorum malorum officinam, vti e manibus hoſtium eliderent duces Cæſariani, militari aſtu tentandam ſtatuerunt. Conuenerat, inter primores ciuium, vti miles Cæſareus, ad VI. Cal. Octobres, nocte concubia, ſummo ſilentio, ad vrbem accederet, & dubia adhuc luce, cum pecus, ex more, ad paſcua propelleretur, factis agminibus, in portas tunc late patentes, irrueret, neque deſineret ante oppugnare, quam deiectis *Botskaianorum* excubiis, in vrbem penetraretur; non non defore, qui ſe irruentibus coniungant, deiectisque Hungaris, vrbem Cæſari vindicent. Fecere, vti conuenerat, Germani, cumque, nec opinantibus *Botskaianis*, ad præſtitutum tempus, partitis agminibus, (tria enim armatorum millia fuiſſe, *(o.)* accepimus;) in portas irruunt, vtque ſubitum terrorem latius propagarent, portarum vallos exteriores, valuasque & tecta, ſubditis ignibus, accendunt. Intremuit, ad periculi magnitudinem, miles præſidiarius, & quo ſe verteret; ſingulis enim portis imminebatur; inſcius, fere locum victoriæ dedit. Tandem, collectis animis, *Germano*, acriter, iam intra portas dimicanti, ſe obiiciunt, arma armis cominus propulſant. In tertiam horam protracta fuit decertatio, cum præſidiarii, ciuibus, qui ſpoponderant forte proditionem, ex ædibus, furente Hungaro, progredi non auſis, Germanos, toties iterato adſultu, fatigatos, felici euentu, fruſtrauerunt. Itaque, referunt *Cæſariani*, nec turbatis ordinibus, pedem; *Hungari* contra, reiecisſe hoſtem ſatis habentes, ne ſe in inſidias induerent, ceſſant perſequi. Demum, *Ujvárino*, in poteſtatem redacto, *Tyrnauiam*, quaſi bello captam, omni, qua poterant obſeruatione, in ſuis partibus detinuerunt. Neque adſerta prius Cæſari fuit, quam geminum bellum, pace gemina, *Viennenſi* altera, altera *Zitwatorokienſi*, prorſus conſopiretur.

is, quomodo fuerit inſtructus:

euentus irritus.

§. XXIX.

n.) Tomo I. Periodo IV. Auſtriaca, §. XVII. p. 218.

o.) Rem omnem, ex *Diario*, *Valentini Drugeth de Homonna*, excerpſimus, cuius compendium, ad *Ujvári* hiſtoriam, in *Comitatu Nitrienſi*, dabimus ex MSCpto, ad annum MDCV.

§. XXIX.

REſtabant, pace inita, *Hajdonum*, in ſuperiore Hungaria, reliquiæ, & tum, quando *Botskayo*, hydrope exſtincto, euanuit ſpes nouarum rerum. Has, dum adnuente RVDOLPHO, *Stephanus Illyéshdzius*, & *Georgius Thurzo*, cum eius muneris collegis, ſeu diſſipare, ſeu reducere ad officium, laborabant, fraternis ſimultatibus, quæ iam tum inter RVDOLPHVM Cæſarem, & MATTHIAM Archiducem, gliſcebant, nec cogitantes admouerunt fomenta. Non eſt opus, rem geſtam recognoſcere: ad bellum vergebat diſſidium, niſi eliſa, e RVDOLPHI manu, Corona, & cum hac vniuerſa Hungaria, regiumque adeo faſtigium, icto fœdere, MATTHIAE fuiſſet adtributum. In ea rerum conuerſione, *Tyrnauia*, fortuna vtebatur, ſic ſatis propitia: GABRIELE BETHLENIO autem, Tranſiluania potito, etiam publico paciſcentium congreſſu, honeſtabatur. Interceſſerant, inter MATTHIAM, & Tranſiluanum, non paucæ, eæque graues offenſæ. Quæ, ne conualeſcerent penitus, darentque, ex temporum ingenio, turbarum quidpiam, *Tyrnauiam* arbitros, qui querelas diſputarent, aboleretque, mittere vtrique viſum fuit. Huc vbi, Cæſaris, & *Bethlenii* legati, anno MDCXV. Aprili ſeneſcente, ad præſtitutum diem, conuenere, id dabant operam, vt querelas, non promerent modo, ſed diſcuterent etiam, atque, e re vtrorumque, ſedulo abrogarent. Pactionis capita, in hanc ſententiam, relata ſunt in tabulas: *Tranſiluanis, eligendi principis, ſed qui fœderi huic Tyrnauienſi, obſtrictus ſit, ius eſto;* (1.) *Tranſiluaniam, & quæ in eius ſunt ditione, a Corona Hungaria, ne (p.)* (2.) *alienanto; Regibus Hungariæ, & genti Auſtriacæ, obſequium fidemque præſtanto;* Tranſiluaniæ *libertates & priuilegia, ne temeranto; partes Hungariæ, quarum Dominum ſe nuncupat* Bethlenius, *eodem, quo anteceſſores ſui, haud vero lautiori iure, poſſidento;* CAESAR, *idemque rex Hungariæ,* (3.) *Tranſiluaniam, eiusque iura, aduerſus hoſtes, defenſanto; Statuum, & Nationum Tranſiluaniæ libertates, & peculiaria iura, intemerata cuſtodiunto;* CAESARI *Regique Hungariæ, ſi quid hoſtile ingruat, aduerſus* (4.) *adgreſſores,* TVRCA EXCEPTO, *ſuppetias ferunto; Viennenſem Pacificationem, atque liberum religionis exercitium, in Tranſiluania quoque, curatiſſime, obſeruanto; exſules reſtituunto;* (5.) *Profugos, & maleficiorum reos, mutuo ſibi reddunto;* (6.) *Commercia, vltro citroque, ſine vlla offenſa, inſtituunto;* (7.) *militi libero, huc aut illuc, ad merenda ſtipendia concedere, integrum eſto;* (8.) Areſtationes, *quas vocant, ſiue in Hungaria & Auſtria, ſiue in Tranſiluania, ceſſanto, querelas autem, iure, ſuo loco proſequi, fas eſto;* (9.) *Poſſeſſiones horum, qui partes diuerſas ſecuti hucuſque fuerunt, fiſco*

Quid inde Tyrnauiæ ſit geſtum:

Cæſarianorum, & Bethlenianorum, conuentus:

percuſſum iſthic fœdus, & huius tabulæ:

p.) Ac fuit omnino, cur iſtud ſanciretur. Anno enim ſuperiore, vt gratiam, adfirmati ſibi Principatus, referret *Bethlenius*, inaudito, ad eum diem, exemplo, arces complures, quas acti bello, *Sigiſmundus Báthori*, tyrannide Turcica eripuerat, habito *Varadini*, ſuorum comitio, barbaris tradidit; *Lippam*, puta, *Solymói*, *Tothváradia*, *Margita*, *Monoſtor*, *Arad*, *Sviri*, & *Fóchádum*: ſicuti ad *Piſonium*, Periodo IV. Auſtriaca, §. XXIX. p. 240. ſequ. monuimus. Adde ORTELIVM, Parte II. p. 53. a.

(10.) *fiſco adſcriptas, obliteratis iniuriis, reddunto; Arces* Hufzt & Kővár,
cum omni inſtrumento bellico, integro item Comitatu Maramarufienſi,
(11.) *Tranſiluano tradunto;* Nagy-Bánya, *Cæſaris eſto; Comitis Georgii Drugeth de* Homonna, *& aliorum, iura, intra annum, reuidento, diſcutiunto; aut amice componunto; Eandem hanc aquitatem* Annæ Palochay,
(12.) *viduæ* Gabrielis Báthory, *nuperi Tranſiluaniæ principis, adminiſtranto,*
(13.) *dignamque ei, ſtatu ſuo ſedem, deſignanto; Bonorum* Epiſcopatus Va-
(14.) radienſis, *varie laceratorum, rationes, die S. Iohannis Baptiſtæ natali,*
(15.) *ſubducunto, diſcutiunto; Teſtimoniales Capitulorum & iudicum regni Hungariæ authenticorum, littera, in Tranſiluania, atque iterum Tranſiluanorum in Hungaria, ſuum robur habento; Tyrnauienſis huius fœderis*
(16.) *capita, proximis regni Comitiis, confirmanto; Mutuo, Commiſſariis Cæſareis, locatas pecunias, creditoribus Tranſiluanis,* Caesar, *repræſentato;*
(17.) *Hajdones, ſi quid rerum nouarum moliri ſuſtinuerint, mutua opera,*
(18.) *compeſcunto; Fures & latrones, viarumque ſubſeſſores, ſeuere puniunto,*
(19.) *res tamen, & prædam ab iis recuperatam, poſſeſſoribus reſtituunto;* Ste-
(20.) phanus Kendy, *deprecantibus pro eo legatis Cæſareis, in Tranſiluaniam*
(21.) *libere accedito, hæredia reciperato;* Csornafalvam, *Diſtrictus Kővárienſis vicum,* Michaeli Unkreütero, *relinquunto;* Székelhidiana *bona,* Francisco Daróczy, *a Botskayo, prater ius & æquum, ademta, eique Viennenſi Pacificatione, adiudicata, procul omni mora, & forenſi ſtrepitu, reddunto, eamque rem legati Tranſiluani, in primis ſibi commenda-*
(22.) *tam exiſtimanto; Idem ius viduæ* Thomæ Bosnyák, *adminiſtranto;*
(23.) *Bona, qua in Maramarufienſi prouincia Cæſarea Regiæque Maieſtati ſunt*
(24.) *peculiaria, in eiusdem porro ditione, relinquunto; Denique, arcis Hu-*
(25.) *nyad, & bonorum, qua ad eam ſpectant, Stephano Török, nuper ademtorum, rationes, ſiue iure, ſiue amica pactione, expediunto.* Iſta, ſummatim, eo congreſſu, ſancita fuere. Clauſula ſic habet: *In cuius fidem & certitudinem, a principio ſtatim huius Tractatus nominati Domini Commiſſarii, & legati vtriusque partis communi conſilio ſtatuerunt, vt pro recognitione & confirmatione, Sua Sacra Cæſarea Regiæque Maieſtati, præſcripti articuli, quam citiſſime offerrentur: qua de cauſſa etiam* Illuſtriſſimus Dn. Gabriel Bethlehem, & Prouincia, *ſuos legatos, quam primum fieri poterit, ad Sacratiſſimam Cæſareo Regiam Maieſtatem, ablegabunt, vt prænotati Articuli omnes, certis indubitatisque litteris, ſigillis, partiumque Sua Maieſtatis, Domini Bethlenii, & Prouincia ſubſcriptionibus & iuramentis muniantur, & confirmentur. Actum, in libera ciuitate Tyrnauienſi, die ſexta menſis Mai, Anno Domini MDCXV.*

confirmatur vtrinque; Et ratum omnino, pars vtraque, quin & Ferdinandvs ipſe, fœdus habuit. Diſcas id, ex grauiſſima Cæſaris & Regis Ferdinandi, aduerſus *Bethlenium*, querela: *(q.) Inter ceteros*, inquit, *Anno milleſimo, ſexcenteſimo decimo quinto, ſtabilita pacis articulos, tam a prædicto Bethlenio; quam a Tranſiluania Statibus, ſyngraphis, ac ſigillorum impreſſione firmato diplomate, promiſſum fuit. Quod neque contra Suam Maieſtatem,*

q.) Exſtat ea, in *Edictali Caſſatione*, Electionis Gabrielis Bethlen, &c.

tem, eiusque ſucceſſores legitimos Reges Hungaria, & Regnum, Auguſtiſſimamque domum Auſtriacam, regna & prouincias, cum quibus Sua Maieſtas ſingularia pacta habet, vllo vnquam tempore auerſam vel hoſtilem prætenſionem habebunt, aut contra Regni Hungaria libertates, priuilegia, quietem, aut tranquillitatem, palam, vel occulte, quidquam fieri patientur. Quodque idem Bethlen, & ſucceſſores, vna cum Statibus & Ordinibus Tranſiluania, Sua Maieſtati, ſuisque ſucceſſoribus legitimis, & regno Hungaria, quandocunque neceſſarium fuerit, contra omnes eorum hoſtes, (excepto Turca) *omni ope, auxilio, viribus, & fidelitate, aderunt.* Itaque, publica, partis vtriusque fide, articuli Tyrnauienſes, confirmati fuere. Hinc illa, in comitiis anni MDCXVIII. Statuum & Ordinum confidentia. *Sunt plerique regnicolarum, inquiunt, (r.) qui, in Tranſiluania certa bona, & iura poſſeſſionaria habent, eaque ad præſens quoque poſſiderent, alii vero, certum & bonum ius, in bonis ibidem exiſtentibus haberent, iique eadem acquirere vellent: Ideo ſtatutum eſt; quod, quia & alioquin vicinitas intercedat, & pax ſtabilita ſit, liceat vnicuique regnicolarum, vigore præſentis ſtatuti, partes Tranſiluania, & bona ſua ingredi, illisque prouidere, & viſitare; iusque illorum, qui ad nonnulla bona ſe habere prætenderent, vel iure mediante, vel aliis mediis proſequi.* Ferdinandvs certe, fœdus illud ſancte habendum exiſtimauit, iterumque ratum habuit. Ita verba eius habent: *Quæ omnia, vt eo ſanctius ſeruarentur, quo arctius firmabantur, rurſum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, conſignatis diplomatibus, eadem ipſa renouata, confirmata, atque ratificata fuere. Et Bethlen quidem verbo ſuo Principis, bona fide, Tranſiluani autem, fide Chriſtiana mediante, promiſerunt, tam per ſe ipſos ſancte, & inuiolabiliter obſeruandos prædictos,* (articulos) *quam etiam per alios, quorum interereit, obſeruari facient, ſucceſſoresque ſuos, ad eorum obſeruationem, in perpetuum obligatos velint.* Sed, quam breui conuulſa hæc fuerint a *Bethlenio*, queritur poſtea Imperator: nos autem iam iam dicturi ſumus.

etiam a Ferdinando II.

§. XXX.

Eodem, quo hæc *Tyrnauia* geſta ſunt, anno MDCXV. pax *Sitvatorokienſis*, cum Turcis Viennæ redintegrata, ſpem fecerat haud dubiam, conſopito hoſte gemino, tutam vndiquaque fore Hungariam. At enim, ante, nouus e Tranſiluania turbo, regionem omnem conuerruit, quam id, Ferdinandvs aduerteret. Viuo is Matthia, in regem Hungariæ, inauguratus fuit, iamque eo mortuo, ſceptra Romana capeſſebat, cum *Bethlenius*, poſthabito fœdere, in Hungariam, cum exercitu, inuolat, ac breui vniuerſam propemodum rapit in tranſuerſum. Quæ tunc, ſeu omnes, ſeu ſingulos, damna manſerint calamitatesque, quibusque artibus & adminiculis, cruenta ea ſcena, inſtructa fuerit, non vno loco, recognoſcendum erit.

Pax Sitvatorokienſis, *confirmatur Viennæ.*

Bethlenius, *nupe-rum fœdus rumpit.*

r.) Articulo XXXII.

Tyrnauiam *deditione capit*:

erit. Hic dixiſſe ſufficiat, ceſſiſſe popularium furori *Tyrnauiam* quoque, ne, ſi deſperatis auxiliis, obluctari fuiſſet auſa, tectis flammas, ciuibus exitium, acceleraret. Nempe, fumabat circumſita regio, crebrique adferebant nuncii, eadem mala *Tyrnauia* deſtinari, niſi portas, aduentanti Tranſiluano, maturius aperiret. Neque ſuppetebat auxilii quidpiam a Cæſarianis. Proinde, vt hoſtes propius ad vrbem admouerunt exercitum, miſſis caduceatoribus, de fortunis, de ſalute, & ſacrorum, qui in vrbe inerant, ordinum, incolumitate, quàm poterant, æquiſſimis conditionibus, paciſcuntur, cohortes admittunt, inque Tranſiluani verba iurant inuiti. Vrbi ſaluti fuiſſe aiunt, quod *Societatis Ieſu Patribus*, quorum plerique, Canonicorum, nobilitatis, & ſenatus ſuaſu, in tutiora loca, tempeſtiuius ſe receperant, propemodum vacuam repererint. Enim vero, frendente ipſo *Bethlenio*, non ſecus in ſocios, deſæuitum a Tranſiluanis fuit, quam ſi tota illa expeditio, ad eos inſectandos, ſuſcepta fuiſſet. Ingens interim, a ciuibus, & pecuniarum, & pannorum vis exacta eſt; commeatuum vero tantum imperatum, quantum, in ea vaſtitate, vix cogi poterat. Et actum profecto de ciuium fortunis erat; niſi exercitu, ad occupandum *Piſonium*, maturius promoto, digreſſus hinc *Bethlenius* fuiſſet. Biennium fere, captiuam vrbem tenuit Tranſiluanus, donec a *Bouquoio*, anno MDCXXI. terrore admoto, diffugientibus Bethlenianis, recuperaretur. Dum vrbe potiebatur, ſæpius hic diuerſatus eſt *Bethlenius*, & quemadmodum ad *Piſonium (s.)* monuimus, ducis Tartarorum legatos, iſthic audiuit, datoque, per epiſtolam, reſponſo, homine Chriſtiano, non vndiquaque digno, muneribus excultos, ipſis Calendis Aprilis, dimiſit. Nobis, in iis litteris, cum reliqua omnia, tum ſubſcriptio inſolens viſa eſt; ſic enim habuit: *Datum, in Libera Regiaque Ciuitate* NOSTRA, Tyrnauia, *A. MDCXXI. Die I. Aprilis.* Non ab re *Calendas* fuiſſe *Apriles*, crediderim, quod eum diem, vulgaris abuſio, in fatuis habet; totius autem menſis temperamentum, nunc vernis ſolibus, nunc ſubitis procellis, varium & mutabile, prorſus fortunam expreſſit *Bethlenii.* Plus ad vrbis famam acceſſit, ex S. Hungariæ Coronæ hoſpitio, cum eam, e Piſonienſi deductam arce, hac Vetuſolium, inde Ecſedinum, nouus ille regulus, inuito numine, tranſportaret. Exſtat, in eo *(t.)* fornice, quo recondita fuerat, memorialis, tantæ rei, verſiculus. At enim, non poterat diu, in Cæſaris poteſtate eſſe *Tyrnauia.* *Bouquoio* enim, ad *Ujvarinum*, fœdum in modum occiſo, *Bethlenius*, qui *Caſſouiam* vsque receſſerat, collectis iterum viribus, *Ujvarinum* cum exercitu, inde *Tyrnauiam* aduolat. Inerant in vrbe, mille circiter *(u.)* Germanorum præſidium, acre illud, & ad ferendam obſidionem, haud igna-

Cæſari vindicat Bouquoius:

t.) Periodo IV. Auſtriaca, §. XXX. p. 243. vbi & argumentum epiſtolæ exhibuimus.

s.) Vide infra, Cap. II. §. VII.

u.) Eum numerum apud ORTELIVM legas: quatuor enim peditum manipulos, equites quingentos fuiſſe, memorat, Parte II. p. 28. b.

ignauum ; præfectus item *Bechler*, vnius cohortis ductor, vir animi prorſus impauidi. Vt in conſpectum venere Tranſiluani, corona vrbem cingunt, factoque, locis opportunis, ſemel iterum, ac tertio, adſultu, magna accepta clade, reiiciuntur. Ducentos fuiſſe deſideratos, KHEVENHILLERVS, *(v.)* ſeptingentos ORTELIVS, meminit. At, ſimul tormentis rem gerere cœperunt *Bethleniani*, iamque paſſim muri procumberent; ſpes autem ſuppetiarum, his, qui in præſidio erant, nulla adpareret, contra deficeret in dies commeatus, vrbem hoſtibus, Calendis Auguſti, ea lege dedunt, vt incolumibus, ad ſuos demigrare liceret. Et gregariis quidem, ſeruata fides fuit: quippe quos, ad Morauiæ vsque fines, ſine iniuria comitati ſunt Hungari; ſed *Bechlerus*, in cuſtodiam traditus, habitusque aliquamdiu acerbius, donec oblata fugæ occaſione, elaberetur. Vrbe capta iterum, nihil quidquam duri in ciues ſtatutum eſt: conſtabat enim, nequiuiſſe vim *Bouquoi* propulſare. Itum hinc fuit, ad *Piſonium* obſidendum, ſed inauſpicato, vti ſuo loco, *(x.)* explicuimus. Illinc, cum ignominia, reiectus *Bethlenius*, ipſe quidem *Tyrnauiam* repetiit, caſtra autem ad *Semptzinum* metatus eſt: non vna mox clade Morauiam adflicturus. Cum enim Cæſarianos, qui Piſonio ſuppetias tulerant, iamque in inſula, caſtris probe munitis, ſe continebant, in pugnam nequit prolicere; ſimul cognouit, traiecto amne in hiberna abiiſſe, partitis, cum *Lagendorffio*, agminibus, *Szakolczam* vsque, hinc in *Morauiam*, procurrit, atque euaſtata, quæ ſuperabat, regione, in eam annonæ penuriam incidit, vt cum illic forte hiemare conſtituerat, dimiſſo in Sileſiam *Lagendorffio*, ipſe, feſtinatis itineribus, in Hungariam ſuperiorem, rediret.

recipiturque iterum a Bethlenio.

§. XXXI.

HAc, fortunæ iniquitate admonitus *Bethlenius*, ad pacis ſtudia, animum adiecit; qua, *Nickelsburgi* conciliata, adprobataque a Cæſare; *Tyrnauia*, cum omni ea regione, qua decedendum fuit *Bethlenio*, in libertatem adſerta eſt: ſed breuem profecto eam, & vix ſeſqui anno duraturam. Enim vero, rediit anno MDCXXIII. æſtate iam adulta, *Bethlenius*, eo nunc iniquior, quod & pacem conuulſit, & in belli ſocietatem exciuit barbaros. Nihil adtinet memorare, quanta celeritate ſubegerit Hungariam ſuperiorem, quamque obſequentem vbique habuerit fortunam. *Tyrnauiam* certe, ante adtigit, quam Tibiſcum ſuperaſſe crederetur. *Aderant III. Nonas Octobris, præcurſores & emiſſarii Bethlenii*; vtimur Eruditorum Tyrnauienſium *(y.)* relatione; *omnesque late agros, rapinis, incendiis, ſpoliatione, populabantur. Nondum ſatis: vrbs, vt ſe dederet, imperatur. Verum*

Pace Nickelsburgenſi, Tyrnauia *Cæſari adſeritur*:

ſed ea, a Bethlenio *violata*:

G 3

v.) Annalium Ferdinandeor. Tomo IX. p. 1343.

x.) In hiſtoria eius Vrbis, Periodo IV. §. XXXII. p. 244.

y.) In, de *Progreſſu Alma Archiepiſcopalis, Societatis* IESV *Vniuerſitatis Tyrnauienſis*, p. 81. ſequ.

rum concordibus ciuium ſuffragiis, decernitur reſiſtendum eſſe, dum auxiliares a Cæſare copiæ, quæ in horas exſpectabantur, aduenerint. Aderant, eodem die, duo Germanorum millia; at ſimul ſuppetiæ miſſæ hoſtibus, multum eorum numerum, viresque auxerunt. Ergo iunctis agminibus, magno impetu, in Cæſareanos procurrunt, & ademtis ſimul cum commeatu, curribus, ac ſarcinis, nunc hac, nunc illac, damnum inferre, & accipere, numquam tamen aperta acie confligere audere, rem ſtrenue Germano, fiſtulis aneis, agente, & ad templum ſibi vicinum, pagi Bochdanócz *properante. Huc vbi ventum, pars cæmeterio, pars turri & tecto templi, perfractis tegulis, ſeſe tueri, nihil interim laceſſere, ceſſante hoſte; ſed iam hinc, iam illinc, barbara vociferatione, ſub teli iactum incurſante, & ſi non lædente, quietem tamen, tota ea die & nocte, non indulgente. Enituit hic infracta Germanorum virtus, dum etſi fame, ſiti, ac vigiliis exhauſti eſſent, obſidionem tamen ferociſſimi hoſtis, in alteram diem ſuſtinuere. Verum poſteaquam* Bethlenius, *cum toto ſuo, atque Turcico exercitu, adpuliſſet, templumque, trifariam diſpoſitis minoribus maioribusque tormentis, quatere cœpiſſet, ſpe nuspiam adfulgente, deditionem tandem paciſcuntur hac lege: Germani arma ponant; ſe anno integro in Bethlenium arma non ſumturos, ſacramento firment; demum ſecuri, ad ditiones Cæſareas, deducantur. In hæc pacta, præſtitum vtrinque iusiurandum, quamuis ab hoſtibus minime impletum.* Tieffenbachianam fuiſſe legionem, Ortelivs *(z.)* nos docuit, in eo tamen lapſus, quod quatridui ſpatio, protractam oppugnationem, ſcribat. Pergunt illi: *Adhuc Tyrnauia capienda erat. Verum, vbi ea moras necteret, diei ſequentis hora octaua dicta, qua, aut porta paterent, aut alibi aditum futurum, ſi refragaretur. Factum vt iubebatur, hoſtis in vrbem immittitur.* reliqua. Omnino, iniquius cum captiuis, quam pro fide data, egit *Bethlenius.* Præfuerat ei legioni protribunus *Wanglerus.* Eum ergo, cum centum quinquaginta maioris minorisque ordinis, ductoribus, ac ducentis quinquaginta gregariis, cuſtodiæ tradit: ceteris, qui ſupererant, optione relicta, ſuane ſequi malint ſigna, an ad Cæſarianos proficiſci. In vrbem adductos duces, exiguo cubiculo, gregarios contra, cæco fornice ſecludit, atque inedia macerat: ſubinde ingerens: non ante dimittendos, quam ſe opimo lytro, redemerint: ſe enim Iro pauperiorem, Cæſarem contra, ne Crœſo quidem, diuitiarum affluentia, quidquam concedentem. Atque parum aberat, quin hac ſua duritie cladem rebus ſuis accelerauerit *Bethlenius.* Viſo enim, quæſtum, ex Germanorum captiuis facere Tranſiluanum, pactorum leges inuocabat Turcarum purpuratus: quibus, quidquid Germanici ſanguinis fuerit interceptum, ſibi deberi prætendebat. Reſpondit ille: conditionem eam extra Hungariæ fines valituram; nunc, quos haberet captiuos, in patrio ſolo interceptos, nihil ad eum adtinere. Iam Turca, iniquo vti rebatur, offenſus reſponſo, diſceſſionem, cum auxiliaribus copiis, interminatur, cum *Bethlenius*, productis

tertium ab eo intercipitur:

in captiuos, quam fuerit iniquus:

lis, ideo, inter Bethlenium *& Turcas, orta:*

z.) Parte II. p. 100. b.

ctis *Sultani* tabulis, hominem increpuit, eumque militiæ ſuæ, tam diu obſtrictum teneri edocuit, dum e re communi, præclari quidpiam geſtum fuerit; tametſi interea niuoſa hiems incumberet. Conticuit quidem barbarus, ſed diſſimulatam nunc indignationem, ſatis in *Morauia* prodidit, cum obſeſſum diu Cæſarianorum exercitum, adgredi aliter, quam eques *(a.)* recuſauit. Nempe, diſpertitis in quatuor agmina, copiis, *Auſtriam*, & *Morauiam*, cum Turcis, *Bethlenius*, inuaſerat, deprehenſoque ad *Gödingam*, Cæſareo, nouem circiter millium exercitu, multum in eo obſidendo, & temporis prodegit, & virium; dum monente *Stanislao Thurzone*, Hungariæ Palatino, bimeſtres inducias, paciſceretur. Ab ea expeditione, adparatu, quam ſucceſſu maiore, ſuſcepta, redux, *Tyrnauiam* iterum acceſſit, atque rebus illic conſtitutis, impoſitoque, trium mille *Hajdonum* præſidio, ad XVII. Calendas Ianuarii, haud ſine ciuium & ſacrorum ordinum iniuria, *Caſſouiam* receſſit.

reliqui Bethlenii *actus.*

§. XXXII.

NOuo hoc, & improuiſo bello, noua iterum pax, ſed priori illa, nihilo, ſiue firmior, ſiue ſincerior, procuſa eſt. Iam nuptias, cum CATHARINA Brandenburgica, conſummauerat *Bethlenius*, cum ſolito furore percitus, ad arma iterum prouolat. Multum vaſtitatis ea expeditione *(b.)* paſſim editum, ſed vix vspiam magis; quam ad *Tyrnauiam*; id quod eo maiore factum putabant iniquitate, quando non ab hoſte, ſed *Friedlando*, clades ea, & vrbi, & circumiectæ regioni, illata eſt. Mansfeldium is fuerat inſequutus, per *Sileſiam*, citatis itineribus, cum ſelecto exercitu, properantem ad Bethlenium. Simul in Hungariam copias infudit, ad *Tyrnauiam* poſt initia Septembris, caſtra metatus eſt: magno iam tum ciuium damno: quippe, quorum horrea diligentiſſime exinaniuit. Promoto hinc, lentis paſſibus, exercitu, nihil quidquam ſua dignum fama geſſit, quam quod *Neogradum*, obſidione liberarit, a *Bethlenio* autem deluſus, victoriam, vltro ſe ingerentem, dimiſerit e manibus, vti militi parceret. *Verum, neque per hanc euitationem & declinationem prælii*, verba ſunt P. SZENTIVÁNII *(c.) conſeruatus eſt miles. Nam donec in prouincias hæreditarias* Wallenſteinius *exercitum reduceret, peſte ac morbis, prope viginti quinque millia in eo periere, quot in conflictu numquam periiſſent, aut ſaltem cum hoſtium ruina.* Bethlenius, *rurſus cum Turcis & Mansfeldianis, ad Leuam caſtra figit*; Wallenſteinius *vero*, Tyrnauiam *verſus regreditur, vbi ad rigidam vsque hiemem hæſit, atque dena-*

Nouam iterum pacem, nouo bello, perturbat Bethlen:

nata inde Tyrnauienſibus calamitas.

a.) Légeſis, eius obſtinationis mentionem, in *Piſonii* hiſtoria, Periodo IV. §. XXXIV. p. 249.

b.) Exſtat eius hiſtoria, apud KIEVENHIL LERVM, Annalium Ferdinandeorum, Tomo X. pag. 1282. ſeq. Nos verò rem geſtam, compendio dedimus, ſupra ad PISONIVM, Periodo IV. §. XXXV. ſeq. p. 250.

c.) In Synopſi Chronologica, ad An. MDCXXVI.

deuaſtatis omnibus illis partibus, demum in Sileſiam & Morauiam in hyberna rediit: ſimiliter, & Bethlenius ac Turcæ, *in hyberna militem ſuum diſtribuunt.* Atque hac quidem, tumultuante Bethlenio, vrbi euenere. Eo mortuo, requieuit tantiſper Hungaria, dum collectæ iterum iterumque, intra fines Tranſiluaniæ, tempeſtates, patriam omnem peruaſerunt. Sed nos, annorum ſequuti ſeriem, quæ porro Tyrnauiæ, ſiue proſpera euenere, ſiue aduerſa, pro inſtituti ratione, expromamus.

§. XXXIII.

Peſtilentia depaſcit Tyrnauiam:

DIxiſſes, ita fuiſſe in fatis, ne poſſet requieſceret *Tyrnauia.* Marti nimirum, tot illatis vrbi cladibus, feſſo, & aliquamdiu requieto, infinitæ mortes ſucceſſere. Peſtilentia fuit, quæ annum MDCXXXII. & qui hunc ſequutus eſt, MDCXXXIII. vltra modum fœdauerat. Ergo, non ciuium modo numerus diminuebatur; ſed Muſis quoque neceſſitas impoſita fuit, claudendorum acroateriorum. Poſtea tempore fuit opus, dum & ciues conualeſcerent, & meliores litteræ. Vt lues conſopita eſt penitus, redire ad ſe *Tyrnauia* occepit, concurſare bonarum artium alumni. Ergo *Pázmánus*, quamdiu animo præceperat, conſtituendæ tandem Academiæ, deſtinationem exſequitur. Promſimus, rei geſtæ hiſtoriam, & diplomata, ſupra *(d.)* cum res ſocietatis, perpetua narratione exſequeremur. Increſcente mox auctibus mirificis, Academia, non potuit non vrbs, in dies magis magisque effloreſcere. Ea memoranda in primis acceſſio eſt, quam in annalibus Academiæ reperio. *Anno MDCXLIII. vniuerſitatis, IX. numerus ſcholarium, multum incrementi cepit, acceſſione Olumucenſium Academicorum, quos furor Suecicus, anno præterlapſo, e ſuo Athenæo & patria, exturbauit.* Triſtiora omnia, & vrbi, & Academiæ, anno ſequente, euenere. Gemino vrgebantur malo; belli metus alterum fuit, moti a *Georgio Rákoczio*; alterum peſtilentiæ. Vtrumque, anno MDCXLV. ad eum modum inualuit, vt contagio quidem peſtifera, iuuentutem Academicam, cum plurimis *Sociorum* Iesv, diſſiparit; bellum autem vrbem ipſam, penitus corripuerit. Id quemadmodum geſtum ſit, & quæ *Tyrnauiæ*, pacis cum Tranſiluano ineundæ, diſputatæ fuerint, iam ante conditiones, quia, ob rerum geſtarum ordinem, in *Piſonii* hiſtoria *(e.)* expromſimus, non eſt iam opus recognoſcere. Nempe, vrbem a Tranſiluanis & Suecis, quos *Duglaſſius* ductabat, interceptam, Cæſari iterum vindicauerat, *Adamus Forgách.* qua re quidem fecit, quod in Cæſarem fides poſcebat; ſed vrbi adeo non conſuluit, vt irritarit etiam hoſtes, ad impreſſionem aduerſus vrbem denuo ſuſcipiendam. Ergo, rapta iterum ſub poteſtatem, VII. Idus Iulii, coniectatu facile eſt, quibus malis, in ea rerum conuerſione, adflicta fuerit. Mitiora contra *Societati*, quam metuebant, euenere omnia, cum non deeſſent *(f.)* in hoſtibus, qui ei ex æquo patroci-

eius acceſſiones ex Academia incremento:

vrgetur iterum bello & peſtilentia:

Iſuitarum, bello Rákóczia-no, *fata.*

d.) Relege §. XXI.
e.) Periodo IV. §. XL. & ſeq. p. 256.
f.) Legeſis *Progreſſum Almæ Archiepiſcopalis* p. 133. ſeq.

trocinarentur. Audiamus ipſos eruditos Tyrnauienſes: *Illud*, inquiunt, *maxime mirandum Diuinæ prouidentiæ argumentum videbatur, quod, cum* Georgius Rákóczius, *Tranſiluaniæ Princeps, Ieſuitarum hoſtis eſſet infenſiſſimus, & iam tum de iis e regno exturbandis, omnem moueret lapidem, is tamen datis ad præfectos vrbis, Suecicum, Hungaricumque litteris, iis ſerio demandauerit, vt noſtros modis omnibus, non ſecus ac pupillam oculi, protegerent. Quod ii, etſi a Catholicis alieni, abunde præſtiterunt, dum quotidie, miſſis ad Collegium nunciis, ſciſcitabantur; num honori quidpiam, aut famæ, num domui, Eccleſiæ, aut fortunis noſtris, eſſet damni allatum? Sic innocentia etiam inter hoſtes triumphat!* Nimirum, gratiam retulere *Ieſuitis*, Sueci & Tranſiluani, ob acceptum nupera deditione, beneficium. Enim vero ſæuiturus præter leges belli, in dedititios fuerat *Adamus Forgách*, ob perditam *Caſſouiam*, qua ei decedendum erat, vindicta ardens, niſi *Ieſuitarum* precibus tempeſtiue fuiſſet mitigatus. Itaque, ſi alias vſquam, in bellis certe, ingens moderationis, & vſus eſt, & fructus. Ex his malis, pace inter Cæſarem & Tranſiluanum, compoſita, conualeſcere potuiſſet *Tyrnauia*, niſi, late diffuſum peſtilentiæ virus, id quod erat, ex tot cladibus, ſuper, perrexiſſet depopulari.

§. XXXIV.

VT peſtilentia deſæuiit, quieta apud *Tyrnauienſes*, fuere omnia. Nam & ciues, numero non minus, quam opibus, pro difficili temporum habitu, ſic ſatis pulchre, redintegrabantur; & res vniuerſitatis in annos ſingulos, Archiepiſcoporum cura & ſtudio, magis magisque efflorescebant. Annus in primis MDCXLVIII. Tyrnauiam illuſtrauit: quippe *Synodo Prouinciali*, quam celebrandam iſthic ſuſcepit *Georgius Lippai*, Strigonienſium Pontifex, & ipſe illuſtris. Dedimus rei geſtæ ſeriem in actibus *Lippaii* cum prærogatiuas *(g.)* Piſonienſium commemoraremus. Anni, qui ſequuti inde ſunt, nihil, ſeu triſtis habuere, ſeu extra modum læti. Ibant cuncta ex ciuium ſententia. In annum poſtea MDCLI. ſolemnis ille ritus incidit, quo nouem SS. Romanorum martyrum corpora, exquiſitiſſimis ceremoniis, in ſuo conditorio reponebantur. Octo horum, *P. Georgius Forro* iam pridem, a *P. Nicolao Lancicio*, præſide prouinciæ Lithuanicæ acceperat, puta: corpus *S. Aniceti* Martyris; *S. Iuliani* M; *S. Deſiderii* M; *S. Priſcillæ* Virginis M; *S. Semidæ* V. M; *S. Seuerinæ* V. M; *S. Serotinæ* V. M; *S. Sineſiæ* V. M; nouum vero Gregorius XV. Pontifex M. ex cæmeterio *S. Calixti* leuatum, per *P. Guilielmum Lamormainium*. Prolixum foret, & disiunctum ab inſtituti noſtri rationibus, celebritatem *(h.)* expromſiſſe omnem: nihil, ſeu pompæ, ſeu ritus

Qualis inde res vrbis fuerint.

illuſtratur Synodo *prouinciali.*

nouem martyrum ſolemnis translatio.

g.) Hiſtoriæ eius vrbis, Cap. v. Artic. vi. §. xxx. ſeq. p. 517.

h.) Fecere id, laudati toties Eruditi Tyrnauienſes, *in Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis*, ad hunc annum, p. 169. vſque ad p. 175.

tus ſacri, prætermiſſum eſt, quod, ad honeſtanda iſtiusmodi ſolemnia, conſueuit adhiberi. Decennium, ſine vlla, ſiue vrbis, ſiue Academiæ querela elapſum eſt, cum collecta diu, belli tempeſtas, in Hungariam incubuit. Annus ſcilicet MDCLXIII. inierat, lætus primum, trepidus poſtea, denique, omnium, quos poſt acceptam ad *Mohácſum* cladem vidit Hungaria, facile luctuoſiſſimus. Calamitatum prodromus, cædes fuit *Párkánenſis*, noſtrorum imprudentia conciliata. Sequebatur mox *Uyvarini* obſidio, & quadrageſimo poſt die, quam operibus claudi cœpit, deditio, toti circum regioni, quin orbi Chriſtiano, funeſta. Qui bellorum mala, pro eo, ac ſunt, metiri norunt, facile exiſtimabunt, quæ tunc fuerit *Tyrnauia*, loco inermi, trepidatio. Vix primæ illius cladis fama vrbem peruaſerat, cum pro ſe quisque timere, & qua elaberetur, circumſpectare. Academica primum iuuentus diſperſa eſt. Hanc *Socii Ieſu*, ne obruerentur a ſanguinolento hoſte, alii poſt alios, ſequebantur. Viennam hi, Græcium, Clagenfurtum, Iudenburgum, Leobium, & in mediam Bauariam, abiere: alii, per ſuperioris Hungariæ prouincias diſiecti, qua quisque poterat, ſalutem quæſiuere: paucis in vrbe relictis, qui & domicilio adtenderent, & conſulerent ciuibus. Iam late, Tartari, Valachis mixti & Moldauis, non circumfuſam modo regionem, ferro & igni euaſtabant; ſed Morauiæ quoque infuſi, ſtragem quaquauorſum edebant, longe omnium fœdiſſimam; cum *P. Ioannes Lingoius*, S. I. cum *Nicolao Horvàth*, Theologiæ Studioſo, & profano quodam homine alio, vrbe clam relicta, *Piſonium* euadere ſtatuit; ſed ſucceſſu minus, quam ſperauerat, felici. In hoſtes enim palabundos incidit ad *Babonum*, vbi profanus ille fugæ comes, capite diminutus a barbaro eſt; *Nicolao* pernicitas ſaluti fuit: *Lingoius*, hoſtibus in prædam ceſſit: malo quidem ſuo fato, ſed rerum Chriſtianarum ingenti commodo; id quod in *Piſonii* hiſtoria *(i.)* diximus. Hæc Ieſuitarum fuere fata. Datum præterea id fuit, *Sacrarum Virginum* ſecuritati, vt tempeſtiuius, *Hradiſchium* Morauiæ, intemeratæ deducerentur. Nobiles certe viri, qui ad primam infelicis pugnæ auditionem, in vrbem ſe iniecerant, vix a furente, obpericuli magnitudinem, plebe, poterant impetrare, vti ad tutiora dimitterentur. Dum ad eum modum, neque id ſine cauſſa, trepidatur in vrbe, Collegium Ieſuitarum, adeo fuit exinanitum, vt ſacerdos admodum vnicus ſacris curandis ſupereſſet; collegium vero ipſum, viro *Laico*, Matthiæ Hágon, qui ſe non vno documento Societati probauerat, obſeruandum permitteretur. Quæ tamen ſolitudo, octidui tantum fuit; ſubmiſſis *Piſonio*,

belli Turcici tempeſtas:

orta inde Tyrnauienſium perturbatio:

Ieſuitarum *fuga:*

Lingoii *fatum:*

i.) Periodo, ſeu Capite IV. §. XLVII. p. 269. Vbi aliam ex WAGNERO, captiuitatis occaſionem ſuiſſe diximus: *proces*, ſcilicet, *ſtatas*, quas ille extra vrbis mœnia, amore forte ſolitudinis recitarit. quæ iam adtulimus, ab Eruditis Tyrnauienſibus relata legimus. Vtrumque poſſis conciliare, ſi credas, precum, in ſolitudine dicendarum obtentu, vrbe egreſſum *Lingoium*, (increſcente enim periculo, non amplius patiebantur vrbe quemquam egredi, ciues) tum vero, adſcitis, quos meminimus, fugæ comitibus, euadere *Piſonium* ſtatuiſſe. Id quod lectoris cauſſa iuuit monuiſſe.

nio, Sociis pluribus, qui & rem diuinam facerent, & iuuentuti reſiduæ moderarentur. *Tyrnauia* ſaluti in primis fuit, Montecuculi prouidentia, qua factum eſt, vt in tanta militis paucitate, haud neglexerit, vrbem idoneo præſidio *(k.)* munire. *quid ſaluti fuerit Tyrnauiæ.*

§. XXXV.

DEfunctam ancipiti hoc periculo, *Tyrnauiam*, annus MDCLXIV. maiorem in modum recreauit. Nimirum, gemina victoria, quam hinc ad Léuam *Souſa*, illinc ad S. Gotthardum *Montecuculii* virtus, peperit, ſubitam Hungariæ, quin orbi Chriſtiano, pacem reddiderat. Ergo, hoſtibus conſopitis, & Muſæ iterum coire, & ciues, reſpirare cœperunt: nam, vrbis non minus, quam Societatis res, breui eo bello, extra modum acciſæ fuerunt. Vnius anni clades, vix poterat, decurſu plurium, reparari. Squalebat, ex belli reliquiis, vicinia, abſorbti igne vici, lentis profectibus, e cinere adſurgebant; vrbis adhæc, quin & *Ieſuitarum* prædia, euaſtata penitus, difficilem habebant inſtaurationem, cenſus autem reddebant nihil. Biennium in his anguſtiis detritum eſt: quas anni MDCLXVI. nec opinatum incendium, vltra, quam credi poſſit, adauxit. Obortum id fuit, die *S. Iohanni Baptiſtæ* ſacro, inualuitque, flante Borea, ad eum modum, vt trium ſpatio horarum, nec quidquam obluctante, reſtinguentum multitudine, florem vrbis propemodum omnem depaſceret. Periere flammis capita ſedecim; damni autem illatum, quantum vix animo conceperis. Haud ſine prodigio reſtinctum incendium fuiſſe, Tyrnauienſes eruditi memorant: *Ferebatur*, inquiunt, *futurum fuiſſe, vt longe grauiora paſſi eſſent ciues, niſi delatum per plateas, velatum ſub pane Numen, voracis elemeuti vim cohibuiſſet. Erat certe mulier, quæ patrem, Sanctiſſimi baiulum, domum vt ſuam, malo iam correptam, intraret, enixe orabat. Geſſit oranti morem pater, & ſimul pedem in ades intulit, ſimul furenti flammæ robur omne ademit. Alia ingruenti peſti, Diui Indiarum Apoſtoli Iconem obiecit, diſcrimenque omne diſpulit.* Hæc illi *(l.)*. Ceterum, habuit, quod, poſt funeſtum adeo incendium, operoſius farciret *Tyrnauia*, nondum ſibi ipſi reſtituta prorſus. Nihil poſtea, tribus integris luſtris euenit, maximopere memorandum. Fruebantur bonis ſuis, cum *Muſis*, ciues, ſi religionum diſcrimina excipias, quæ ipſi deſcripſere *(m.)* Tyrnauienſes. Excepit eas conuerſiones, peſtilentiſſima, anno MDCLXXIX. lues, quæ, & iuuentutem academicam, & *Societatem* IESV, ſedibus exegit; vt alii quidem in *Albano* receſſu, in *Thúróczienſi* cœnobio alii, cogerentur deliteſcere. Ciuium, ingens numerus, abſumtus eo contagio eſt. *Recreatur pace inopina:* *ſed conualeſcit tamen difficilius:* *adfligitur incendio:* *depaſcitur peſtilentia.*

k.) Meminit rem WAGNERVS, Hiſtoriæ LEOPOLDI Lib. II. p. 130.

l.) In Progreſſu *Alma Archiepiſcopalis*, &c. Parte II. p. 13.

m.) Ibidem, ad annum MDCLXXII. P. II. p. 24. ſequ.

§. XXXVI.

Calamitoſiſſimis Hungariæ temporibus,

CAlamitoſiſſima tempora nunc memoranda ſunt. quibus, profecta paruis initiis, nouarum rerum ſtudia, ad eum modum inualuerunt, vt non *Hungariam* modo omnem peſſundederint; ſed contemerauerint etiam totius *Chriſtianitatis* arcem, *Viennam*.

quid euenerit Tyrnauiæ;

Non eſt opus ſeditionis filum retexere: de *Tyrnauia* malis, quæ ei ſunt inflicta, dicere habemus; ſed compendio: quando vel ſolius *Societatis* IESV, calamitas, quas pertulit, fatigare poſſet ſcribentem. Magnis profectibus, per Hungariam ſuperiorem, *Tökölius* graſſabatur, occupataque, anno MDCLXXXII. *Caſſouia*, non ſequacium modo conſenſione, ſed Turcarum etiam patrocinio, rerum ſe dominum gerebat. Erant nimirum in belli ſocietate, cum Turcis, Hungari. quorum vtrisque, dum pro eo, ac periculi magnitudo poſcebat, Cæſar, ire obuiam, & propulſare hoſtem nequit; Turca quidem, ſiue ſuapte conſilio, ſiue inſtinctu *Tökölii*, Viennam obſidendam, rapiendamque ſub tyrannidem, conſtituit. Speculabatur, *Carolus Lotharingia Dux*, hoſtium deſtinationes, ac ne interim, dum eæ ſe proderent, per otium militem ſineret torpeſcere, *Vjuarinum* obſedit. Tunc vero Turcæ, quam animo conceperant, expeditionem ſuſcipiunt, Lotharingo, deſerendæ obſidionis neceſſitate impoſita. Is, ſimul cum exercitu digreſſus eſt, aduentare ex ſuperiore Hungaria *Tökölius*, & inferiorem

capitur a Tökölio:

hanc, infeſtare. Raptata ſub iugum, eodem impetu, *Tyrnauia*, *(n.)* dictu difficile eſt, quantum ærumnarum, & *Societati* perferendum fuerit, & vrbi. Illi, ante omnia, tempeſtas incubuit; crimini iſtud dabatur: quod prolicuerint ſeditionem, adfixerint, alienæ religionis ciues, *reliqua*. Proinde cederent Hungaria, aut vltima quæque, ſua culpa, experirentur. Edocti, longa experientia, *Socii*, difficile eſſe, aduerſo flumine enatare, cedendum furori ſtatuunt, dum mutata ſcena, res ſuæ, poſtliminio mutentur in melius. Itaque, relictis decem viris, qui ſacris operarentur, diſceſſere ceteri. Vix hi, ad tutiora conceſſerant, cum adſunt *Tökölii* arbitri, *Berthóthy*, *Salomon*, *Ketzer*. Hi ergo, facta ſociis optione, num ad triremes amandari, aut quinquaginta nummorum aureorum millia, loco lytri pendere malint? tam diu vexauerunt *Patres*, dum, triginta duum millium ſummam, paciſcerentur, ſex menſium interuallo diſſoluendam; *Patribus* interea, per arces circumſitas, in cuſtodiam diſtributis. Ac ne ea quidem gratia, facta *ſociis* fuiſſet; niſi *Adamus Czobor*, *Sigismundus Homonnay*, *Georgius Erdödy*, *Stephanus Nádasdy*, Comites, & Baro *Nicolaus Bertsény*, data fide, vades ſe futuros, ſpopondiſſent. Hæc, vt facta ſunt, ſparſi per arces vicinas, quantum abſorbſerint moleſtiarum, explicatu difficile eſt: nullo *Tökölianorum* fructu alio, quam quod inanem auri

mala Societati I. inflicta:

ſpem

a.) Communicauere nobiſcum, vrbici magiſtratus, calamitatum, quæ tunc ciuitatem peſſundedere, hiſtoriam, *Franciſci Kollari*, Vice-Notarii ſtudio, conſcriptam, expromendam alibi.

ſpem, auaro pectore conceperant. Sextus Auguſti, anni MDCLXXXIII. dies fuit, quum captiui *Ieſuitæ*, per vrbis forum, inter varios, ciente ſpectaculo, animorum motus, plauſtris, quorum ſingulis iuga boum aliquot ſucceſſerant, in arcem vicinam, *Szomolyánum*, deueherentur. Nondum vero, in arcem intromiſſi fuere capti patres, credo, vt ſenſus mali, eo fieret exquiſitior, cum tertio poſt die, *octauo* ſcilicet Auguſti, ſiue forte fortuna, ſiue maleficio militum, vrbs propemodum tota, conflagrauit. *vrbs ipſa conflagrat:* Tanta fuit, furentis flammæ, vehementia, vt præter eam vrbis oram, quæ orientem verſus, inter *Societatis*, & princeps vrbis templum, interſerta eſt, atque plateæ *Hieroſolymitanæ* nomine inſignitur, nil quidquam ſuperauerit. Incendio abſumtorum numerus, iniri non poterat. *Quatuor hominum (o.)* millia, (augent alii numerum) exſtincta ignibus, annuas Ieſuitarum litteras teſtari, eruditi Tyrnauienſes perhibent. *ingenti hominum clade:* Ingens profecto multitudo, & vltra vrbis modum, ſi tranquilla fniſſent omnia. Sed, cum in ea trepidatione, tamquam ad portum, nobiles iuxta & agreſtes, agminatim huc perfugiſſent, facile fuit, eum mortalium numerum, partem maximam, quod fit, ſub nudis tectis habitantium, flammis ex improuiſo coortis, abſumi. *Collegium templumque Academicum*, verba ſunt *(p.)* eruditorum Tyrnauienſium, *prodigio ſeruata fuiſſe, ipſi ſectarii cognouerunt. Cum enim vicinam omnem, ipſum etiam S. Adalberti ſeminarium flamma depaſceretur, nemo vllus erat, qui prope contiguum templum, malo eodem correptum eſſe, ambigeret. Nihil tamen omnino vitii tulit, viſaque, circa turres, fumo pariter vt domus Ieſuitarum in nubem denſato, circumdatas, flamma deſuper incubante, bina candidi coloris columba, gyros, volitando deſcribere, neque aliarum more, metu, caloriſque vi, alio dilabi. Quod, in omen, ſeruatarum diuina ope edium, qui non acciperet, erat nemo.* Dum hæc *Tyrnauia* fiunt, *Vienna* interim, Turcæ, *Piſonio* Tököliani, incumbunt. *Tökölianorum,* Cecidit hos ad internecionem *Carolus Lotharingus*, ediditque omen, eandem propediem fortunam, Turcarum futuram, qui Viennæ graues erant. His reiectis, & nouo, *& Turcarum cladem* ad *Párkánum*, prælio fuſis fugatisque, cum vniuerſa regione, quæ retro fuit, *Tyrnauia* quoque, in Cæſaris poteſtatem, vltro lubensque, quarto, quam intercepta fuit, poſt menſe, conceſſit. Saluti id fuit *Ieſuitis*, qui in arcium vicinarum, ſicuti diximus, cuſtodia, vades, auri, quod imperauerat *Tökölius*, ſoluendi, detinebantur. *vrbi, & Ieſuitis, ſaluti fuit.* Rediere enim, quos moleſtiæ haud necauerant, cœperequé lentis initiis, inter vrbis illos cineres, Muſas exſules, ad priſtinos ſeceſſus conuocare. Durante adhuc ſeditione *Tökoliana*, conuentum, pacis conficiendæ cauſſa, *Tyrnauiæ* habitum fuiſſe, WAGNERVS *(q.)* auctor eſt.

o.) Concordat relatio laudati *Kolleri*. In his, qui flammis interiere, *Stephanus* quoque *Rétsey*, vrbis *Capitanus*, cum vxore, numerabatur.

p.) Inibi, p. 45.

q.) Lib. VIII. p. 562. quem lege.

§. XXXVII.

Res Tyrnauienſium anguſta poſtea:

ANguſtæ, poſt hoc bellum, vrbi non minus, quam Societati, & domi, & foris, res fuere. Academiam profecto, quaſi nunc demum exordia ſumeret, pluribus annis, vix poterant redintegrare patres; vrbs autem, nondum inſtaurata penitus, conſce-

adſciſcuntur ab incendiario Nouákio:

leratiſſimi incendiarii facinore, peſſundabatur denuo. *Nowákio* nomen fuit, qui, ſuo merito, ſenatu vrbico dimotus, flammis, iniuriam, quæ nulla fuit, vlciſcendam exiſtimauit. Ergo, adſcitis, in maleficii ſocietatem, proiectiſſimæ audaciæ *(r.)* hominibus, deſtinata exſequitur. Die *Purificationis* B. V. Mariæ, feſto, anno MDCLXXXVIII. primum incendium erupit, & opinione celerius, domos abſumſit haud quidem paucas. Fortuitum putabant malum, ciues, cum, paucis poſt diebus, nouæ erumperent flammæ, correpturæ tecta latius, nī periculum nuperi incendii, alacriores ad reſtinguendum ciues feciſſet. Serpebat maleficium, & tertio quouis quartoue die, nouas ſufflabat flammas, quæ tamen a vigile ciue, aut in fomite ſupprimebantur, aut in primis exordiis. Itaque, nemo non ſuſpicari, ſcelus clandeſtinum, magiſtratus autem etiam olfacere. Perrexit interim, bipedum nequiſſimus, deſtinata exſequi, incendia incendiis cumulare, non ante conquieturus, quam vrbem omnem ex animi ſententia, flammis exhauſiſſet. Non potuit vero diu latere, profectus, ab orco, incendiarius, ſiue, quod diuina nemeſis, trahebat ad ſupplicium, tot damnorum patratorem; ſiue, quod multa, & ſagaci, in indagando maleficio, prouidentia vſi magiſtratus, detexerint tandem maturum ſupplicio nebulonem. De eo Tyrnauienſes: *Captus tandem indagine incendiarius ille, meritas cum ſceleris adminiſtris, anno ſequente, pœnas dedit. Omnes plauſtro adligati, lateris partem, & ternos quiuis digitos, candente abſtractos ferro, perdiderunt, flammis poſtremo viui iniecti. Auctor, grauius aliquid meritus, præter commune ceteris ſupplicium, per dimidium fere hora, lento igni aſſatus, concidit. Corpus quadrifariam lictor diſpeſcuit, & in totidem vitis adpendit: triſte viatoribus ſpectaculum, ſceleratis etiam exemplum.* Funeſtum annum, verſu chronico expreſſit non nemo:

eius, & ſociorum, atrox ſupplicium.

QVō CLanDeſtIno VVLCano NInIVe aD Inſtar
CInCta, NoVakIanas pLangIt TIrnaVIa teChnas.

Inter has rerum conuerſiones, clades, malaque propemodum innumera, ſeculum decimum ſeptimum, *Tyrnauia* abiit. Nobis certe admirationi fuit, cum hæc ſcribebamus, potuiſſe, captam toties ab hoſtibus, & nunc flammis, nunc peſtilentia depaſtam, refloruiſſe iterum.

§. XXXVIII.

r.) *Puerot* fuiſſe memorant alii, pollicitationibus furciferi, ad patrandum ſcelus inductos, & veſaniam mentientes.

§. XXXVIII.

VEllemus autem, cum ineunte ſeculo decimo octauo, melior ſimul fortuna iniiſſet *Tyrnauiæ*. At enim, vix biennium ſine querela, exactum eſt, cum noua iterum vrbi calamitas, clades nouæ, tumultu *Rákóczíano*, procuratæ ſunt. Infeſſa ab Hungaris fuit, anno MDCCIII. iam ſeneſcente. Quid tum malorum inflictum vrbi ſit, inde colligas, quod & intentatum incendium, redimendum a ciuibus, & laceræ cohortes *Rákóczíanæ* amiciendæ armandæque fuerunt. Ergo, e tabernis mercatoriis, panni, arma, paſſim a poſſeſſoribus, extorquebantur. Præſidium certe cuſtodiendæ vrbi, ob *Leopoldopolis* atque *Piſonii* viciniam, impoſitum fuit acre, & agendarum prædarum auidum. Accedebat anno MDCCIV. *Bertsénianorum* caſtrorum propinquitas, qua hi, qui *Tyrnauiæ* erant, ſubinde redditi ferociores, factaque non ſemel conſociatione, vlteriorem, trans albos montes, regionem, quin & inſignem *Morauiæ*, qua Hungariam contingit, oram, diligentiſſime euerruetunt. Id vero auctoramento fuit *Ricsánio*, vti coadunato exercitu, animum induceret, ad exinaniendam, & Morauica dein *(s.)* colonia inſtaurandam *Tyrnauiam*. quæ res, quam male ceſſerit, ſuo loco *(t.)* explicabimus. Neque excidium huiusmodi vni *Tyrnauiæ*; ſed toti, quæ inter Morauum & Vagum, amnes, interiacet, regioni, deſtinarant Morauiæ Ordines, ſi Cæſaris benignitas, frena laxauiſſet furori. Non modo non diſſimulauit, has conſiliorum rationes WAGNERVS; *(u.)* ſed retulit etiam in litteras, quemadmodum reiectæ fuerint ab Heiſtero. Audiamus hiſtoricum: *Morauia*, inquit, *prouincia Ordines, caſtigationis genus, haud paullo durius, in medium propoſuere. Regionem, qua Vagum inter Morauamque interiacet, ac Poſſonienſis Comitatus nomine fere venit*, (adde, Nitrienſis & Trentſchinenſis, partem citeriorem) *putabant noxiam in primis, montiumque, ac munitarum arcium fiducia, pertinacem pra ceteris, atque ob iterata periuria, graſſationes ſanguinarias, exquiſitam crudelitatem, nihil non ſupplicii commeritam. Igitur veniam impertiatur Cæſar, quod ſumnis alias in diſcriminibus, apud ſe oſitatum meminerant, puberes Morauos omnes, ad arma euocandi, exeundi de finibus, dictamque Hungaria partem, quam late patet, ſenibus, feminis, pueriſque exceptis, vno incendio vitos, homines internecione, delendi. Mitius* Heiſterus *cenſuit: præterquam enim, quod is ager*; Pálffyorum, Erdődyorum, Zoboriorum, Kollonitſchiorum, *fidiſſimorum nempe procerum ditio, quorum fidelitas omni præmiorum genere, quam fundorum excidio tam funeſto, dignior ſit; agreſtium hominum iras, ſæuiendi licentiam nactas, furori proximas; & ſi manus ſanguine cruentarint ſemel, nullo ætatis, vel ſexus diſcrimine, vt feras belluas, cædendi finem nullum facturos. Denique ſupplicii tam inuſitati, tam-*

Fortuna Tyrnauiæ, *poſt ſeculi decimi octaui initia:*

capitur a Rákóczianis;

communitur præſidio:

eius graſſationes:

Ritſchanianæ *expeditionis ſuæ:*

s.) Certe, exercitu eius profligato, mulieres feminas, ludæorum item agmen, in captiuis cenſum; dimiſſumque, fine lytro, relatum accepimus.

t.) In Hiſtoria *Comitatus Nitrienſis.*

u.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. XVIII. p. 764.

tamque a Chriſtiana moderationis legibus abhorrentis, aternam ad poſteros inuidiam, odiumque, cum exſecratione, permanſuram. Tanta tunc in *Heiſtero* moderatio fuit. Tametſi enim nihil non militaris ſeueritatis, in *Hungaros*, adhibuit alias, collegitque ſibi ea re apud gentem, indignationis atque odii, plurimum; tamen, crudele iſtud vindictæ genus, abominatus, maluit ancipiti bello rem gerere, quam incendiis, & populi cæde promiſcua. Cæſar profecto, cruenta hæc conſilia, ne memorari quidem ſibi paſſus eſt. Dum hæc geruntur, ſilendum, ſaltem muſſandum fuit Muſis. Quid? quod tenuiorum fortunarum adoleſcentia academica, certatim, hæc, illaue caſtra ſequebatur. Prorſus ex temporis ingenio, quo *Pallas* ipſa, armata tunc dici maluit, quam litterata. Neque tamen, quantum eius fieri potuit, muneris ſui deminerunt *Patres Societatis*; dum interea, annus integer, inter velitationes, & cædes mutuas, abiret, haud ſine atroci Hungarorum clade, finiendus.

qua tunc fuerit academia facies.

§. XXXIX.

Cladi Hungarorum ad Tyrnauiam occaſio:

MAndata a Cæſare acceperat, *Sigebertus Heiſterus*, dux belli longe ſtrenuiſſimus, vti adflictis *Leopoldopolis* rebus, quam poſſet, celerrime opitularetur. Ergo, rei gerendæ aduerſa opportunitate, quando *Rákóczium*, cum vniuerſo exercitu, *Tyrnauia* hærere, ſibique obuiam procedere velle, per ſpeculatores didiciſſet, conſtituit, hoſtibus, pugnæ facere poteſtatem. Dies erat, *S. Stephano*, protomartyri ſacer, vti bruma infeſtus, ita ad ſtruendam aciem omnino incommodus. Proceſſit tamen *Heiſterus*, atque in Tyrnauienſium fere conſpectu, ad *Roſſindel*, & *Fejér-Egyház* vicos, ſub ipſum meridiei tempus, tantiſper militem ſubſiſtere iuſſit, dum de hoſtium deſtinatione, fieret certior. Silua hinc erat, pulchra ſe planitie diffundens, inde late patentes campi protendebantur; ita tamen, vt non deeſſent conuexa locorum, quæ æquor illud interſtinguerent. Explorata ſituum natura, Heiſterus, ne ab incurſantibus Hungaris per vallicularum ambages circumueniretur, reclinauit paullulum cum exercitu, intra piſcinam & frumentariam molam, ſolido erectam opere. Hic demum aciem inſtruere placuit, latus alterum mola, piſcina alterum præcingente: a tergo amnis *Parna*, exiguo quidem, ſed lacuſtri alueo, diffundebatur: frontem, quæ in hoſtem proſpiciebat, militares aliquot machinæ, & inſtructa more caſtrenſi, breuium haſtarum ſepes, præmuniebat. Diſtributus in alas quantuluscunque miles, dici nequit, quanto ardore, claſſicum cani, duces rogarit. Certe enim, inſignem fuiſſe paucitatem, eamque, itineribus feſtinatis, hinc atque illinc, ægre corrogatam, conſtabat apud omnes. Itaque, ne quid formidinis proderet *Rákóczius*, educit & ipſe exercitum, cumque ad paſſus circiter mille, obuiam *Heiſtero*, proceſſiſſet, aciem, plus triginta mille capitibus cenſam, pro vrbis mœnibus, corniculantis lunæ ſpecie, inſtruit; cornu dextro in aqui-

Heiſteri, in vrbis Tyrnauienſis conſpectu, aduentus:

acies ordo:

Rákóczii occurſus:

aquilonem, in meridiem ſiniſtro, porrectis. Atque huic quidem *Stephanus Balogh*, moderabatur, *Franciſco Somogy*; *Georgio Rétey*, & *Andrea Wajda*, cum legionibus, quas ductabant, illic collocatis. Dextrum cornu, *Stephanus Ebeczky*, cum *Gabrielis Géczy*; *Iohannis Rétey*, *Ladislai Ocskay*, & *Michaelis Nyúzó*, turmis, obtinebat. Media acie *Bertsénius* conſtitit. Latus vtrumque; *Iohannes Nagy*, Iaurienſis; *Vak-Bottyán*; *Franciſcus Babocſai*; *Stephanus Buday*; *Franciſcus Berthóty*; *Michael Cſáky*; *Alexander Karoly*; *Simon Forgách*; *Antonius Eſzterházy*; *Adamus Balogh*; *Emericus Szent-Pétery*; *Demetrius Pico*; *Franciſcus Diáky*; *Nicolaus Semſey*; *Iohannes Czepleſzy*; *Martinus Kókay*; *Alexander Luzinſzky*; longis vtrinque ordinibus, cum ſelectiſſimis equitum turmis, ſtipabant. Interſerebantur his, qua id res poſcere videbatur, legiones peditum, phalangis referentes ſpeciem, ſi, qua erant ad pugnandum alacritate, eandem in prælio fortunam fuiſſent expertæ. Fuerunt vero: *Paulli Andrásſy*; *Iohannis Winckler*; *Thomæ Eſzéſze*; *Vrbani Czelter*; *Iohannis Csajági*; *Caſparis Thúróczy*; *Nicolai Perényi*; *Pongraczii*, & *Révay*, vtriusque *Caſparis* inſignes omnino legiones. Dum acies ſtruerentur, nebulæ primum, mox niuium procella, conſpectum adimebat. *Rákóczius*, ex acie, ne quid temere periculi adiret, exeſſe a primoribus iuſſus, prope ad vrbem, cum inſigni corporis cuſtodum turma, ſubſtitit, prælii euentum e colliculo quodam ſpeculaturus. Tunc *Hungari*, ne fruſtra in eam palæſtram deſcendiſſe viderentur, citato gradu, in hoſtem mouent, iamque in conſpectum Cæſarianorum proceſſerant, cum *Heiſterus*, nec exſpectato adgreſſu, tormenta currulia, quorum XIV. pro acie collocari iuſſerat, in hoſtem diſplodi iubet; ſed aut nulla, aut leui Hungarorum clade: quod peditatus, globorum ictus, facto repente in humum procubitu, euitabat. Tum vero poſitis penulis, quas frigoris arcendi cauſſa, ſumſerant ante pugnam, ruunt in hoſtem pedites, & cum in eo pugnandi feruore, nequeunt ſeruare ordines, in globos hic, in cuneos alibi coacti, infringunt primam Cæſarianorum aciem, tormenta, quæ pro cornu ſiniſtro diſpoſita fuerant, occupant, cædem quam latiſſime edunt. Difficile erat *Heiſtero*, in ea hoſtium, hinc atque illinc, ſine ordine incurſantium, multitudine, nouas cohortes, aut turmas obiicere. Proinde, dum adhuc erat integrum, pedem referre ſtatuit; iamque receptui propemodum canebat, cum hoſtium temeritas, ſalutarius conſilium ſuggereret. *Ebeczkius* nimirum, quem cornu dextro præfectum fuiſſe diximus, ignarus ænigmatis, *hoſti fugienti, pontes conſterni oportere aureos*, equitatum omnem, in Cæſarianos immittit, *Velſianam* & *Neüburgianam*, legiones perrumpit, & tamquam profligato penitus hoſte, victorem ſe intempeſtiuius gerit. Lentius cornu ſiniſtro inſtabant Hungari, non quod pugnandi eos ardor deficeret, ſed quod intereſſet inter vtrosque, locorum quædam difficultas. Ergo Heiſterus, accitis cataphractis *Cuſaniana* legionis turmis aliquot, aciem inſtaurare, ferri in hoſtes, & honeſtam mortem

inſtructa acies:

pugna initium, ab Hungaris factum:

cadunter dextro cornu Cæſariani:

ſed reparatis ordinibus:

turpi fugæ anteponere. Inopina hæc Germanorum obſtinatio, animos Hungaris, mox & pugnandi feruorem ademit. Turbauerant ſcilicet, nimia decertandi auiditate, ordines, quos, dum hoſte ex improuiſo ſe obuertente, reparare nituntur, & tempore excidunt, & reſiſtendi facultate. Quocirca, pedem primo referre, mox gradu citatiore retro ferri, atque inſtante Germanorum equitatu, in apertam fugam effundi. Hæc cum equitatu gerebantur, cum pedites, rem adhuc ſtrenue gerere pergunt: rati, haud defuturos equites, quin opem ferrent laborantibus. Sed res aliter cecidit, quam infelices illi opinabantur. Certe enim, non ante ab equite fugiendi finis factus eſt, quam hi quidem *Galgoczienſem*, *Schentenſem* illi pontem, vtrumque gemino milliari, a martio hoc campo, diſiunctum, tenerent. Quid ergo ageret, deſertus ad eum modum peditatus, quam, aut militari morte fungeretur, aut vitam mercaretur deditione. Atque factum omnino his rebus eſt, vt non cædes modo in reluctantibus fieret atrocior, ſed etiam concluſæ aliquot Hungarorum cohortes, victorum ſe arbitrio, permittere cogerentur. In his, *Galli*, & transfugæ *Germani*, fuere, ſed quos, non vita modo, verum priſtina etiam ſtatione, donandos putauit *Heiſterus*, vt hoc benignitatis exemplo, inuitaret, quod erat, inter Hungaros, huius farinæ, reliquum. Diu, ſuorum hæc pericula contemplatus, *Rákóczius*, cum neque precibus, neque nutu, fugam ſiſtere poſſet, *Galgóczium (v.)* ſero veſpere euaſit. Cæſorum vtrinque numerum, non eadem omnes ratione definiunt. Cruenta, Germanis non minus, quam Hungaris, pugna fuit. *Principium certaminis*, inquit WAGNERVS *(x.) haud parum periculi habuit, nec leui clade adfectus eſt peditatus, dum equitum alis firmaretur, ruptosque paullum ordines, recuperaret. Reſtituta fronte, nauiterque pugnam ciente, ſex hoſtium millia, tergum adoriuntur. Acies ſecunda, recipiendis in medium impedimentis, fronteque obuertenda, paullum turbauit. Grauius in prima acie laboratum eſt. Transfuga Germani, Galli, Haydones, ordinibus primoribus perruptis, ac Wobeſeriana cohorte magnam partem interfecta, iam ad impedimenta peruaſerant, vt adeo dextrum cornu, quantumuis illaſo, ac vincente læuo, prope victum perditumque haberetur. Adcurrit cum ſubſidiis, Heiſterus, & aciem primam inſtaurat; tum hærentes impedimentis, quique terga premebant, hoſtes, in fugam coniicit, magnaque victoria potitur. Haydones, ad mille quingentos caſi feruntur. Equitum nempe, numquam non ad fugam adcinctorum, cædes minima fuit.* ALLEVRIVS, *Gallicus emiſſarius, idemque aciei ſtructor, cruenta in arena ſolus obambulans, nec agnitus, captiuum ſe tradidit. Præter tormenta, ſignaque permulta, nihil ſpoliorum fuit, quod pugnaturi, impedimenta* Galgóczii *depoſuerant. Inde* Leopoldopolis *prope depoſita*, Trenchinium *item, nouis præſidiis inſtructa, velut in vitam reuocantur. Apud Cæſa-*

cadunt iterum Hungaros, & in fugam coniiciunt:

virtus peditatus Hungarici:

Wagneri, *de conflictu hoc, verba.*

v.) Relatum lego, ex itinere *Leopoldopolim*, quæ obſidebatur a ſuis, miſſis caduceatoribus, ad deditionem tentauiſſe *Rákóczium*, quaſi, qui *Heiſtero* profligato, victor iam *Galgóczium* redeat.

x.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. XVIII. p. 761.

Cæſareos, facile ſeptingenti faucii cæſique fuere, nec alias, vel cum pluribus, vel diſcrimine maiore pugnatum. Iuuit, hæc ſciti ſcriptoris verba, adſcripſiſſe, vt narrationi noſtræ fidem adprobaremus.

§. XL.

FVit omnino pugna, ancipitis periculi, & quæ Heiſterum propemodum abſtulit. In medio conflictus ardore, cum & ducis, & militis munia ſtrenue obit, in *Haydonum* globum incidit, tanta aduerſus Cæſarianos depugnantem fortitudine, vt tametſi confertim caderent, loco tamen, quem occupauerant, moueri haud potuerint. Ergo *Heiſterus*, ſuos in peruicacem hoſtem animare, & qua voce, qua nutu, quid eſſet facto opus, monere. Aduertit *Haydonum* quidam, non ea vulgaris ducis imperia eſſe. Proinde, e ſuorum ordinibus, furenti ſimilis, proſilit, factoque celerrime in *Heiſterum* adſultu, ſtricto enſe, iugulum ducis petit. Vitarat ille, opportuna capitis reclinatione, ictum; ſed inſtat Hungarus, & vibrato iterum gladio, iterare nititur audax facinus, cum *Marcus Czobor*, quem fremitus concurſantium, ex proximis ordinibus, huc exciuerat, molientem ictum *Haydonem* glande conficit, *Heiſterum*, vitæ periculo eximit. Quam ille demum *Comitis Czoborii* virtutem, Tyrnauiæ, apud Ieſuitas pranſus, non modo dilaudauit publice; ſed in patrem ſimul adoptauit, dux veteranus multarumque palmarum, nuperum hunc militem; quippe cuius ope, vitæ fuerit redditus. Ceterum, fructus victoriæ omnis, eo conſtabat, quod *Tyrnauia* ad officium, nec inuita, redierit; *Leopoldopolis* obſidione liberata; *Trenchinium* commeatu refertum fuerit. Ne fugitiuis inſiſteretur, ducis prouidentia cauit, haud ignorantis Hungarorum ingenium, ea facilitate redeuntium, qua erant in fugam coniecti. Accedebat incolarum pauor, an malitia, in montes & denſas ſiluas, cum omni commeatu, ſecedentium. qua vicorum ſolitudine fiebat, vt victori exercitui, cum inedia, hoſte atrociſſimo, certandum non raro fuerit. Itaque, habito ducum militari conſilio, equitatus, per circumſitos vicos, ingruente iam veſpera, in ſtatiua dimiſſus eſt; ipſe *Heiſterus*, cum peditatu omni, vrbem ſubiit. Inerat ei, ante pugnam, cum præſidio, *Adamus Dúló*, vir, & manu fortis, & conſilio promtus; ſed quem, ſiue *Rákóczii* imperium, ſiue pugnandi auiditas, in aciem prolicuerat; vnde, cum re male geſta, in vrbem refugiebat, inter *Tyrnauienſium* hortos, ab imminente Germano, plumbo traiectus eſt. Eo audito, præſidiarii, atque e mœnibus, fugientes paſſim cohortes contemplati, conuaſatis, quemadmodum in ea trepidatione poterant, reculis, relicta vrbe, qua quemque ferebat metus, profugere. Tunc vero vrbis magiſtratus, ne dilabentium *Hungarorum* iniuriis paterent, portas tempeſtiuo vſi conſilio, claudunt, ſeque, auctore potiſſimum *Michaele Sipekio*, viro conſulari, tamdiu tacite continent, dum *Heiſterus* aduentaret. Tandem, porrecto, de turri, ſigno deditionis, vrbem aperiunt, victori

Pugna eius atrocitas, Heiſtero propemodum exitialis:

Czoborii, *in eo ſeruando, virtus:*

Heiſteri *gratus in eum animus:*

victoria fractus quis?

vrbem ſubeunt victores:

vacuam relictam ab Hungaris

ucceſſus auguſtos comprecantur, ſeque totos Cæſari deuouent. Accepit eam Tyrnauienſium alacritatem, ſic ſatis blande, beneque ſperare iuſſos, officii admonuit: carere exercitum commeatu, darent igitur operam, vt, miles, ex pugnæ labore feſſus, & commodis hoſpitiis acciperetur, & curaretur ſollicite. Vt ſe infudit peditatus, non ciuium, non ſacerdotum ædibus, ſed ne cœnobiis quidem parſum; deſignabantur vbique hoſpitia, vixque erat ædicula, quin centenos cogeretur admittere. *Cœnobium Franciſcanorum*, atque ſacrarum Virginum *Odeum*, intemerata eſſe *Heiſterus* voluit. Refecto, ad eum modum, exercitu, & *Leopoldopoli*, obſidione liberata, pars militum in hiberna dimiſſa eſt: *Heiſterus* & *Herberſteinius*, *Tyrnauiam*, vbi hiemarent, elegere. Accidit vero, vt inedia primum laborare, dein morbi, neſcio qua contagione adflari, hibernans miles cœperit. Quod enim licentioſius ingluuiei vulgo indulgebatur, non potuit non, hoſte circumcurſante, annona in dies fieri in vrbe anguſtior; morbi autem inualeſcere, peſtilentiæ ſimiles. Inter hæc mala, hiems abiit, *Tyrnauia* autem ad eum modum *(y.)* adflicta eſt, vt ducentos, plus minus ciues, redactos ad puluiſculum, amiſerit. quorum poſtea domicilia ſqualuere incultu, dum ſeditionis, *Szatmarienſi* pacificatione, finis fieret.

hoſpitiorum moleſtia:

inedia & morbi exitiales:

damna Tyrnauienſium.

§. XLI.

Simul ver anni MDCCV. iniit, caput iterum erigere Hungari, diſcuſſoque cladis Tyrnauienſis terrore, vtrumque Auſtriæ limitem, & Morauiam, incurſare, quin Viennam ipſam, relucentibus e propinquo ignibus, territare incipiunt. Ergo, vt ab his impreſſionibus arcerentur Hungari, *Heiſtero* mandata perferuntur, reduceret intra infeſtos limites quantulumcunque exercitum. Tardius ille, ſed obſequutus tamen belli præſidibus, vix pedem *Tyrnauia* extulerat, cum aduolauere Hungarorum agmina, quæ vrbem interciperent denuo. Credidiſſes, habituros ciues excuſationem æquiſſimam, quod poſt infelicem Hungarorum fugam, admiſerint Cæſarianos. Sed ea fuit ducum, iuxta & militis durities, vt non ſecus aduertendum putarint, in Tyrnauienſes, quam ſi cladem ab Heiſtero inflictam, a ciuibus accepiſſent. Itaque, exinanitam vrbem, eo ſeuerius mulctant, quo difficilius erat, in ea pauperie, æs, pannos, & imperatum commeatum, dependere. Vacabat interim *Rákóczius* Szétſénienienſi conuentui, ordinibus non ſecus eo excitis, quam id in more poſitum eſt, cum publica aguntur comitia: *Tyrnauia* contra, armamentarium fuit, & perfugium Hungarorum, quoties, actis in Auſtria & Morauia prædis, onuſti redibant. Colligas hinc, quæ *Academia* facies, qui Muſarum eſſe potuerit

Redeunt iterum Hungari:

occupant, decedente Heiſtero, Tyrnauiam:

res Academiæ tunc qualis:

y.) Exiſtimari vrbis damna poterunt ex eo, quod frumenti quidem modii Hungarici, *triginta octo mille, ducenti decem*; vini vrnæ, *undecim mille ducenta ſexaginta quatuor*; carnis, centenarii *bis mille centum & octo*; pecoris corpora *quadringenta triginta ſex*; farinæ denique, modii *octo mille, nongenti viginti nouem*, conſumti ſint.

rit habitus, in ea tempeſtatis ſæuitie. Mitiora, annus MDCCVI. vrbi, quin orbi Hungarico vniuerſim, ſpondebat, niſi ſaluberrimas, & Iosephi, Imperatoris ac Regis, & Hungarorum aduertentium ſua mala, deſtinationes, vnius maleficium *Bertsénii*, interuertiſſet. *Schemnitzii*, anno ſuperiore, de pace, collatis ſententiis agi cœptum fuerat. Adhæſit diuiniſſimum opus, non tam *Rakóczii*, quam eorum culpa, qui homini moderabantur. Conſtat enim, aliena eum quadra vixiſſe, & nusquam valuiſſe minus, quam cum erat in meliorem partem, cum ratione, procliuis. Igitur, redintegrata pacis conſilia, Cæſaris non minus, quam Hungarorum voluntate, *Tyrnauiæ* diſputabantur. Pretium operæ fecerimus, ſi qua benignitate, quaque in Hungariam, propenſione, pacis eam tractationem, Iosephvs deſtinarit, adſcripto diplomate, teſtatum fecerimus. Ita vero habet: Nos Iosephvs, Dei *Gratia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germania, Hungaria, Bohemiæ, Dalmatia, Croatia, Slauoniæque Rex &c. Notum teſtatumque facimus: Quod cum Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principiſſa, Magnæ Britannia Reginæ, nec non Generalium Fœderati Belgii Ordinum, ablegati hic in aula noſtra præſentes, Ordinarii, & Extraordinarii, vigore & virtute commiſſa ſibi a Principalibus ſuis, & ab vtrinque recepta laudabilis mediationis, declarauerint, Confœderatos Hungaros ac Tranſiluanos, eorumque Duces, velle præſentes iam a tribus annis in Hungaria & Tranſiluania obortos vigentesque motus, ac tumultus, per ſalutarem belligerantes inter partes, pacis tractatum, ſedare ac componere, Mandatariosque ſuos ſufficienti facultate inſtructos, ad congreſſum eo fine inſtituendum, locumque, Mediatorum officio, ac partium conſenſu deſignandum exmittere; Nos propriis commodis & conuenientiis quibusuis poſthabitis, vlteriorem ſanguinis humani & innoxii, ſubditorum vel maxime noſtrorum, effuſionem ſiſtere cupientes, omne quicquid in nobis eſt, in gentem hanc & quietem paterno affectu commoti, ad comparandam, & reſtituendam prænominatis noſtris, Regno Hungaria, ac Principatui Tranſiluaniæ tranquillitatem, pro parte quoque noſtra lubentiſſime conferre decreuimus. Ac propterea conſiderata fide, ſingulari item & dextro rerum tractandarum vſu, atque experientia, Noſtrorum & Sacri Romani Imperii Fidelium dilectorum, Venerabilis nempe & Sereniſſimi Caroli, Principis Lotharingiæ & Barri, Oſnabrugenſis & Olomucenſis Epiſcopi &c. Conſobrini & Principis noſtri chariſſimi; Spectabilis item & Magnifici Ioannis Venceslai Comitis a Wratislau, Conſiliarii noſtri Intimi, Camerarii, & præfati Regni noſtri Bohemiæ Cancellarii; nec non: Fidelium ſimiliter noſtrorum, nobis ſincere dilecti Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Pauli Szétséni, Colocenſis & Báchienſis Eccleſiarum canonice vnitarum, Archiepiſcopi, Epiſcopatus Veſzprémienſis Adminiſtratoris, locorumque, & Comitatuum eorundem ſupremi ac perpetui Comitis, & Conſiliarii noſtri æque intimi, prout & Spectabilium ac Magnificorum Nicolai Illyésházi de eadem, hæreditarii in Trentſin, eiusdemque ac Lyptouienſis Comitatuum Supremi ac perpetui Comitis, Camerariique, & Conſiliarii noſtri; ac Franciſci Sigis-*

pacis, apud Tyrnauienſes, tractatio:

Iosephi *Cæſaris, in eam rem, diploma.*

gismundi Comitis a Lamberg, Conſilii noſtri Aula-Bellici Conſiliarii, & ſupremi Caſtrorum, Præſidiique vrbis noſtræ huiatis, Vigiliarum Præfecti: eos nominauimus & conſtituimus Commiſſarios, & Plenipotentiarios noſtros ad dictum congreſſum, & tractatus pacis habendos, ac Deo propitio concludendos atque adſoluendos. Quibus proinde committimus, & ſpecialiter mandamus, vt ſe in præfixo, a Mediatoribus termino, ad locum, de quo inter eos, & partes conuentum fuerit, ſine mora conferant, ibique pacis conciliandæ opus, ſiue inter ſe, ſiue interuentu receptorum hinc inde Mediatorum, noſtro nomine aggrediantur, cum ſupra fatis Confœderatorum Mandatariis, ſufficienti viciſſim mandato a Principalibus ſuis, ad terminandas has exitioſi vndiquaque belli calamitates, controuerſiasque & querelas eo ſpectantes, per bonam, & firmam pacem, ſubſecutura proxime Regni Diæta componendas, munitis; Damus quoque plenam & ſufficientem poteſtatem ſupra dictis Commiſſariis plenipotentiariis noſtris, ſiue coniunctim, ſiue in caſum, quo vnus, aut duo eorum abſentes, aut legitime impediti fuerint, reliquis præſentibus, ac non impeditis, hunc Pacificationis tractatum, pro Nobis, noſtroque nomine ineundi, concludendi & ſignandi inter Nos, & ſupra memoratos aduerſæ partis Mandatarios; omnia quoque inſtrumenta, quæ eum in finem requiri poſſent, conficiendi, expediendi, adeoque in vniuerſum agendi cuncta, qua ad toties repetita pacificationis negotium, eiusdemque executionem pertineant. Promittimus præterea & declaramus in fide & verbo noſtro Imperiali, atque Regio, acceptum & gratum, firmum quoque & ratum Nos habituros, quodcunque, per ſæpius attactos Commiſſarios noſtros plenipotentiarios, ſimul, vel vno aut duobus abſentibus, ſiue impeditis, per reliquos præſentes vnanimiter actum, concluſum, ſignatum, extraditum, & commutatum fuerit: in quorum fidem roburque, præſentes manu noſtra Cæſarea Regiaque, ſubſcriptas, ſigillo noſtro Cæſareo Regio communiri iuſſimus: Datum in Ciuitate noſtra Vienna Auſtria, die vigeſima ſexta Menſis Maii, Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo ſexto. Regnorum noſtrorum, Romani XVII. Hungariæ & reliquorum, XIX. Bohemiæ vero anno ſecundo. Iosephvs. Hæc regii diplomatis, quo plenam agendi poteſtatem, *Commiſſariis* ſuis, adtribuerat, verba, atque mens benigniſſima fuere.

§. XLII.

Coitur in vrbe:

IGitur, inducarum, de quibus mutuo conuenerat, legibus *(z.)* promulgatis, *Mediatores*, Angli & Batani, *Tyrnauiam*, vbi eos Hungarorum legati opperiebantur, accedunt: arbitri Cæſarei, Piſonii reſident, vt id, quod *Tyrnauia* ſubmiſſum fuerit, ſubductis rationibus, diſcuterent. Vt coiuere cum *Mediatoribus* Hungari, diſceptatum fuit diutius, quemadmodum exordia fieri deberent, negotii, vti ex ſe difficillimi, ita multis vtrinque impediti diſſenſionibus. Tum vero, quid Cæſarem vellent Hungari, Anglis & Batauis, expromunt.

z.) Legeſis eas, *Fama Europea* Parte XLIX. p. 53. ſeqq.

munt. Sententia poſtulationum, viginti & tribus capitibus, deſignata, huc redibat: *Pactis conuentis, præter Anglos Hollandosque, Suecia & Boruſſia reges, res item publica, Polona & Veneta, cauerent; Tranſiluania, Dominatione Auſtriaca exemta, ſuis iuribus, ſine querela, frueretur; ſanctionibus, vltima dieta Poſonienſis, & Sempronienſis, penitus antiquatis,* ANDREAE *Hieroſolymitani decretum, poſtliminio inſtauraretur; Milite peregrino dimiſſo, Hungarus, cum imperio, propugnaculis imponeretur; Redintegraretur Palatini, & Baronum regni ceterorum, auctoritas, ſenatu ſimul, qui eo præſide, rebus moderaretur ex Hungaris delecto; Supremi belli duces, Generales vocant, ex legum præſcripto, communibus, Palatini, & Ordinum ſuffragiis, conſtituerentur; Camera, ſubſtitueretur Theſaurarius; Sacra Regni Hungaria Corona, clenodia reliqua, libri regii, in arce Murány, in poſterum conderentur, e regno, ſine Palatini & Senatus conſenſione, educeretur numquam, crearentur cuſtodes, non priuato arbitratu, ſed publicis comitiorum ſuffragiis; Ius armorum, ſeu Neoacquiſticum, & auitica bona redimendi neceſſitas, penitus abrogaretur; Cancellariæ Hungaricæ auctoritas, ſanciretur, Cancellarii, ex Laicis & Clero, alternis conſtituerentur, exterarum gentium, ſeu dicaſteria, ſeu homines, rebus Hungaricis, haud ingererentur; Publica regni munera, necquidquam obſtante, diuerſitate religionis, ſi ciuilia ſint; ſed neque Eccleſiaſtica bona, item in regno cuiquam, niſi gente Hungaro, conferrentur; Libertas, religionibus publica lege receptis, intemerata adſereretur; Ieſuita, regno exeſſe iuberentur; Iudicia publica ex aquo celebrarentur, fiſcus item regius, legibus patriis ſubiiceretur; Reſtituerentur poſſeſſoribus ablata violenter bona, littera & priuilegia; Donationes & inſcriptiones, præter & contra leges patria facta, abrogarentur; Moneta cuprea, cuius ſignandæ neceſſitatem extrema regni pauperies, confœderatis impoſuerit, ſenſim & in annos ſingulos, a Montanis Cameris redimeretur; Pacis tractatio cum Turcis in poſterum ſine Hungaris neutiquam ſuſciperetur; Arma, pro patria corripuiſſe, ſeu viuo, ſeu mortuo, neutiquam opprobrio, quin potius in laudibus duceretur; Lata in Rákóczium, & huius collegam, Bertsénium ſententia capitalis, non modo aboleretur, ſed digna etiam ſuis laboribus, pro patria ſuſceptis, præmia conſtituerentur; Nobilium, Iazygum, Cumanorum priuilegiatorum, item & Haydonicalium oppidorum, prærogatiua, conſuleretur, Diata vero ſingulo triennio, ita iubente lege, celebrarentur; Adfirmaretur priſca gentis, & diplomatibus perſcripta libertas, ceſſaretque tributorum pendendorum, niſi publicis comitiis acceptaretur, neceſſitas; Denique tractatus hi, rati gratique haberentur, confirmarentur a ſideiuſſoribus, Guarantas vocant, noui, in Diata regni Barones crearentur, & qua fuerint querelæ reliquæ, ex legum præſcripto, abolerentur.* Iſta Hungari poſtulauere. Reſponderunt arbitri, ſiue *Commiſſarii* Cæſarei, Piſonii iam tum agentes, ea æquitate, quæ ſpem faciebat pacis propemodum indubiam; ſi potior *Bertsénio* ſalus patriæ fuiſſet, quam, ſiue ſua ipſius compendia, quorum erat ſtudioſiſſimus, ſiue Gallicæ factionis ratio, numquam non Hungaris noxia. Nimirum, adſenſere, ſi

Hungarorum poſtulationes:

(1.) (2.) (3.) (4.) (5.) (6.) (7.) (8.) (9.) (10.) (11.) (12.) (13.) (14.) (15.) (16.) (17.) (18.) (19.) (20.) (21.) (22.)

Cæſaris, per arbitros, reſponſa:

ſi pauca quædam excipias, capitibus plerisque omnibus; ſed iſta lege, vt, cum ea ad regem, & coactos ad comitia, Status atque Ordines adtineat; poſtulationes hæ, cum omnes, tum ſingulæ, in comitiis excuterentur. Duriot hic nodus *Rákóczio*, & qui cum eo faciebant, viſus eſt. Proinde, cum neque Cæſarei arbitri, regis maieſtatem contemeratam vellent; neque de ſuo quidquam remittere Hungari, ad arma redibatur vtrinque; maxime, quod prorogandarum induciarum, quod volebant *Rákócziani*, conſilium, repudiarit Imperator. Vt enim reſponſum *(a.)* ad rogationes Hungarorum fuit; precibus hi, cum mediatoribus agebant, vti perdurarent tantisper induciæ; dum de pace prorſus conuenerit; ſed nil quidquam profici potuit; eo quod metuebat Cæſar Tranſiluaniæ, iam tum extra modum periclitanti. Ergo, quæ ineunte Iunio tractari cœperat pax, eius demum ſpes, die vigeſimo primo Iulii, anni, quem diximus, MDCCVI. penitus euanuit.

reiecta ab Hungaris:

irrita fiunt pacis conſilia.

§. XLIII.

HAec tunc, ſed irrito euentu, *Tyrnauia* geſta ſunt. Quod inde *Rákócziani* tumultus ſupererat, intolerabile Tyrnauiæ omnium confeſſione futurum putabatur; niſi decretoria ad *Trentſchinium* pugna illa, quæ in annum MDCCVIII. diem tertium Auguſti incidit, vrbem, tot peſſundatam malis, releuaſſet. Quæ interea, cum *Academiam*, tum *Societatem* IESV, fata manſerint, explicatu difficile eſt; dum ipſi, quas tolerauerint iniurias, retulerint in *(b.)* commentaria. Vrbs certe, quo longius profligabantur *Rákócziani*, eo lætius conualeſcebat: niſi perlatæ, toto ſexennio, calamitates, ſicuti fit in humanis corporibus, conceptum, intimis medullis, virus, poſteaque efferueſcens malignius, vrbem iterum iterumque adflixiſſent. Serpebat, lentis progreſſibus, per Hungariam, bello & fame, propemodum enectam, peſtilens contagio; dum *Laurino*, mox & *Piſonio*, correptis, vrbem quoque noſtram, adflaret, ac fere exinaniret. Dum malum reſedit, redditi ſibi ipſis Tyrnauienſes, recuperarunt, non vrbis modo decus priſtinum, ſed numerum etiam ciuium. Fauebant nimirum, rebus vrbanis anni complures, quando, & vino affluebant, & proficiebant frumento. Verum, hanc quoque felicitatem, incendia ſubito coorta, interpolauerunt. Tria, alterutrius anni ſpatio, incidiſſe comperimus, coniuncta ſemper cum ciuium detrimentis. Id mirere, vrbem, poſitus fere ſiticuloſi, vnius *Trnauæ* amniculi eluuione, adfligi potuiſſe. Annus erat MDCXVIII. longa & niuoſa hieme, difficilis. Ergo, vt feneſcente Martio, partim effuſis imbribus, partim ad verni

Tandem, Cæſari vindicatur Tyrnauia:

peſtilentia corripitur:

fudatur incendiis:

eluuionis inſolens exemplum.

a.) Legitur id paſſim ſub titulo: *Ad puncta Pacis, a Malecontentis, abalienatisque, Hungaricis, laudabili Mediationi, Sereniſſimæ nimirum Magnæ Britanniæ Reginæ, Dominorumque Generalium Foederati Belgii Ordinum Ablegatis, & per hos, Commiſſioni Cæſareo-Regiæ, die XV. Iunii 1706. Poſonii exhibita, reſpondet eadem Commiſſio Cæſareo-Regia, quod ſequitur*; Vide Famæ Europ. Part. LIII. p. 240.

b.) Speramus id fore, in continuatione: *Progreſſus Almæ Archiepiſcopalis Societatis Ieſu Tyrnauienſis, &c.*

verni ſolis tepores, diffugere niues cœperunt, die XXIV. Martii, ad eum modum increuit fluuiolus, vt piſcinam, in quam reſtagnat extra vrbem, ſupergreſſus, aggeres prærumperet, atque portæ ſuperiori, tanta aquarum mole incumberet, vt ſublatis valuis, rapidiſſimus in vrbem inferretur. Non ſatis patebant emiſſaria, vlterioribus vrbis mœnibus ſubſtructa, diffugienti aquæ; quocirca, repreſſo torrente, totam, qua eſt humilior, vrbem, opinione celerius, inundat, offundit cellas vinarias, & plateas, profundis ſimiles amnibus, efficit. Augebat calamitatem, inopia lintrium, quam vt leuarent, offuſi in ædibus ciues, trabes contabulabant, ſuccurrebantque ſibi mutuo. Perdurabat eodem incremento diluuium inſolens, die integro, dum ſubruto orientali vrbis muro, magna vi diffluueret. Damni plurimum, in vino & frumento, per cellas factum, hominum, præter adoleſcentem, qui ſublapſa trabe, per quam traiicere volebat torrentem, abſorptus eſt, deſideratus nemo. In primis, ædes *S. Ioſephi*, quod loco ſedet depreſſiore, inundata fuit. Sex pedum altitudine, aquæ intumuerant, inſigni cum aræ vnius alteriusue, tum ſubſelliorum damno. Maduit poſtea vrbs diutius, & profundo limo, qui diffugientibus aquis hæſerat, perluta, fatigauit operas, dum repurgaretur penitus. Adeo, nihil dixeris calamitatum, quod non pertulerit *Tyrnauia*; quarum ſingulas proſequi velle, vti prolixum, ita alienum foret ab inſtituti rationibus. Lætiora ſuperſunt, ad quæ expromenda, gradus porro faciendus eſt.

CAPVT II.

De *Hodierno Vrbis Tyrnauienſis Habitu, Prærogatiuis, & Opportunitatibus.*

SYNOPSIS.

Dicendi ordo: Situs Tyrnauiæ *elegans & hilaris: mœnium ambitus: porta.* §. I.

Vrbs, Romæ *compendium: templum* S. Nicolai, *præcipuum: eius origines incertæ: molis habitus, templi interiora: cultus diuini ratio: vicina* S. Michaelis *ades.* §. II.

Templum S. Iohannis Baptiſtæ: *inſtauratur ab imis fundamentis: dedicationis hiſtoria:* Nicolai Eſzterházii, *& Chriſtinæ* Nyári, *conditorum liberalitas, quale ſibi deſtinarit præmium: eorum funera: reliquus templi habitus.* §. III.

Aedes S. Iacobo *ſacra*, *Franciſcanorum: Templum* SS. Triadis, *Trinitariorum:* S. Ioſephi, *Paullinorum: Sororum* S. Vrſulæ: D. Claræ. §. IV.

In Cœnobiis eminet Collegium Soc. Ieſu : *eius fata: acceſſiones : adificii ratio.* §. V.

Inſtituta varia, ſeu ſeminaria : S. Stephani : S. Adalberti : *conuictus nobilium alter eſſe deſiit : Collegium generale Cleri Hung.* B. V. Mariæ : *Domus deficientium.* §. VI.

Aedes Sacerdotum : Pratorium Archiepiſcopale, Forgáchii *opus : ornatur a* Lippaio : *inſtauratur a* Chriſtiano Auguſto : *Parochia ciuica : Canonicorum domicilia : horum maxime memorandum : adificia academica : Typographia : Bibliotheca.* §. VII.

Habitus vrbis reliquus : forum maius : forum academicum : forum frumentarium : vici vrbis : in his pracipuus, quem magnum vocant : Iacobaus : vicus Sarkantyús Útza : Seminariorum : Canonicorum : Hieroſolymitanus, & Hierichuntis : ſubmœnialis geminus : flumentaneus : piſtorum : poſt macella : elegans vrbs Tyrnauia. §. VIII.

Ciuium diuerſitas : Hungari *olim, valentiores reliquis :* Germani : Slaui : *Iudæi, in incolis olim tolerati : exſultant hodie, magna Tyrnauienſium felicitate : Zingari, abeſſe ab vrbe coguntur.* §. IX.

Ciuium varia vita genera, mercatores : ius ſtapulæ, inter mercatorum commoda : publici Tyrnauienſium mercatus. §. X.

Opifices, & horum ſolertia : agricolationis ſtudium, Tyrnauienſibus familiare : laus panis huiatis : cultus vineaticus. §. XI.

Mores & inſtituta Tyrnauienſium : Academicorum indoles : ciuium comitas : victus ratio : cura educandorum liberorum. §. XII.

Valuit ingeniis Tyrnauia : Iohannis Sambuci *mentio : ad vrbis laudem adtinens.* §. XIII.

Magiſtratus Tyrnauienſes : Iudex : Conſul : Capitaneus : ſexaginta viri : munia reliqua : eorum ſeueritas ; inſignia vrbis. §. XIV.

Vrbis decora : Academia habitus : Rector Magnificus : Cancellarius : Præſes, ſeu Pro-Rector : Decani quatuor : Medicorum defectus : vnicus tantum perpetuus Syndicus : Profeſſores Theologia quatuor : Profeſſores iuris tres : item Philoſophiæ : Decani Linguarum, vnus Profeſſor, & quinque Magiſtri : ſtudii Philoſophia tres claſſes : laurea prima & ſecunda : Theologia ſtudium : Iuris cura remiſſior : Depoſitionis ritus : academicorum exercitationes : Patroni claſſium : totius Academiæ : Societatum, quarum tres ſunt, ſolemnia : quomodo puniantur ſontes : ſolertium remuneratio. §. XV.

Præ-

Prærogatiuarum vrbis, recentiſſima, Tribunal Regni *minus: eius conſtitutio: Præſes, conſeſſores reliqui: aduocatus pauperum.* §. XVI.

Agri Tyrnauienſis opportunitas: amnes, quibus irrigatur: vici qui ſunt in vrbis ditione. §. XVII.

§. I.

QVæ hucusque diximus, ad origines & fata vrbis vniuerſim adtinuerunt. Nunc, res ipſa poſcit, vt reliqua eius decora, preſſius tamen, & adſtrictius, explicemus. Situm nacta eſt *Tyrnauia*, cum inſigni commoditate, vltra quam dici poteſt, amœnum. Campeſtris, ſed erecti poſitus regio eſt, Piſonio, in orientem fere brumalem obiacens, atque Nittienſi prouinciæ limitanea. Hanc, vrbs inſedit, non tam vaſta, quam elegans, ad coronæ muralis ſpeciem; tametſi enim quadranguli forma eſt, tamen turritis mœnibus circumdata, reuera, coronæ inſtar incurrit in oculos, per diffuſam eam planitiem proficiſcentibus. Augent obtutus iucunditatem, turres, quæ paſſim per vrbem, eleganter faſtigatæ, pone ſacras ædes conſurgunt. Murus, quo ambitur, ſingularis eſt, & cocto inſtructus laterculo, craſſitie haud alia, quam, quæ inermes adſultus poſſit tolerare. Certe, ferendis tormentorum ictibus, haud credimus idoneum. Hinc inde tamen, propugnaculis præmunitur, ita poſitis, vt ſingula mœnium latera, præter quatuor angularia munimenta, ſex turribus committantur; ſed quæ ob aeris iniurias, quibus non vno loco patent, in ruinam pronæ ſunt. Neque enim, niſi pauciores, tectis operiuntur. Turrium, domicilio ſuo proximam, *Cardinalis de Saxonia*, vt prætorio Archiepiſcopali, proſpectum conciliaret extra vrbis mœnia, liberiorem patentioremque, æſtiuo receſſu inſtrui, & imbrice contegi voluit. Habet vrbs aditus quatuor: duos portis decumanis ſimiles; quarum vnam *Superiorem*; *Inferiorem* vocant alteram: illa occaſum, hæc orientem proſpicit. Duo reliqui anguſtiores ſunt, & is quidem, qui proxime a *Franciſcanis* abeſt, meridiei; contra, qui pone Archiepiſcopale prætorium patet, aquiloni obuertitur. Multa, de eo aperiundo, Archiepiſcopo, cum vrbicis magiſtratibus, controuerſia interceſſit olim, publico regni *(a.)* comitio, in hunc modum definita. *Ad inſtantiam Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini* Georgii Lippay, *Archiepiſcopi Strigonienſis, ac Venerabilis Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis, concluſum eſt; vt porta minor ciuitatis Tyrnauienſis, penes curiam Archiepiſcopalem, ibidem habitam, ſita, ante quoque, temporibus maxime pacis, cum maximo incolarum eiusdem ciuitatis commodo, in vſu habita, per*

Dicendi ordo:

Situs Tyrnauiæ *elegans & hilaris:*

mœnium ambitus:

porta.

a.) Anni MDCLV. Articulo XLVII.

eandem ciuitatem aperiatur, eius directione & poteſtate, penes ipſam ciuitatem permanente. Quod, ſi facere differret, aut omitteret, vigore præſentis ſtatuti, per Illuſtriſſimum Dominum Palatinum, effectiue cogatur. Belli metu, ſiue *Bethleniani* illius, ſiue *Rákóczíani*, quod ſit, obturatam fuiſſe credimus.

§. II.

Vrbs, Romæ compendium:

VRbiculam dixeris, ſi ambitum ſpectes, quo continentur; vrbem, quæ *Romam* in compendio exhibeat, ſi templa, & ſacra inſtituta, quibus referta eſt, exiſtimes. Vulgus certe, quod parua conferre magnis, haud nouit, eam ob rem, *Paruam Romam* adpellat. Et ad ædes quidem ſacras, quod adtinet, nouem earum noſtra ætate, exſtant, ſuntque aliæ aliis, prout ſeu fundatores nactæ ſunt, ſeu patronos, ſumtuoſiores, elegantioresque.

templum S. Nicolai, *præcipuum*:

Harum præcipua eſt, quam *S. Nicolao* dedicauerunt priſci illi homines. Poſita eſt loco erecto, ideoque, ob platearum, Hieroſolymitanæ, & quæ a Canonicis nomen accepit, concurſum, eximie hilari & conſpicuo.

eius originis incerta:

Primos conditores, longa ætas obliterauit. Credunt antiquitatum gnari, eadem, cum vrbe, ſacræ ædi, fuiſſe incunabula, ſtructores eosdem. quod, ſicuti refellere nequimus, in tantis, eorum temporum tenebris; ita non poſſumus, niſi diplomata nos docuerint aliquando, certiora adferere. Illud conſtat, cum ruinam minaretur opus vetuſtum, *Petri Pázmány* impenſa, centum &

molis habitus:

quadraginta mille florenis æſtimata, anno MDCXXIX. renouatum, & vltra priſtinum decus, omni adparatu atque elegantia, percultum fuiſſe. Vaſtæ ſubſtructionis ædificium eſt, ſacrario in orientem porrecto, fronte autem in occidentem obuerſa. Duæ huic turres inſtructæ ſunt, celſæ eæ, & inſigni faſtigio conſpicuæ. Quia enim bracteis intectæ ſunt nitidis, ſplendeſcunt aprico ſole, ingeruntque ſe e longinquo adſpicientibus, fere cum oculorum fatigatione. Hic æra campana maximæ molis ſuſpenſa ſunt. Templo ipſi, poſt collocatum iſthic V. Capitulum, *Cathedralis* nomen inditum; cum olim *Parochiale* diceretur; eo quod vrbica ſacra, veterrimo inſtituto, iſthic fiebant. Iam, & *Metropolitanam* Eccleſiam vocitari, accepimus. Certe enim Strigonienſis Pontifex, iſthic, & myſteria facit, ſi adeſt, & ſynodos celebrat, ſi vſus ita ferat.

templi interiora:

Dignum omnino, tanta celebritate, delubrum: quippe quod, intus & extus, nil niſi, quod magnificum, quodque auguſtum eſt, oſtentat. Anteit omnibus reliquis, vaſtitate non minus, quam cultu. Princeps ara, quæ ſacrario inſtructa eſt, inſigni ornatuum adparatu ſuperbit, eſtque maxime eam ob rem memorabilis, quod, qui eam ſumtu ſuo excitauit, Canonicus *Robikius*, prædeſtinata certo hora, heic ſe in tumbam emortualem compoſuerit, ſuoque fato placide functus ſit. Proxime hinc abeſt, *Stallum*, quod vocant, *Canonicorum*. Tapetes inibi duo, muro inducti viſuntur, vti operis, ita

ita & laxitatis eximiæ. quos ideo memoramus, quia anathema eſſe perhibent MATTHIAE Coruini. Siniſtram ſanctuarii partem, ſacrarium contingit, vbi, & ſumunt, & ponunt veſtes *Canonici*. In longum inde, nauis templi ſe porrigit, adſtructis vtroque latere, celſis teſtudinibus. In his, aræ poſitæ ſunt, minores eæ quidem, ſed ornatus exquiſitiſſimi, quem ſubinde *Canonici* cumulauerunt. Maxime celebratur, cui ab Rectore, *Andreæ Kürtöſi*, epiſcopo quondam Tragurienſi, *Kürtöſiana* nomen eſt, ob icona B. V. MARIAE, quam, anno MDCVIII. lacrumas vbertim profudiſſe memorant. Vltra, porta maior eſt, ad quam, verſus ædem parochialem, ſenaculum V. Capituli viſitur, ità factum, vt cum inferne, ad concilium coeatur, ſuperne tabularium ſit, nullo non litterarum genere refertum. Prolixum foret, ſingula templi ornamenta proſequi. In monumentis ſummorum virorum, quæ hic non pauca inſunt, præcipuum locum obtinent: *Nicolai Oláhi; Antonii Verâncii*, *Iohannis Kutaſſii*; *Franciſci Forgáchii*, Archiepiſcoporum Strigonienſium: quemadmodum id ſupra *(b.)* meminimus. Ad cultum diuinum, quod adtinet, ſit is, *Hungarico* partim, partim *Germanico* ſermone, coeuntque hic, ſodales, quibus a *B. M. Virginis Aſſumtione*, denominatio eſt. Eiusdem ambitu cœmeterii, ædem *S. Michaelis* nomini dedicatam, *Georgius Szeleptsény*, ædificio non tam laxo, quam commodo, eduxit, vt haberent ciues *Slaui*, vbi ſacris operarentur.

cultus diuini ratio:

vicina S. Michaelis ædes.

§. III.

SEcundas, poſt *D. Nicolai* ædem, *S. Iohannis Baptiſtæ* templum, obtinet. Inſedit aquilonari vrbis angulo, in aditu plateæ cognominis. Non eſt opus, fata, quæ ſubiit, iterum recognoſcere: diximus de iis, quod erat ſatis, ſuperiore *(c.)* capite. Poſteaquam id, per manus *Franciſci Forgách*, Ieſuitæ accepere, elegantiorem omnino induit habitum, ſed lentis adeo ſucceſſibus, vt plura luſtra abirent, dum noua mole, a fundamentis conſurgeret. *Nicolai Eſzterházii*, Regni Hungariæ Palatini, & Coniugis ſuæ, *Chriſtinæ Nyári*, ea fuit liberalitas, vt, fruſtra toties ſarcitum opus, ex integro conderent. Manus ei ſuprema, anno MDCXXXVII. impoſita fuit. Dedicationis demum ſolemnia, III. Calend. Septembris, *(d.)* *Georgius Lippay*, Regni Hungariæ Cancellarius, idemque præſul Agrienſis, peregit. Aderant nimirum fundatores, & in eorum comitatu, inſignis procerum corona, quæ ritus ſacros honeſtaret. Pro concione, *Georgius Forro* dixit, primus in æde noua, eccleſiaſtes Hungaricus: myſteria fecit, *Emericus Loſſi*, Archiepiſcopus Strigonienſis, tanta audientium, & ſpectantium adtentione, vt nemo non eſſet, cui non manarint lacrymæ. *Nicolaus* & *Chriſtina*, inuſitatæ liberalitatis, nullum aliud præmium ſibi ipſis ſtatuerunt, quam

Templum S. Iohannis Baptiſtæ:

Inſtauratur ab imis fundamentis:

dedicationis hiſtoria

Nicolai Eſzterházy & Chriſtinæ *conditorum liberalitas, quale ſibi deſtinarit præmium.*

b.) In Hiſtoria Vrbis Piſonienſis, Cap. V. Art. VI. §. IX. p. §. 493. XIV. 484.
c.) Nimirum §. XVII. ſeqq. & §. XIX.
d.) Adi Progreſſum Almæ Archiepiſcopalis, &c. p. 117. ſeqq.

quam vt vita functorum exuuiæ, emortuali crypta, ſanctuario ſubſtructa, ſolemni Chriſtianorum ritu, conderentur. Et ita omnino euenit. Præterquam enim, quod eodem illo inaugurationis die, plura gentis ſuæ funera, quæ alibi requieuerant hucuſque, pompa vix vnquam viſa, in ædem ſacram illata; poſtera vero luce, in conditorio illo, repoſita ſunt; anno quidem MDCXLI. *Chriſtina*, & toto poſt luſtro, anno ſcilicet MDCXLV. ipſe *Nicolaus*, iſthic ſunt conditi. Seruauerunt nobis funeris memoriam, eruditi *(e.)* Tyrnauienſes: *reliquit Societati* Iesv, inquiunt, *quam tenerrime amabat, pretium corporis, quod, poſteaquam pompa inſolenti, Tyrnauiam aduectum eſt, prius in ſumtuoſo ac grandioris molis pegmate, quale antehac non vidit Hungaria, collocatum eſt; dein, peractis ſolemniis Miſſæ*, (quod munus ſuum eſſe voluit, Iohannes Telegdinus, Archiepiſcopus Coloczenſis octuagenario maior, & iam ſecundum ſacerdos, conuictus nobilium, & fundator, & auctor) *depromtis etiam e ſuggeſtu, tanti viri laudibus; demum in auguſto hoc, quod ipſe a fundamentis erexerat, templo, magno doloris ſenſu, tumulatus eſt.* Succeſſere poſtea, funerum pompæ aliæ, quibus gens Eſzterháziana funeſtabatur. In his ſilere haud decet, *Ladislai*, *Thomæ*, & *Caſparis Eſzterháziorum*, nomina. qui nobili, ad *Vezekény*, pugna, ſanguinem vitamque, pro patria, non dubitarunt profundere. Ceteroquin, vaſta licet ædes ſit, *S. Iohannis Baptiſtæ*, molem tamen D. Nicolai, haud æquat. Paternam æmulaturus liberalitatem, *Paullus*, *S. R. I. Princeps Eſzterházy*, Regni Hungariæ Palatinus, picturis, totum intus fornicem, ad eum modum illuſtrauit, vt ad elegantiam nihil eſſe poſſit inſignius. Reliquum ſubſtructionis habitum, ipſi Tyrnauienſes *(f.)* deſcripſere: *Non multa*, inquiunt, *inuenies huic ſimilia, nouæ architectonices opera; nullum, quod ſciam in Hungaria; pauca in finitimis prouinciis: vt merito ſibi in eo, ſuaque familiæ, Illuſtriſſimus fundator delegerit tumulum. Latitudo in primis, ſine columnarum adminiculo, miranda eſt, vt pote longa pedum geometricorum quadraginta duum.* Dicitur templum *Societatis* Iesv, quod iis, Cæſaris & Pontificis indulgentia, adtributum eſt; *Academicum*, ob ſolemnia, quibus frequentatur ab Academicis. Gemina huic quoque turris præſtructa eſt, graciliore fere mole, quam qua ſunt Nicolaeæ, celſitudine facile eadem. Proinde, conciliant vrbis obtutui, decoris permultum.

eorum funera:

reliquus templi habitus.

§. IV.

Aedes S. Iacobo ſacra, Franciſcanorum:

EST, & D. Iacobo, dedicata ædes, occidentali vrbis latere, plateæ cognomini, inædificata. Tenet id, cum adſtructo cœnobio, familia *PP. S. Franciſci.* Si molem ſpectes, multo, quam quas vidimus exilior eſt; ſed habet tamen elegantiæ ſatis. Vtroque

e.) Loco citato, pag. 256. & p. 237. ſeqq. vbi *Chriſtina* funus, deſcriptum legas.

f.) Celebrium Hungariæ vrbium, Parte II. p. 34.

que templi pariete, dextro ſiniſtroque, aræ ſunt poſitæ, eximii cultus. Turrim, haud indecore adſurgentem, bractea nitida, *Michael Sipeky*, vir ordinis ſenatorii, intexit, vt monumentum ſtatueret, ſuæ in *Patres*, obſeruantiæ. Eodem iſto vico, templum quoque *S. Triadis* viſitur. Qui detracto, vetere ædificio, nouum, anno MDCCXXIX. conſummauerunt. Eſt & *PP. Paullinis*, ſuum, cum cœnobio, ſacrarium, flumentaneo vico inſidens. Olim *Caluinianorum* ſacellum iſthic ſtetit, quod demum *S. Ioſephi* nomine inſtauratum, *PP.* quos diximus, *Paullini*, Cæſaris benignitate, obtinuerunt. Pone, intermiſſo anguſtiori vico, Sorores *D. Vrſulæ*, aliquot retro annis, Tyrnauiam deductæ, Odeum, inſigni opere ſurrigunt. Eadem vrbis regione, ſed retruſa in angulum, *D. Claræ* cœnobium, & coædificatum *B. Virginis in cælos Aſſumptæ*, templum viſitur. Condidit & hoc *Petrus Pázmány*, fabrica pulchra, atque digna omnino virginum cultu. quam poſtea, *Georgius Szétsény*, reddidit auguſtiorem. Porro, *ad ſanctiora vrbis huius ædificia, & templum D. Helenæ, Ptochodochio implexum, & aliud extra vrbem, eiusdem generis, ſpectat. Quaterna item ſeminariorum ſacella: Mariani alterum; alterum Stephanei; tertium S. Iohannis Apoſtoli Conuictus Nobilium, ac Collegii Rubrorum. Denique Coloſſi gemini. Sanctiſſimæ nempe Trinitatis, Ciuico in foro; in Academico, Virginis ſine labe concepta.*

Templum SS. Triadis, Trinitariorum:

S. Ioſephi Paullinorum:

Sororum S. Vrſulæ:

D. Claræ.

§. V.

AEdibus ſacris, Cœnobia, ex more, conſtructa ſunt, opportunitate, quæ poteſt eſſe maxima. In his *Collegium PP. Societatis* IESV eminet,

In cœnobiis eminet Collegium Soc. Ieſu:

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Septentrionem verſus Academicum Societatis IESV, *Collegium ſtat*, verbis vtimur LADISLAI THÚRÓCZII *(g.) amplum, ac inprimis cultum. Et vero meruit hanc tandem ſplendoris coronam, incredibilis domus iſtius, ac neſcia vinci, patientia: ab anno quippe primo & ſexageſimo, ſupra quingenteſimum milleſimum, quo Tyrnauiam ingreſſa eſt Societas, plus quam integro ſeculo luctari non deſiit; & malis omnibus, dato veluti ſigno, in eam irruentibus, circumagi. Primus, a rerum egeſtate impetus; mox ab igne, & incendiis; ſed grauiſſimus ſæpe repetitus, a bellis ciuilibus; hæreticorum odiis; & quod acerbius eſt, nonnullorum etiam orthodoxorum, quibus neſcio ex ſuſpicionibus laborantium, ſiniſtris ſtudiis, & male feriatis affectibus; demigrauit Tyrnauia; peregrinata eſt Thúróczii; deinde Sellya; tulit exſilia; impleuit carceres; fortunam ac vita iacturam fecit & exitium. Sed his omnibus, quæ Dei in ſuos cura eſt, ſuperior, ex aduerſis proſperitatem; e rerum penuria facultates; amorem ex odiis; de tot rerum conuerſionibus, ſtabilitatem aliquando demum retulit, & perennitatem. Fundatorem veneratur Collegii,* RVDOLPHVM II. *Cæſarem, & Regem Hungariæ,*

eius fata:

accèſſiones i

g.) Hungariæ in Compendio datæ, p. 197.

garia, ab anno Milleſimo, quingenteſimo octuageſimo quinto. Vniuerſitatem artium bonarum, refert in acceptis purpurato Principi Pázmáno, *ab anno Milleſimo, ſexcenteſimo trigeſimo quinto. quam deinde* Georgius Lippaius, *ſtudio & doctoribus iuris auxit;* Ferdinandus Pálffius, *magnifico ſcholarum aedificio ornauit.* Hæc ille de ortu, fatis & acceſſionibus collegii, compendio expreſſit. Quod ad ædificii molem adtinet: tergo id Baſilicæ incumbit, a meridie in ſeptentrionem porrectum, trecentos minimum pedes longum: e cuius tertia porticu, duabus ianuis chorus templi aperitur, qui totum etiam, ſupra ſacella templi circuitum peragrat, & viginti ſex feneſtris, in id commode proſpectat: quemadmodum habent verba Tyrnauienſium.

aedificii ratio.

§. VI.

Inſtituta varia, ſeu ſeminaria:

MAgnifica hæc ſunt omnia; neque deteriora his, quæ iam commemorabimus: *inſtituta* nimirum varia, quibus ex rei ſimilitudine, *ſeminariorum*, ac, quod eodem, & tecto, & menſa accipiantur, qui inſunt, *Conuictus* nomen, non ab re, inditum eſt. Quinque iſtiusmodi numeraueris domicilia, vti ætate, & conditoribus, diuerſa, ita rationibus etiam inſtituti diſcreta. Vetuſtiſſimum eſt, quod a S. Stephano, Rege Hungariæ, fundator *Nicolaus Oláhus*, denominauit. Stetit primitus, eo loco, vbi iam eſt *domus deficientium*, aluitque, dum perdurabat, *Clericos* decem. Sed, quæ erat temporum difficultas, efflorescere haud potuit; quinimmo, interuerſum fuit penitus; vt haberet, quod inſtauraret *Petrus Pázmány*. Ergo, redditum ſibi ipſi *Seminarium*, tulit plurium luſtrorum ætatem, eo commodius, quod deprecante apud Ferdinandvm II. Pázmáno, reditibus *Præpoſitura Felhévizienſis*, in Budenſi ſuburbio, locupletatum fuit; dum igne fortuito exureretur penitus. Proinde, redintegrandum, educendumque laxius, *Georgius Szétsény*, ſuſcepit:

S. Stephani:

S. qVas Stephano posVIt PázMánIVs aDes,
PraesVL SzéCsenI reſtaVrat ab Igne VetVſtas.

Ergo, tres in eo rite conſtituendo, Archiepiſcopi elaborauerunt: quos æmulatus Comes *Stephanus Kohári*, Iudex Curiæ Regiæ, ex ſuo, annuis reditibus, haud parum addidit. Splendidum eſt ædificium, & ad omnem commoditatem inſtructum, eo loco, quo vicus *S. Iohannis*, ab altero, ad *D. Nicolai* ædem ducente, transuerſim ſcinditur. Suppar huic ætate, S. Adalberti ſeminarium eſt, tenuibus profectum initiis, quæ ei *Pázmánus*, anno MDCXIX. dederat. Deſtinabatur primitus tenuioris fortunæ adoleſcentibus, iamque, ſumtu Antiſtitis, quinque, ſupra vicenos, nobili loco nati plerique, alebantur, cum mota a Bethlenio ſeditio, deſtinationem præſulis, interturbabat. Nam ſexaginta volebat, in eius beneficii ſocietatem adſciſcere. Meruit ideo *Conuictus Nobilium* dici. *Georgius* poſtea *Lippai*, præter elegantiorum litte-

S. Adalberti:

litterarum ſtudioſos, muſicos quoque Olomucenſes, ex patria academia, quod iam monuimus, huc elapſos, eodem hoc contubernio repoſuit, forte, ne hæc quoque ars liberalis, *Tyrnauiæ* deſideraretur. Atque exſtat omnino, *Lippaii*, in Seminarium iſtud, inſignis liberalitas: quippe qui, de laxiore alumnorum hoſpitio ſollicitus, domum veterem, cum commodiore alia permutauit. Acceſſit *Franciſci Iani*, antiſtitis Sirmienſis, *Stephani* item *Kohárii*, quem nunc laudauimus, munificentia; qua factum eſt omnino, vt & Clerici eodem conuictu accipi potuerint. Sed *Conuictus* alter *nobilium*, qui fundatore *Pázmáno*, atque auctore in maius, *Iohanne Telegdio*, nobiliſſimum Hungaricæ adoleſcentiæ florem aluit, neſcio, quibus de cauſſis, eſſe deſiit; reuocandus in vitam, ſi *Pázmánii*, ſi *Lippaii*, ſi *Telegdii*, *Kohárijque*, hoc eſt, viri ad omnem facti liberalitatem, in vitam redierint. Melius, *Collegio Generali Cleri Hungariæ*, ſuccedit, quod anno MDCXLVIII. communi antiſtitum, qui ad Synodum aduenerant, conſenſione, fundatum a *Lippaio*, accepimus. *Vnanimiter*, inquiunt *(h.)* iterum Tyrnauienſes, *omnium conſenſu concluſum eſt, vt Collegium Generale, per Archiepiſcopum Strigonienſem, Tyrnauiæ, ſub titulo, Patronæ Hungariæ erigeretur, & omnimodæ gubernationi ac adminiſtrationi Societatis traderetur, inque eo alumni, pro vniuerſo regno, & pro omnibus diœceſibus, alerentur, & educarentur. Pro cuius Collegii fundatione impetrata eſt, a Cæſare* FERDINANDO III. *Præpoſitura Veteris Budæ*, SS. Petri & Paulli, *adplicatæ dein illi, fundationes aliæ minores, vti & triginta illa quinque millia, quæ* Emericus Loſſi, *Archiepiſcopus Strigonienſis, in vſum eiusmodi reliquerat*. cetera. Conſtitutum eſt ad normam *Germanico-Hungarici Collegii*, quod Romæ tunc floruit, atque, ſicuti reliqua omnia, Societatis fidei induſtriæque, commiſſum. Auctum poſtea, non vna fuit acceſſione, producto in orientem ædificio, ſolido neque ineleganti. Aetatem, auctoremque ἐπιγραφὴ loquitur:

Conuictus nobilium alter, eſſe deſiit:

Collegium Generale Cleri Hung.

GEORGIVS LIPPAI.
ARCHIEPISCOPVS STRIGONIENSIS
LEGATVS NATVS
VNIVERSO CLERO REGNI APOSTOLICI.

Inſtitutorum nouiſſimum eſt, quod *Georgius Szeleptsény*, B. V. MARIAE dedicauit, Præpoſitura *S. Stephani de Bozok*, mox locupletandum. Alit, *Clericos* non minus, quam nobilem adoleſcentiam. Annum, quo conualuit ſeminarium, portæ apſis, memoriale hoc chronologon, indicat:

B. V. Mariæ:

HONORI GLORIOSISSIMAE VIRGINIS
ORBIS COELIQVAE REGINAE,
POSVIT PIVS PRINCEPS
GEORGIVS SZELEPCSÉNI
ARCHIEPISCOPVS STRIGONIENSIS.

Vltio-

h.) In *Progreſſu Almæ Vniuerſitatis Archiepiſcopalis*, p. 166. ſeqq. vbi & inaugurationis ſolemnia, ad annum MDCXLIX. poſſis legere.

domus deficientium. Vltima, quam hoc loco memorare habemus, *Domus* eſt *Deficientium (i)*, nomine *S. Emerici* inſignita. Aedes ſunt, iis accipiendis ſuſtentandisque, dedicatæ, qui poſt diutinos labores, Eccleſiæ impenſos, rude quaſi donantur, vt confectas animi corporisque vires, reficerent, &, quam a publici muneris procuratione, vacationem ſunt nacti, ſine querela, ſuæ ipſorum ſaluti, conſecrarent.

§. VII.

Aedes Sacerdotum: IAm Sacerdotum ædes ſuccedant, & quæ ſunt obnoxiæ Academiæ iuribus. In his, principem ſibi locum vendicat, Prætorium Archiepiſcopale, vltra ædem *D. Nicolai*, inſigni mole ſubſtructum.

Prætorium Archiepiſcopale, Forgáchii opus: *Franciſci Forgáchii*, Cardinalis & Pontificis Strigonienſis, opus eſſe, conſtat apud omnes. Primus enim fuiſſe perhibetur in Archiepiſcopis, qui amore *Ieſuitarum* ductus, lubens frequensque *Tyrnauiæ* diuerſaretur. Ergo, ne precariis hoſpitiis neceſſum haberet accipi, cogitationem ſuſcepit, prætorii, ſuo ſumtu, excitandi: quod ſequuturi poſtea præſules, ſi vſus ferret, cum commoditate incolerent. Locum certe delegit, qui ad eam rem, tota vrbe, maxime ſibi viſus eſt idoneus: ſcilicet, vti ex ſe erectus, & hilaris, ita ſepoſitus a celebritate hominum. quod quantum habeat opportunitatis, præſertim apud ſacros viros, ad requietam habitationem, non eſt opus admonere. Vix poſtea præſul fuit, qui non aliquid, aut ædificii, aut ornamenti, prætorio adderet. *Lippaius* in primis, multæ & venerabilis elegantiæ vir. Ei, cum alia, tum id in acceptis ferendum, quod oggeſta diu portula, quæ hac in ſuburbanum ducit, publica lege, adaperiretur, ab vrbicis magiſtratibus. In primis vero *Chriſtianus Auguſtus*, *Cardinalis de Saxonia*, inſtaurandi prætorii, curam ſibi ſumſerat. Erant non pauca, quæ ætàs, quæque iniuriæ temporum, ædificio detraxerant. Hæc ille non tantum ſarſit egregie, ſed eum quoque decorem, palatiis & conclauibus, induxit, qui præſule, qui principe viro, quique *Cardinale* dignus exiſtimaretur. Non ergo præter rem, in laudibus *Auguſti* relatum id legas, ab auctore Purpuræ Pannonicæ *(k.)*: *Domos*, inquit, *quas Curias dicunt Archiepiſcopales*, *Piſonii*, Tyrnauiæ, *Rákoſii*, *inſtruis*, *non ad luxum*, *ad magnificentiam tamen*, *atque honeſtatem eam*, *quæ non dedeceat deinceps*, *Archipræſules Strigonienſes*, *& ex hoc tempore etiam S. R. I. Principes.* Interius hæc fiebant, extus muro, curiæ frontem præcinxit, vt quietius habitaretur prætorium: quin & turrim, mœnibus, vetuſto inſtructam opere, ad eum modum inſtaurauit, vt ex poſtica ædium parte adiri poſſit, animi laxandi cauſſa. Aeſtiuis feceſſibus locus maxime idoneus, vbi, & auras captare poſſis gelidiores, & late in regionem proſpectare. Huius, in prætorium Archiepi-

ornatur a Lippaio:

inſtauratur a Chriſtiano Auguſto:

i.) Vulgo *Seminarium Deficientium*, vocant, vix ſatis congrue; cum, quod deficit, ſeminium haud propagat. Hic, annis ſuperioribus, FRANCISCVS FORIS OTROKOCSI, celebris, inter irenicos, ſcriptor, diem obiit.

k.) In epiſtola nuncupatoria, ad eundem *Chriſtianum Auguſtum.*

epiſcopale, liberalitatis monimentum, gentilitio *Auguſti* inſigni, portæ cortis inædificato, poſitum videas. Altero cœmeterii Nicolaitani latere, *Parochia* adſedit *Ciuica*. Domicilium eſt, impenſa magiſtratuum, excitatum, quod ſacrorum myſtes, *Plebanum* vocamus, incolit. Inde, *Canonicorum* ſunt ædes, aliæ inſtructiores aliis, maxime autem memorabiles, quas *Franciſcus Ladislaus L. B. Mednyánsky*, *Præpoſitus Maior*, & *Epiſcopus Catarenſis*, habitabat, ob ſacræ Regni Hungariæ, Coronæ hoſpitium, quo iſthic, tumultuante Bethlenio, accepta eſt. Rei memoriam, Corona, ſcite viuis coloribus depicta, & in conclaui quodam ſuſpenſa, hodieque tuetur, adſcripto verſu:

Parochia ciuica:

Canonicorum domicilia: horum maxime memorandum:

His ego ſub tectis quondam peregrina quieui.

Aedificia reliqua, quæ hic fas eſt recenſere, fere ſunt: Academicum illud, *Ferdinandi Pálfy*, inſigne opus, & omni inſtructum commoditate, quæ accipiendis diſcentium ordinibus, eſſe poteſt neceſſaria. Duo item theatra, ſuperius aliud, idemque laxitatis eximiæ, aliud inferius, multoque priori illo anguſtius. Hic ſcholæ inferiores; ſuperiores illic, ludos ſcenicos, & ſi quid eſt litterati ſpectaculi, edere conſueuerunt. Adſita huic eſt officina libraria, ſeu typographia, *prima Hungaricarum omnium hac ætate, & princeps. Tenuibus ex initiis ducta, in eam demum euaſit, liberalitate potiſſimum* Cardinalis Leopoldi Kolloniczii, *vt in comparationem venire poſſit, cum florentiſſimis quibusque;* verba ſunt Tvrócu. Adde *Bibliothecam* iam tum a *Pázmáno* excitatis ædibus, poni cœptam, curis autem ac liberalitate, præſulum, qui eum in ſacro munere excepere, inſigniter auctam.

ædificia academica:

Typographia:

Bibliotheca.

§. VIII.

HVcuſque ſacras ædes, cœnobia, ſeminaria, atque domicilia ſacerdotum, deſignauimus: vrbis iam habitum, fora, vicos, & priuatorum ædes, viſamus, neceſſe eſt. Atque fora quidem publica, tria exiſtunt. Horum maximum, mediam vrbem occupat, forma propemodum quadranguli, ſed cuius ſeptentrionale latus inæqualiter exit. Poſitu eſt decliui, amœno tamen, cum ob ædes, pulchro hinc atque illinc ordine, ſeſe excipientes, tum ob tabernas mercatorias, quæ vti numquam non frequentantur, ita conciliant foro inſignem celebritatem. Ornant aream, præter *Coloſſum SS. Triadis*, quem meminimus, turris ciuica, prætorium vrbanum, atque primorum quorundam, *Eſzterházíorum*, *Pyberiorum* item, factæ ad elegantiam domus. Turrim, excubatores, cornicinesque inſident: illis vigiliæ, his diurnæ excubiæ mandatæ ſunt, quarum ſigna, per horarum interualla edunt, tuba, neſcio quod breue melos, occinentes. Hinc, vno alteroue ædium interordinio, forum academicum diſcriminatur in aquilonem. Sic dixerunt, quod, ædibus academicis obiacet. Pulchre id diffunditur, & tametſi adluitur *Tyrnauia* amniculo, tamen

Habitus vrbis reliquus:

forum maius:

forum academicum:

ſolida eſt humo, & idonea litterariis deambulatiunculis. Hae nimirum vrbis regione, immiſſus *Tyrnauiæ* alueus, fertur in forum maius, atque hine per vicum flumentaneum, dum clathrato emiſſario, ſubter mœnia elapſus, alueo exteriori vltra vrbis pomœria demananti coadunatus, apertis agris vehi incipit. Ad decus areæ pertinet, cum *B. Virginis* MARIAE columna; tum ædis S. Iohannis Baptiſtæ, Athenæi, & reliquarum obtutus. Vltimum *forum frumentarium* eſt, templo *S. Iacobi* adſitum. Hic venum it omne frumenti genus, ea plerumque copia, vt triduanos mercatus fatigare poſſe crederes; quod tamen, haud raro, vnius alteriusue horæ interuallo, non ſecus diripiunt emtores, quaſi *Porſennæ bona* eſſent. Multum exornant aream, *S. Iacobi* templum, & quæ hic in primis excellunt, *Orbaniana*, *Palugyaiana*, *Schloſsbergiana* domus. Hæc porro arearum diuortia, vici committunt varie procurrentes. Duodecim horum ſunt, ita ſibi inuicem connexi, vt ad regulam deſignatos fuiſſe primitus, exiſtimarim. Quemadmodum autem differunt ſitu, ſic & interuallis atque laxitate diſcrepant. Princeps eſt omnium, quem *magnum* vocant: quippe qui, a porta ſuperiore, recta ad inferiorem procurrit, committitque adeo forum, pone quod deſcendit, cum vtroque vrbis aditu. Compluribus nobilium, ciuiumque ædificiis ſuperbit, eſtque, ob commeantium vltro citroque multitudinem, reliquorum frequentiſſimus. Vtroque latere vicos emittit plures, quorum is, qui margine fori maioris aduerſo, in frumentarium illud deducit, facile præcipuus eſt, ob exitus in vtramque partem deſinentes. Reliqui, angiportus dicendi ſunt potius, quam plateæ. Parallelo vico maiori tractu, *Iacobæus*, in occidentem retruſus, porrigitur, pari longitudine, ſed intercapedine arctiori. Atque hæ quidem vlteriores erant plateæ; citeriores videamus. Quæ ex foro maiore, recta, ad D. Nicolai ædem deducit, *Sarkantyús-Útza* dicitur. Longi eſt procurſus, dum ad ædem pertingat. Qua foro obuertit frontem, domus viſitur, *Tribunalis Regni* ſede nobilitata. Vt pone monaſterium *Sororum D. Vrſulæ* proceſſit, platea ſecatur *Seminariorum*. Init ea, ad fori Academici larus meridionale, atque illinc, pone ſeminaria progreſſa, exit verſus mœnia plagæ eiusdem. Inſunt ei ædes: *Erdödianæ*, *Amadianæ*, *Spätzaiánæ*, reliquæ; vti non incultæ, ita ad decus vici adtinentes. Poſitu, in occidentem retruſiori, *Canonicorum (l.)* vicus eſt, inſignis ille quidem, non ob habitatores modo; ſed etiam cultum ædificiorum. Decurrit vero a templo *S. Nicolai*, vſque ad Odeum Virginum *S. Clarae*. Quæ huic vltra templum in aquilonem obiacet, *Hieroſolymitana* dicitur; *Hierichuntis*, quæ Collegio Ieſuitarum, eodem illo tractu, cohibetur. *Submœnialis* gemina eſt. alia, quæ ab angulo orientali, ad portam inferiorem; alia, quæ a porta ſuperiori, ad *Collegium Ieſuitarum* procurrit. Qua ex foro, amniculus digreditur, *Flumentanea* eſt pla-

forum frumentarium: *vici vrbis:* *in his præcipuus, quem magnum vocant:* *Iacobæus:* *vicus Sarkantyús-Útza:* *Seminariorum:* *Canonicorum:* *Hieroſolymitanus, & Hierichuntis:* *ſubmœnialis gemina:* *flumentaneus:*

l.) Genuinum vici nomen eſt: *Felsö-Piacz-Utza.* Hoc eſt: *Superior fori platea.* quomodo eam vrbici indices, adpellant hodieque.

platea, multæ & ipſa laxitatis, atque æde ſacra *S. Ioſephi* inſignis. Hanc, & *magnam* illam, vicus *Piſtorius* committit, humilibus fere ædiculis habitatus, ab eius opificii hominibus. Eſt platea quoque, quam, *poſt macella*, vocant; eo quod vltra, quam hæc ſunt, poſita ſit. Vicorum reliquum, quod transuerſim, huc illucue exit, non eſt opus memorare; nam, vel ita ſunt obſcuri, vt non poſſint famæ diſpendium facere; vel connexi cum aliis, aliena potius, quam ſua celebritate cogniti. Paucis: elegans eſt vrbs *Tyrnauia*, & commoda habitatu; fuitque præcipuæ nobilitatis olim, & bello, & pace, perfugium. quam ne iam quidem faſtidiunt, quibus volupe eſt, agreſtes ſeceſſus, vrbicis conuictibus, ex interuallo, temperare.

piſtorius:

poſt macella:

elegans vrbs Tyrnauia.

§. IX.

Ciues vrbis, non ſunt nationis vnius. *Hungari*, *Germani* & *Slaui*, fere ex æquo rerum potiuntur; ex qua varietate, neceſſe eſt, conſequi morum aliquam diuerſitatem. Nam, fit omnino, vt, qui lingua differunt, inſtitutis quoque diſcrepent; niſi perpetua conſuetudo, inducat ſimilitudinis quidpiam. Ergo, tenent morem ſuum *Hungari*; neque deſciſcunt a ſuo, ſiue *Germani*, ſiue *Slaui*, niſi quatenus id eiusdem ciuitatis, & ritus poſcunt, & iura; Quæ in hiſtoria Piſonienſis vrbis diximus, de nationum ſingularum ortu, progreſſionibus & fatis, huc ea fere ſingula adcommodaueris. *Hungari* tamen, poſt conſtitutam rempublicam, in primis valuerunt, non opibus tantum, ſed numero etiam. *Germanos*, commercia huc illexerunt. Nam vt credam, priſcæ illius ætatis, hos, qui hodie rariores vrbem incolunt, reliquias eſſe, vetat, cum ingens illa, quæ interceſſit, temporum intercapedo, tum rerum Hungaricarum conuerſiones, vti innumeræ, ita euentuum plerumque triſtium. Perennius durauere *Slaui*, tamerſi numero non minus, quam rerum copia, impares. Inſignem eorum paucitatem eſſe oportuit, poſt Huſſitarum graſſationes; ſiue, quod inuiſos reddidit, & belli eius, & religionis ſocietas; ſiue, quod *Germanis* & *Hungaris* inualeſcentibus, loco cedendum erat. Iam in eam increuerunt multitudinem, vt Germanos atque Hungaros, ſuperent. Olim *Iudæos* quoque tolerabat vrbs, ſed quos, ſua ipſorum maleficia, e ciuitate proturbauerunt. Explicuimus cruentum facinus ſuperius *(m.)* vt iam neceſſe haud ſit, eius prolixiorem habere mentionem. In confeſſo eſt apud omnes, eximiam felicitatis Tyrnauienſium partem, conſtare, *Iudæorum* ab vrbe exſilio. Neque enim, quod ſit *Piſonii*, & ciuitatibus Hungariæ aliis, mercaturæ fructus præcerpunt Chriſtianis. Proinde ſi alibi, *Tyrnauiæ* profecto, bene ſe res habent mercatorum. Vt taceamus vulgi commoda, quod nequeunt, vel vſuris exſugere, vel commeatu & annona, iniquiſſimis licitationibus, fraudare. Ceteroquin, exſtat perpetratæ cædis monimentum hodieque, iuxta *D. Claræ* cœnobium, in porta *Hebræa*;

Ciuium diuerſitas:

Hungari olim, valentiores reliquis:

Germani:

Slaui:

Iudæi in incolis olim tolerati:

exulant hodie, magnaTyrnauienſium felicitas:

m.) Capite 1. §. x. ſequ.

puſionis ſcilicet effigies, crudeliſſime habiti, a gente, Chriſtianis maleuolentiſſima. Clauſa ea eſt perpetuo, credo, ob deteſtationem facinoris. Abeſſe ab vrbe coguntur *Zingari* quoque, vaga illa Aegyptiorum, an Saracenorum, progenies. Culpam, qua id meruerint, non reperio; fas vero eſt ſuſpicari, vafritiem, & rapiendi aliena conſuetudinem fuiſſe: quorum vtrumque, ſalubri conſilio auerruncatum ab vrbe, ſeu reges voluere, ſeu magiſtratus vrbici.

Zingari abeſſe ab vrbe coguntur.

§. X.

AD ciues porro, quod adtinet, vti non vnius ſunt gentis, ita variant vitæ genere. In præcipuis ſemper habiti fuerunt mercatores, qui hic olim, egregie proficiebant. Opibus profecto, reliquam incolarum multitudinem, facile ſuperabant, cum lucri faciendi, & campus erat laxior, & ſeges vberior. Accedebat ad commoda, vetus *(n.)* illud mercium iſthic deponendarum priuilegium; *Ius Stapelæ* vocant iure conſulti; tantarum prærogatiuarum, vt *Piſonienſium*, & *Sempronienſium* iura, exæquarint omnino. Didicimus id, ex Piſonienſium diplomatibus, quorum, LADISLAI *Poſthumi*, his verbis, quæ in rem noſtram faciunt, vtitur: *Volumus autem, non obſtante prædicto ſtatuto noſtro, vt omnes & ſinguli incolæ Sopronienſes &* Tyrnauienſes *ciuitatum noſtrarum, cum vniuerſis rebus ſuis mercimonialibus, ad ipſam ciuitatem Poſonienſem venientibus, ad depoſitionem rerum ſuarum, non debeant adſtringi; qua quidem libertate, incolæ prædicta ciuitatis noſtra Poſonienſis, ſimiliter & vice verſa gaudere debent & perfrui, dum & quotiens ipſos ad easdem Sopronienſem &* Tyrnauienſem *ciuitates noſtras, cum rebus ſuis mercimonialibus contigerit declinare. Annuimus inſuper & fauemus, vt vniuerſi incolæ, ipſarum Sopronienſis &* Tyrnauienſis *ciuitatum noſtrarum, etiam ſecure & libere poſſint tranſire, cum vniuerſis rebus ſuis mercimonialibus, per vniuerſa regnorum noſtrorum climata, & ad partes Trans-Boſnenſes, Segniam, maritima & vltra, vbi voluerint, non obſtantibus quibuscunque aliis litteris noſtris, ſuper facto depoſitionis rerum mercimonialium huius modi, cuicunque ſeu quibuscunque, datis & conceſſis.* Hactenus diplomatis verba, quæ LADISLAVS, Piſonii, anno MCCCCLIII. in feſto *B. Dorotheæ*, Virginis & Martyris, regni vero ſui decimo tertio, perſcripſit. Coniicias hinc, quemadmodum mercatoribus fauerint priſci illi reges, vt procliue ideo fuerit, in magnarum opum poſſeſſionem eos venire, qui id vitæ genus, oppido laborioſum, & aleæ pleniſſimum, ſectabantur. Perfruuntur hodieque eo iure, *Tyrnauienſes*, ſed fructu, quam olim, parciore, quod mercatoribus, Iudæis potiſſimum, tota regione, plena ſunt omnia. Ceterum, *Stapelæ*, quæ diximus, *iuribus*, mercatus publici, pari indulgentia regum, in vrbe conſtituti, pulchre velificabantur. Octo horum ſunt: *S. Vincentii; Dominica Quadrageſima; B. Georgii Martyris,*

Ciuium varia vitæ genera, mercatores:

Ius Stapelæ, inter mercatorum commoda:

publici Tyrnauienſium *mercatus.*

n.) Relegeſis Capitis ſuperioris §. XXIV.

tyris; S. Viti; S. Iacobi Apoſtoli; Dominica, Natiuitatem B. V. MARIAE *præcedente; SS. Simonis & Iudæ;* & denique *S. Nicolai* Epiſcopi diebus. Annuæ hæ ſunt nundinæ; hebdomadales, diebus *Lunæ* & *Veneris* aguntur: laudabili inſtituto, vt, ſiue annuæ illæ, ſiue hebdomales, ſi incidant in feſtos dies, ante horam nonam, ne cultui diuino derogetur quidquam, tabernas adaperire, venundareque merces, haud liceat. Quatriduo, antequam ineant nundinæ, mercatus boarii celebrantur, aperta, extra vrbem, planitie; tanta ſæpe boum equorumque frequentia, vt vaſta illa, quæ eſt ad portam inferiorem, area, haud capiat numerum.

§. XI.

SVnt præter mercatores, opificum quoque genera in ciuibus, vti varia omnino; ita, non vrbanis modo, ſed agreſtibus etiam vſibus neceſſaria. Magna hi ſedulitate incumbunt in opus, vt & ipſi habeant, quo vitam tolerent, neque deſit, quod eſt in publicum tribuendum. Accedit, mercatuum, quos diximus, frequentia. quibus illi, quas adparauere merces, exponunt venum, & faciunt tanto plus lucelli, quanto quisque operarum ſuarum eſt ſtudioſior. Immo, vix abit dies, quin adſint peregrini, coemantque mercis quidpiam. Quibus res lautior eſt, mercatores iuxta & opifices, in agricolationem ſimul incumbunt, eo ſcrupuloſius, quo ager, vrbi circumfuſus, rei frumentariæ eſt amicior. Itaque, dant operam, vt agri modum aliquem poſſideant: quippe vſu docti, minus ſuffecturum, ſeu mercaturæ ſtudium, ſeu curam opificii, ferendæ temporis difficultati, niſi connexas, ruſticæ iſtiusmodi œconomiæ rationes, habuerint. Fit hac ciuium diligentia, vt ſuburbiorum loco, horreis fere obſeſſam vrbem habeant. Certe, ruſticatione non minus proficiunr, quam artibus quibuscunque aliis. Ergo, veſcuntur annona, non peregre modo adueĉta, ſed domeſtica etiam. Panis omnino gloriam, præcipuam ferunt poſt *Piſonienſes*, tota hac prouincia. Eſt ſcilicet coquendi eius artificium, peculiare mulieribus *Tyrnauienſibus*, quo quidem æmulantur inuicem, vt, quod in forum deferunt panarium, eo fructuoſius, & cum adprobatione emtorum poſſint vendere. Fauet muliebri induſtriæ, triticum huias, probæ farinæ, & coquendo pani in primis idoneum. Neque deſunt, qui cultui vineatico operentur. *Vineta haud ignobilis fœcunda muſti*, inquiunt, *(o.)* Tyrnauienſes *quadrantem leucæ abſcedunt in aquilonem, velantque montem pampinis regium, (p.) ab nobilitate vini adpellatum.* Sed, ſunr & in alieno agro vineæ Tyrnauienſibus, eo potiſſimum tractu, qui *Baſinga* progreſſus, *Szomolyánum* vsque, protenditur. Itaque, vino peregrinorum non habent opus: tantum ipſi educant, ſi reſpondeat operis anni ratio, quantum toti vrbi

Opifices, & horum ſolertia:

agricolationis ſtudium, Tyrnauienſibus *familiare:*

laus panis huiatis:

cultus vineaticus.

a.) Celebriorum Hungariæ Vrbium, Parte II. p. 37.

p.) Per hæc tempora, vitibus conſeritur *Mons Regius* ad Tyrnauiam, *inquit* TIMON, ad a. 1347.

bi ſufficiat: niſi menſæ vnctiores, quod fit, peregrini quidpiam depoſcant, aut ita requirat conuiuii celebritas. Tunc enim, præter ſuperioris Hungariæ pocula, ne *Falernum* quidem deſideraueris.

§. XII.

Mores & inſtituta Tyrnauienſium:

AD inſtituta moresque Tyrnauienſium, quod adtinet, agunt inter ſe, placide non minus, quam decore. Tuentur, mutua conſuetudine, vicinitatis iura, egregia animorum coniunctione, niſi ingerant ſeſe, id quod euenit non raro, quibus iurgia ſerere volupe eſt. Adde, familiare academiis fere omnibus, malum, a iuuentutis licentia profectum; qua perturbantur ſubinde pacatæ res ciuium. Tametſi enim, dent operam magiſtratus academici, vt ex præſcripto legum viuat adoleſcentia, neque edat facinoris quidpiam, alieni a bonis mentibus; tamen, euenit, in eo ætatis lubrico, vt colliDant nonunquam, aut cum ciuibus, aut inter ſe. quod vtrumque, non poteſt non, cum offenſa coniunctum eſſe, quæ hæreſcit poſtea, præter, quam reris, diutius. In primis tenax eſt iuuentus academicæ libertatis, quam, qui incuria ſtudioue contemerauerit, næ ille, quis quis demum fuerit, Muſas cum Appolline, ſibi infeſtas reddidit. Neque enim prius ceſſat, iniuriam, motis querelis, exaggerare adoleſcentia, quam, vel iure eas vindicarit, vel facto. Id enim ad ſe pertinere putant; ne libertates ſuas prodigant, aut incuſtoditas transmittant ad poſteritatem. Sin vero, bene ipſis cum ciuibus conuenit, nihil iſto hominum genere, vel comius eſt, vel ad ſocietatem commodius. Quo circa, dant operam *Tyrnauienſes*; ne quid, ſua culpa intercedat, quod poſſit in offenſam verti. Quam beneuolentiam, reddunt *academici*, cum ſe dat occaſio: præſertim, ſi incendia cooriantur: in quibus reſtinguendis, defenſandisque ciuium reculis, nemo, iuuentute ſtudioſa, dici poteſt, aut ſolertior, aut adtentior. Sunt porro ciues Tyrnauienſes, eximie comes erga hoſpites, & alienigenas. Auſteriores olim fuiſſe accepimus, cum aberant adhuc ab vrbe, manſuetiores litteræ. Et, qui potuit fieri aliter, in illa mercatuum ac rei ruſticæ cura, atque ſollicitudine alia. Nunc, poſt acceptas *Muſas*, nihil non referunt humanitatis, decoris atque elegantiæ. Accedit, frequens, cum ſacerdotibus, & nullo non religioſorum ordine, conuictus. quæ ſingula, quam ſint emolliendis moribus idonea, nemo non videt: vt iam, vrbis reliquam celebritatem ſileamus. Veſte amiciuntur plerique omnes *Hungaricæ*; aduenis, qui fere ſunt *Germani*, ſua placet. Viuunt, pro fortunarum modo, neque ſordide, neque prodigaliter. Aemulandi nobiliſſimos quosque, vitium eis exprobrant aliqui. Huic iam & feminæ patent, exoticum veſtiendi genus, miſcentes mundo Hungarico: non id quidem incomte; ſed cum facultatum intertimento. Alioquin, haud deſideraueris feminas, vti caſtigati moris, ita adtentas ad rem familiarem, non cuſtodiendam modo, ſed auctitandam etiam. Liberorum curam atque educationem, ſcholarum, quæ in vrbe

Academicorum *indoles*:

ciuium comitas:

victus ratio:

cura educandorum liberorum.

vrbe florent, copia, facilem reddit ciuibus. Ac ſtudent omnino melioribus litteris, non pauci, eo ſucceſſu, vt viam ſibi conſternant, ad eccleſiaſticos non minus, quam ciuiles honores. Plebeii, ſatis habent, rudimenta latinitatis poſuiſſe. Tunc enim paterna auitaque addiſcunt opificia, & fantur ſubinde, inter operas ſellularias, latine.

§. XIII.

Valuit ingeniis Tyrnauia: Iohannis Sambuci mentio:

PRofecto autem, valuit ſemper ingeniis TYRNAVIA. Et Academiæ quidem præluſit quaſi quodammodo, inſigne, inter doctos nomen, *Tyrnauia* autem ſuæ φωσφ, *Iohannes Sámbuky*, anno MDXXXI. octauo Calendas Quintilis, in lucem editus. Patrem, vetere nobilique familia ortum, *Petrum Sámbuky*, (ita enim gentilitium nomen *(p.)* ſcribebatur) habuit, *Tyrnauia*, bellorumne iniuria, an auita ſede, incolam. Cepimus indicium rei, ex ipſius *Sambuci* emblematibus, in quibus *(q.)* eſt quoddam, quod is, ſub ἐπιγραφῇ: *Nusquam tuta fides*; imagine vero *elephantis*, arbore, cui innixus quieuerat, ſucciſæ ac ruentis, ad *Petrum Sámbuky*, parentem ſuum inſcripſit, ad hunc modum:

Dum rigidos artus Elephas, dum membra quiete
Subleuat, adſuetis nititur arboribus.
Quas vbi venator didicit, ſuccidit ab imo
Paulatim vt recubans, belua mole ruat.
Tam leuiter capitur, duri qui prælia Martis
Arma, viros, turrim, tergore vectat opes.
Nusquam tuta fides, nimium ne crede quieti,
Sæpius & tutis decipiere locis.
Hippomenes pomis Schöeneïda vicit amatam,
Sic Peliam natis Colchis acerba necat.
Sic nos decipiunt, dedimus quibus omnia noſtra;
Saltem conantur: deficiente fide.

Mirus, in puero, litterarum amor eluxit, quem vti ſuſtentaret pater, non curis, ſed nec impenſæ, pepercit. Ergo, vbi poſitis bonarum artium rudimentis, cœpit altius adſurgere, Germaniam primo, Batauos inde, Gallos denique & Italos adiit; non tam peregrinaturus, quam tranſiturus, in ſingularum gentium, quas adibat, mores & inſtituta. Nimirum, non ille, quod peregrinatorum vulgus facere videas, adſpectum vrbes populosque accedebat; ſed vt, quod in vnaquaque gente laudatiſſimum cognouerat, prorſus inbiberet, & iis potiſſimum artibus imbue-

p.) Frequens, apud Hungaros nomen a vicis *Sámbuk*, ſeu *Sámbok*, petitum a vocabulo, vti adparet, Sarmatico, quaſi dicas: *Sám-Bog*, ipſe Deus. Latinum inde *Sambuci* nomen, fato, an conſilio, factum.

q.) Inſcribitur Libellus: *Emblemata, cum aliquot nummis antiqui operis*, Iohannis Sambuci *Tyrnauienſis Pannonii*. Antuerpiæ MDLXIV. form. oct. p. 184.

imbueretur, quarum hic illicue magiſtros reperiebat probatiſſimos. Duos de viginti annos, erudita hac, apud exteros, diuerſatione, exegit, plancque viris, quos ea ætas doctiſſimos habuit, ſemet intimauit. quibus poſtea vſus eſt familiariter, deditque ad eos, & poemata, & litteras frequentes. Fuere autem, ne viri amicos diſſimulemus: *Philippus Apianus; Hieronymus Wolffius; Paſchaſius Hamelius; Michael Sophianus; Andreas Shardellatus; Georgius Draſcouith; Franciſcus Forgách; Antonius Verancius; Dionyſius Lambinus; Fuluius Vrſinus; Iuſtus Lipſius; Bartholomæus Marlianus; Achilles Boſchius; Iohannes Baptiſta Razarius; Iohannes Auratus; Wolffgangus Lazius; Iulius Comes a Salmis; Arnoldus Arlenius; Franciſcus Robortellus; Hubertus Goltzius; Paullus Manutius; Hanibal Cruceius; Iohannes Ambius; Adrianus Turnebus; Ericus Memmius; Petrus Ligorius; Hadrianus Iunius; Carolus Sigonius; Iohannes Aitholtz; Carolus Cluſius; Adamus Fumanus; Achilles Maphæus; Iohannes Baptiſta Pigneus; Achilles Statius; Nicolaus Iſtvánffy; Petrus Lotichius; Marcus Laurinus; Antonius Muretus; Octauius Ferrarius; Iohannes Liſtius; Natalis de Comitibus; Petrus Ramus; Petrus Victorius; Aonius Palearius; Michael Brutus; Iohannes Grolierus; Iohannes Poſtius;* & infinita nomina alia. Fallor, annon, quas ad hos dedit, epiſtolæ, manu exaratæ, cum Bibliotheca *Sambuci*, in auguſtam Vindobonenſem ſint delatæ. Quas, ſi promerent, præfecti, bonum Deum! quanta lux rei litterariæ eius ætatis, & conuerſionibus Hungariæ, adfunderetur. Nam, quod tantorum virorum nomina, non modo cognita, ſed neceſſitudine etiam quadam, deuincta ſibi habuerit, teſtatus ipſe eſt, in emblematum, vnde ea expromſimus, præfatione. *Quod*, inquit, *aliqua clariſſimorum virorum nomina adiecerim, non ambitioſe factum putes: nec enim hos noui ſolum, qui omnem adhuc ætatem apud exteros, traduxi; ſed vt pro meritis memoriaque, & opinione, de me publice, ſcriptisque eorum teſtata, gratiam, hac ſaltem occaſione, aliquam haberem. Id vero ſpectaui,* ac deinceps, epiſtolis variis mutuisque, *& in obſeruationibus meis, vel erga mortuos, quam plurimos, ὡς ἐν, cumulatius præſtabo.* Quo vero genere eruditionis excelluerit, *Sambucus*, hinc diſcas:

Præſtantes Medicos, *præſtantes carmine* Vates,
Maximilianus habet, Cæſar, & Hiſtoricos
Hæc tria, ſed ſolus, qui præſtet munia nullum
Sambuco *excepto, Cæſaris aula videt.*

Ita Iohannes Postivs, Archiater Palatinus. Huc & Lotichii *(r.)* ſententia, de viri eruditione, pertinet:

Hiſtoricus, Medicus, *ſimul* Antiquarius *audit*,
Sambucus, Clarii *pars quoque magna* chori.

Ergo

r.) In Bibliotheca Poetica, P. IV. p. 73.

Ergo vna poterat, qui nomen ab arte referre,
Quadruplici, quadruplex, nomen ab arte refert.

Vt mirum ſit, *minus, opinione ſua, litteratum, a* Lipsio *(s.)* dici potuiſſe. Nempe, libenter de fama doctorum virorum detrahebat *Iuſtus*, vt emineret ipſe. Potior uobis Thvani fides eſt: *Iohannes Sambucus*, inquit, *profeſſione medicus, cuius ea fuit in veteribus libris colligendis, diligentia, liberalitas in publicandis, vt principibus viris, qui hac re laudem conſecuti ſunt, quamuis in diſpari fortuna, aquari debeat. quod Nonnus, Dyoniſiacorum ſcriptor*, Ariſtenetus Eunapius, Heſychius, *alii, illuſtrius eius beneficio editi, abunde teſtantur: alioquin, aliena, quam ſua induſtria clarior.* Multum ad laudem viri! aliena, quam ſua induſtria, ſeu adfectatione, fieri illuſtriorem. Id enim vero, prorſus ex ingenio Hungarico fluxit, qui edere facinora, laude digniſſima, ſuo quodam more, didicerunt, non item, eorum ſe tubicines gerere. quod genus claritudinis, arduum quidem, hac in primis ætate; ſed perenne tamen eſt, ſi obtineatur. Atque fuit omnino, vltra propemodum, quam vires paterentur, librorum non minus, quam nummorum veterum, inſignis amator. Diſerte, ad *Iohannem Glorierum*, Lutetiis, theſauro regio præfectum: *Per hoc biennium*, inquit, *Scias me, multis modis Bibliothecam auxiſſe ornaſſeque meam, atque nummos, quos tantopere extollebas, maxime raris cumulaſſe: vt vel ſummis Cardinalibus, admirabiles Romæ fuerint, & per Italiam principibus: doque operam, ne meæ conditionis*, ſatis anguſtæ, liberalis tamen, *atque illius ſtudioſæ vetuſtatis, quisquam me ſuperet.* Egregie factum, ſi æmulari voluiſſent ex Hungaris plures, hoc vetuſtatis ſtudium: ea potiſſimum ætate, qua eruebantur ſubinde, per vtramque Pannoniam, cimelia, ne apud Italos quidem obuia; libri autem, ex oriente adportabantur, nullis non theſauris præſtantiores. Meruit his rebus, *Sambucus*, vt a Maximiliano & Rvdolpho, in aulam adſciſceretur. quorum vtrique ab hiſtoriis fuit & conſiliis, tanta adprobatione, vt quum ſub Ferdinando, magnam de ſe, apud aulæ primores, feciſſet exſpectationem, perpetuis famæ acceſſionibus, gratia item principum, vnus omnium doctorum, maxime poſtea floruerit. Exceſſit e viuis, *Vindobonæ*, anno MDLXXXIV. Idibus Iunii, vitæ LIII. ibidemque tumulo illatus. Hæc de viro, plerorumque eruditorum iudicio, doctiſſimo, in *Tyrnauia* rebus, memoranda fuerunt; ne ſilentio peccauiſſe videremur, in vrbem non minus, quam *Sambucum*. Iam epicedion quoque, vt omittamus elogia reliqua, *Victoris Althan* L. B. Auſtrii, fas eſt recitauiſſe. quod ſic habet: *ad vrbis laudem ad-tinens.*

Qua modo Caſareo viguit Sambucus in horto,
Depoſuit lætas, languida facta comas.
Flete pii flores veterem Tu Hyacinthe querelam,
Inſcriptam foliis lugubris ede Tuis.

s.) Centuria 1. Miſcellan. Epiſtola II.

Flete pii niuea quicunque ſub arbore cygni
Duxiſtis, dum ſors riſit amœna, modos.
Namque nec Alcinoi ſilua, nec Atlantia tempe,
Qua fama Heſperidum eſt, culta fuiſſe manu:
Sambuco flores ſimiles, frondesque tulerunt:
Sambuco Hunnorum, quæ fuit orta ſolo.
Illa ſed vrenti nimis, heu! nimis obuia ventis
Concidit, vt terris, concidit vſta modo.
Iamque Paradiſi, qua feliciſſima vita,
Frondibus æternis arbore opacat humum.
Arte creatoris, liquido viret æthere, deque
Iuſtitiæ puro, flumine fonte bibit.
Illic non Auſtri ſpirant mala flabra, nec vlli
Officiunt æſtus, vlla nec vrit hiems.
Salue arbos dilecta Deo, dilecta beatis
Mentibus, & regi viue beata Deo.

Controuerſiam, de viri religione, quam ſermone familiari, agitatam meminimus, non eſt, cur noſtram faciamus. *Proteſtantem* fuiſſe, inde arguunt, quod in *indice expurgatorio, Madritti*, anno MDCLXVII. excuſo, legatur: IOHANNIS SAMBVCI *opera, non permittuntur, niſi corrigantur.* Oggerunt alii; funus *Viennæ* cum pompa elatum, honoratumque epitaphio; quod, niſi homini ſacra Romano-Catholica profeſſo, vix putant euenire potuiſſe. At enim de SAMBVCO *(t.)* ſatis. Non vacat, plura Tyrnauienſium eruditorum nomina conſectari. quæ vt expromant, quorum id maxime intereſt, eo rogamus vehementius, quo acerbiores, apud exteros, de popularium noſtrorum inſcitia, exſtant criminationes.

§. XIV.

Magiſtratus Tyrnauienſes:

AD vrbem redeamus. Moderantur ei magiſtratus ciuici; hoc eſt, ſenatus, e viris duodecim conſcriptus. Singulis inſtituto patrio, modus aliquis poſſeſſionum ſit in vrbe, neceſſe eſt: eo, quod credidere priſci illi homines, niſi connexas fortunarum rationes, cum ciuibus, habuerint ſenatorii ordinis viri, non

Iudex: æque futuros reipublicæ ſtudioſos. Ex his prætor, ſeu *Iudex*, vetuſta legum indulgentia, mutuis ciuium ſuffragiis, ſingulo biennio, ſub-

Conſul: legitur, ritu fere Piſonienſium. Iudici, *Conſul* additur, vt ſit, cum quo partiatur curas, & reipublicæ adminiſtrationem. Hos vrbicus

Capitaneus: centurio, *Capitaneum* vocant, excipit. Coeunt vero in comitium diebus ſtatis. Huic demum Iudex præſidet, rogat ſententias, & vti hæ numero valuerunt, id, quod eſt æquum, decernit. Sunt & *Conſuli* in iis rebus, quæ ad eius procurationem adtinent, peculiares ad deliberan-

t.) Plura de eo congeſſit, DAVID ZWITTINGER, Specimine Hungariæ litteratæ, p. 323. ſeqq.

berandum coitiones. Si quid accidat, quod excuſſiſſe adcuratius, omnium intereſt, cogitur & *Senatus exterior*, *viris ſexaginta* definitus. Præcipua horum, poſt magiſtratus reliquos, auctoritas eſt, potiſſimum, quando reſtaurandorum munerum tempus rediit. Seminarium merito dixeris ſenatus interioris, non ſolum; ſed etiam magiſtratuum minorum gentium. Deliguntur enim vero, ex iis, quæſtores, *Camerarios* dicunt, exactores cenſus, & tributorum, orphanorum procuratores, mercium & nundinarum præfecti, *caſtellani* item, ſeu portarum vrbis obſeruatores: vt munia reliqua iam taceamus. Seueritatem magiſtratuum Tyrnauienſium, laudari paſſim audias. Itaque, raro hic patibulum, ſine ferculo viſitur. quod tunc in primis obſeruaſſes, quando *montes albi*, haud longe hinc diſiuncti, luſtra fuerunt latronum. nam hodie quidem, quæ eſt, ſub optimo principe, temporum requies, latrocinandi ea libido, ceſſauit propemodum penitus. Fatis, an magiſtratuum vigilantiæ tribuendum eſt, quod, qui facinoris quidpiam perpetrarunt alibi, & elapſi ſunt e gemoniis ſcalis, *Tyrnauia*, quaſi in caſſes impulſi, intercipiantur, plectanturque pro eo, ac meruerunt. Insignia vrbis, Sambvcvs noſter, hac elegia deſcripſit:

ſexaginta viri:

munia reliqua:

eorum ſeueritas:

inſignia vrbis.

Vrbs eſt Pannonicis, fama inclyta, libera, regnis,
Tyrnaviam *vulgus, nomine reque vocat.*
Bela *etenim regum ditiſſimus vndique cinxit*
Mœnibus, & denſam turribus excoluit.
Hæc me produxit, lucemque videre ſerenam,
Vitalesque hauſtus dulcis alumna dedit.
Huic (u.) rota pro inſigni: cæleſtis vtrinque tuetur
Nuncius, & Chriſto præſide tuta manet.
Vtque nihil certum in noſtris ſine numine rebus;
Sic rota, ni firmes, voluitur inſtabilis.
Hactenus hæc contra ſæuiſſima fata Getarum
Fortiter hoſtiles, ſe oppoſuitque manus.
Meſſibus, & diues Baccho, mercator abundat.
Armis, iure potens, clara Deumque metu.
Hanc ſaluam longos tueatur Chriſtus in annos,
Turcicus hic furor & diminuatur honos.

Mirari ſubit animum, quemadmodum inſignis lemma alterum, *D. Iohannis Baptiſta* caput, obliuiſci potuerit Sambvcvs: nam id quoque referunt arma: vrbs autem, ſanctiſſimi viri memoriam, in eius nominis æde, hodieque adſeruat.

u.) Non eſt omnino rota; ſed *patina*, ſeu *diſcus*, cui caput *S. Iohannis Baptiſtæ*, impoſitum eſt. Eius *Sancti* memoriam, *Decollationis* cognitam nomine, præcipua, in feſtis reliquis, ſolemnitate, recolunt *Tyrnauienſes*.

§. XV.

Vrbis decora: HActenus vrbem, & in ea, id, quod erat dignum commemoratu, perluſtrauimus. Iam eius decora, non retuliſſe in litteras, nefas putamus. In compendio ſingula exhibet TÚRÓCZIVS: *Tyrnauia*, inquit, *a conditore*, *ſiue reparatore* Bela II. Regia; *ab indultis principum*, Libera; *a locis religioni dicatis*, Sancta; *a metropolitano Strigonienſium Capitulo*, Illuſtris *ac* Veneranda; *ab Vniuerſitate litterarum omnium*, Florens, *atque in primis* celeberrima *eſt*. Addimus nos: *a Tribunali Regio minore*, Aequa Iuſtaque. Et *Venerabilis* quidem *Capituli*, ac, quemadmodum huc illatum ſit, ex annorum ſerie, iam meminimus. Sed neque ſiluimus, *Academiæ* ortus, & incrementa; vt ſolius tribunalis regii, *Tabulam Diſtrictualem*, patriæ leges adpellant, mentio videatur ſupereſſe. Habebimus ergo hanc quoque, ſimul Academiæ magiſtratus atque habitum deſcripſerimus.

Academia habitus: Nam, in ea ſumus ſententia, fieri id a nobis oportere, exterorum in primis cauſſa, vt intelligant, quæ ſint *Vniuerſitatum Hungaricarum* rationes, inſtituta, ritus, atque ſtudia. Quemadmodum vero in Academiis omnibus, ita & in *Tyrnauienſi*, ſumma rerum omnium, conſiliorumque, penes *Profeſſores* eſt. Horum primus, & Academiæ, &

Rector Magnificus: *Societatis* IESV, *Rectorem* agit. Quamobrem honoris cauſſa, *Magnificus* & *Clariſſimus* compellatur. Summam enim, inter omnes, ſibi vindicat auctoritatem; præeſtque muneri, per triennium: quo elapſo, ſuccedit alter, quem *Societas* delegerit. Secundum dignitatis locum,

Cancellarius: *Cancellarius* obtinet, qui pariter, ex ordine Ieſuitarum ſublegitur. quodque legibus, priuilegiisque Academiæ inuigilat, *Ampliſſimi* ti-

Præſes, ſeu Pro-Rector: tulo conſueuit inſigniri. Tertium in magiſtratibus, *Præſidem* vocant, quod in iudiciis & controuerſiis, de quibus conſtituere ſacerdotium haud ſolet, præſidet, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de tumultu, de rapinis, controuerſiæ quidpiam, vti fit, ſuboritur, idem diſcernit, ſupplicia pœnasque conſtituit; adeoque vices gerit *Rectoris Magnifici*, ils in rebus, quæ ad forum pertinent. Proinde, ex ordine iuris conſultorum adlegitur, manetque ad diem vitæ ſupremum, quaſi prorector, non alio tamen titulo, quam qui ordini ipſius conueniens eſt, inſignitus. Poſt hunc, rurſus ex *Ieſuitis* ſubſequuntur in

Decani quatuor: dignitate, *Decani*; quaterni & hi, pro ordinum, quos *Facultates* vulgo dicimus, numero. Totidem enim ordines conſtituunt, *Theologia* vnum, *Iuris* alterum, tertium *Philoſophiæ*, & denique *Linguarum* qua-

Medicorum defectus: trum, ſeu *ſtudiorum*, quæ *humanitatis* vocant; Artis enim ſalutaris, ſeu *Medicæ* ordo, nondum potuit inſtitui; non ob inopiam eorum, qui poſſent vellentue ei operari; ſed quod inſtruendo, alendoque, pro eo, ac decet, *gratioſo ordini*, Mæcenas hucuſque defuit. Accedit, vt,

vnicus tantum perpetuus Syndicus: neſcio, quo errore, diſciplinam hanc in exteris oris addiſci oportere, credant noſtri homines. Alioquin eſt & heic medicus, idemque *Profeſſor* & Academiæ *Syndicus*, vt vocant, *Ordinarius*, quem *Magnifici*

gnifici & *Excellentiſſimi* nomine compellare moris eſt. At, ſicuti res ſacræ, dignitate reliquas anteeunt: ita, quaterni, Decano, *Theologiæ Profeſſores*, ſubiungi ſolent. Horum vnus, ea docet, quæ ad rerum diuinarum contemplationem ſpectant, & vulgo, *Theologia Speculatiua* nuncupantur. Contra, duo alii, de moribus magis diſpiciunt, & quemadmodum vita fieri debeat caſtigatior, quod genus ſtudii *Theologia Moralis*, dici in ſcholis conſueuit. Quartus, tradit *controuerſias*, & ſi quid eſt a religione diſſentaneum. Interdum hic, alterue ipſorum, *Canones* quoque, caſus dubios, & litteras ſacras, interpretatur. *Iuris Profeſſores*, occupantur circa leges, partim *Imperiales*, partim *Patrias*; ita tamen, vt has duo explicent, illas vnus. omnes *Decano* ſuo, qui non raro vir nobilis, & e ciuili vitæ genere, adlegi ſolet, ſubeſſe oportet. Sed *Decanus* quoque *Philoſophorum*, quaternis præeſt *Profeſſoribus*. quorum vnus *Metaphyſica*, *Phyſica* alter, tertius *Logica*, & denique *Ethica* quartus, ex *Ariſtotelis* placitis, expromit. Quidquid porro, in artibus, quæ circa humanitatem verſantur, occurrerit, a *Decano*, quem dicunt, *Linguarum* dirigitur. Huc pertinent, *Profeſſor* eloquentiæ, & reliqui claſſium inferiorum magiſtri. Quini horum, pro diſcentium numero, ex eorum ſerie, qui ſodalitati Ieſuitarum initiati ſunt, & *clerici* adpellantur, ſolent deligi. Primus, litterarum docet elementa; alter, principia linguæ latinæ; regulas generum, declinationum item, & coniugationum tertius; quartus modos conſtruendi, ſeu ſyntaxin; & denique poeſin quintus. Nam, quem *profeſſorem* nominauimus *eloquentiæ*, is, de presbyterorum numero ſit oportet. Ab hoc proximus, ad altiora aditus eſt, & qui eius diſciplinam rite pertractatam audiuit, ſtudio philoſophiæ, haud indignus cenſetur; primumque, honoris cauſſa, vbi eo promotus eſt, *dominus* incipit ſalutari. Eſt vero, ne quid ſilcamus, ſtudium Philoſophiæ, in complures diuiſum claſſes. In vna, ſoli *Logicæ*, atque id, tam diu vacatur, dum citra hallucinationem, texere ſyllogiſmos, & horum rationes reddere nouerit auditor; id vbi potis eſt præſtare, in alteram tranſit, vbi ea, quæ, partim ad naturæ cognitionem, partim ad inſtitutionem morum, dimenſiones item rerum terreſtrium & cæleſtium, ſpectant, nempe *Phyſica*, *Ethica* & *Matheſis*, expromuntur. Fit hinc in tertiam adſcenſus, vbi ſolius *Metaphyſicæ* traduntur præceptiones. Ad has ergo ſcholas, magnus adoleſcentium numerus concurrit. Qui in altera claſſe, inſtitutis Philoſophiæ perculti ſunt, *prima laurea*, menſe *Maio*, redimiti, ideoque *Baccalaurei* dicti, in tertiam claſſem promouentur. in hac *Auguſto* menſe, lauream ſuptemam accepturi, dum præceptis *Metaphyſicæ* imbuti, honorem *magiſterii* meruerint. Id, quoties accidit, gratulantur, conceptis votis, inferiorum ordinum, commilitones. *Baccalaureos* verſu Poetæ venerantur; *Magiſtros* contra, oratiunculis laudant *Rhetores*. Atque his demum ad *Theologiam* patet aditus quorum, etſi inſtitutio nullis certis claſſibus definitur; ſic tamen fieri ſolet, vt per quadriennium *clerici*, reliqui, per

Profeſſores Theologiæ quatuor:

Profeſſores iuris tres:

item Philoſophiæ:

Decani Linguarum, vnus Profeſſor, & quinque magiſtri:

Audii Philoſophiæ tres claſſes:

laurea prima, & ſecunda:

Theologia ſtudium:

per triennium, vniuerſam Theologiæ doctrinam, pertractare poſſint, ſi velint. Iuris tanta cura non eſt. Diebus ſingulis, vltra duos horæ quadrantes, prælectioni eiusdem vix amplius datur. Itaque, in iure nulli, in Philoſophia frequentes, pauci in Theologia, ſummos honores conſequuntur; quamuis eos conferendi his, qui meruerint, facultate polleat *Academia*. Alioquin, iura Academiæ capeſſere, & donari ciuitate, nemini, niſi *deponatur*, integrum eſt. Qui ritus, tametſi alibi etiam cognitus eſt; tamen heic in primis dignus, quem memoremus. Quaterni *depoſitores* ſunt. Hi cum *Baccho*, circa eius ferias, ſingulos adoleſcentes, qui primum Academiam ſalutarunt, neſcio, qua fuligine infucatos deformatosque, furiarum inſtar, per compita ciuitaris ſinunt debacchari, & diripere, quidquid per tabernas viliores paſſim offenderint, magna ſpectantium voluptate. Id, & laruam volunt eſſe vitiorum, quibus laborent, prorſus abominandam, & indicium ſtultitiæ, quam deteſtentur poſtea, in ſapientiæ contubernium admittendi. Reliquæ, adulti ritus cerimoniæ, ſic ſe habent, quemadmodum apud exteros. Exercitia, quæ ad eruditionem ſpectant, vel diſputatione fiunt diſerta, vel calamo. Vtrumque, & priuatim in ſcholis, quæ pro claſſium numero, diſtinctæ ſunt, inſtituitur, & publice, in *auditorio*, quod ſcholis ſuperinſidet. Atque heic, ſuperiorum diſciplinarum, ſacrarum non minus, ac profanarum, ſpecimina eduntur. Receptum more eſt, vt ſculptæ in ære iconi, diſputationum, quas inſtituere volunt, argumenta, typis expreſſa, ſubnectant, patronoque quilibet ſuo, præſidis & diſputatoris adſcripto nomine, dedicent. quod genus exercitii, *Theſes* coſueuerunt nominare: eo quod diſciplinarum præcipua plerumque capita, diſcretis poſitionibus expromat. Diſputationes integrorum thematum, quales apud exteros ſolemne eſt prodire, rariſſime exhibentur. Neque tamen ideo, nihil agere cenſendi ſunt academici. Plures quotannis lucubrationes, in omni ſtudiorum genere, prodeunt, honeſtandis ſolemnitatibus excuſæ. Illud doleas, opera huiusmodi, quando minutis codicibus continentur, facile intercidere: quæ, ſi imprimerentur laxius ſplendidiusque, ferrent ætatem, etiam longiſſimam. Inferiores diſcentium ordines, labores, quos elucubrarunt, in theatro, minori illo, repetunt, declamationibus, vt vocant, menſtruis. quæ ſingulis menſibus, a poetis & rhetoribus, inſtituuntur. Nullus præterea annus, ſine ludis comicis abit. Magno eos, dictionis non minus, quam ſpectaculorum adparatu, *Rhetoricæ Profeſſores* edunt; productis in theatrum perſonis, non modo ex minoribus, ſed interdum ex his etiam, qui philoſophiæ, & ſacris operam nauant. Quo quisque, heic ſe in agendo magis adprobauit ſpectatoribus, eo maiorem virtutis fert opinionem. Ceterum, ſingulis claſſibus, ſinguli e cælitibus patroni ſunt, quibus ſeſe deuouent, eorumque dies feſtos, ſolemni religione concelebrant. *Theologi*, & *Grammatiſtæ*, venerantur XXXI. Iulii. D. Ignativm Loiolam; *Iuris* ſtudioſi, D. Ivonem, aduocatum pauperum, die XIX. Maii;

Iuris cura remiſſior:

Depoſitionis ritus:

academicorum exercitationes:

Patroni claſſium:

Maii; FRANCISCVM XAVERIVM, ad diem III. Decembris. *Philoſophi & Poetæ*; *Rhetores* S. CATHARINAM Virginem, die XXV. Nouembris; *Syntaxiſtæ*, die XXI. Iunii, S. ALOISIVM GONZAGAM; *Principiſtæ* S. STANISLAVM KOSTKAM, die XIII. Nouembris, & denique *Paruiſtæ* die XII. Martii S. GREGORIVM. Horum icones, per ſingulas claſſes, ſuſpenſæ, reprimunt in memoriam adſpectantibus, ſui recordationem: licet vnam tantum *B. Virginem* MARIAM, ſine macula *conceptam*, totius Academiæ patronam profiteantur. Sunt & aliæ feſtiuitates, quas ex more ſocietatum, ſolemnes inſtituunt. Nimirum, tres ordines deſcripſerunt Academiæ Patroni, ſtabilientibus eos ipſis Romanorum Pontificum ſuffragiis. Primum vocant, *Societatem B. M. V. Eliſabetham inuiſentis*; alterum, B. M. V. *ſine maculæ conceptæ*; vltimum denique, *Natæ Reginæ Angelorum*. In hanc ſocietatem, *Grammatiſtæ* coeunt, & *Syntaxiſtæ*, ſub byſſino & viridi labaro; in iſtam, *Poetæ* & *Rhetores*, ſigno candido, & Perſici operis; in illam ſub byſſino, & rubeo, *Philoſophi* & *Theologi*. Singuli, ſingulis adſunt rectores, præſides, duodeni item, vt vocantur, *aſſiſtentes*, ſeu *conſiliarii*; nec non peculiaria a ſingulis habentur auditoria, aræ, *matriculæ*, & labara, quibus inter ſe differunt. Primus ordo gaudet rectore, ipſo *Archiepiſcopo Strigonienſi*; reliqui, prælatis regni, tametſi ex ſuis quoque ſingulos ſibi deligant *Pro-Rectores*. Præſides, cunctis ex Ieſuitarum ſocietate præficiuntur; promiſcue autem *conſiliarii*, & *aſſiſtentes*. Et quum ſecundus ordo ſuos conuentus, in *Schola Rhetorum*, inque *Poetarum* tertius, conuentus inſtituat; primus ille, in præcipuo Theologorum *auditorio*, coire ſolet; vbique, peculiaribus aris, eo, in quo congregantur loco, ſuppetentibus. Ad has ergo, cum ſæpius, tum præcipue diebus feſtis, quos deſignatos habent, ſacrificant. Primo ordini, ſacer eſt dies II. Iulii; alteri, Decembris VIII. idem & Septembris, tertio. Hactenus de academicorum religione. Si quis eorum, crimen aliquod patrarit, a ſenatu Academico, non ciuico, plectitur. Et quamuis, ab huius ſatellitibus comprehenſus fuerit, tamen reſtitui Academiæ, & tradi in huius cuſtodiam debet. Ceterum, neque vincire, neque verberare quemquam, niſi refractarius fuerit, permiſſum; vt & tunc honor Muſis habeatur, cum earum alumni deſciuere a recto. Contra, promouere probos, cum de eorum profectibus conſtat publice, in legem abiit. Nempe, imminente menſe *Septembri*, quo magiſtros mutari moris eſt, *Decanus* linguarum, accepto ſcholarium catalogo, adiunctisque ſibi, binis, e collegio, arbitris, claſſes ſingulas pertranſit, excuſſisque iis, in abſentia præceptorum, quos promotione dignos æſtimarit, cum cura ſegregat ope magiſtrorum, non qui ipſos docuerunt hactenus, ſed mutato ordine, aliis alios præficiens, tamdiu ſcriptionibus examinat, dum ad altiora demum deſtinare poſſit. Qui vero, vel renunciare ſtudiis, vel migrare alio, diſcendi cauſſa, voluerint, hi, accepto vitæ & ſtudiorum teſtimonio, ab eodem *Decano* linguarum, dimittuntur. quam quidem teſſeram, ni-

totius Academiæ

Societatum, quarum tres ſunt, ſolemnia

quomodo puniantur ſontes

ſolertium remuneratio.

ſi adtulerint ſecum, non modo non admittuntur ad Muſarum adyta; ſed habentur etiam in transfugis. quæ ſeueritas, quantum valeat, ad continendam in officio, fluxam ætatem, norunt, qui in hac eiusmodi palæſtra ſudauerunt.

§. XVI.

Prærogatiuarum vrbis, receptiſſima, Tribunal Regni *minus?*

PRærogatiuarum vrbis recentiſſima eſt, haud tamen, reliquis, quas vidimus, ignobilior. *Tabulam Diſtrictualem* dicimus, latine, *Tribunal Regni minus*, poſſis vocare, cum Túróczio, qui: *Facit*, inquit, *ad commendationem Tyrnauienſium, & illud, quod complectitur* Regni Tribunal minus. *Quaterna eiusmodi numerat Hungaria. Et pro partibus quidem Trans-Danubianis* Ginczii, *erectum eſt;* Tyrnauiæ, *pro Cis-Danubianis*, *pro Trans-Tibiſcanis*, Debreczini; *Cis-Tibiſcana habent* Eperieſinum. *Erecta ſunt eodem anno, quo maiora illa* Peſtini, *& Conſilium Regium*, Poſonii. Nempe, anno MDCCXXIII. *(x.)* publico eo comitio, quod celebratum *Piſonii* eſt, Regis, & ordinum, mutua conſenſione, quatuor ea tribunalia, inſtituta ſunt. De hoc noſtro, ſic habet lex: *Vt porro cauſſantium expenſis, & commodiori iuſtitiæ conſecutioni conſulatur, pro Comitatibus, ſine præiudicio Ordinis eorundem, ab infra denominandis*, Diſtrictus Cis-Danubiani, *Poſonienſi videlicet, Nitrienſi, Trechinenſi, Barſienſi, Neogradienſi, Hontenſi, Peſtienſi, Strigonienſi, Zolienſi, Thúrócienſi, Liptouienſi & Aruenſi, locus Tabulæ, Libera Regiaque Ciuitas Tyrnauienſis.* Conſtituunt autem Tribunal hoc *(y.)*, quini, vna cum præſide, conſeſſores, gente Hungari, natalibus nobiles, iidemque hærediis præditi, legum patriarum gnari, & ſacramenti, quo ſe obſtrinxerunt, memores. Aequa his omnibus iudicandi poteſtas. Adeſt eis *Notarius* iureiurando adſtrictus, qui in litteras refert, quod in eo conſeſſu, quin & ab Aduocatis, diſputatum, deliberatumque eſt. Et tametſi adſidet conſilio, ſuffragio tamen caret. Præter hunc, quaterni ſcribæ in promtu ſunt, ad nutum ſenatus intenti. Eos *iuratos* nominant, quippe quod, pari religione deuincti ſunt. Eorum vnus *Expeditor* eſt, decretorum & ſententiarum. Nec plures vetantur, ſi opera eorum opus. Alioquin omnes *Tyrnauiæ* continuo adeſſe par eſt, nec recedere inde, niſi vel ſubitum aliquid, vel feriæ interuenerint. Abſente præſide, officio proximus ab eo, defungitur. Numquam vero pauciores, ternis ſint oportet, vt librari ſuffragia poſſint. Si bifariam ſententias diuidant, tum ea pars vicerit, cum qua præſes ſentiat. Sedem in concilio ea ſerie, qua aliis alii ſubſequuntur, occupant, ideoque, demortuis, aut alio auocatis, qui ſeniores ſunt, ſuccedunt. Rex, *Præſidem*, & conſeſſores deligit, hi, *Expeditorem*, & *Iuratos*, ita tamen, vt nec illi, quorum penes ſenatum eligendi arbitrium eſt, præter voluntatem regis, adſciſcantur. Agunt autem de omnibus iis controuerſiis, de quibus

eius conſtitutio?

Præſes, conſeſſores, reliqui?

x.) Articulo XXXII. *y.)* Decreto eiusdem anni Artic. XXX.

bus *Protonotarii* olim, in *Octauis*, & *Breuibus*, vti aiunt, iudiciis conſtituebant. Iis enim, ad *Tabulam Regiam*, vti alibi demonſtratum eſt, reuocatis, iam his, negotiorum illa moles incumbit, eo quod eorum vice, ſurrogati ſunt. Longum eſt, nec ex inſtitutione operis, deſignare cauſſarum genera, quæ heic fas eſt examinare, diiudicareque. Leguntur ſingula in anni MDCCXXIII. decretis *(z.)* multa adcuratione deſcripta. Frequens propterea, nobilium litigantium multitudo *Tyrnauiæ* eſt, quæ ex tribunalis exſpectatione pendet. Illud in toto inſtituto eximium, laudeque digniſſimum eſt, quod *Aduocatum pauperum* habeat *pauperum*, qui tenuioris fortunæ hominibus, ſi vel ipſi in ius vocati fuerint, vel diem dixerint aliis, patrocinetur oportet, *(a.)* ſine ſpe præmii, ſolo eo contentus, quod a rege deſtinatum ſibi habet, ſtipendio. Si quis magiſtratus huius decreto ſtare, cauſſamque ſuam eo, quo heic deciſa eſt, iure, labi noluerit, patet ei, ad *Tribunal Regni Superius*, ſeu *Tabulam Regiam*, & prouocandi, & ius vendicandi ſuum, aditus.

aduocatus pauperum.

§. XVII.

ADhuc in vrbe verſabamur. Locus poſcit, vt ea digreſſi, quibus circumſideatur agri opportunitatibus, videamus. Nulla ei adſtructa eſſe ſuburbia, ſupra meminimus. Horrea eorum vice ſunt, & multa, & ſegetum capacia. Interſunt villæ quoque ruſticæ, ad agricolationis factæ commoditatem. Quo enim quisque plus habet agri, eo curat impenſius, ne villa, cum ruſtica, tum fructuaria, deſtituatur. Hortorum, non æque ſtudioſi ſunt cultores noſtri, quam Piſonienſes. In præcipuis habentur, Archiepiſcopalis alter, alter Societatis Ieſu, cui *Stellæ* nomen, credo a ſimilitudine rei inditum. Reliqui, non tam, ſeu Floræ, ſeu Pomonæ ſunt idonei, quam herbis & radicibus culinaribus. Ab aquilone palus mœnibus ſuffunditur, ex immiſſo, Tyrnauiæ amniculo, collecta. Quod vltra, in omnes plagas ruris, exporrigitur, ſementi in primis idoneum, cuius faciendæ, quam ſint ſtudioſi ciues, inde poſſit exiſtimari, quod Tyrnauia, horreum dici meruerit, totius circum regiunculæ. Multæ hic fiunt arationes, ſementis autem copioſa adeo, vt mirari ſubeat, quomodo, tantum operarum ruſticarum, confici poſſit ab vrbicis iſtis agricolis. De frumenti, quod heic gignitur, præſtantia, panis, quem laudauimus, teſtimonio eſſe poteſt. Atque habent omnino Tyrnauienſes, non modo, quo ipſi victitent, ſed etiam quod in fora inuehant. Adtentiores ad rem nos monuerunt, vſu ſe doctos eſſe, frumenti, quale *Tyrnauiæ* ſtatuitur pretium, tota demum regione, quin & apud *Piſonienſes*, obtinere; non quod id legis ſit; ſed quod huiatis mercatus fama, didatur circumquaque. Et hæc quidem Cereris munera fuerunt; Bacchus non minus clementer habetur, ſed anguſtioribus ſpatiis.

Agri Tyrnauienſis *opportunitas*;

z.) Articulis xxxi. ſequentibus. | *a.*) Fine Articuli xxx.

Editior quædam terræ poſitio eſt, ad *Parnam* amniculum. Montem regium vocant, ob vini ne fructum, an ob regis indulgentiam, qua ſit proſequutus collem, neſcio. Aiunt enim, iam tum anno MCCCXLVII. vite conſeri cœptum. Fundit, vinum vber, ſaporis probi, & generoſitatis eximiæ, ſed quod, neque pinguedine, neque ætate reſpondet, iis, quæ *Tyrnauienſes*, in *Alsó-Diós*, *Senquitz*, *Schwanzbach*, & *Tierling*, educant. Irrigatur *Tyrnauienſium* ager, gemino fluuiolo: cognominis alter eſt, quem memorauimus ſæpius; alter *Parna*. Vterque molis inſidetur frumentariis, ſicuti vtilitatis permultæ, ita plurium oblectationum, quas hic vrbis magiſtratus, & Venerab. Capitulum, pro anni tempeſtate varia, atque inprimis fœniſecii tempore, capiunt. Vltimum eſt, non ſiluiſſe, tres vicos, in ditione ſua habere *Tyrnauiam*. Orienti *Moderdorff*, *Gerentsér* meridiei, obiacent; *Roſindel* in occidentem abit. Atque hæc habuimus, de *Tyrnauia* dicere. Supereſt, vt bene ei precemur, idque ex animo.

amnes, quibus irrigatur:

vici, qui ſunt in vrbis ditione.

III.

HISTORIA
VRBIS MODRENSIS.

SYNOPSIS.

Scribendi ordo: Modræ *ſitus: de nominis origine coniectationes: poſſidetur ab* Henrico, *Comite Piſonienſi: a* Iohanne *poſtea: tum a* Striborio: *ſit* Orſzágiorum: *eius gentis origo, ludicris initiis profecta: occaſus:* Modra, *fiſco regio adſcripta.* §. I.

Priuilegia oppidi, antequam inter liberas & regias ciuitates relatum eſt. §. II.

Quando axioma Liberi Regii que oppidi *acquiſierit: rationes cenſus regii: priuilegiorum adfirmatio.* §. III.

Fata vrbis, belli & pacis temporibus: incendium nuperum. §. IV.

Vrbicula forma exterior: adium numerus: mœnia: porta tres: ſuperior: Baſingenſis: ordo & forma adium intra mœnia: templum in foro, cum turri: Domus PP. Benedictinorum. §. V.

Curia: forum publicum: Domus Zayana: *platea Baſingenſis.* §. VI.

Suburbia ſunt tria. §. VII.

Campi & terrenum meridionale: montes ſilueſtres: mons Kogl: *montes aperti & vineta: fontes: riuulus molis & vrbi commodus: inſignia Modrenſium.* §. VIII.

Oppor-



Modra ſidulcem, quæras ſub palmite vitam
Ex ea viti juncta, quieſque placet.



Palladis oſtra, quodſi deſcenderet urbem,
Eſt Cæſuraret lividus ipſe novum.

S. Mikovíny delig.

A Kaltſchmidt ſculp. Vien.

Opportunitates Modrenſium : aeris ſalubritas : vini indoles : res frumentaria. §. IX.

Ciues Germani *&* Slaui*: occupatio ciuium : victus : amictus : indoles ciuium reliqua.* §. X.

Vrbis magiſtratus : eius inſtaurandi ſtatum tempus : quid in ditione habeant Modrenſes. §. XI.

Nundinarum ſolemnia : earum celebritas qualis. §. XII.

§. I.

ODRAM, vrbium Regiarum Liberarumque, in *Comitatu Piſonienſi*, tertiam, nunc adibimus: nam, huc nos inuitant, & ſitus, & prærogatiuæ rationes. Poſita eſt ad *Carpathi* radices, pulchre hac ſe regione ſinuantes, tanta planitie in valliculam retruſa, quanta vrbi accipiendæ ſufficiat. Itaque, clauditur a Septentrione, collibus vitiferis, ea commiſſorum varie laterum amœnitate, quæ poteſt eſſe maxima. Quod vltra vineas eſt, ſilueſcit in opacos ſaltus, dum in montes, ex ingenio *Carpathi*, ſic ſatis celſos, & vltra, quam poſſis proſpicere, porrectos, deſinat. Id & loco nomen dediſſe putant nonnulli, quod cæruleum quaſi, ſiluæ circumſitæ, colorem mentiantur, e longinquo proſpectantibus, quem Slaui, *Modry*, vocant. Atque videtur omnino velificari etymo, arcis *Modry-kamen*, quam Hungari *Kékkő*, dicunt, apud *Neogradenſes*, denominatio, a cæruleo ſaxo petita. Malunt alii, ab Hungarica voce, *Modúr* adpellatam, neſcio a quo loci poſſeſſore, qui ita dictus fuerit. Sed, coniecturæ ſunt omnino, niſi nobis, vel diplomatum fide, vel monimentis aliis, fuerint adfirmatæ. Scilicet, latus eſt, in vnaquaque re, ad coniectandum campus, ſed etiam procliuis ad lapſum, niſi habeas, vbi tuto pedem figas. Quidquid huius, ſit, ante *Henricum*, comitem *Piſonienſem*, conſtat nihil, cui *Modra* paruerit. Paruit autem *Henrico*, anno MCCLXXXVII. Sed, cum huius filii, ad partes *Vajuodæ Opúr*, prouinciam *Piſonienſem*, igni ferroque vaſtantis, tranſiuiſſent, ademtam *Modram*, LADISLAVS *Cumanus*, alteri eiusdem prouinciæ comiti, *Iohanni*, cum omni agro & prouentu, adtribuit; partim, vt damna, *(a.)* quæ ea tempeſtate, regis cauſſa fecerat, penderet, partim, vt remuneraretur conſtantem erga ſe hominis fidem. Sunt noſtris litteræ, quibus oppidum, anno MCCCC. STRIBORIO de STRIBORICH, *Wajuodæ Tranſiluano*, ſubiectum fuiſſe docetur; quo ille quidem potiebatur, dum ſupereſſet in poſteris. Vt is vita, & opima dominatione, deceſſit; totius enim *Vagi* dominum fuiſſe conſtat, ad *Orſzágios*, regum indulgentia, oppidi poſſeſſio

Scribendi ordo:

Modræ ſitus:

de nominis origine coniectationes:

poſſidetur ab Henrico; *Comite Piſonienſi:*

a Iohanne *poſtea:*

tum a Striborio:

ſit Orſzágiorum:

a.) Proximi enim vici *Turua*, hodie *Tirlingh*, *Nyék*, qui tunc ad IOHANNEM ſpectabant, igni deleti ſunt.

ſio translata eſt. Gentis parens, adoleſcens, *Michael Orſzágh* fuit, qui puerili, & ludicro inſtituto, SIGISMVNDO regi cognitus, ad ſummas poſtea opes, & dignitates, emerſit. Iuuat, ſilentibus rerum Hungaricarum ſcriptoribus, DVBRAVII *(b.)* verba adſcripſiſſe. *Cum fines Hungariæ, adtigiſſent*, (Sigismundus, cum ſuo comitatu) inquit, *occurrit illis globus puerorum, ritu gentis ſagatus, cum ſignifero adultiore. Interrogat Hungarice* SIGISMVNDVS: Quænam hæc militia, & cuius ſint iſti milites? *reſpondit ſignifer:* En Tibi, præſens adeſt *Orſzág*, qui tecum, o Rex! militet contra hoſtes Tuos. Accipio, *inquit*, omen, & ita ſpero fore, vt a me ſtet Orſzág, *quod apud Hungaros ſonat*, concilium vniuerſi populi. *quemadmodum paullo mox accidit, Budam ingreſſo, vt ei, omnes ibi ordines præſto eſſent, rogarentque, vt eorum obſequio, ad omnes ſuos conatus vteretur. Huic ſignifero, vbi ætas illi validior acceſſit, hanc retulit gratiam, vt illum in loco ignobili, & egeſtate natum, ad equeſtrem gradum, & mox ad tantas diuitias prouexerit, quibus cum proceribus Hungariæ certauit*, Orſzág *illi cognomine indicto. quo in hanc diem familia illa gloriatur.* Hæc ille, ignota ſcriptoribus noſtris. Laudes Viri, & fortunam, BONFINIVS *(c.)* meminit: *Michael* Orſzág, *Palatinus, qui ea ſapientia, probitate & fortuna fuit, vt cum ſub Sigismundo florere cœperit, quem in Italiam, diſpenſator ſecutus eſt; ſub quinque regibus, numquam intercepta felicitate, ad extremum vsque finem, vitam cum ſumma laude & auctoritate peregit. Hunc* MATTHIAS, *ob ſingularem prudentiam, experientiam rerum, & æquitatem abdicato*, Ladislao Gára, *Palatinum fecit.* Nec deerant, qui tanti progenitoris memoriam, pari ſtudio virtutis tuerentur. Vltimus, gentis hæres CHRISTOPHORVS ORSZÁGH DE GVTH, fuit, anno MDLXVII. fato ſuo functus. Dum viueret, *Supremum Comitatus Neogradienſis* comitem & FERDINANDI I. *pincernam*, ſumma cum laude egit. MODRAE autem ſuæ, cum multa alia beneficia, tum id præſtitit, vt ipſo auctore, adſentientibus *Fuggeris*, arcis vicinæ *Vereskő* poſſeſſoribus, ſiluarum partis vtriusque limites, metis rite poſitis, definirentur. Sed CHRISTOPHORO mortuo, quod hæres nullus ſuperabat, oppidum rurſus regio fiſco, ea lege adſcriptum eſt, ne poſſit vnquam, ſiue ære vendi, priuato cuiquam hero, ſiue etiam conferri dono. Tunc & priſcæ oppidi libertates, inſtauratæ ſunt a MAXIMILIANO II. quas ille, ſingulari diplomate, anno MDLXIX. ad octauum *Februarii* diem, perſcripſit. Ne vero, benignitatem hanc regiam, ingrati accipetent *Modrenſes*, ſex florenorum Hungaricorum millia, bipartito ſoluere. Adſignatus præterea fuit, *ſexcentorum quadraginta* florenorum eiusdem monetæ, *cenſus regius*, quem in annos ſingulos ciues, in fiſcum referrent. Quin & e ſiluis, certum roborum numerum, nauibus contignandis idoneum, cædere tenebantur, operas eas, regio ſiluarum cuſtode, moderante.

ius gentis origo, ludicris initiis profecta;

occaſus:

Modra, *fiſco regio adſcripta.*

b.) IOHANNES DVBRAVIVS, Epiſcopus Olomucenſis, Hiſtoriæ Bohemicæ Lib. XXX. p. 206, 39. editionis *Thomæ Iordani*, fol. *Hanoviæ*, typis Wechelianis. Anno 1602.

c.) Decade IV. Lib. I. p. 538, 22. & retro, Decade III. Lib. III. p. 400, 23.

rante. Atque hæc quidem oppidi conditio fuit, antequam in vrbibus liberis cenſeretur.

§. II.

ANte eam prærogatiuam, etſi nunc a fiſco, nunc a proceribus regni diuerſis, poſſidebatur; numquam tamen non validis antiquiſſimorum regum priuilegiis, qualemcunque eam ſeruitutem diſtinxit. Iam tum LADISLAI *Cumani* temporibus, cum anno MCCLXXVII. IOHANNI, Comiti Piſonienſi, dono fuit datum oppidum, iuribus gaudebat, quæ hodieque vrbi in primis velificantur. His deinde, anno MCCCLXI. LVDOVICVS I. addidit, vt non tantum, ſine *Comitum Piſonienſium* arbitrio, libere magiſtratus eligere, de iure vineatico conſtituere, ponere vineas, neque teneri onere *(d.)* vinorum, per extraneos, cum primis *Tyrnauienſes*, euehendorum, quin potius *Ciuitatis Reginalis (e.)* nomine, & iure, vti permitteretur. Singula hæc, & his vetuſtiora, SIGISMVNDVS adprobauit: prohibuit etiam, ne domos liberas, præter ciuicas, in oppido eodem liceret ædificare. Id, cum libertati ſummæ, tum non plane nulli prærogatiuæ noſtris ceſſit, quod accedente poſtea, anno MDXV. WLADISLAI, regis priuilegio, & cultum vineaticum præ extraneis, *Tyrnauienſibus* cum primis exercere, & vetare domos liberas, vsque huc omnino poſſint. Immunes a telonis, in proſequendis autem mercatibus, liberos, diplomate perſcripto, FERDINANDVS I. eſſe voluit. Nec deerat FERDINANDVS II. a. MDCXXXI. petentibus liberam erigendi, apud ſuos, telonii facultatem.

Priuilegia oppidi, antequam inter liberas & regias ciuitates relatum eſt.

§. III.

IN liberis oppidis, MAXIMILIANVS II, quem nunc diximus, anno MDLXIX. *Modrenſes* retulit, præſcripto eis *florenorum ſexcentenorum & quadraginta*, quotannis pendendorum, cenſu, quem a die, quo id fieri oportebat, *S. Michaelis cenſum*, adpellitant. Sed veto, numero tunc liberarum vrbium tantum adſcripti ſunt; nomen prius non acceperunt, quam RVDOLPHO II. imperante. Is enim, anno demum, MDCVII. pleno eos iure in libertatem ciuitatum regiarum adſeruit. quæ res dedit controuerſiæ locum, quemadmodum anno MDCVIII. comitiorum decreta *(f.)* habent: *Quoad ciuitates & oppida, quæ ad Coronam regni non ſpectant, quaue in decretis etiam regni minime ſunt ſpecificatæ, vtpote*, Modra, Bozin, S. Georgii, *& aliæ ſimiles, vtrum in cœtu Statuum & Ordinum regni, locum & vota habere debeant? regnum cum regia Sua Maieſtate, ſtatim poſt coronationem, ex conſilio Hungarico deliberabit.* Ac ita omnino euenit, adſcita fuit Modra inter vrbes regias libe-

Quando axioma liberi regiique oppidi ad quieuerit.

d.) Eſt hoc ontis aliud nihil, quam vulgare illud, *Niederlaag-Geld.*

e.) Ita habent verba Diplomatis.

f.) Articulo vi. ante Coronationem & Pacificationem Viennenſem, ad v.

liberasque, teſtibus, *Georgio Thurzone*, Regni Hungariæ Palatino, & *Sigismundo Forgáchio* Thauernicorum, vt vocant, regalium per Hungariam magiſtro. quorum hic, anno MDCVIII. ille anno MDCX. datis litteris, priuilegium hoc, palam declararunt. Et ſicuti iam tum, peculiaris ille ciuitatum, vt nominantur, *Thauernicalium* ordo, promiſſus eſt Modrenſibus; ita, vbi, quæ requirebantur, præſtiterunt, anno MDCXIII. eisdem ciuitatibus: *Budæ*, *Peſt*, *Piſonio*, *Tyrnauiæ*, *Sempronio*, *Bartphæ*, & *Szakolcz*, adnumerati omnino ſunt. Cenſum autem, quem Maximiliano ſpoponderant, pendebant primum in regium ærarium, vsque ad annum MDCX. deinde genti Pálffiæ, vsque ad obitum *Paulli*, eius nominis Comitis. Redemit eum poſtea *Georgius Lippay*, Archiepiſcopus Strigonienſis, pro ſeminario *Pázmáni Vindobonenſi*, atque, vbi ad annum vsque MDCLXXXVII. eo ceſſerat, iterum ab Epiſcopo Agrienſi, *Georgio Fényeſſio*, die XXVII. Auguſti anni eiusdem, pro *Generali Rubrorum Collegio* impetratus *Tyrnauiam* hodienum pendi ſolet. Ceteroquin, vt ea libertas, & prærogatiua ciuitatis, eo firmior perduraret, accepit, & a Matthia II. rege, priuilegium, quo omnia, quæ a Maximiliano & Rvdolpho collata ei ſunt, conſciis *Franciſco Forgách*, Archiepiſcopo Strigonienſi, Stephano *Illyésházy* Palatino; *Sigismundo Forgách*, *Thauernicorum Magiſtro*; & *Stephano Pálffy*, comite Piſonienſi, denuo quaſi corroborata, atque obſignata habentur.

rationes cenſus regii:

priuilegiorum adfirmatio.

§. IV.

Fata vrbis, belli & pacis temporibus:

Fata vrbis, vetera illa, non eſt neceſſe recenſere. Quidquid Piſonio, aut Tyrnauiæ, tempeſtatis incubuit, non potuit non Modram ſimul adflare. Bellis certe Auſtriacis non minus, quam Bohemicis ſubinde tantum damni fecit, quantum longa poſt annorum ſerie vix poterat reparari. Nam, quod locus inermis tunc erat, patuit impreſſionibus, non exercituum modo, ſed etiam latrunculorum quorumuis. Sed mittamus hæc: quippe dicta ſæpius: ſeculi, ſuperioris memoriam, paucis iuuat refricuiſſe. Primum, *Bocskaio*, cum reſiſtere nequiret, anno MDCV. portas cogebatur aperire: ea rerum viciſſitudine, vt nunc ab Hungaris, a Germanis iterum, infeſtis armis vindicaretur. Vnius anni ſpatio, captam, receptamque, expilatam & depaſtam igni *Modram*, videre erat: dum pace Viennenſi, Rvdolpho redderetur iterum. Pulchris poſtea incrementis conualuit, ac prorſus viſa eſt efloreſcere; niſi turbo, e Tranſiluania proruens, nouam ei, anno MDCXIX. & qui ſequuti ſunt calamitatem inflixiſſet. Iterabantur enim vero, eadem obſidionum, rapinarum, & incendiorum mala, annis propemodum ſingulis, erantque vrbi, eo iniquiora, quo ingruebant frequentius. Huc retuleris, *Bouquoii* iniurias, ferro, igne, & quo non ſæuitiei genere, vrbi illatas, cum anno MDCXX. funeſtam illam expeditionem, *Ujvárinum* verſus ſuſciperet. Melius ſe res Modrenſium, *Rákacziano* bello habuere. Tametſi enim, ne tum quidem ciuium fortunis

tunis parſum eſt; vrbs tamen, ſarta manſit tectaque. Atrociora omnia incubuere anno MDCLXIII. cum Ujvarinum Turcæ obſidebant. Perierat vrbs, fumante circum Turcicis incendiis, regione, niſi eam *Montecuculi* idoneo *(g.)* præſidio inſtruxiſſet. Exterorum hæc maleficio acciderunt: dum ſeditio Tököliana, quam annus MDCLXXXII. dedit, vrbem quoque noſtram corriperet, immo laceraret. Vltimo denique *Rákóczianorum* motu, annis ſeptem, perpetuis nunc prædarum, nunc ignis, nunc famis, nunc tributorum difficultatibus vrgebatur. Annus in primis MDCCV. funeſtus Modræ fuit. Nam, præterquam quod hactenus ab Hungaris, vltra omnem modum premebatur, poſt pugnam certe Tyrnauienſem fere peſſum iuit. Nimirum, *Deuentius* cum VI. cohortibus, ab *Heiſtero*, ineunte anno MDCCV. immiſſus, exhauſtæ commeatibus vrbi, inediam induxit propemodum exitiabilem. Nam, & domus ſingulæ quindenos vicenoſue milites, hoſpitio excipere, alereque debuerunt, & ſenatus diurno tributo, tricenorum centenariorum carnis, panis librarum ſepties millenarum, vsque ad XVI. Ianuarii, onerabatur. Diuiſis poſtea, & alio demigrare iuſſis turmis, pauciores quidem milites aluere; ſed hos etiam extra modum graues, & pronos in iniurias. Vt hiems abiit, aduolauere profligati nuper Hungari, ad XIX. Martii diem. Vix in vrbis conſpectum venerant, cum miſſis caduceatoribus, vrbem dedi poſtulant. Negauere id ſe facturos, cum ciuibus præſidiarii: iamque diei medium, his ſollicitationibus extraxerant Hungari, cum viſa Modrenſium obſtinatione, in furorem acti, primum villas, deinde ſuburbia, & denique vrbem ipſam, iniectis paſſim ignibus, ſuccenderent. Paullo ante, quam incendium cooriretur; funere ciues, nobilis cuiuspiam ex cohorte *Haslingeriana* legati, *Imhoffio* nomen erat, occupabantur, iamque in *oratorium* A. C. illata tumba, ſacræ concioni, ex more vacabant; dum inualeſcentibus, repente flammis, exire coacti, primum ſeruando *oratorio*; deinde, vbi vrbem quadrifariam ardere conſpexerunt, relicto cum omni adparatu, funere, &, quod efferri inde haud poſſet, ignibus permiſſo, ſuis ipſorum ædibus, ſuccurrunt. Impediri tamen haud poterat, quin inualeſcente vento, obſeſſoribusque vrgentibus, vrbs omnis, ſi vicum excipias vnicum, conflagraret. Altero poſt die, cum ſeruandæ diutius vrbis ſpes ſupereſſet nulla, facta deditione, armisque poſitis, *Haslingerianorum* manipuli VII. *Kirchbaumianorum* IV. inermes, in *Morauiam* abierunt. Iacuit poſt *Modra*, ſuis cineribus quaſi ſepulta, ideoque nuda præſidio, dum profligata penitus ſeditione, regi optimo, ſibique reſtitueretur. Diu elaborare ciues oportuit, cum poſſent detrimenta redintegrare. Vix autem vires colligere, obtegere muros, atque tot malorum obliuiſci poterat vrbs: cum, nouo iterum, anno MDCCXXIX. die XVIII. Iulii, orto incendio, partem maximam, peſſundabatur. Nam, vti ex ea parte ciuitatis, quæ in occidentem vergit, & ſuperiori portæ vicina eſt, improuiſus ignis, neſcio cuius negligentia feminæ erupit, ita ſufflan-

incendium superum.

g.) Ita Wagnervs, Hiſtoriæ Leopoldi M. Lib. II. p. 130.

fufflantibus ventis, diſperſus varie, trihorii ferme interuallo, omnia ea ædificia, quæ in orientem & meridiem procurrunt, in maiores flammas coniecit, quam quæ potuiſſent reſtingui, concurſantis multitudinis labore. Exuſtum, ea tempeſtate eſt, præter alia, templum, quod vrbis aream inſedit, cum turri, elegantiſſime faſtigiata, cuproque intecta: duo item A. C. *oratoria*: ne damna referamus, quæ per conclauia, horreaque, conſumto omni pabulo, & re frumentaria (nam & meſſis domum iam deuehebatur) edita ſunt, eodem incendio.

§. V.

Vrbicula forma exterior:

Hls ergo malis laboranti adhuc *Modræ*, ſatis erat, ſi nudatos parietes, qualicunque tecto contegere, & quod ſolo æquatum fuit, ſurrigere liceret denuo. Alioquin, vrbs elegans eſt, formæ quadratæ, longior tamen quam latior: quippe, hinc in aquilonem, in orientem illinc producta. Suburbia tenuia ſunt, & quæ cum vrbe, domos vsque huc, non plures complectebatur, quam *trecentas* & *triginta*. Incingitur muro ſolido, & ex recenti more foſſa vna, compluribusque propugnaculis egregie ſatis eminentibus, communito. Supereſt priſci etiam operis, quidpiam, ritu vetere, ſine interno aggere, excitatum, tunc forte, cum ſagittis, & balliſtarum iactibus, vrbes oppugnabantur. Nouæ illæ munitiones, anno MDCX. quo ciuitas libertatis regiæ robur, a *Palatino Thurzone*, indepta eſt, exſtrui cœpit, non tamen prius, quam ad annum MDCXLVI. conſummatus. Portis aditur tribus, quarum vna eſt, *ſuperior*, cum epigraphe:

adiecta numerus:

munia:

porta tres:

ſuperior:

Niſi Dominus cuſtodiuerit ciuitatem,
Fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eam.

Altera vero *inferior*, quæ fronti inſcripta habet:

Der Herr iſt unſer Schirm und Schild,
Der Herr iſt unſer Schutz. Sela.

Baſingenſis

Hæc in meridiem ſpectat, illa in Septentrionem, in occaſum tertia, ea nimirum ex parte, qua Bazingam iter ducit, ideoque *Baſingenſis* nuncupatur, & quod in Auſtriam obuerſa eſt, haud male beneficiorum memor, tres Cæſares Auſtriacos, a quibus inter liberas & regias ciuitates adſerta eſt, oſtentatis eorum inſignibus, nominibusque recolit. Aquila eſt, ſuper aditu, forma bicipiti depicta, quæ a dextris, ſcutum Hungariæ, vrbis autem a ſiniſtris adiectum habet, cum verbis.

DEI O. M. POT. AVSP.
DIVO MAX. II. D. RVD. II.
D. MATTH. IMP. ET REGE.

AVG.

AVG. VT PP. AD IMMORT. MEMOR.
BENIGNITATIS LIB. E. PVBLICAE
MDCXVIII.

Intra mœnia ædes ſingulæ murati operis, at ſerie haud ordinata decurrunt. Vix duæ tresue domus, eadem linea ſunt poſitæ, quin promiſſo in plateam angulo, protuberent aliæ. *Fileck* non nemo dicere maluit vrbem, ob anguloſos ſinus platearum, quam *Modram*. Medium occupat templum, amplum ſane, & ob turrim, cui adhæret, totius omnino vrbis ornamentum: Antequam conflagrauerat, ſcribit Syndicus Modrenſis *(b.) turrim paucis in Hungaria comparari potuiſſe, non tam ob altitudinem*, vt ipſius verba habent, *quam proportionem ad Mathematicas regulas, exactiſſime dimenſuratam, ornatamque cum primis trium, nonnumquam & quatuor campanarum, harmonico plane, & rariſſimo compulſu, quarum maximam centenariorum LXV. grauem, in comperto haberetur: tectum, cum coronide turris, eiusdem, in forma triplicis globi, cuius infima horologii, pra multis aliis elaborati ſedes fuerit, interpoſitis columnis fuiſſe erectum, & adornatum laminisque cupreis centenarios 47. praponderantibus artificioſe calatum, pretio illius ætatis, multo leuiori, totius tecti, & coronidis iuxta cuprum illud, ad florenos bis mille ducentos, quadraginta ſex, ſeſe extendente. Hodie murus, exuſto faſtigio, tantum ſupereſt*, obtectus viliter. Aedi ſacræ, adſtructum eſt cœnobium, quod tres, e PP. ordinis *S. Benedicti*, iidemque officiis ſacris ædis huius præfecti, inhabitant.

ordo & forma ædium intra mœnia:

templum in foro cum turri:

Domus PP. Benedictinorum.

§. VI.

HAud procul a templo hoc, curia diſtat, loco hilari, eo quod in foro aperto. A multis iam annis conſtruebatur, nec tamen conſummari adhuc, ob temporum iniquitatem, poterat. Tot enim, quæ dedimus incendiis, id etiam, quod fuit memoratu dignum deletum, nunc primum incipit reſtaurari, ſed ægre ſatis. Ceteroquin forum publicum, a platea, quam maiorem vocitant, aliter haud diſtinguitur, quam quod in medio eius, prope templum & curiam, ampliori quopiam interuallo, ſeſe dilatat. Nam vti ea, a ſuperiori porta, ad inferiorem vsque, obliquo tramite, eodemque ſpatioſo ſatis decurrit: ita in medio laxior, aream format, concurſui hominum, & mercatorum tabernis, aptam. Ex vtraque parte, habet domos ſtructura haud ſibi diſſimili; alias tamen aliis nobiliores, præſtantioresque. In his vnam notauimus a ſiniſtris, verſus portam ſuperiorem, quam *Zayanam* nominant, a *Barone* LADISLAO ZAY; Eadem ſerie domuum, ſed paullo inferius, occurrit & *Apotheca pharmacorum*. Inde vicus alius, ſeu platea, ex maiori illa, transuerſim, pe-

Curia:

forum publicum:

Domus Zayana:

b.) Iohannes Georgius Schreiber, Conſul & Syndicus Modrenſium, dum viueret, haud obſcurus, adumbrauit *Modram* forma quadripartita, anno MDCCXIX. Zitauiæ, expreſſam in cuius libelli §. VI. verba quæ dedimus, legas.

platea Baſingenſis.

nes templum aperitur, pergitque, haud viliori, tametſi paullo humiliori, ædificiorum ſerie, verſus portam *Baſingenſem*, a qua & nomen mutuat. Id dolendum eſt, vrbiculam, amœni vtique poſitus, fœdius haberi, quam pro liberæ regiæque vrbis dignitate. Cœno obruti, immo imperuii ſunt vici, ſi depluat diutius; certe familiares ædium ſordes, proüiciuntur in compita, non euehuntur foras. Quid, quod pecore domeſtico, nulla non domus referta ſit. Vidimus vicum maiorem, tela inductum, quam ad interlabentis amniculi marginem vtrumque, dealbabant mulierculæ; inſolito alias vrbibus ſpectaculo. Tanti eſt, ſi a celebritate hominum vrbes deſtituantur.

§. VII.

Suburbia ſunt tria.

SVburbia, pro numero portarum, tria numerat, quarum nomine, aliud *ſuperius; inferius* aliud; tertium *Baſingenſe*, adpellatur. Inferius præcipuum eſt, non modo, ob originem ciuitatis, quam illic cœpiſſe, ſtetiſſeque primum, fama eſt; ſed etiam, quod præcipua loci & domuum ſerie, anteit reliqua. Vnum & huic templum eſt, & oratoria bina; *Germanorum* aliud, aliud *Slauorum*. Horum vtrumque vicinum portæ eſt; illud in oram recedit ſuburbii, qua in meridiem declinat. Id A. C. ciues olim e ruderibus, poſtquam ſolo a barbaris æquatum fuit, exſtruxerunt, frequentaruntque Germanico cultu, ad annum vsque MDCXXXV. Sed mutata poſtea vice, hoc iterum *Catholicis* reſtitutum eſt, Auguſtanis interim intra mœnia, rem ſacram facientibus; dum viciſſim anno MDCLXXXII. indulgente Cæſare, duo eis, pro nationum diuerſitate, *oratoria*, extra portam concederentur. Itaque templum illud, quamuis exiguum ſit, *parochiale* dicitur. Alioquin cœmeterium, quo incingitur, commune eſt, vtriusque ordinis ciuibus. Reliquus ſuburbiorum habitus, vti ſplendoris refert nihil; ita, habet permultum, ad colendum, opportunitatis. Rara eſt domus, cui non a tergo adhæſit hortulus, non arbore modo conſitus varia ſed *roris* etiam *marini* frutice. qui Modræ multo, quam alibi, proficit felicius, deferturque paſſim venum a feminis ex re tenui, quæſticuli quidpiam facientibus. Hic quoque, cœnoſa compita, merito poſſis damnare, tantarum moleſtiarum, ſi vdum ſit cælum, vt vicinum a vicino hercíſcantur, interfluente cœno.

§. VIII.

Campi & terrenum meridionale:

QVidquid ex ea parte ſuburbii, qua in meridiem vergit, diffunditur; in planities, concauas tamen & ſegetibus fœniſeciisque aptas, deſinit. Montoſum contra, & aſperum eſt,

montes ſilueſtres:

quod ex aliis partibus vrbem circumuenit. Illud in primis, quod Septentrioni obuertitur, in vaſtos montes, apertos infra, ſupra ſilueſtres,

mons Kogl:

adſurgit. Maximus omnium vocatur Germanis *Kogl*, qui in occidentem

tem reclinans, tam alte adtollitur, vt citra & vltra Danubium, ab longiquo conſpici; ipſe autem multorum milliarium proſpectus, oſtendere queat, e vertice deſpicientibus. Cetera ſpiſſus, cum ſaltibus reliquis, denſos anfractus, & nil niſi opacas ſiluas, infinitis quercubus, pinis, vlmis, abietibus, fraxinis & tiliis intermiſtas, ambitu milliarium duorum ferme, complectitur. Aperta quæ ſunt, & ad vrbem propiora, veſtiunt vites, & arbores pomiferæ, generis non diuerſi magis, quam exquiſiti, & optimi ſaporis. Nec deſunt fontes, infinitis ſcatebris, vndas, hinc & illinc, eructantes, liquidas & ſalubres. In his tres in primis a *Modrenſibus* laudantur: *Herrn-Brunn* vnus, alter *Dürnkegl*, & tertius, *Zlábek*. Singulis peculiare aquæ ingenium eſt; cum prior vterque, pulcherrime effluat; vltimus, longiore canaliculo, vndas, ex petroſo colle, glacie gelidiores colligens, atque in vmbroſam vallem effundens, frequentem ciuium turbam, crebro in montes adlicit. Plures ergo riuuli, aliis alii vberiores, per diuerſas partes inerrant. Maximus omnium, per varia montium præcipitia deuolutus, primum frumentarias molas ſeptem, deinde ferrariam vnam, impellit, poſteaque vrbem, continua plateæ maioris longitudine, interfluit. Huic, accedunt alii duo, vnus vrbis pariter pomœria, alter ſuburbium *Baſinienſe*, interluens; dum extus corriuati omnes recta *Senquitzium* ferantur. Ob hanc ergo montium, vinetorumque, & riuulorum, ſiue amœnitatem, ſiue præſtantiam, ſcutum quoque ciuitatis, linea a ſummo deorſum per medium ducta, hinc in aureum, illinc vero in rubrum, campos diuiſum, a parte dextra ex triiugi viridi monticulo, oblique adſurgente, repræſentat vitem viridem, cum dependentibus tribus botris, in ſiniſtra autem rubri coloris ſcuti parte, tres albas laminas, ad inſtar fluuiorum transuerſum ductas. In hæc non male nonnemo.

montes aperti & vineta:

fontes:

riuulos molis, & vrbi commodos:

inſignia Modrenſium.

Vua triplex, alboque rubens diſtincta colore
Faſcia, quid ſunt? Inſignia Modra tua
Quid ſignant? munusque Dei, Regisque fauorem
Auſtriaci, Regem, Modra! Deumque cole.

§. IX.

ET reuera dixerimus, *Modræ* cuncta, quæ a Deo, regibus, & ipſa rerum natura exſpectari poterant, cumulate euenisſe. Primum, loci poſitio, apta illa compoſitione montium, ſiluarum, vallicularum item & planitierum, totiusque adeo ſoli, crebra hinc & illinc, humoris emanatione perpetuo reſudantis, mouet oculos, & delectat hoc ipſo, quod terreni varietates omnes, cum quadam amœnitate, concurrant. Deinde auræ ſalubritas, quæ ex cæli ſolique mutuo habitu conſequitur, non modo vitium auertit; ſed etiam, ſi tetri aliquid acceſſerit, facile difflat ventis illabentibus. Quam ob rem, raro heic oriri peſtilentiam, graſſari parce, aduerſum eſt multoties. Itaque ſæuien-

Opportunitates Modrenſium:

aeris ſalubritas:

vini indoles:

fæuiente alibi, multos, ſalutis cauſſa ipſum etiam ſenatum ærarii regii, *Piſonio*, huc ſe recepiſſe, accepimus. Eadem hæc cæli & poſitionum concordatio facit, vt amet vitis, Modrenſe terrenum, fructificetque, quam alibi vberius, vino alioquin ſaporis grati, & virtute non contemnenda. Erant, qui id, cum Tokayenſi & Sempronienſi, neſcio, quam vero verſu, comparauerunt.

Vinum Modrenſe EST, decus eſt, & gloria menſæ

Et ſi

Gloria prima tibi debetur palmaque prima
Tokayenſe merum, ſimulans Hiſpanica vina,
Altera Sempronienſe tibi, par viribus iſtis
Atque ſapore bono, ſuaui, & dulcedine noſtrum eſt.

res frumentaria.

Dandum hoc amori in patriam, quidquid ita de vino ſuo occinant *Modrenſes*. Equidem, non auſim, id Tokayenſi atque Sempronienſi, æquiparare; niſi ridiculus eſſe velim conſulto; tametſi omnino virtute ſua, multa alia anteeat. Variat vero pro diuerſitate collium, prout hi ſolum ſolemque habent magis propitium. In maxima, boni fructus laude eſt, *Mons Regius*, ab oriente vrbi imminens: quippe, qui, & humo conſtat amica viti, & eo eſt poſitu, qui ſolibus matutinis, meridianis, & veſpertinis foueatur. Damnari cellaria, audiuimus, tepida non minus, quam madentia, ob depreſſum vrbis ſitum. Quibus rebus fit, vt perennet parcius, & ante lenteſcat, quam id reris. Ergo, dant operam Modrenſes, ne cumulent vindemias, niſi probiſſime excoctas. Sed, neque deeſt *Modræ*, frumenti & pabuli feracitas. Neſcio autem, an ſufficiat res frumentaria domeſtica, vrbi alendæ. eo quod impenſius heic quoque *Baccho* operentur ciues, quam *Cereri*; ager prætetea frumentarius, vineatico illo, multis modis ſit anguſtior. Pecudem certe alunt copioſam, vt ſit, cur apud Modrenſes, in victus adminiculis cenſeatur.

§. X.

Ciues, Germani, & Slaui:

SEd videndum iam eſt, quodnam genus ciuium, quo magiſtratu, quoue modo viuendi, Modram incolat, & denique moribus quibus? *Germani* ſunt potiores plebe *Slauica*. quæ etſi illos ſuperat copia, minor tamen auctoritate eſt, & ordine; tametſi *Germani* qui ſunt, *Slauice* in vulgo ſermocinentur. Scilicet, miſceri heic linguas oportet, ob diuerſitatem populi, illo huius ſermonem imitante diſcenteque. Occupatio ciuibus varia heic quoque eſt, Piſonienſium & Tyrnauienſium æmulatione; ſed fructu, multum omnino diuerſo. Sunt mercatores, opifices, & vinearum cultores. Rariſſimi ciuium, vnum vitæ genus degunt: ſed amant, opificiorum, vel mercaturæ, rationes connexas habere, cum cultu vineatico; ne, ſi deficiantur ab alterutro, aqua ſibi hæreat. *Mercatores*, lente admodum

occupatio ciuium:

dum proficiunt, ob retruſum vrbis, a via regia, poſitum, & *Tyrnavienſium* partim, partim *Baſinienſium* vicinitatem. Quidquid lucelli faciunt, peregre id, & in nundinis, quas adeant oportet, quæritant. Eadem & opificiorum ratio eſt, impedita nimirum, & multarum difficultatum; quam, qui neſciunt, attenta ad rem œconomia, lenire atque tolerare, opinione celerius peſſum eunt. Etſi enim commendauimus, vrbis opportunitates, vt crederes fere, ciues vitam hic poſſe cum commoditate tueri; tamen diffitendum haud eſt, ſollicita cura id fieri oportere, ſi velint proficere: quando, & vinorum fructus ita a multis iam annis euiluit, vt maior ſit eius copia, quam pretium. quod vero magna cum moleſtia, ſub hedera venditur, vix culturæ vitis ſufficit. Itaque perpetuæ ſunt cultorum vini querimoniæ, gemitus perpetui, neque ii iniqui, eo quod collectum multo labore atque impenſa, fructum, quo redigant, non habent. Quæ vna difficultas, ſi tolleretur aliquando, inſtituerenturque vini mercatus liberaliores; næ ego iurarim, his noſtris vrbibus, nihil vſquam fore beatius. Iam, cum nulli, ex re vineatica fiunt reditus, dici nequit, quantopere, & animis concidant, & opibus exinaniantur ciues. Quæ cum ita ſint, cogitatu facile eſt, duro vitæ genere vti noſtros. Satis beatos ſe credunt, ſi non quod opus, ſed quod neceſſe eſt, ſibi ſuppetat. Veſtitus, cunctis Hungaricus eſt, modeſtior ille, & pro vrbanorum more, fluidior. Neque deſunt tamen, qui Germanicum adamarint. quem & feminæ, lautiores illæ, videntur iam adfectare velle; ſed profecto oblitæ rei familiaris, anguſtioris multo, quam quæ ſufficere poſſit peregrinitati, nuper inuectæ in patriam. Alioquin munditiei dant operam, quæ modum didicerunt. Facie ſunt non plane deformi; ipſis etiam maritis, honeſtum quidpiam magis, quam luxurioſum præferentibus; tametſi nec a ſuſpicione ambitionis plane dicantur liberi. Eſt hoc fere vrbium minutiorum proprium, vt neſcio, qua adfectatæ elegantiæ opinione, & quod forte a ſuis in honore, & numero aliquo habeantur, id ſuo quaſi iure, & ab his videantur depoſcere, ad quos eorum prærogatiuæ, haud quidquam adtinent. Alioquin, quibus cum eis conſuetudo eſt, hos, pluris ſæpe faciunt, quam fere decuit; tanta ſunt in omnes, comitate & propenſione. Peregrinos hoſpitio accepiſſe, in lucris deputant. Liberaliſſime eos habent, notos in primis, & qui eis commendati ſunt. Vix ære alibi, quod heic alloquio vnico, redemeris. Potus maxime, quo abundant, prælibatione, adpoſitisque cibis, laudem hoſpitalitatis tuentur. Id cum domi inuicem, tum maxime didicerunt vſu, cum vicinis ciuitatibus, communi. Hoc enim dant operam, vt anguſtam licet rem domeſticam, vrbano cultu honeſtateque, reddant exquiſitiorem. Maritorum, cum vxoribus, & liberorum cum parentibus, ſocietas, haud facile, ſeu obſeruantiæ ſupernacuæ, ſeu fucati obſequii quidpiam admittit. Pueros litteris primum, & pietati, deinde arti cuipiam, & quam ipſi colunt, œconomiæ, initiant. Ea, vbi didiciſſe eos animaduerterunt, maritant domi, vel in vrbe alia,

victus:

amictus:

indoles ciuium reliqua.

alia, quam ipſi ſibi delegerint. Inde & puellis nubendi occaſio; quæ heic, quam alibi, magis verecundiæ deditæ ſunt, & rubori. Nuptias moderatius *Germani; Slaui*, cum profuſa luxurie, inſtituunt. Ante, & poſt connubium, dum in templum, & viciſſim domum, ſponſos inter choreas deducunt, incondito ſtrepitu exultantes. Id niſi factum fuerit, puerperii, non nuptiarum ſolemnia agitari quiritantur. Funera etiam gemitu aperto, & abſonis lamentis *Slaui* efferunt; *Germanis* contra, & in hoc officii genere, permultum, funeſtæ illius modeſtiæ, quam ſibi triſtes hæ pompæ depoſcunt, referentibus.

§. XI.

Vrbis magiſtratus:

MOderantur vrbi magiſtratus, prorſus ad eum modum, quem *Piſonii*, & *Tyrnauiæ*, vidimus. Nempe Iudex, cum ſenatoribus duodecim, rebus præeſt: ex quo demum ordine, & *Conſul* ſublegitur, & vrbicus *Centurio*. Proximi ad ſenatum ſunt, *ſexaginta viri*; quos in conſilium tunc moris eſt adhibere, cum euenit quidpiam, quod omnium cognitione indigeat. Interſunt ſenatui, notarii duo, quorum alter præcipuas, vicarias alter, partes obtinet. Reliqua munera, nihil habent, quod non occurrat, in liberis regiisque vrbibus alüs. In eam enim curam incumbunt Modrenſes, ne loco, quam vicinarum vrbium magiſtratus, deteriore habeantur. Qua ſedulitate fit, ne facile, niſi quod in commune vtile eſt, vel ipſi conſulant magiſtratus, vel fieri permittant ab his, penes quos eſt, rerum & œconomiæ ciuicæ procuratio. Decedunt magiſtratus, inſtauranturque iterum, *Calendis Ianuariis*, magna vtique ſolemnitate; quam celebriorem ſubinde reddit, Regius arbiter, quem *Commiſſarium* vocant. Eſt vrbi vicus proprius, *Királyfálva* ab oriente obiacens. Plures ſibi obnoxios facere haud potuit, vrbs nupera, & quæ auorum memoria, in liberis regiisque relata eſt.

eius inſtauranti ſtatum tempus:

quid in ditione habeant Modrenſes.

§. XII.

Nundinarum ſolemnia:

FEre nos præteriit, nundinarum, quæ celebrantur apud Modrenſes, mentionem habuiſſe. Sexies eas inſtitui, in annos ſingulos, publice conſtat. MATTHIAE II. ea fuit indulgentia, quam peculiaribus tabulis perſcriptam, Modrenſes acceperunt, poſteaquam in liberis regiisque vrbibus cenſeri cœperunt. Fiunt vero: Die *Purificationis B. V.* MARIAE; *S. Matthia* Apoſtoli feria; *Dominica Miſericordiarum*; die *S. Iohanni Baptiſtæ* feſto; *Dominica* item, quæ *S. Bartholomæi* memoriam præcedit; denique ipſis *D. Martini* ſolemnibus. Concurritur ex tota vicinia, maiore hominum celebritate, quam mercatus fructu. Sunt enim e ruſticana plebe plurimi, quos non tam mercandi neceſſitas huc cogit, quam perpotandi libido. Nimirum, obeunt fora, ſemel iterumque, adſpectant tabernas, mercesque. Mox, ea

earum celebritas, qualis.

de

deambulatione feſſi, de hedera circumſpiciunt, atque obſonio qualicunque coemto, ſæpe cum vxoribus & liberis, ſubeunt eandem, ſeque mutuo, tam diu inuitant, dum intus extusque madeant. Idem & hi, atque id quidem profuſius factitant, qui, domeſticæ quidpiam mercis, in forum intulerunt. Ergo, vbi incaluere vino, mutuis ſe inuicem dicteriis demum laceſſunt, prorumpunt poſtea in iurgia, neque ceſſant ante, quam manus conſeruerint. Id vero demum, & decorum putant, & dignum nundinali ſolemnitate. At, vbi dies in veſperam cœpit inclinare, colligunt ſarcinas, ſui ipſorum impotes, & in currus recollecti, abeunt ad ſuos. Scilicet *(i.)*.

Ruſticus elucoque vehit male ſobrius ipſe,
Vxorem plauſtro progeniemque domum.

Adeo difficile eſt, in tanta vini abundantia, ſobrio eſſe, vel ipſi plurimarum ærumnarum, ruſtico. Nos iam *Modra* bene precati, quod eſt vrbium reliquum, inuiſamus.

IV.
HISTORIA
VRBIS BAZINIENSIS.
SYNOPSIS.

Ordo, & ſitus Bazingae: *nomen: origo ignota.* §. I.

Primi loci poſſeſſores: recentiores: oppidanorum apud Cæſarem preces: eius diploma: veniunt in poſſeſſionem bonorum Bazingenſes: *quibus legibus.* §. II.

Pigneratoris Illyéſházii, *collecta indignatio: vocatur ille in ius: elabitur in Poloniam: reuocatur inde a Botskaio: fit inter eum, & Cæſarem, pacis auctor: reciperat* Bazingam: *deletque publica ſanctione crimen.* §. III.

Mortuo Illyéſházio: *recuperant bonorum poſſeſſionem oppidani, ſeque indulgentia regis, in libertatem vindicant: decedunt dominatione: ſuam facit* Stephanus Pálffy: *quanto ære: quoque iure: quam difficiliter* Bazinga *in liberis regiisque vrbibus ſit relata: Ordinum preces pro* Bazingenſibus: *damnantur tandem voti.* §. IV.

Vrbis fata: maleficentiſſimum Iudæorum *facinus: Turcarum impreſſiones:* Botskaianorum *calamitas:* Tökölianorum *iniuria:* Rákóczianorum *item: & Germanorum, in vrbem licentia.* §. V.

i.) Tibvllvs, Lib. I. eleg. XI. verſu. 51.

Vrbis habitus exterior: porta: ades ſacra. §. VI.

Curia vrbis, forum & platea domusque: curia nobilium. §. VII.

Suburbana opportunitates: vinea: vini laudes: aeris ſalubritas: viuendi modus. §. VIII.

Incolæ: religionis procuratio: magiſtratus. §. IX.

Ciuium varia genera: mercatorum ratio: opificum habitus: colendarum vinearum difficultas: victus Bazingenſium: forma virorum: feminarum. §. X.

Commercia nundinarum: conſuetudo ciuium cum peregrinis: conuictus reliquus: virorum iuxta & feminarum occupatio: liberorum educatio: virginum laus: nuptiarum ſolemnia. §. XI.

§. I.

Ordo & ſtatus Bazingæ:

BOZIN, ſiue *Bazinium*, vrbs eſt, Liberarum Regiarumque, huius Comitatus, ordine quarta. Recedit *Modra*, in occidentem brumalem, milliari vnico; &, vti eſt loco plano, atque campeſtri, erectiori tamen paullulum, quam reliqua tractus poſitio, montibusque viciniori; ita, haud rudi forma ædificiorum, mœniumque oſtendit vrbem, paruam quidem, ſed terſam eandem, atque amœni adſpectus. *Bazingam* pro-

nomen:

miſcue, diplomata vetera *Bozin*, & *Hungarorum* imitatione, *Bazinium* multi vocant; Germanis *Böſing*, dicitur, a quibus forte & Slaui *Peſinek*, ſuum mutuarunt. Quomodocunque eam vocauerimus, dubium eſt, vnde vocabulum acceperit; tametſi non deſint, qui neſcio,

origo ignota:

a quo *Bazingo*, cohortis Romanæ Præfecto, nuncupatam eandem aiant. Quemadmodum vero nominis ratio; ita origo, quando nempe, & a quibus, *Bazinga* primum poni cœpta ſit, in obſcuro poſita eſt. Huius enim, non minus, quam aliarum iſtius tractus, vrbium, deperditis, per tot bella monumentis, non potuerunt non, omnia obſcuritate inuolui. In primis, fatalis ille *Ottocari* in oram iſthanc ingreſſus, adeo cuncta deleuit, vt nequeat, quid ante eius tempora actum heic ſit, erui & demonſtrari. Id certum eſt *(a.)* quod *Ottocarus*, expugnato *Piſonio*, *S. Georgio*, & arce *Bozin*, oppidum quoque ipſum adtriuerit.

§. II.

a.) Vid. *Annales Leobienſ.* apud HIERONYMVM PEZ. Tom. I. fol. 834. ad ann. MCCLXVII. Adde, *Hiſtor. Ducum Styria*, in OTTOCARO fl. p. 94. & 100. vt ſcriptores eius ætui alios taceamus.

§. II.

NEque, de primis loci poſſeſſoribus, certiora ſuppetunt. Ob temporum viciſſitudines, nunc huic, nunc alteri, obnoxiam fuiſſe, vero ſimile eſt. Lapſu ſeculi decimi quarti, tenuerunt illud, *Comites de S. Georgio & Bozin.* quibus tamen, ſequenti poſt ſeculo, emortuis; etſi, multum in ſucceſſionem eius, iuris ſibi arrogauit, *Iohannes de Zápolya*; haud tamen impediuit, quin a FERDINANDO I. Coronæ id Hungariæ adtribueretur. Poſtea, iterum alii, ſuper alios, ob res, bello & pace, præclare geſtas, a rege id ſibi impetrarunt. In primis erat *Kruſithius*, vir bello ſtrenuus. quo emortuo, viduæ eius, *Catharinæ Pálffyæ*, (ſoror ea fuit, *Nicolai I. Pálffy*) iure pignoris adſcriptum eſt. Merebatur, in *Kruſithii* legione, ſtipendia, Stephanus *Illyésházy*, deditque militaris ſcientiæ, complura documenta. Ergo, morti proximus *Kruſithius*, Caniſæ forte tunc præfectus, viduam ei ſuam, & huic viciſſim *Illyésházyum*, ipſe improlis, commendat. Vt nuptias, cum *Catharina*, concelebrauit *Illyésházius*, in poſſeſſionem, non pecuniarum modo, ſed fundorum etiam, quos ampliſſimos reliquerat *Kruſithius*, *Stephanus* peruenit. Obnoxia tunc *Bazinga* & *S. Györgyinum*, fuerunt *Catharinæ*, magna oppidanorum, quos adflictabat ſubinde, moleſtia. Ergo, Cæſarem RVDOLPHVM adeunt ſupplices, ſeque, ſi poſſint eliberari e pignore, ſummam centum quadraginta mille imperialium; nam tanta erat; diſſoluturos recipiunt, planeque regis optimi arbitrio totos ſe permittunt. Facile conſenſit rex indulgentiſſimus, datoque diplomate, facultatem Bazingenſibus indulſit, ſe in libertatem vindicandi. Res eſt, ſeculi intercurſu obſoleta, ſed digna tamen recenſeri. Diploma laudatum ſic habet: WIR RVDOLFF *der Andere, von Gottes Gnaden Erwölter Römiſcher Kayſer &c. Khünig &c. Bekennen fur uns, unſere Erben und nachkhembende Künige zu Vngern öffentlich mit dieſem Brief ver menniglich. Nachdem ſich anietzo auf unſer genediges Anſinnen und begeren und die zue uns tragende ſonderbare unterthenigſte Liebe, und getreüe affection, unſere Vnderthanen, bei beden unſern Herrſchafften Sanct Georgen und Böſingen vnderthenigſt anerbotten, das ſie ſich von dem Edlen unſern Rath und liben getreuen Stephan Illyeshazy Span der Spannſchafften Liptau und Trentſchin als iezigen Pfanndts Innhabern ſollicher Herrſchafften ab: und wieder zu unſern Handen löſen, auch die darauf liegende Pfandt-ſumma der Ainmal hundert vierzig tauſend Taller, auſer vnſers entgeldts erlegen und richtig machen werden. Iedoch dergeſtallt, das ſie zue aines tails erhebung ſellighes Ires dargelegten geldts die gefell und Einkhemben beeder Herrſchafften allermaſen wie ſy ernennter Pfandts-Innhaber Illyeshazy &c. in Zeit ſeiner Innhabung genoſſen, und eingenomben, von der Zeit ſeines des Illyeshazy abtrettung anraittung die nechſt folgenden zehen Iahr gleichfaals genieſen und einnemben, hernacher aber und nach ausgang der zehen Iar vns alßdann ein gewiſſen Iärlichen Cammer-Zinnß, wie mann ſich mit inen vergleichen wirdet, gegen Im-*

Primi loci poſſeſſores:

recentiores.

oppidanorum apud Cæſarem preces:

eius diplomatis:

merfortwehrender genieſung der Einkhomben zu raichen ſchuldig. Desſ-gleichen und daß ſy hinfüro weitter niemandt weder verpfendt noch verkaufft, oder ſonſten veralienirt, ſondern als ein rechtes Cammer-Guett bey uns und denen nachvolgenden Kunigen zu Hungern ewiglich alſo verbleiben ſollen, Immaſſen weilandt Kaiſer Maximilian vnſer geliebteſter Herr vnd Vatter, hochlöbl. vnd ſeeligſter gedechtniß ſich mit den Vnnderthanen in vnſerm Marckht Moder, auch in vnſerm Khünigreich Hungarn, vnd in Ir deren von Sanct Georgen und Böſingen nachbarſchafft gelegen vergleichen, und es auf datto noch mit denſelben vnverbruchlich gehalten wirdet. Das wir demnach ſolich Ir gehorſambiſtes treuherziges anerbietten und Bewilligung nicht allein von Inen zue ſondern gnaden vermerckt vnd angenomben, ſondern auch in der durch ſie begerten neben conditiones alſo genedigiſt bewilliget, vnd Inen hiemit zugeſagt vnd verſprochen haben. Thuen das auch wißentlich, vnd in crafft dieſes Briefs, alſo und dergeſtalt, daß Sie die Vnderthanen nit allein ernente zwo Herrſchafften die zehen Iar hienumb völlige, vnd hernach ferner gegen raichung ains gewiſſen Cammer Zinnß genieſen, ſondern hinführo auch in kainerley weege weiter nicht verſeczt, noch veralienirt, ſondern wie die zu Modor bei vnſern vnd der nachkommenden Künigen zu Hungern handen, als ein Cammer-Guett Immerwehrent verbleiben ſollen. Genediglich vnd ohne Geverde. Mit vrkundt dies Briefs, Geben auf vnſerm Küniglichen Schloß zu Praag den fünfften September Anno Tauſend, Fünffhundert, Acht und neunzig. Vnſerer Reiche des Römiſchen im drei vnd zwainzigiſten, deß Hungariſchen im Sechs und zwainzigiſten vnd des Behembiſchen im drei und zwainzigſten. RVDOLFF. *Ad mandatum S. C. Rg. Mattis pprium. N. N. Ionas Teichmair.* Ita Diploma RVDOLPHI habuit. Triennium poſtea abiit, dum poterant, hac regis indulgentia Bazingenſes, cum St. Georgienſibus, perfrui. Enim vero, anno demum, MDCI. ineunte Maio, prorſus adſentiente Cæſare, pigneratitia *centum quadraginta mille Imperialium*, ſumma, *Illyésházio*, & *Catharina* ſuæ, depenſa fuit, adfirmataque oppidanis, arcis vtriusque *bonorum* poſſeſſio. Leges, quibus inter fiſcum regium, & *Bazingenſes* conuentum fuerat, iſtis fere capitibus deſignatæ fuerunt. *Bonis arcis vtriusque toto decennio, ſine vllo tributo, vti fruique oppidanis liceret; Decennio exeunte, Aerario regio, cenſus, quemadmodum conuentum fuerit, ob eorundem bonorum, perennem perpetuamque vſuram, in annos ſingulos, procul omni cunctatione ſoluerent; Bonorum denique hæc poſſeſſio, oppidanis, fieret perpetua, neque vllo vnquam tempore, vel in hæredium cuiquam cedere, vel pignori opponi poſſint.* His ergo conditionibus, in poſſeſſionem opimæ dominationis, *Bazingenſes* & *S. Georgienſes*, venerant.

veniunt in poſſeſſionem bonorum Bazingenſes:

quibus legibus.

§. III.

Pigneratoris Illyés-házii, *collecta indignatio:*

AEgre, hanc regis, erga oppidanos benignitatem, tulit *Illyésházius*; ſed neque diſſimulauit, conceptam animo indignationem. Ergo, verbis non minus, quam dimiſſis paſſim litteris,

ris, exagitabat RVDOLPHI eam indulgentiam, neque ſe abſtinebat, quin irreuerenter, & regem haberet, & huius adminiſtros: legum vbique obtentu vſus. Hos certe, qui Oppidanis, æs mutuo daturos intellexerat, atque *Lazarum* in primis *Henkelium*, diuitem, apud Viennenſes, trapezitam, adhibitis ad perſuadendum conuitiis, nihil dubitabat a propoſito retrahere; tanta ſubinde licentia, vt haberet RVDOLPHVS, quod in liberrimi oris viro, ſeuere caſtigaret. Proinde, facta, *fiſco regio*, eius *(b.)* accuſandi poteſtate, in ius vocatur, obiecta *Stephano* crimina, a iudicibus diſputantur. Eam, facinoris grauitatem fuiſſe perhibent, vt, ad ferendam capitalem ſententiam, ſufficere crederetur. Quo ille comperto, qua poterat feſtinatione, Vienna, Trentſchinium, hinc in Poloniam, euaſit. Contremuere, funeſto hoc, tanti viri, caſu, oppidani: quippe qui, facile animo præcipiebant, non ante quieturum *Illyésházium*, quam abſterſa, criminis læſæ maieſtatis culpa, & regi, per internuntios reconciliaretur, & ſe, a poſſeſſione tantorum bonorum, deturbaret. Atque, fuit omnino temporum iniquitas, cauſſæ *Illyésházii*. Altero ſcilicet poſt anno, quam ille in Poloniam eruperat, nouas res moliri *Botskaius*, corripere arma, vocare ſub ſigna Haydones, & Cæſarianos, bello, per ſuperiorem Hungariam inceſſere. Non is poterat *Illyésházii*, apud Polonos, exſilium tolerare. Ergo, miſſis celeribus nunciis, eum in Hungariam inuitat, atque, vti ſe, & conſilio iuuaret, & ope: quippe, libertatem patriæ redintegraturum; precibus cum eo agit. Adfuit *Illyésházius*, atque, campum explicandarum deſtinationum nactus, hinc *Botskaium* ad arma concitabat, illinc ſollicitabat Cæſarem, vti Hungaris, pacis, quam poſſet, æquiſſimæ, conditiones perſcriberet. Rem omnem, expendimus ſemel iterumque. Nunc, ad inſtitutum pertinet, monuiſſe, inter procurandæ pacis curas ita verſatum *Illyésházium*, vt ne partium ſuarum obliuiſceretur. *Bazingam* & *S. Georgium*, dememineſſe minime omnium potuit. Habemus, eius rei monimenta, in Comitiorum Carponenſium *(c.)* & pacificationis Viennenſis hiſtoria. Succeſſit, ſagaciſſimo viro, deſtinatio, vt non modo St. Georgenſes & Bazingenſes, depelleret vtraque dominatione; ſed, publica etiam lege, culpam elueret, deleretque impacti ſibi criminis notam. Res ipſa poſcit, vt adſcribamus ſanctionem, *(d.)* quæ ſic habet. *Quoniam ſuperioribus temporibus, in anno videlicet Domini MDCIII. feria quinta proxima poſt dominicam* Lætare *transacto & præterito*, Poſonii, *ad inſtantiam Camera, & Directoris cauſſarum regalium fiſci regii, contra Spectabilem ac Magnificum Dominum Stephanum* Illyésházy, *modernum Palatinum regni Hungaria, indirecto quodam proceſſu, ſuper quadam* Viennæ *lata ſententia, quadam littera adiudicatoria, legitimosque eiusdem regni proceſſus, & terminos adeoque libertatem*

vocatur ille in ius:

elabitur in Poloniam:

reuocatur inde a Botskaio:

fit inter eum, & Cæſarem, pacis auctor:

reciperat Bazingam:

deletque publica ſanctione crimen:

P 3 *præ-*

b.) Exſtat, inter Adparatus noſtros, ea Fiſci Regii actio, criminoſe ſatis perſcripta.

c.) Poſſidemus eam, manu exaratam. In pacificatione Viennenſi, vide. §. *Ad duodecimum.*

d.) Anni MDCVIII. Art. XXIII. poſt coronationem.

prærogatiuæ nobilitaris, confecta, partim per regium & Capitularem, partim vero per quosdam Camerales homines exſecutæ, & eiusdem exſecutionis tenore, vniuerſa bona mobilia, & immobilia, tam præfati Domini moderni Palatini, quam vero Magnificæ Dominæ Catharinæ Pálffy, *vxoris ſuæ, contra iura & libertates regni Hungariæ, præſcripta, litteras adiudicatorias, ſententias ſimul cum cunctis ſuis proceſſibus, & exſecutionibus, modo præmiſſo, vel aliter qualitercunque ſubſecutis, tamquam contra præſcripta iura regni emanatas, factas & exſecutas, caſſant, annihilant & inualidant, in perpetuumque viribus carituras, publico decreto, ſanciunt, decernunt & pronunciant.* Hactenus decreti verba. quod antequam perferretur, iam decedendum fuerat *Bazingenſibus*, & *St. Georgienſibus*, omni ea, quam mutuato ære, ſuam fecerant, arcium ditione. Enim vero, ſimul pax Viennenſis coaluit, anno MDCVI. die S. Lavrentio feſto, bonis exutos, ætas illa vidit. Meminit rem Istvánffyvs: *Rebus confectis, eleganti,* a Hoffmanno, *ad Principem habita oratione, qua labores eius, pro Republica ſuſceptos, meritis laudibus extollebat:* Botskaiani, *actis Principi gratiis, diſceſſere:* Illyésházius *vero ad paucos dies ſubſtitit, donec de arcibus* S. Georgio & Bozinio, *tranſigeret. qua vna cum* Hodolina *arce, qua in Morauia eſt, iubente* Matthia *Principe, breui reddita ſunt. Eius autem pecuniæ exſoluendæ ratio, quam ciues* Boziniani & Georgiani, *permiſſu Cæſaris, a variis fœneratoribus ſumtam, adhuc debebant, cuius fœnus, fere ſortem æquabat, non ſine creditorum detrimento, ad futura comitia dilata fuit.*

§. IV.

Mortuo Illyésházio:

AT enim vero, non erat *Stephano* diuturna, hæc arcium poſſeſſio: quippe qui, anno MDCIX. ex ſtomachi vitio, *Viennæ*, quorſum ad medicos profectus fuerat, adſcito prius in hercdem, (improlis enim vixerat) *Caſparo Illyésházio*; conſanguineo ſuo, fato functus eſt. Tunc vero *Bazinienſes*, & *St. Georgienſes*, captata, ex eius morte, recuperandi, in arces & harum bona, nuperi iuris, occaſione, Matthiam, ſupplicibus libellis adeunt, queruntur iniurias, ſimulque rogant, diem *Catharinæ Pálffy*, viduæ Illyésházii, diceret, datisque ad Palatinum, *Georgium Thurzo*, mandatis, viam ſibi, ad priſtina iura, præſtrueret. Non defuit quiritantibus rex. Proinde vocata in ius *Catharina*, omnium iudicum ſententiis, cauſſa cecidit, reſtitutaque oppidanis bonorum poſſeſſio, fuit anno MDCX. die XV. Decembris *(e.)* Rerum ergo potiti, id dedere operam, vti ſeipſos, arcium iuribus, quibus fuere obnoxii, eximerent. Et ſucceſſit omnino deſtinatio, quippe, in quam benigniſſime conſenſit Matthias, dato vtrique oppido, anno MDCXV. diplomate: cuius argumentum ad *St. Georgium* exhibebimus. Sed bonorum, in quam ſe iure vindicauerant, poſſeſſio, peſſime ceſſit, *St. Georgienſibus* non minus, quam *Ba-*

recipiunt bonorum poſſeſſionem oppidani:

ſeque indulgentia regis in libertatem vindicant:

e.) Eſt in adparatibus noſtris, *Proceſſus* ille, & *Adiudicata*, auctoritate *Georgii Thurzonis*, R. H. Palatini, præmunita.

Bazingenſibus. Exedebantur nimirum vſuris, quibus pendendis adeo non ſufficiebant annui reditus, vt nouo ſe ære, cogerentur ſubinde obruere. Itaque, ſubductis rationibus, regem adeunt, & quidquid poſſedere hucusque, eidem reddunt, longa deprecatione vſi, vti ſummam pecuniæ, qua fœneratoribus obſtringebantur, diſſoluendam ipſe curaret. Adſenſit, neceſſariæ petitioni, Cæſar, iuſſitque ærarii præfectos, vti reciperent, quidquid erat, vicorum, in vtriusque arcis ditione, darentque ſedulo operam, vti ære alieno, quam primum liberarentur. Sic erant res *Bazingenſium*, cum *Stephanus Pálffy*, filius Nicolai I. idemque Supremus Comes Piſonienſis, & S. R. Hungariæ Coronæ duumuir, anno MDCXXVI. id a FERDINANDO II. obtinuit, vt depenſis, in ærarium regium, *ducentis ſexaginta millibus florenorum*, arcis vtriusque dominationem, ſed demtis tamen vrbibus, pignori acciperet: quemadmodum id tabulæ pigneratitiæ, anno eodem, octauo Calendas Maii perſcriptæ, loquuntur. Nondum vero, decennium abierat, cum augere ſortem eam, *quinquaginta florenorum milibus*, oportuit; vti ſumma trecentorum & decem millium conficeretur: ſiue, quod triceſimale bellum, ſumtus depoſcebat, vndecunque corrogandos; ſiue, quia e re *Comitis* fuit, augere pignoris eius pretium. Relata in litteras ea ſumma fuit, anno MDCXXXV. tertio Idus Martii. Atque eodem iſto iure ad annum vſque MDCCXXXIV. gens Pálffyorum, vtraque arcis ditione potiebatur. Tunc vero demum, ob immortalia, eius familiæ, de Regibus Hungariæ Auſtriacis, merita; quæ in diplomate relata legimus; ab indulgentiſſimo CAROLO VI. Regum optimo, iure perenni, certis tamen legibus, genti *Pálffyorum*, adtributa eſt. *Feliciter!* Ceteroquin, Liberis Regiisque vrbibus, difficilius *(f.)* poterant, *Bazin* & *St. Georgium* adnumerari; quod non modo FERDINANDVS II. ſed etiam III. difficiliores, in ea re, ſemet præbuerint, deprecantibus, pro vtroque oppido, Statibus. Sic habent anni MDCXXXV. *(g.)* preces: *Pro oppidis regiis autem, S. Georgii & Bazin, Status & Ordines humillime intercedunt adhuc vlterius, dignetur Sua Maieſtas, ad demiſſam & frequentem eorundem oppidanorum ſupplicationem, benigne ſemet ipſam reſoluere.* Quale vero *ſupplicationum* fuerit argumentum, ex anni MDCXXXVIII. (*) ſanctionibus addiſcas. *Siquidem Liberæ Regiæque ciuitates, demiſſam oppidi* S. Georgii & Bozin, *ſuper eo, vt ad generales regni Hungariæ Dietas, per regales litteras, inſtar Liberarum Ciuitatum deinceps vocentur, inſtantiam Sua Maieſtati Sacratiſſimæ humiliter commendauerint; nullum exinde eisdem ciuitatibus futurum præiudicium, quod eiusdem Sua Maieſtatis Sacratiſſimæ benignam ſuperinde reſolutionem, differre videretur, futurum aduertunt Status & Ordines. Supplicant proinde, vt eadem oppida, Sacratiſſima Sua Maieſtas, regalibus litteris, ad Dietas regni Hungariæ, in poſterum vocare dignetur.* Potiebantur nimirum, omni eo iure, quod eſt vrbibus liberis

decedunt dominationes

ſuam facit Stephanus Pálffy:

quanto aeris

quoque iure:

quam difficiliter Bazinga, *in liberis regiisque vrbibus ſit tolata:*

Ordinum preces pro Bazingenſibus:

f.) Sunt, qui exiſtiment, arcium heros, id ne fieret, interceſſiſſe.

g.) Articulo LIII.
*) Art. LXIII.

beris proprium; id vnicum deerat hucusque, vt ritu patrio, adſciſcerentur in eius ordinis conſeſſum. Datus tandem precibus, a Cæſare, locus fuit. Anno certe MDCXLVII. ad comitia, ad modum *Liberarum Regiarumque* vrbium aliarum, inuitatos fuiſſe conſtat: nam anno quidem MDCXLIX. *(b.) Liberam Regiamque Ciuitatem Szént-Györgyenſem* communi, cum *Bozin*, iure adpellari legas.

damnantur tandem veti.

§. V.

Vrbis fata;

HActenus vrbis incrementa vidimus. Nunc, qua ſit vſa, belli paciſque temporibus fortuna, expromamus. Superuacuum vero ducimus, ſingulas bellorum viciſſitudines, quarum nobis fuit mentio ad Piſonium, narrando retexere. Nimirum, ex vicinitatis habitu, tulit calamitates easdem; non raro eo etiam grauiores, quo maior eſt in pauperie iactura, quam vbi, & poſt elades acceptas, ſupereſt tamen, vnde damna poſſis reparare. Non eſt ſilendum, *Iudæorum* facinus, quod heic ab iis anno MDXXIX. *(i.)* perpetratum accepimus. Nimirum, puerum nouennem, cui *Iohanni* nomen, pater *Georgius Meilinger*, rhedarius Bazingenſis fuit, furto ſubreptum, clam in retruſo cellario, venis, toto corpore, inciſis, & multis paſſim defoſſis vulneribus, nefandum in modum excruciauerant, cruore, pateris accepto, & neſcio, cui ſuperſtitioni deſtinato. Ad hunc modum necatum puerum, religatis a tergo manibus, nudatoque capite, extra oppidum in dumeto reiiciunt. Nequibat vero diu occultum manere ſcelus, cum & parentes filium, quod facile eſt ad coniiciendum, impenſius, & ſumma cum doloris teſtificatione, circumquirerent, & cadauer negligenter adeo repoſitum, ſuo ſe indicio proderet. Igitur, detecto iam facinore, Iudæi, tanquam ſceleris patratores, a ſuis ipſorum tribulibus accuſati, in ius vocantur, atque pro malefícii magnitudine, capitis, quotquot oppido inerant, damnantur. Triginta a Iudæis vtriusque ſexus, ad ſupplicium deductos, & igni concrematos accepimus. Quorum liberos, needum decennium ſupergreſſos, (nam quod vltra adoleuerat, eidem pœnæ obnoxium iudicatum eſt,) *Chriſtiani* ciues, a magiſtratu impetratos, Chriſtianis ſacris imbuendos initiandosque, curauerunt. Adeo conſcelerata *Iudæorum* natio, pulchrum ducit, Chriſtiano ſanguine pollui: id quod ad *Tyrnauiam* prolixe expromſimus. Sequutæ poſtea ſunt *Turcarum* graſſationes, poſt captum a Solymanno Strigonium. Bazinienſes ſemel iterumque periclitatos fuiſſe, in eius ætatis ſchedis reperio: repreſſos tamen, *Sebaſtiani Röſchii (k.)* vrbici *Capitanei* virtute. Anno MDCV. *Benedictus Buchius*, Dux

maleficentiſſimum Iudæorum *facinus;*

Turcarum impreſſiones;

b.) Articulo LIII.

i.) Vide, ZIEGLERI Täglichen Schauplatz. p. 588. col. 1.ma 2. & ex eo, IOHANNIS ANDREAE EISENMENGERI, Entdeckten Iudenthums, Partis II. Cap, III. p. 222. vbi tamen hæc anno MDIX. euenisſe legas.

k.) Habemus eius icona, viuis coloribus, habitu Germanico, barba promiſſa, cum vexillo ciuico, eleganter depicta, addita inſcriptione: SEBASTIAN RÖSCH, *weiland Stadt-Hauptmann zu Böſing. Contra Turcos ſtrenue pugnauit, aliquot victibus, & poſtea a ciuitate* BOZIN *glorioſe repulit.* Doleas, non adſcripium annum.

ductor *Botskaii*, cum *Tyrnauia*, verſus *Piſonium* properaret, ſex millium exercitu ſtipatus, *Bazingam* noſtram, velut ob iter adgreſſus, non modo diripuit; ſed totam etiam concremauit. Neque melior fortuna eandem, tribus poſt luſtris, manſit, dum, graſſante motu inteſtino, primum *Bethlenius*, MDCXIX. vrbem occupauit; deinde vero, hoc recedente, *Bouquoius* Dux Cæſareus, anno MDCXX. Menſe *Maio*, incendio plane deleuit. Eadem calamitas, anno MDCLV. vrbem adflixit: quippe quam, emiſſarii Turcici, ſubditis clam ignibus, menſe itidem *Maio*, partem maximam, exuſſerunt. Tacemus, *Tökölianæ* ſeditionis mala, quibus propemodum confecta vrbs, peſſum iiſſet, niſi propulſatis hoſtibus, ſicuti vniuerſim toto regno, ita huic oræ potiſſimum, halcyonia fuiſſent reddita. *Rákóczianorum* autem tumultibus, cum per ſeptennium fere, tum maxime A. MDCCIV. & V. vexata fuit. Diximus de ea calamitate, ad Modram. Heic mitioris fortunæ erat nihil, quin acerbiora etiam omnia, quia, obuiam magis vrbem, Hungari nunc, iterumque Germani, prout erat belli facies, incurſabant. In primis ſenſit eius ſeditionis detrimenta, cum *Heiſterus* Tyrnauiam verſus, anno MDCIV. inclinante menſe Decembri, properaret. Tantam ab hoc calamitatem accepit, vt, tametſi militibus prohibitum fuerit vrbem adflictare; tamen, quod exercitus maior erat, quam pro facultate ciuium; neceſſe fuit adfligi miſeros. Per biduum, plus quam 2000. vrnarum vini conſumtum eſt: vt commeatum reliquum & incommoda, quæ priuatim acciderunt ſingulis, prætereamus. Neque vero hæc ita euenisſe, ſatis erat: certe ineunte *Ianuario* anni ſequentis, ab eiusdem exercitus copiis, ad hiberna huc redeuntibus, maiora intertrimenta accepit. Quidquid priori illi impreſſioni, ſeu annonæ, ſeu adparatus reliqui, ſupererat, reduces id, ad puluiſculum redegere: dilapſis paſſim ciuibus, vti pane ſe precario ſuſtentarent. Adfuere iterum *Hungari*. quibus, cum præſidio *Germanorum* cuſtoditi, reſiſterent aliquantiſper ciues, vrbs, ſubiectis ignibus, funeſtiſſime depaſcebatur.

Botskaiana *calamitas*:

Tökölianorum *inſaniæ*:

Rákóczianorum *item*:

& Germanorum in vrbem licentia.

§. VI.

EX eo tempore, ſuperabat *Bazinium*, qualicunque, hoc eſt, modica fortunarum conditione. Vnus & hanc murus, incingit, ea ferme, qua Modram, ſtructuræ forma, licet paullulum diffuſiore, & magis rotunda. Portas habet duas, validiorem alteram, quæ inferior dicitur, admittitque Piſonio venientes; tenuiorem alteram, quæ arci obiacet. Vtraque turrito fere eſt faſtigio. Fuit, & in orientem obuerſa porta, ſed quam, capto a Turcis, anno MDCLXIII. *Ujvarino*, belli metus obturauit: vrbe, non tam virtute ciuium, quam fati quadam benignitate, aduerſus Turcas defenſa. Pro teſſera his fuit, ſclopi, ſi quis parte mœnium aliqua ederetur, fragor. quo audito concurſarent, pulſatis tympanis, ad arma. Iam pro por-

Vrbis habitus exterior:

portæ:

tis ſanguinolentus hoſtis aderat, partitisque agminibus, vrbis adgreſſionem moliebatur, cum diſploſo forte fortuna, tormento manuario, perſonare tota vrbe tympana, & fremitus, percitæ metu periculi multitudinis, edi cœpit. Eo audito, hoſtes, nec tentata vrbe, aliorſum declinauere: rati, tantum ei præſidii ineſſe, quantus concurſantium clamor exaudiebatur. Eandem hanc portam, recluſam nuper ciues voluerunt; ſed contraeunte ſenatu: quod, vti turbarum mouit, quidpiam; ita peſſulos ei obdidit, vix vnquam remouendos. Mœnia, foſſæ circumueniunt, haud tamen alte depreſſæ, & paſſim ingeſtis ſordibus offuſæ. Aedes ſacras habet tres, veterem vnam, & monumento in primis *Stephani Illyésházii*, Comitis Trentſchinienſis & Liptouienſis, MATTHIAE II. a conſiliis, & R. Hungariæ Palatini, memorabilem. Is enim, peculiari illic ſacello & crypta, A. MDCIX. die V. Maii reconditus, refert ſpeciem in exciſo marmore, ſtaturæ integræ cataphractæ, una cum coniuge *Catharina Pálffia*. Meminit eius funeris, ISTVÁNFFYVS *(l.)* haud pro dignitate. *Nouus Palatinus*, inquit, *morbo adflictus, cum Viennam ad medicos fuiſſet profectus, nihil iis eum iuuare valentibus, anno ætatis climacterico, mortuus eſt: nullaque funeris pompa, quod* Lutheranæ religionis *fuiſſet, elatus, in oppido* Bozinio, *in ſacello, quod ipſe adificauerat, tumulatus eſt.* Aedem murus circumit, incluſo cœmeterio, cuius in aditu, leguntur hæc: *Gaudium erit ſuper vno peccatore pœnitente.* Alteram ædem vocant nouam, a tempore erectionis: quippe quam, ætate ſequiori, A. C. ciues condiderunt, frequentaruntque ad annum vsque MDCLXXIV. Hæc nunc Templum Parochiale eſt; nam alterum illud frequentatur rarius. Tertium, ætate noſtra inædificauere, occidentali vrbis angulo, *PP. Capucini.* Loco amœno, & vrbis mœnibus hæreſcente. Multi, ſurgentem cum eleganti cœnobio, molem, ſumtibus adiuuerunt, ſed *Stephano Kohário*, liberalius nemo.

Aedes ſacræ.

§. VII.

Curia vrbis:

QVod ad reliquum vrbis habitum adtinet, prætorium, ſeu curiam, forum oſtendit, aperto, & omnino hilari poſitu. In fronte hæc legimus: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Aedificio diffuſo eſt, & in angulum, orientem obuerſum, coeunte: contignationum duarum, quæ præter ſenaculum, & connexos huic fornices atque conclauia, habitationibus, ſic ſatis commodis diſcriminatur. Inferiorem ædium partem, tabernæ inſident mercatoriæ, & pharmaceuticæ. Forum in medio ciuitatis eſt, loco plano, modice tamen, riuulo interfluente, diſciſſo, & inæquali. Inde, plateæ propagantur, rectis magis, quam flexuoſis ordinibus, ædificiis

forum & platea, domusque:

l.) Epitome Libro XXXVIII. p. 852.

ficiis ſolidis, terſis, & hinc inde, etiam liberis. *Curias* vocamus, eo maioris prouentus, quo liberior, has iſtiusmodi domos, incolendi, ſine tributo ciuico, poteſtas eſt. Adde, vini ſub hedera vendendi, macelli item, & ab hoſpitiis militum, ius perpetuum. Eſt huius generis, diuerſorium quoque, ſed, niſi mercatus ſint hebdomadarii, fere infrequens. In plateis coenum damnaueris, propemodum impermeabile, ſi cælum depluat diutius. Id frequentibus nundinatoribus, tribui neceſſe eſt, qui multum poſt ſe fimi, ex iumentorum ſubdiualibus ſtabulationibus, relinquunt. Cetera, decori ſunt adſpectus, & quod vicis definiantur laxius, quam reris, multæ iucunditatis. *curia nobilium.*

§. VIII.

EXtra mœnia, arcem habet, de qua infra fuſius. Suburbiis nobilioribus caret: niſi huc retuleris caſas, a plebe ſubſtructas tenuiore, quæ vrbi, in occidentem, longiori, ad viam regiam, vico, inſederunt. Sunt & villæ, cum ruſticæ, tum etiam fructuariæ. Reliqua horti inſident, & pomaria, fructus varii. Inde, qua ſeſe protendit planities orientem verſus, & meridiem, campos, agros, & prata, nec non opaca nemora, pulcherrimo ſitu explicat. Ab occidente, ſeptentrioneque, adſurgunt montes, qui, vti a *Modra* veniunt, ita ſerie iugorum continua exeunt etiam, poſtquam rus exiguum, & quod vrbi vix ſufficiat, reſiduum fecerunt. qui tamen, neſcio, maiorine ſint Bazingæ ornamento, quam commodo, tam eleganter ſunt poſiti. Lignationis heic copia inexhauſta. Qua mitescunt, & in colles deſinunt, aperti ſunt, ideoque vitibus opportuni. Nihil vsquam vineis Bazingenſibus, ſpectaris iucundius hilariusque. Nam, & ſitus ſunt amœniſſimi; &, quod auſtro magis adflantur, ferunt vinum, guſtus grati, atque, ſi dicendum, quod res eſt, *Modrenſi*, multis modis iucundioris. Itaque, in pretio eſt *vinum Bazingenſe*, apud rerum gnaros. quod, ſi ritu vetere, frequentius, quam fit, cueheretur, næ ego felices dixerim Bazingenſes. Sed rariores iam aduentant, qui numeroſioribus plauſtris, ſiue in Sileſiam, ſiue in Poloniam, nobiliſſimum vinum exportent. Ergo, eædem heic, quas *Modræ* audiuimus, querelæ obtinent. Certe, generoſiſſima ſæpe vina, prodigi oportet, quando vendi, pro eo, atque par eſt, nequeunt. Fit iam, & *vinum paſſum*, ſed multo, quam apud *Szent-Györgyenſes* parcius. Recte enim ſentiunt *Bazingenſes*, cum aiunt, ſubtrahi, hac arte, vino, ſuccum generoſiſſimum. Fit ideo, vt tota ſæpe vindemia, quam annis melioribus coegere, vinum ſapiat, paſſo illi quam ſimillimum, venearque poſtea lautiori pretio. Neque ſalubrium aquarum egena eſt Bazinga. Nam, & puteos potatu habet liquidos, & amniculo interluitur, perenni eo, & multarum vtilitatum. Præterquam enim, quod molam foris frumentariam verſat, intus, abſorbet euehitque ſordes compitarum. Vnde effluat, eo lo- *Suburbana opportunitates:* *vina:* *vini laudes:*

co *(m.)* diximus, quo erant amnes prouinciæ ex inſtituto recenſendi.

aeris ſalubritas: Quin & aeris ſalubritas eximia eſt, quæ Bazinienſes vegetos efficit. Sunt vero ſtatura erecta, valetudine firma, forma decora, vita longæua; niſi potionis abuſu, quod fit a nonnullis, eam detriuerint.

viuendi modus. Viuendi modum, non loci importunitas, ſed iniquitas temporum, reddit durum, anguſtum, & difficilem. Degunt nempe vitam, iisdem haud pauci, difficultatibus, quæ ſunt vrbium vicinarum quodammodo propriæ. Primo enim pauci ſunt, qui vineis operari poterunt, pro eo, ſicuti res poſcunt. Deinde, quod natum eſt, pretio caret, & vix expenſas reddit, tantum abeſt, vt fœneret. Mercatores qui ſunt, non proficiunt, niſi cultu vini iuuentur. Idem, & de opificibus dixerimus.

§. IX.

Incolæ: SVnt enim, & heic incolæ, varii generis, *Hungari*, *Germani*, & *Slaui*. Horum, vti *Modra* vulgus, auctoritas autem penes Germanos eſt; tametſi & hi, nequeant carere lingua *Slauica; immo Slauice* ſermocinentur plurimum. *Hungari* pauci reperiuntur; plurimi tamen, quam alibi didicerunt, linguam *Hungaricam*, in familiaribus colloquiis adhibent. Peculiare eſt in *Bazingenſibus*, vt nunc *Hungarice*, nunc *Germanice*, nunc *Slauice*, quin *Latine* etiam, prout occaſio tulerit, fari ſciant. Mirabamur, cum inter eos verſaremur, promiſcue, illos etiam, qui ex plebe aderant, latina ſic locutos fuiſſe, vt in Latio nati eſſe viderentur. Quamuis enim multum, ex linguis aliis, quas vernaculas habebant, miſcuerunt; expedite tamen, & ſine vlla hæſitatione ſermocinabantur. Contra, feminis plerisque, *Slauica* placent; his etiam, quæ *Germanis* prognatæ, mundum alioquin omnem, ad Germanæ gentis morem, inſtituunt. Enim vero, non domi tantum, ſed etiam foras, immo & in concione Germanica, Slauonice ſunt argutatæ.

religionis procuratio: Rebus ſacris præſunt, *Parochus*, & *PP. Capucini*, illo in ciuica æde, his in ſua, quam peculiarem ſibi excitauerunt, ſacra facientibus.

magiſtratus. Apud vtrosque, lingua *Germanica* & *Slauica*, res diuina agi ſolet. Magiſtratuum haud alia, quam *Modrenſibus*, ratio eſt. Ex vtriusque religionis ciuibus, ſenatores duodeni & heic, atque ex his, *Iudex*, *Conſul*, & *Capitaneus* deliguntur. His accedunt *ſexaginta viri*, penes quos, poſt ſenatum, arbitrium & auctoritas eſt: quippe ſine quibus, res longioris ſubſellii, quæque rempublicam penitus adtineat, decerni nequeat. Itaque, quoties id occaſio atque tempus poſtulauerit, ſimul omnes, in concilium ſolent coire. Quidquid porro, officiorum in vrbe eſt, ex his ad ea, viri, prudentia & auctoritate antecellentes, arceſſuntur. Notariorum duo ſunt, alter *Hungaricus*, *Germanicus* alter. Atque hi, in primis, in ſenatu, de omnibus controuerſiis, & ſi quid publice decernendum ſit,

m.) Partis Generalis, Membro Priori *Phyſico*. §. VI. num. IX. Tomo I. p. 20.

ſit, latino ſermone conſtituunt. Viris enim eruditis, & probatæ dexteritatis, haud carent.

§. X.

Ciuium reliqui, mercatores ſunt, opifices, & paſtinatores. Ac mercatores quidem, liberalius heic, quam Modræ agunt, ob frequentia fora hebdomadaria. Ergo, pluſculum mercis lautioris inuehunt; vt ſit, quod mercentur conuenæ. Erant olim, qui pulchre, ex tenui etiam hoc quæſticulo, profecerant; quando nimirum non inſidebantur a *Iudæis*, vici circumſiti. Iam fruſtra ſunt, qui cupiunt emergere. Suppar, opificum ratio eſt; niſi inter operas ſellularias ruſticentur ſtrenue. Tametſi enim, quas ipſi parauere merces, vendunt facile; tamen, pauxillum inde lucelli faciunt, ob pretii vilitatem. quod vbi accepere, vix diſpiciunt, quemadmodum debeant collocare: tributane pendere, an curare vineam opificiumue, vel prouidere, ne victus deſit amictusque familiolæ. Colendarum vinearum difficultatem, tædet meminiſſe, in tanta vini huiatis præſtantia. Huc quadrat, quidquid dictum alibi eſt; niſi exceperis; ſi ſit vino qualecunque pretium, apud vicinos, id *Bazingæ*, in primis increſcere. Quod tamen, vti euenit raro, ita iuuandis, cum fructu, ciuium fortunis, haud ſufficit: quippe quos, priorum annorum difficultas vltra, quam id poſſis credere, adtriuerat. Neque tamen deſunt, quorum res familiaris, bene ſuccedat. Hi fere ii ſunt, quibus patrimonia obtigerunt opimiora; quæque illi demum, non cuſtodiuerunt modo adtentius; ſed ita etiam collocarunt, vt non vna locupletarint acceſſione. Quorum ſic ſe res familiaris habet, luſus his eſt, cultui, ſeu vineatico, ſeu frumentario, vacare. Quando enim vindemiam alteram cellis conditam, alteram in ære habent repoſitam; ſpe præterea vindemiationis nouæ aluntur; non poſſunt non, & cum maxime vileſcit vinum, ſi non proficere, ſaltem perdurare. At enim, pauci hi ſunt,

Ciuium varia genera:

mercatorum ratio:

opificum habitus:

colendarum vinearum difficultas:

nigroque ſimillimi cigno.

Profecto autem, ita vineas coli oporteret, vt & plures, in promptu eſſent vindemiæ, neque loculi ad eum modum exinaniti, quin poſſent plurium annorum iniurias tolerare. Hoc vero, tum demum obtinuerimus, vbi vini *Hungarici* mercatus, cum exteris conſtituti, ditabunt vinitorem; quod vti fore confidimus, ita ſpem capimus, finem tandem querelarum facturos, qui difficile iſtud, & multarum impenſarum, agricolationis genus, ſequuntur. Victus *Bazingenſibus*, neque tenuis eſt, neque opiparus. Degunt ſic ſatis ciuiliter; tametſi haud deſint, qui trudant potius vitam, quam viuant, in iis, quas diximus, anguſtiis rei familiaris. Ergo, ſi detur occaſio, lubenter ſe curis exonerant. quod fere fit, nuptiarum ſolemnibus, aut ſi quid alicubi, vel publice,

victus Bazingenſium:

vel mutuo, epularum adparetur. Nempe, indulgent genio, & perluunt ſe vino, intus extusque. Nam ita putant, quod

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Hoc iſti factitant. Quibus, & res domi lautior, & maior in re publica auctoritas eſt, continenter viuunt, & ſciunt, quemadmodum, ſiue hoſpites accipere, ſiue habere familiares, deceat. Caſtigata his ſunt omnia, & ſicuti aliena a ſordibus, ita nulli facile crimini obnoxia: niſi adſint, qui, quantulumcunque adparatum, vertant in laſciuiam. quod genus hominum, nullibi non imminet, vnctioribus menſis. Viris forma eſt, non ea quidem indecora, ſed quæ referat cultus, cum vineatici, tum frumentarii, indicia. Hoc eſt, ſolis æſtibus, inter operarum curas, aduri pulchrum exiſtimant: certe homines cuticulæ tenerioris, in ignauis cenſent. Feminis, ſuppar habitus corporis eſt; nam & ipſæ lubenter apricantur in ſole, ſi ſit, quod ruri procurent. Alioquin compage membrorum, & facici obtutu, ſunt liberali. Decoris haud parum addit veſtitus, mixtus ille ex Hungarico, Germanus. Iam enim, & heic ea variatio in feminis obtinuit. Capita, maritatæ & virgines, velant vitta, non vnius generis; & aliæ quidem pepio, laciniis aliæ. Chlamys, aduerſus brumam, cunctis Hungarica eſt, ſumtus perſæpe multo quam putes, maioris. Viri Hungarice amiciuntur, modo ciuitatibus his proprio. Sed colore tamen veſtis multum variant. Neque videas Germanice veſtitum quempiam, niſi aduenam, & ſi quem natalium modus diſtinxerit.

forma virorum:

feminarum.

§. XI.

Commercia nundinarum:

COmmercia cum exteris & vicinis, frequentiora ſunt *Bazingæ*, quam *Modræ*. Id non modo ex quotidiano hominum confluxu, qui heicinſignis eſt, aduertimus; ſed etiam ex nundinis. Harum, aliæ ſunt annuæ, quæ diebus *S. Dorotheæ; Paſchatos Martis; Pentecoſtes Lunæ; S. Mariæ Magdalenæ, S. Auguſtini; S. Franciſci;* & denique *S. Catharinæ*, conſueuerunt concelebrari; aliæ hebdomadales, quibus ſinguli dies *Mercurii* impenduntur. In vtrasque, annuas & hebdomadales, magna frequentia concurritur. Id quod eximium iuuandorum ciuium remedium eſt. Sunt enim vero mercatus *Bazingenſium*, multo, quam reris, celebriores, cum annui illi, tum hebdomadarii iſti. Nempe inuehitur frumentum, plauſtris numeroſioribus, & nihil non mercis ruſticæ, quod demum, non ciues modo, ſed conuenæ etiam, coemunt opinione celerius. Adſunt quandoque, ſed rarius nunc, quam olim, vinarii inſtitores. genus hominum, ſi quodquam aliud, extra modum acceptum *Bazingenſibus*: quod & cellas exinaniant, & adportent æris quidpiam. Mira hos comitate accipiunt, adhibent ad conuiuia, neque non ita habent, vt cælo delapſos crederes. Aduenium autem, partim ex *Sileſia*, partim ex huius



REALE BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Ipse quidem dederas, Nomen mihi Sancte Lyæe,
At vitam Bacchus, vitibus ante dedit.

REALE BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Larga Ceres campis, regnat Silvisque Apollo
Viniferis Bacchus, collibus uber ovat.

Digitized by Google

ius collimitio Hungarico: nam *Poloni* quidem, deſueuerunt noſtra hæc vina mercari. Fit autem ea Bazingenſium cum hominibus alienigenis, conſuetudine, vt erga cunctos, qui ad eos veniunt, humanos ſeſe præſtent & hoſpitales. Etſi diuerſoriis non carent, tamen ſuis etiam hoſpitiis excipiunt peregrinos, hos præſertim, qui eis de meliori, vt aiunt, ſunt commendati. Reliquus *Bazingenſium* conuictus, prorſus ex ſocietatis humanæ factus legibus eſt. Nam & ciues mutuo pulchre concordant, potiſſimum, ſi de ſalute publica agatur; &, quæ ſunt, ſocietates aliæ. Coniuges qui ſunt, miro, alterutrius iugum ſufferendi ſtudio & induſtria, certant. Maritis rus & vineas curantibus; vxores haud deliteſcunt ignauæ, quin de iis, quæ domeſticos inter parietes peragi neceſſe eſt, ſollicitentur. Subinde excurrant & ipſæ, vt de operis, quæ ruris fiunt, diſpiciant. Quod cum vident liberi, ad parem curam vitæ agreſtis, exemplo parentum adoleſcunt, & enituntur. In artes liberales non facile incumbunt, contenti, ſi latinitatis gnari, tantum efficere poſſint, quantum vitæ, cum honeſtate tuendæ, ſuffecerit. Ideoque, qui iuri ſe tractando dedunt, mature ad ICtos mittuntur; alii opificia & rem domeſticam curant. Pro filiorum hac conditione, puellis quoque, non alia magis cura eſt, quam, præter legendi, ſcribendique facultatem, vt nouerint, quomodo hoc illudue, domi efficiendum, conſeruandum, & ſi fieri poterit, amplificandum; atque vt lingua vtraque mandare poſſint famulis, quo eſt neceſſe. Itaque, nubunt aliis aliæ celerius, tardiusque. Virginibus, eximia hic verecundia, cuncta pro vitio habentibus, quæ cum vita modeſtiore diſcrepant: propterea, rara caſtitatis, rara pudicitiæ iactura. Nuptiis indulgent, exquiſita pompa. Nam quod *Slauis* multum accedunt, horum imbuti conſuetudine, ritum eorum heic quoque, lubentes æmulantur. In primis amant repotia, quibus nihil non editur hilaritatis. Sua, & puerperiis ſunt ſolemnia, pompæ item funeribus, quæ ſilicerniis terminant. Sed, vrbem iam relinquamus, & quo in eam ſumus amore, perpetua ei incrementa comprecemur!

Conſuetudo ciuium cum peregrinis.

conuictus reliquus.

virorum iuxta & feminarum occupatio.

librorum educatio.

virginum laus.

nuptiarum ſolemnia.

V.

HISTORIA
VRBIS SANCTI GEORGII.

SYNOPSIS.

S. Georgii *ſitus: eius nomen: ætas & auctores ignorantur: priſci eius heri: conuerſiones recentiores.* §. I.

Qui regum in libertatem aſſeruerint S. Georgium. §. II.

Incrementa vrbiculæ: colonia Hungaricæ: Germanicæ: *ſufflaminantur bellis ciuilibus: decrementa: clades a Turcis & Tartaris illata:* Tökölii, *ſeditio noxia.* §. III.

Rákó-

Rákócziani *tumultus mala : fortuita vrbis incendia.* §. IV.

Forma triangula : templa S. Georgienſium: *interius :* S. S. Triadi *dedicatum : exterius quale :* D. Georgio *ſacrum : monimenta Comitum de* S. Georgio & Bozin, *emortualia.* § V.

Domus publica, & compita : fori habitus : vici tres : Bazingenſis : Piſonienſis : Superior : *ſuburbia.* §. VI.

Montium, & vitiferorum collium poſitus : vini praſtantia : rus reliquum : fons medicatus : piſcina : & ſerpentum ferax victima : aeris ſalubritas. §. VII.

Vrbis pauperies : ciuium varietas : magiſtratuum ratio : vita, inter ciues toleranda modus : vini prouentu conſtat. §. VIII.

Victus & veſtitus : corporis habitus. §. IX.

Commercia St. Georgienſibus *rara : familiaritas : cura publica & priuata rei : liberorum educatio.* §. X.

§. I.

S. Georgii *ſitus :*

eius nomen :

ZENT GYÖRGYINVM, latinis *S. Georgius,* vrbs eſt libera regiaque, ſed cenſus, tota prouinciola, vltimi. Eodem montium tractu, tametſi paullo propius ad radices, ſinum quendam iugorum occupat, ideoque in oculos, niſi adpropinquantibus, non incurrit. Nomen a *D. Georgio Martyre,* haud vero, quod volunt aliqui, ab arce, cui ſubiacet, mutuat; tametſi ea tardius, ſi coniecturæ locus eſt, exſtrui cœpit. Sed, quibus quæſo auctoribus, aut quorum impenſa curiſue? id vero iuxta cum ignariſſimis ſcimus, in tanta priſcorum temporum ignoratione. Vetus eſſe opus, inde colligas, quod BELAE IV. temporibus, iam inter ea oppida recenſebatur, quæ ſemel iterumque, adflixit *(a.)* OTTOCARVS. Fortunam certe, cum *Piſonienſi* vrbe numquam non experiebatur eandem. At enim, regumne tunc fuerit, peculiaris, an heros habuerit ſuos, illi diſpicient optime, qui regni tabularia habent in poteſtate. Recentiore ætate, iisdem, cum arce, & *Bozin*, quin *Vöröskö* etiam, atque *Ovár*, dominis fuit obnoxia. Wolffart *(b.)* his de *Vöröskö*, & *Ovár* nomen fuit. quod ſatis indicat,

ætas, & auctores ignorantur :

priſci eius heri :

a.) Diſerte *Hiſtoria Ducum Styriæ*, in actibus Ottocari II. p. 94. atque iterum p. 100. Vide infra Arcis Hiſtoriam §. II. vt taceamus chronica alia.

b.) Exſtat eorum mentio, in litteris, quibus venditio, *Curiæ Jandorffenſis*, in Comitatu Moſonienſi, perſcripta eſt, A. 1433. Diſerte illic, Comes S. Georgienſis dicitur, cum ſubſcriptione : *Ich Wilhelm der Herr, geſeſſen zu Altenburg.* Atque in faſſione ſuper eadem

cat, *Germanicum* fuiſſe genus, in pignus acceptis arcibus, huc illatum. Ex his demum, celeberrimi de *S. Georgio*, & *Bozin*, *Comites*, propagati ſunt; primi omnium, quibus honoris illud vocabulum, *Comes*, & quemadmodum priſca monumenta habent, *Groff*, obtigit. Enimuero, ante, eorum ætatem, ignorabat iſtiusmodi *Comites* Hungaria: *Comites* enim, ſeu regis, ſeu *parochiales*, quos iam *Supremos Comites* adpellamus, e nobilitate ſublectos fuiſſe plerumque, certum eſt. His emortuis, ad reges, iura oppidi rediere. Conuerſionum reliquas, ad *Bazingam*, data opera commemorauimus: eo quod erant rationes oppidi vtriusque, prorſus coniunctæ, dum ſe regum indulgentia in libertatem adſererent. *conuerſiones recenſiores.*

§. II.

COnſtat vero apud omnes, felicitatis eius, auctorem RVDOLPHVM II. fuiſſe; quam auctitauit ſubinde MATTHIAS II. ſiue quod ita fiſci iura poſcerent; ſiue quod delectabatur incrementis vrbium. quod vnum, ad donandum libertate oppidum, ingens fuit auctoramentum. Perſcriptæ ſunt tabulæ, anno MDCXV. *Viennæ* pridie Calendas Aprilis, *Valentino Lépes*, *Cancellario*, & *Laurentio Ferentzffy*, adminiſtris. Tenuibus tunc, vti facile eſt conïucere, ſtaminibus, *St. Georgienſium* immunitates conſtabant; adfirmatæ penitus, auctæque non vna acceſſione, cum in Liberis Regiisque vrbibus cenſeri occeperunt: id quod ad Bazingam fuſius proſequuti ſumus. Iſtud mirere, non deſiiſſe tributi vineatici genus illud, quod pendebant antea, cum in liberarum vrbium ordinem adſciſcerentur, *Szent-Györgyenſes*, iuxta & *Bazingenſes*. *Qui regum in libertatem adſeruerint S. Georgium.*

§. III.

ISto, Cæſaris, & Regis optimi, fauore, ita ſuccreuit *St. Georgius*, vt & mœnibus ſe potuerit circumdare, & intus ædificiis, ſolide, & ad omnem factis commoditatem, eleganter proficere. Atque erat profecto oppidum, incolis clarum, copioſum ac locuples. Fama eſt, *Sanct. Georginum* olim nobilitate ciuium, facultatumque copia, *Piſonio*, longepræcelluiſſe. Accedebant huc, nobiliſſimi quique viri, ad habitandum, qui demum non dubitabant, iura ciuitatis capeſſere, gerere in vrbe publicos magiſtratus, atque vini cultu, non ſuſtentare modo rem familiarem, ſed etiam auctitare. In his *Mednyánſzkii* fuere, *Ketskéſii*, & egregia nomina alia. Quin & Germanis coloniis, ex Styria & Auſtria huc immigrantibus, inſigniter, eadem illa tempeſtate, adaucta fuit vrbicula. Vti enim pollebant ære & opibus, ita, non potuerunt non locupletare hoc, qualecunque fortunarum ſuarum perfugium. *Incrementa vrbicula:* *coloniæ Hungaricæ:* *Germanicæ:*

dem curia, A. 1441. facta per IVDITHAM, *Dei gratia*, *baredem Opaienſem*, ipſa ſe adpellat: Viduam egregii *Paulli Wolffart dicti de Veresk̄*, *alias de Ovár.* Gentem autem, cum Comitibus a *S. Georgio & Bozin*, fuiſſe eandem, cum inſignia, tum diplomata alia loquuntur.

fugium. In his cenſueris: *Segneros*, *Armbruſteros*, *Giligios*, *Tutzenthaleros*, *Koleros*, *Petenadios*, *Malikios*, *Schützios.* Mira his omnibus, ad excolendas vineas vrbemque, alacritas. Ergo, pulchre inualeſcebat *Szent Györgyium*; ſed cuius profectus, extra modum ſufflaminauere bella ciuilia, quæ, *Bethlenio* primum, deinde *Rákóczio*, ducibus, conuellebant Hungariam. Vini interim laus ad *Sileſios*, *Polonos*que dudum prolata, felicem extra modum, diuitemque vrbem factura videbatur, niſi Tranſiluanica illa mala, toties totiesque adflictaſſent, cum regionem vniuerſam, tum limitaneam hanc potiſſimum. Ergo, iisdem iſtis calamitatibus occœpit decreſcere. Adde, quod vitis maiora vndiquaque capiebat incrementa; cum non modo vicinia, vineis, in dies, latius obſereretur; ſed etiam remotiores, qui ſub Turcarum gementes tyrannide, nullum, aut paruum vini vſum habuerunt, poſtquam pulſis barbaris, in priſtinam libertatem reſtituti eſſent, exemplo horum, vini quæſtu, damna a Turcis illata, voluerunt reſarcire; noſtri ſenſim ea, quam olim habebant, vini cum fructu vendendi, occaſione exciderunt. Nulla vero calamitas vrbi maior vnquam incubuit, quam cum anno MDCLXIII. obſeſſo *Ujvarino*, Turca, Tartaro mixtus, alter ſanguinolentior altero, late per regionem, & ferro, & igne graſſatus, vrbem euaſtaret. Adſiliere nempe, non tam ritu militari, quam barbara feritate. Simul vrbis portas extuderunt, rapinis primo fœdarunt omnia, tunc ad cædes conuerſi, non ætati, non ſexui pepercerunt. Quos veſtitos deprehenderunt lautius, virgines item, & venuſta forma feminas, egerunt in captiuitatem, quin abutebantur etiam ad omnem turpitudinem. Deſiderati ea clade ſunt ciuium plurimi; neque parſum fuit ſacris viris, quin catenis onuſti, raptarentur in captiuitatem, morte ipſa duriorem. Vidimus aliquando, abactorum in ſeruitutem, cæſorumque catalogum, *(c.)* multis, neque obſcuris nominibus refertum. Et hos quidem, lugubri funere honeſtarunt, qui in vrbe ſuperabant, e captiuis autem vix rediit quisquam. Fœdata ad eum modum, omni crudelitate, vrbe, in tecta flammis ſæuitum eſt, exuſta ædes ſacra, refoſſæque cryptæ emortuales fuerunt. Teſtis rei eſt templum, quod, inter vrbem, & arcem interiacet, vbi vetuſta *comitum de S. Georgio & Bozin* ſepulchra, barbara feritate violata videas. Lenta poſtmodum vrbis fuerunt incrementa: quippe quam, & incolis exinaniuerat hoſtis, & deletis igne ædificiis, tantopere deformauerat, vt vix pluribus luſtris potuerit conualeſcere. Nempe, domus pleræque, fœda vaſtitate, vineæ, & reliquus ager, diu incultu ſqualebant. Vix ab his malis reſpirauerat, cum turbo *Tökölianus*, vrbis fortunas conuerruit denuo.

ſufflaminantur bellis ciuilibus;

decrementa;

cladis a Turcis & Tartaris illatæ;

Tökölii ſeditio noxia.

§. IV.

c.) Eſt, *Necrologium* A. C. ciuium.

§. IV.

CVmulauit poſtea cladem, *Rákócziana* tempeſtas, cui præſentem, quo eſt, vrbis habitum oppido deplorandum, habent, cur in acceptis ferant, ciues. Prima ei calamitas anno MDCCIV. inflicta eſt. cum non modo portas, aperire incurſantibus deberent; ſed etiam recedentibus iterum *Hungaris*, non vno malorum genere adfligerentur. Implorabant a *Piſonienſi* præſidio ſuppetias *S. Georgienſes*, iamque dimiſſi nuncii, (duo e PP. Piarum Scholarum fuere) ſpem a *Gabriele Toluaj*, acceperant, fore, vti proxime, cum ſuis adſit, feratque opem laborantibus. Nondum illi Piſonio redierant, cum adſunt denuo *Rákócziani*, portas ſubeunt, &, quod erant odorati, implorasſe per ſuam abſentiam, Cæſarianorum ſuppetias *S. Georgienſes*; extra modum furunt, conuicia, omni in ciues ſæuitie, cumulant, ac propemodum peſſundant vrbem. Commeatus certe, atque vini potiſſimum, tantum prodegere, quantum iuſto exercitui facile ſuffecturum erat. Adflixit ea profuſio ciues, ſed *Piſonienſes*, quibus inſignes hic ſunt poſſeſſiones, omnium maxime. *Segneriana* in primis cellaria generoſiſſimo vino referta, partim exinanita ſunt penitus, partim, ne, quod iam faſtidiebat ebrioſitas, Germanis cederet, reſectis doliorum circulis, inſigni maleficio, mero perluta. Hæc menſe *Maio* euenerant, oppido triſtia. Quam poſtea, *December* anni eiusdem, eliſit tempeſtatem, multo ea quidem fuit atrocior. Res ita habet: obſidebant Hungari *Leopoldopolim*, quorum pellendorum cauſſa, exercitus Cæſareus, *Piſonio*, Récsam verſus, iter ſuſcepit, atque, vbi prope ad oppidum nonnihil moratus erat, *Sancto Georginum* inde promouit. Nondum, ad laterariam officinam peruenerat, cum præmiſſis velitibus, *Rákócziani* occurrunt, iterque obſident aduentantibus. Concurritur prima fronte fortiter. At, cum peditatum admouent Cæſariani; loco primum cedere, mox in apertam fugam effundi, & qua metus quemque ferebat, dilabi. Tunc noſtri, citato curſu, tergis fugientium, inhærentes, ad vrbem vſque pertingunt. Quin & Hungari, qui intra mœnia erant reſidui, obſerare portas, vrbem defenſare, atque Cæſarianorum præcurſores ſclopis accipere. Momentanea hæc virtus fuit. Nam, ſimul vim Germanorum ſubuenire validiorem aduertunt, deſperatis rebus, fuga ſeſe, in proximos montes, ſubducunt. Elapſis Hungaris, quamuis ſua ſponte ciues admiſſuri erant Germanum militem; tamen, cum in ea trepidatione, ſusque deque intus feruntur omnia; extus autem imminet exercitus, tardius, quam par erat, portas adaperiunt. Infremuit ad eam iniuriam miles. cuius indignationem vti conſopiret *Martius*, ciuium haud poſtremus, conſcenſo muro, adſtantem exercitum, ſupplici voce adloquitur: *Date*, inquit, *moræ veniam, victores! parcite ciuibus, a recipiendis vobis, ſola vi hoſtium retentatis. Iamiam patebunt portæ, ſed quas, vti amico, neque hoſtili animo, ſubeatis, vnus ego voce omnium ſupplex deprecor.* Vix hæc dixerat, cum

Rákóczíani *tumultus malas*

glande, a milite impatientiore ictus, concidit. Tum vero demum, effractis portarum repagulis, in vrbem inruunt, & qua peruadunt, obuia quæque diripiunt. Ciuibus, in tanta tumultuatione vitam ſeruaſſe, beneficium fuit. Dictu difficile eſt, quibus malis, tota ea hiems *S. Georgenſes* adflixerit. Redibat nimirum, a *Tyrnauienſi* pugna victor exercitus, & per vrbes vicinas ſparſus, hibernabat: neſcio, an alibi, quam *Szent-Györgyini*, licentioſius. Neque enim ritu militari, ad pondus commeatum accepiſſe, ſatis erat; rapiebatur, quidquid auidiſſimo militi ſors obiiciebat. Ergo penuariæ non minus, quam vinariæ cellæ, ante exhauſtæ ſunt, quam bruma adoleſceret. Sequuta inde inedia, & morborum neſcio, quæ non lues caſtrenſis. Inter has rerum difficultates, hiems abierat, cum adſunt ad Calendas Apriles, anni MDCCV. *Hungari*. Inerat adhuc in vrbe, *Germanorum* præſidium. Proinde, cum id, in belli ritu, nollet decedere, vrbem obſident, machinas admouent, & globis igniuomis, in vrbem coniectis, ciues iuxta & præſidiarios, fatigant. Atque, habuit omnino admirationem, rimoſa intra mœnia, tolerauiſſe eos inſultus, non fortiter tantum, ſed etiam cum clade hoſtium. Iam dies aliquot extrahebantur, cum Hungari flamma delendam refractariam vrbem, ſtatuunt. Et ſucceſſit omnino maleficium. Immiſſis enim, plus quadraginta globis ignitis, vicus *Bazingenſis*, igne concepto, totus conflagrauit. Tunc vero difficiliora in vrbe fieri omnia: cum ciues quidem ad reſtinguenda incendia, conuolarent; præſidiarius autem miles, ab omni bellico inſtrumento deſtitutus, non iam de vrbe, ſed de ſalute ſeruanda, cogitationem ſuſciperet. Itaque, paciſcuntur deditionem, & inermes, in *Morauiam* partim, partim *Piſonium*, qui nimirum valetudine premebantur, incolumes dimiſſi ſunt. Hæc eorum temporum calamitas fuit. Sequuta poſtea ſunt fortuita incendia, damnorum vtique irreparabilium. quorum illud, quod anno MDCCXXVIII. ſeptimo Idus Septembres accidit, eo fuit nocentius, quo magis exhauſtos incolas reperit. Tot ergo, & tam crebris cladibus adtritum *S. Györgyinum*, non iam vrbem refert; ſed vaſtitatem, interſitis paſſim nitidarum olim ædium, ruderibus deformem. Neque, ſpes ſe adhuc oſtendit, fore, vt in melius reparetur vrbis fortuna: quippe, quum ciuibus opimioribus, partim demortuis, partim alio dilapſis, vix ſuperent, qui de reſtauranda ea, cogitationem ſuſcipiant. Vt nihil dicamus, de grandi, quod conflatum eſt, ære alieno, domibus item nobilium, quas *curias* dicunt, fructum œconomiæ, reditusque ciuium præcerpentibus.

fortuita vrbis incendia.

§. V.

Forma triangulata.

VRbs ipſa, forma eſt triangula, quam ei natura loci, intra duo iuga coacti, adtribuit. Muro incingitur vnico, & qui rimas agit paſſim. Portis aditur quatuor, vna, orientem verſus, *Bazingenſi*; altera in meridiem *Piſonienſi*; in occidentem tertia, quam

quam *minorem* vocant; & quarta a ſeptentrione *vineatica*. Intra mœnia domus ſunt ſolidi quidem, ſed antiqui operis, paucis exceptis, quas fortuna ciuium melior, reformauit. Magna earum pars deſerta iacet, quod nunc diximus. Vtinam adſint aliquando, qui velint ædificare; habebunt profecto, vbi fatigent operas. Templa ei duo ſunt. Alterum, extra mœnia, in edito colle, qui in occidentem ſpectat, *Sancto Georgio* dedicatum; alterum in medio vrbis, anno, MDCLIV. ſumtibus A. C. ciuium excitatum. quod demum, anno MDCLXXIV. *Patribus Piarum Scholarum* permiſſum eſt. Aetatem chronoſtichon exhibet:

templa S. Georgienſium:

interius:

hIC tVa ſanCta trIas reqVIes sIt ſanCtaqVe ſeDes.
seDIbVs eXqVe ſaCrIs sVſpIrIa sVsCIpe ſaCra.

docetur eo, quo anno templum exſtructum, ſed etiam, quod Sanctiſſimæ Triadi conſecratum fuerit. Eſt alioquin ædes ampla, & ſolidæ fabricæ. Sacrarium in occidentem proſpicit, aditu orienti obuerſo. Hac ædis parte adſurgit, non templi tantum, ſed totius vrbis ſpecula; in hac, horologium, æra campana, & vigiles publici. Totum opus circumdat murus, tanto ſpatio, quantum ſepulturæ funerum nobiliorum ſufficiat. Ex ea parte, qua in meridiem ſpectat, adnexum ei ædificium eſt, quod pro Patribus, & iuuentute Piarum Scholarum, ante annos aliquot exſtrui cœptum, in amplam ſatis, & opportunam collegii formam, emerſit. *(d.)* Illud autem exterius, quod a *S. Georgio*, nuncupatum diximus, diſtat paſſus plus minus ducentos a mœnibus in occidentem æſtiuum, ea prorſus regione, qua in arcem ibatur. Antiquiſſimum eſt opus, muro ſolido, laxo ſpatio, qua primum intratur, & deinde in anguſtum ſanctuarium, & arcta ſacella, ſeſe diuidens. In horum vno, peculiari ſtructura, verſus templi latus meridionale, monumentum viſitur, quadri forma, ſuper terram eminens, atque in ambitù, annum ac diem emortualem *Comitis*, illic reconditi, vetuſto charactere, quem imperiti, *Hebraicum* crediderunt, inſculptum præbens:

SS. Triadi *dedicatum:*

exterius quale, D. Georgio *ſacrum:*

monumentum, Comitum de S. Georgio *&* Bozin *emortualia.*

Anno Dni MCCCCLXVII. Feria Qvarta.
Ante Festvm Beati Ambrosii Episcopi. obiit
Spectabilis ac Generosvs
Magnificvs Dominvs
- - - Sancto Georgio et de Bozin etc. hic
Sepvltvs. Cvivs anima reqviescat in pace!

Nomen *Comitis*, quod furor *Tartarorum* deleuit, ſub monumento hoc theſauros quærentium, deeſt. Tabula, quadro impoſita, ſimulacrum

R 3

d.) Tenent PP. Piarum Scholarum, locum hunc, *iure*, vt vocant *liquido*. Nimirum, *quadraginta millia florenorum*, in remp. Sancto Georgienſem collocarunt, & quod dimidii tantum vſum fructum perciperent, pro parte reliqua, locus hic eis adſcriptus eſt. Habent ius parochiæ; vt qui *Rector Collegii*, idem ſit etiam ciuitatis *Parochus temporaneus*.

lacrum herois cataphracti, ſingulari exſculptum arte, cum accubante leone ſpectandum exhibet. In ipſa templi, vt vocant, naui, alterum poſitum eſt monumentum, & hoc ex porphyrio marmore, ſed priori illo recentius multo, cum hoc indicio:

MONVMENTVM SPECTABILIS ET MAGNIFICI CASPARIS de SERED. COMITIS DE SANCTO GEORGIO ET BOZIN, AC CAPITANEI PARTIVM SVPERIORVM REGNI HVNGARIAE ETC. *qui obiit die Prima Martii Anno Dñi.* 1550.

ſuperficies monumenti ſtatuam ſiſtit armatam, ad cuius caput verba leguntur diui Paulli:

Abſorpta eſt mors in victoriam.
Georgius de Sered Frater FF.

ad pedes: *Iohannes Alagy Nepos* procurauit. ad latus dextrum:

Me Seredina tulit tellus, Fernandus habendas
Rex donauit opes, dum fera bella domat.

ad ſiniſtram:

Rara fides rebus dubiis, operoſaque virtus
Acceptum Regi me fecit eſſe meo.

Erat forte operæ pretium, hæc non neglexiſſe, in primis, cum rara ſint, poſt tot patriæ dulciſſimæ conuerſiones, domeſticæ huiusmodi antiquitatis documenta. Sunt præterea picturæ aliæ, vetuſti operis, quas vbiuis haud offendas. Tota templi fabrica, in orientem fronte obuerſa, a tergo oſtendit turrim, ex vermiculato ſaxo ad ſummum vsque erectam: cui adeſt æris campani receptaculum. Omnia muro incincta ſunt, haud exiguo cœmeterio interiacente, loco multum erectiore, quam ciuitas eſt, ideoque longe & late conſpicuo.

§. VI.

Domus publica & compita:

SEd redeamus intra mœnia, diſpiciamusque, quo ordine, & quibus ædificiis, publicis atque priuatis, vrbicula inſtructa ſit. Publicarum præcipua eſt, prætorium, ſeu curia, quæ loco inſiſtit edito. Splendore nullo ſuperbit, ſed præbet tamen conciliis vrbicis ſpatium commodum & opportunum. Inde ſunt cauponæ, & tabernæ lanioniæ, ſeu macellum. Diuerſoria autem duo, occupant plateæ Bazingenſis ſeriem domorum orientalem. *Curias* nobiles, & a cenſu ciuitatis liberas, habet complures. Sunt autem in Bazingenſi vico *Illyésháziana*, *Kerekeſiana*, *Gilligiana* duæ, & *Armbruſteriana*, ſed quæ vici Piſonienſis angulum inſedit. Præcipua eſt *Pálffyorum*, quæ in fine vici ſuperioris ab *Stephano Illyésházy*, & *Catharina*, eius coniuge, nata *Pálffya*, exædificata, nomen conditorum indicat. Forum ciui-

ciuitatis publicum, erectiori loco eſt, prope templum *SS. Triadis*, lato ſpatio, & quaquauorſum aperto; ſed multo iam, quam olim fuit, anguſtiore, ob Collegium *PP. Piariſtarum*, vni angulo, laxo poſitu inſtructum. Quemadmodum vero formam vrbis, triangulam eſſe diximus; ita, in tres potiores vicos, tota, vt eſt, ex foro propagatur. Ex ea areæ parte, qua in orientem ſpectat, decurrit vicus, vt vocant, *Bazingenſis*, a via, quæ *Bazingam* ducit. Lata inſigniter eſt platea, & domorum ſerie vtrinque decurrente continua; tametſi ob inæqualitatem ædificiorum, hinc maiorum, minorum illinc, ipſosque ex ea porrectos viculos paullum aſpera, & inæquali. Alter vicus diſcedit a foro in meridiem, obliquiori platea & ſerie domuum, magna parte deſolatarum, vsque ad portam *Piſonienſium*, quam ob rem & vicus ipſe *Piſonienſis* vocatur. Tertius vicus eſt *Superior*, quem herile illud prætorium, & curia ciuica nobilitant. Pergit, ex eodem foro, in ſeptentrionem quoque, vicus inæqualis is quidem, qua in vineas exitur. alii item non modo iſta ora, ſed etiam intra duas illas maiores, *Bazingenſem* & *Piſonienſem*, qui plateam vtramque committunt; ſed qui cum prioribus, nec ſerie domuum, nec ſpecie, nec denique ſpatio poterunt comparari. Ab æſtiuo occidente decurrit riuus, aqua vbere, & limpida, ideoque vrbi, quod partem eius ſeptentrionalem, recta, orientem verſus, interfluat, opportunus; tametſi nonnumquam, cælo nimium ſicco, prorſus inareſcat. Tum vero ſiticuloſa eſt vrbs, & non raro, vini, quam aquarum ditior. Alioqui, non deſunt putei publici & priuati. Sicubi, *S. Georgii* profecto ſilani poſſunt inſtrui, ipſis etiam *Piſonienſibus* copioſiores. Totus enim tractus montanus, crebris aquarum ſaluberrimarum ſcaturiginibus, perenne reſudat. quas procliue foret, in aquæ ductus colligere. quæ tamen curæ, vix vnquam ſollicitabunt *Szent-Györgyenſes*. Suburbiis extra modum tenuibus obſidentur. Eo loco, qui portas inter Poſonienſem & Bazinienſem, ante mœnia procurrit, fuiſſe olim ſuburbium vnius ordinis, decem orgyiarum interſtitio a muro vrbis remoti, ædificiorum rudus, & parietinæ oſtendunt: ſed præter *Xenodochium*, quod portæ Piſonienſi obuerſum eſt, occurrit nihil, quod habitari commode poſſit. Cultior vicus eſt, occidentali parte, in decliui illo colle, qui inter arcem, & vrbem intercedit. Habitatur quidem exilibus ædiculis, ſed paſtinatoribus, qui easdem incolunt, ſatis commodis. *Neuſtifft* ei nomen eſt, cenſeturque in arcis ditione.

fori habitus:

vici tres:

Bazingenſis:

Piſonienſis:

Superior:

ſuburbia.

§. VII.

INde, quidquid in occaſum & ſeptentrionem porrigitur, montes inſident, pulchra collium, a ſummo vertice, vsque ad ima, vallem efficientium, decliuitate, vrbem complectentes. Superne, opacis ſaltibus ſilueſcunt; infra, vite obſiti, & veluti ex alto, in ciuitatem deſpicientes, adſpectum ei conciliant longe amœniſſimum.

Montium, & vitiferorum collium poſitus:

De

vini præſtantia:

rus reliquum:

fons medicatus:

piſcina: & ſerpentum ferax vitium:

De vino eius, quam nobile illud ſit, & quemadmodum colatur, a quibusue conſueuerit redimi, dicemus alibi *(d.)* fuſius. Præſtantiſſimum illud eſt, guſtu, & virtute tam nobili, vt certatim olim a Morauis, Sileſiis, & Polonis, exportatum fuerit, tametſi iam neſcio, quam ob rem, abalienatis. Vini paſſi, nimietatem accuſari audias; quod dum faciunt, non poſſunt non ſubducere vino, ſuccum nobiliſſimum, idemque reddere guſtatu quodam modo ingratius: id quod iam non diſputamus. Id certum eſt, paſſum huias, ſi merum ſit, neque adulteratis ſuccis corruptum, ſecundas, poſt *Tokayenſe*, ſuo optimo merito, obtinere. Concordat, ad hanc vini præſtantiam, ſoli cælique habitus. Topho illud friabili permiſtum, poſitus habet, eximie apricos, concauos hic, porrectos alibi. Huc vero illapſi ſoles, fouent vitem, coquuntque vindemiam, fructus laudatiſſimi. Nec deſunt pomorum genera, non varia magis, quam optimi ingenii. Eos, non collibus tantum, ſed etiam campis deponunt. Nam, vti montes, & collina illa poſitio: verſus ortum, & meridiem, in meram deſinunt planitiem; ita totus is tractus, qui vrbi ſitum aperit, hortis incinctus, & conſitus arboribus eſt. Vltra ſunt prata, & nemora, vliginoſa quidem, & crebris lacunis imperuia, ſed vtilia & hæc, non modo ob flutas, Hungaris *Cſik*, maiores multo & ſapidiores, quam alibi, ſed etiam lignandi cauſſa; omnia enim proceris alnis & ſalicibus, opaca ſunt: vt nihil dicamus, de feris, & amphibiis, auibus item aquaticis, quarum ingens copia, inter has paludes & luſtra, confouetur. Ex ea camporum parte, qua regiam viam *Piſonium* verſus transmittunt, ſub quodam colle, vltra mille paſſus in meridiem, ab vrbe balneæ, ſulphuroſo fonti, annis ſuperioribus adſtructæ ſunt. Caleſiunt aquæ, & diffuſæ in cados, magna ægrorum adprobatione, adhibentur, ad lauationes medicatas. Commoditatem vanni præſtant, diſtinctis conclauibus, pro lubitu cuiusuis diſpoſiti. Prorſus eadem regione, ſed ob iter Piſonienſe, ſacellum eſt, eremitæ, neſcio cuius, receptaculum. Inde meridiem verſus piſcina diffunditur, opimi reditus futura, ſi haberetur purius. Reliqua, rurſus in denſas ſiluas, & vuidos campos deſinunt. Terra, nusquam colubrorum feracior, alia. Scatent heic omnia, inuſitata ſerpentum multitudine. Agris, vineis, montibus, campisque & colliculis, tota æſtate, videas globatim colubros ſinuari. Et, cum inſecti genere, nulla pars terreni vacet; tamen illa erectior, in qua eremum, ſacellumque ſedere diximus, adeo fœcunda ſerpentum eſt, vt nequeant credere, qui non viderunt. Vix qualemcunque rimam terræ notaueris, niſi anguium ſimul nidus inſit. Veri ſimile eſt, certo anni tempore, ex limo paludis, vbi poſuerunt oua, genus emergere, tametſi lacunis vicinus colliculus, ſolo petroſo, friabili, eoque calido ac rimoſo, ponendo excludendoque ſeminio, dare poſſit hoſpitium. A primo vere, vsque in ſerum auctumnum, totum, quaſi funibus perplexum, infiniti colubri obſi-

dent,

a) Parte Operis noſtri Phyſica.

dent. Nec tamen multum nocere, ſiue hominibus audias, ſiue pecudi. Vidimus, adoleſcentes, qui in locum hunc, per æſtatem, ſæpe, cum magiſtris, relaxandi animi cauſſa, excurrerunt, ſerpentibus quaſi conluſiſſe, neque tamen vllum accepiſſe detrimentum. Quapropter, non dubitant, temporis hoc interuallo, quod luſibus deſtinarant, exquirendis, concidendisque anguibus, impendere. Certum eſt, vti ad nos non nemo dedit; *quod ipſemet ſæpius, vnius horæ ſpatio, quatuor ſerpentum centurias, nullo negotio confecerit; tantum, vel non multo minus, ſinguli fere condiſcipuli.* Ergo, quo plures quis peremit, congeſſitque in turbinatos aceruos, eo maiori cum laude, dimiſſus eſt. Non raro, & operariis, qui extra, rem agreſtem curant, tutis atque ſine pernicie, iſtiusmodi ſerpentes, manicas ſubeunt ſinumque. Crediderim, genus hoc anguium quod in vuidis cauernis proueniat, non ferire: ſaltem, quomodo ſibi conſtet, vulgaris opinio, florente vite, exſulare, tota regione, qua odor floris diffunditur, angues, non video. Alioqui, totius tractus *Sancto-Georgenſis*, ſaluberrima temperies eſt. Nam, etſi lacunis per depreſſa ſcatet; tamen, quod nonniſi ſulphur & nitrum exhalant, auram relinquunt lætam & ſalubrem, accedente a montibus, aere vegeto, qui diſpellit & prohibet, ſi quid ſe tetri & contagioſi ingeſſerit. Vſus incolas docuit, peſtilentiæ, quamuis vicinas vrbes depopulata fuerit, non æque heic, ob aeris benigniorem temperiem, ſæuire licuiſſe: id quod *Piſonienſibus* quoque, perfugio eſſe conſueuit, non e nobiliore modo vulgo, ſed his etiam, qui ſunt Regi a miniſteriis.

aeris ſalubritas.

§. VIII.

EA ſoli cælique benignitate, mirari poſſis, quid cauſſæ ſit, quod vrbs *Sancto-Georgenſis*, in dies magis, & incolis, & facultatibus deficiat. Paucos habet, qui vitam poterunt, ſine moleſtiis, cum honeſtate, commoditateque tueri; *(f.)* plurimos, ad rerum omnium indigentiam ſors miſerior damnauit. Mixti & hi, ex *Germanis*, & *Slauis* ſunt, paucis inter eos *Hungaris* habitantibus; tametſi & ii, qui ſunt, Slauice cogantur diſcere, ob perpetuum cum *Slauis*, vinitoribus in primis, commercium. Operæ enim vineaticæ fere per *Slauos* fiunt; pauci ex *Germanis*, vel domeſtica ſeruitia exſequuntur. Itaque, licet ciues *Germani* ſint plerique; raro tamen lingua vernacula, atque id, non niſi inter ſeſe, vulgo *Slauica* magis vtuntur. Magiſtratuum, eadem heic, quam in prioribus vrbibus diximus, ratio eſt. *Senatum*, viri duodeni, *communitatem*, potiores, qui deligi poterunt, conſtituunt. Et quemadmodum *Iudex*, *Conſul*, *Capitaneus*, ex ſenatu; ita ex reliquis prenſantur, *Notarii*, *Camerarii*, ædiles, curatores orphanorum, præfecti ſiluarum, & montium; cam-

Vrbis paupertas;

ciuium varietas;

Magiſtratuum ratio;

f.) Nobiliores enim, quibus domus ibidem ſunt, adſunt raro, & nonniſi colligendæ vindemiæ, & meſſis cauſſa.

porum item, & nundinarum, obſeruatores, atque id genus alii. Interdum huius ordinis, munera nonnulla ſenatores ipſi exſequuntur. Videas, qui Notarii ſunt, eos ſimul eſſe ex ſenatu, vt reliqua prætereamus. Senatores ſtatis & heic diebus, in curia conueniunt, adhibitis interdum *ſexaginta* viris, quoties opus, atque tempus poſtularit. Duram aiunt eſſe magiſtratuum rationem, non modo, ob temporum iniuriam, ſed etiam paupertatem ciuium, nobiliumque, quorum *curias* ineſſe vrbi, diximus, diuerſos mores; & quod hi, de ſoli quidem bonitate participant, non æque de onere: hoc enim ſolis fere ciuibus incumbere, *Sancto-Georgenſes*, multum & acerbe querulantur.

vita inter ciues tolerandæ modus:

Sunt autem ciues & incolæ *Sancto-Georgyini*, non vnius victus; plerique omnes, viuunt cultu vineatico. Frumenti minus educatur, quam quod ſufficiat. Itaque agrum poſſe conſerere, paucorum eſt. Interſunt & opifices, ſed vulgares ü, & quibus ne ruſticus quidem poſſit egere. Reliqua plebs, viuit operis, quas diurna mercede impendit, partim in vineis, partim ruri, partim domi. Quotquot autem horum ſunt, agere commode haud poterunt, niſi meliori vindemiæ fructu, & huius opimiore pretio ſubleuentur. Vtrumque tamen, temporumne, an incolarum vitio, videtur omnino concidiſſe. Nam, tametſi diffiteri haud poterimus, vini & heic pretium, ob copiam & multitudinem vinearum, iam & alibi, in primis in viciniis plantari cœptarum; & quod paruus eius quæſtus in exteras regiones permittitur, euiluiſſe; tamen ſunt, qui ipſos *Sancto-Georgienſes* iuſto maiori illa vini paſſi, quod iam meminimus, factura, non modo fructus melioris, ſed etiam qui ſecundæ notæ eſt, virtutem & indolem, ſuſpectam mercatoribus reddidiſſe, autumant.

vini prouentu conflat.

Nequit omnino negari, eſſe quoddam vitis genus, *Sancto-Georgienſibus*, quod citius exareſcit, quam vt poſſit in vindemia, cum reliquis vuis miſceri; adeo, vt niſi ſeorſim eruatur, macereturque in muſto, ſuccum exhibeat nullum, præſertim, ſi ante ſubiectum prælo fuerit, quam potuit liquore alieno turgeſcere: ſed vero, hoc vitio eis non vertitur; quin potius par eſt omnino, vt vinum paſſum genuine conficiatur, ea, quam vitis ipſa, poſtulat indole: non vitio illo communi, quo vuis paſſis, vel plus iuſto muſti infunditur, vt copia magis exundet, quam virtute; vel etiam vindemia reliqua, ita vuis maturioribus nudatur, vt non niſi fructum retineat vilem, emaciatum & inſipidum. Hoc enim in vitio ponendum eſt: quod, etſi paucis, quibus maior poſſeſſionis modus obtigit, imputari iure poterit: tamen, quod nonnullorum paupertas, & male ſana quorundam in viciniis, vinum paſſum *Sancto-Georgienſe* mentiendi æmulatio, totam, inſontium alioqui noſtratium vindemiam, in eiusmodi erroris ſuſpicionem pertraxit; fieri aliter non potuit, quam vt auerſis ita *Sleſiis*, aliisque vineaticis inſtitoribus, miſeri ciues, vinum ceteroquin bonum, genuinum & nobile, vel diu in cellis adſeruare, vel cum magno diſpendio, & quod vinearum cultus differri nequit, pretio obuio atque vili, prodigere cogantur. Id vero ma-

malum, quod diu iam, iſtis quoque annis fertiliſſimis, quibus fructum *Tokaienſe* forte haud viliorem, ſuſceperunt, preſſit pauperrimos ciues; ex facili colligere licet, quantopere res eorum familiaris adtrita ſit. Vinicultura æs poſcit quotidie, reddit autem expenſas raro, ſaltem non cum fœnore. Interea cenſus penditur, exiguntur tributa, viuendum eſt quoque: at vero vnde? Opificiorum certe parua eſt æſtimatio, quæſtu vini ſufflaminato. Quid? quod, & qui eum tractare cupiunt, nequeant, facultatibus deſtituti.

§. IX.

ITaque victum, cultumque corporis, pro ea fortunæ ratione, ad neceſſitatem, & vires referunt magis, quam ad luxum. Quod ex agris, hortis, vineis, atque domeſtico penu, haberi poteſt, in cibaria prenſatur. Sunt autem ſingulis fere domibus, ſinguli a tergo hortuli, quibus caules, rapas, braſſicam, apium, & id genus olus aliud, radicesque deponunt, vt quod ad culinam opus, ſit in promtu. Ea cura, multum iuuat adflictam *Sancto-Georgienſium* ſortem, vt quod aliis ære conſtat, ipſi depromant de ſuo. Vini etiam, quia paruum eſt pretium, ſuppetit potus, non vilis ille, ſed generoſus, & quo alibi, nobiliores quique deſtituuntur: id quod moleſtiſſimi laboris, præmium fere vnicum eſt. Feris & auibus ſilueſtribus, aquaticisque, pro anni ingenio, abundant non raro. Sed enim id ſortem ipſorum eo minus reddit feliciorem, quo tenuius eſt rerum, queis adfluunt, pretium. Quemadmodum vero victus & aeris, ita corporis etiam habitus comparatus eſt. Sunt compagine firma, ingenio acri, & ad artes meliores, ferme a natura facto. Nec ob veſtitus luxuriam cenſeri merentur. Mediocris enim is eſt, nec ſplendidior, quam quo ciues, ab agreſtibus par eſt diſtingui. Sexus & hic maſculinus, veſtem Hungaram retinet; quam, tamerſi neque ſequior improbauerit; eſt tamen in feminis, quod ad Germanicum amiciendi modum, referri aliquo modo poterit, præſertim apud has, quæ conditionis ſunt melioris. Parem & heic, cum Piſonienſibus & Bazingenſibus ritum æmulantur, licet paullo rem ſuam exornent adductius. Habitacula etiam pro loci modo, munde magis, quam ſplendide inſtruunt: ſed in multis eſt ſolitudo, etiam in his, quæ aliquando a locupletioribus, incolebantur. Si vsquam, heic de multis, vetus illud a prætereuntibus dici poterit: *O domus antiqua, quam diſpari dominare domino!*

Victus & veſtitus:

corporis habitus.

§. X.

MErcandi, & venundandi intra mœnia, nusquam occaſio arctior. Nundinas diebus *S. Georgii*, *duodecim Apoſtolorum*, & *S. Thomæ Apoſtoli*, nullo fere mercium adparatu, celebrare conſueuerunt. Concurrit plebs ruſtica, non tam, vt mercetur quidpiam,

Commercia, St. Georgienſibus rara:

piam, quam vt dolia exinaniat. Vix vnam alteramue horam ſteterunt tabernæ mercatoriæ, cum detrahuntur iterum. Erga peregrinos, agunt comiter & amice, multumque ſibi honori ducunt, ſi aliquos eis contingat hoſpitio excipere. Idem comitatis genus, multos olim ad inhabitandam vrbem inuitauit. Viuunt enim cum omnibus honeſte, atque tranquille, non elate, ſed neque ſubmiſſe aut abiecte. Rempublicam curant, pro temporum habitu: ſaltem, vt conſeruent, quæ acceperunt a maioribus, cum augere nequeant. Maritorum cura præcipua, in colendis vineis eſt, ideoque partem diei maximam, cum poſcit anni tempus, extus agunt. Nec deſunt operis vxores: quippe, ab incunabulis eo vitæ generi adſuefactæ. Egregia enim heic, ineuntis ætatis diſciplina eſt. *Puellæ* maxime, a libidinibus arcentur, exercenturque in laboris patientia, animi atque corporis dotibus, vt, & in vineaticis, & in domeſticis operis, induſtria valeant. Atque etiam cum relaxare animos, & dare ſe iucunditati volunt, cauent intemperantiam, ſtudentque verecundiæ. Nec minor cura, educandis pueris adhibetur. Qui ingenio pollent, eos in litteris erudiunt, quæ ad leges, quæ ad mores, quæ ad diſciplinam reipublicæ pertinent. Qua in re, habent, cur ſibi gratulentur *Szent-Györgyenſes*. Neque enim ad aliarum tantum vrbium inſigniora miniſteria, eorum filii transferuntur ſubinde; ſed ſunt etiam Cæſari Regique a conſiliis. quos nominaſſe, vetat nominis reuerentia. Qui in litteris non æque profecere, vel caſtra ſequuntur, vel vrgent rem domeſticam & familiarem. Pollent, ea laude, virgines quoque, quod earum, non minus ad loca extera, quam domi promouet connubia. Nuptiis non luxuriant, ſed prouti cui genus eſt, prouti facultas, & poſſeſſio, prouti virtus; honeſto conſanguineorum, adfinium, & familiarium comitatu, domum deducuntur. Inſignia St. Georgienſium, *D. Georgium* referunt, draconem haſta configentem. Hæc, de vrbe, tot preſſa calamitatibus, dicenda erant. Tu, lector, quisquis es, vna mecum, caue deſinas, ei bene precari; indiga eſt enim fortunæ melioris.

familiaritas:

cura publica & priuata rei:

liberorum educatio.

SE-

SECTIO II.

De

ARCIBVS PROCESSVS SVPERIORIS EXTRANEI.

PROOEMIVM.

Abuimus hucusque Vrbes, quibus excultus eſt Piſonienſis Prouinciæ, *Proceſſus Extraneus Superior*; diligentia quidem deſcriptas prolixiore, haud tamen ſuperuacua. Enim vero, ita fert inſtituti ratio, ne quid ſuſcipiamus deſultorie: in primis, vbi prona ſunt, ad rem explicandam, omnia. Nunc Arces eiusdem tractus, deſignabimus conſulto; vt lectores doceamus, quæ eæ ſint, quamque opportunæ, & quibus fatis, retroactis temporibus, exercitæ. Totidem vero numerabimus, quot erant Vrbes: *Piſonienſem*, *Szent-Györgyenſem*, *Bozinenſem*, vrbibus adſitas, & cognominés: *Vörösköienſem* deinde, atque *Szomolanenſem*, montano ſitu, commode repoſitas.

I.

Arx Piſonienſis.

SYNOPSIS.

Arcis Pisoniensis *ſitus.* §. I.

Origines eius, cum vrbe forte eadem, aut certe antiquiores: prætorii habitus: pars infima: in ea armamentarium: huius adparatus. §. II.

Contignatio altera, regum hoſpitiis deſignata: eius conclauia, & horum pictura: procæton: triclinium: buleuterium: Regis habitatio: eiusdem cubiculum: reginæ ſeceſſus: Sacrarium. §. III.

Conclauia ordinis tertii. §. IV.

Ordo prætorii ſummus: porta decumana: arcis exteriora: militum hoſpitia: pulueris pyrii apotheca: porta, quibus aditur. §. V.

Recentior hæc moles, quando educta:

educta: fuit ſemper regum hoſpitium. §. VI.

Tragicus Nicolai Bánffii, *in arce Piſonienſi, ob* Matthiæ *Coruini amores, caſus.* §. VII.

Arcis prærogatiua: magiſtratuum præcipui, Capitanei: Pálffyi, *quando ea dignitate potiti: Statuum & Ordinum, pro iis rogatio, prorſus inuſitata: mutua* Pálffyorum, *in eo munere ſucceſſio: quæ ſint* Capitaneorum *partes.* §. VIII.

Corona Duumuiri: qui ſibi ſucceſſerint. §. IX.

Eius muneris partes, iurisiurandi formula, explicantur: militum numerus, & ſtipendia: a cuſtodibus Corona accipiunt mandata: caſtellani duo, & horum munia: Germanica cohortis præfectus: rei tormentariæ magiſter: curator conclauium. §. X.

Recentiſſima arcis celebritas, ab inaugurato iſthic Conſilio Regio *Locumtenentiali: Præſidum eius, Conſiliariorum, & Secretariorum deſignatio.* §. XI.

Fulminis ictus, quibus arx percuſſa eſt ſæpius, Hungariæ dominos. §. XII.

Arcis ſuburbanum: prætorium Pálffyorum: *hortus ei adpoſitus: domus libera: Iudæi incolæ: horum libertas.* §. XIII.

Zuckermandl, *Iudæorum perfugium: eius habitus: ædes libera: domus penuaria: iam oppidi gaudet prærogatiua.* §. XIV.

Reliqua, vtriusque ſuburbii arcis, rationes: Iudæorum ſynagoga: occupantur ii, mercatu, & fraudibus. §. XV.

Inſula arci adſcripta: Engerau: Fö-Rév. §. XVI.

Cetera arcis poſſeſſiones. §. XVII.

§. I.

Arcis Piſonienſis *ſitus.*

Minet Arx Pisoniensis ſuper vrbem eius nominis, paſſus circiter ducentos, in occidentem, loco edito, hilari, & ob poſitus indolem, qua excellit, digno ſede regia. Collis eſt, æquali montis, quem ſupra meminimus, altitudine, in meridiem reflexus. Gemino latere, deiectus habet abruptos, quos, illinc *Danubius*, hinc vrbs, ſubſtringit, incingitque tam lato ambitu, vt ipſe, medius quaſi, inter flumen, & vrbem, ſpeciem referat theatri, ex continuo monte, in amœnos, & vltra, quam credi poſſit, late patentes campos, deſpicientis. Nam, æque a fronte, quam orientali latere, planitiem habet obiacentem; tergo tantum, monti, ex quo propagatur, adnexus.

xus. Totus, ex ſciſſili ſaxo compingitur, ſuperficie tam laxa, vt paſſuum, plus, quam mille, circuitu, latum verticem exhibeat. De eo ſic IACOBVS TOLLIVS, *(a.)* doctiſſimus peregrinator: *Collis*, inquit, *cui arx* (Piſonienſis) *impoſita, petroſus, e lapide ſciſſili eſt, intercurrentibus paſſim perelegantibus* Talci, *aut* glaciei, *quam vocant*, Mariæ, *venis, ad duorum triumue digitorum latitudinem, cuius penes me ſpecimen videre licet. Occidentem & Septentrionem verſus*, vitiferi colles, *nobile* vinum *ferunt: in reliquas mundi plagas, amœniſſimus, ex* arce, *in longe lateque patentes campos, pluribus, Danubii interfluentis alueis diuiſos, proſpectus, & oculos & animum, exhilarat.* Ergo, in tam amœno monte, nihil erat mirum, arcem poſuiſſe, priſcos illos homines, coluiſſe reges.

§. II.

Origines eius, cum vrbe forte eadem; aut certe antiquiores:

DE primis eius conditoribus, non eſt procliue dicere; vero tamen ſimile, anteire eam ætate vrbi; fata autem, conuerſionesque poſtea, vidiſſe easdem. Vt neceſſe haud ſit repetere, quæ prolixa diligentia, in vrbis hiſtoria, expromſimus. Itaque, præſentem eius habitum, ſatis fuerit adnotauiſſe. Prætorium quadrangulare fere eſt, gradus CXV. *ſemipedales*, altum. Adtollitur, in quartam vsque contignationem, obtutu, e longinquo adſpicientibus, iucundiſſimo. Ita enim poſitum eſt, vt tota mole, ſuperemineat propugnaculis, habeatque proſpectum, nulli, tota Hungaria, ſed ne *Budenſi* quidem, ſecundum *(b.)*. Ima, tetricus carcer, cellæ vinariæ nobiliſſimæ, penuariæ poſtea, & armamentarium, occupant. In hoc, cum multa habentur belli inſtrumenta, tum non plane nulla, ad memoriam, & cauſſa oſtentationis. Vtraque parte, qua tranſitus eſt, loricæ ſuſpenſæ ſunt. Pleræque earum, prorſus ita factæ, vti apud SVIDAM deſcriptas legimus. *Prior*, inquit, *earum pars, pectus & femora, & manus extremas, & crura tegit: poſterior, tergum, & ceruicem, & caput totum. Fibulæ vero ſunt ad latera, quibus vtramque partem iungunt, atque ita totum equitem, ferreum dant videri. Prohibet vero nihil, aut impedit ferrum, membrorum extenſiones, ſiue contractiones: adeo accurate aptatum eſt membris natura.* In his excellit, lorica CAROLI V. quam anno *(c.)* MDXXXIII. huc, dono adlatam, primus, ingredientibus a ſiniſtris ordo, ſpectandam offert. Tota, ex laminis eſt, auro obductis, & tam pulchris flexibus, in membra omnia diſtinctis, vt ſimulacrum crederes, *Praxitelis* manu politum. Alterius generis MATTHIAE *Coruini* eſt, eadem ſerie, ſed vlterius erecta.

Prætorii habitus:

pars infima: in ea armamentarium: huius adparatus.

Ferro ſquama rudi, permiſtoque aſperat auro. (d.)

For-

a.) Epiſtola v. Itineraria, p. 142.

b.) Deſcripſit eius poſitum, & molis rationes, TOLLIVS, loco citato, p. 141. ſeqq. ſed extra modum erronee. quem ideo, non adtendimus.

c.) Fortaſſe, anno proxime antegreſſo, MDXXXII. cimelion iſtud, illatum armamentario eſt, adparatus bellici occaſione, quem, in *Hiſtoria vrbis Piſonienſis* Capite III. §. VII. prolixe deſcripſimus.

d.) SILIVS, in *Flamineo* Conſule, Lib. v.

Forma eſt non indeganti, ex ferreis laminis, ſquamatim compacta, & auro perſperſa. qualem *Plutarchus* LVCVLLO; & MACRINO *Imperatori*, DIO CASSIVS, adſcribunt. Altera parte, loricæ genus viſitur, reticulatum, ex minutis circulis, & annulis ferreis, ita inter ſe connexum, vt, quocunque artus neceſſitas flectat, lorica ei congruat, & non ſecus, quam ſubecula corpus, ad genua vſque, circumfluat. *Tartarorum* aiunt reliquias. Sed & *Hungaris* erat vſus frequentiſſimi. VARRO, a Gallis inuentam ait. *(e.)* Neque Romanis ignota fuit.

Nexilis innumero chalybum ſub tegmine thorax. (f.)

Vltra ſunt, *ſemi loricæ*, thoraces, & cataphractæ, antiquæ Hungarorum armaturæ monimenta. Peculiares illic, & galeas vidimus: *Turcicam* vnam; alteram *Tartaricam*; & nonnullas *Hungaras*, æui cunctas veteris; formæ, pro capitis portione, infra amplioris, arctioris ſuperius, & qua cuneantur, turbinatæ, ferro, a fronte ſurſum verſus, quaſi repanſo. Priores duas, præ reliquis, commendat opus, aureæ item & argenteæ, quibus obducuntur, laminæ, tametſi pondere, quam vt geſtari poſſint, multo maiore.

§. III.

Contignatio altera, Regum *hoſpitiis deſignata*:

ALtera, ſupra primum ordinem, prætorii contignatio, REGVM, dum heic ſunt, deſtinata hoſpitiis eſt: non modo, ob laxitatem, & magnificentiam, commendabilis; ſed maxime, ob *emblemata*, quibus, per ſingulas apſides, manu pictis ſcitiſſima, præcipui FERDINANDI II. Imperatoris actus, continentur. Huc gradus, vtraque armamentarii parte poſiti, deducunt; a ſeptentrione alii; alii in occidentem: illis, ad Reginæ, his, ad Regis palatia, pertingentibus. Atque heic, quod primum occurrit, a dextris, conclaue, ob-

eius conclauia, & horum pictura:

longum eſt, & corporis ſtipatoribus accommodatum. Id, pro laquearis ſui longitudine, gemina oſtendit emblemata: vno, colloquium Regis, cum *Pázmáno*, Archiepiſcopo Strigonienſi, tali ſpecie, vt hoc, cum leone a tergo, & bubone a ſiniſtris, in ſedili, quod occupat, leonis, canis, & vulpis cattellos tres, manu vna, comprehendente; FERDINANDVS contra, ſellæ inſidens, a dextris, *modeſtiam*, ad genua prouolutam, adſtantem vero, & ſerpentem manu tenentem, *prudentiam*, a ſiniſtris; *patientiam*, a tergo miniſtrantem habeat: cum inſcriptione: SINCERITAS, ET ANIMI CANDOR. In altero, idem Cæſar, ſtans, cum familiaribus, accedentes ad ſe *Bohemos*, & fictam obedientiam, hoſtilemque animum, vulpinis criſtis, prodentes, affabiliter excipere viſitur, cum indicio: CONSTANTIA IN ADVERSIS, ATQVE PROSPERIS. Vltra ſunt, Regis ipſius conclauia, *(g.)* toto eo latere, quod

e.) VARRO, de LL. *Lorica*, inquit, *a loris, quod de corio crudo pelloralia faciebant.*

f.) SILIVS, Lib. IV.

g.) In hæc, anno MDCCVI. menſe Octobri, apum examen, haud ſine omine, quod alii aliter accipiebant, inuolauerat.

quod ſub auſtro, ſecundum flumen, vrbem verſus porrigitur. Duplex autem earum eſt ſeries. Vna, diætas, introrſum verſus aream; altera extrorſum, procœtones, triclinia, buleuteria, & habitacula, vno tantum pariete, ab interioribus illis diſcreta, auguſta ſatis, & lætiſſimo aſpectu, continuat. Illud, moleſti quidpiam obtutus habet, quod, ob parietum craſſitiem, profundæ ſint feneſtræ, & anguloſa efficiant conclauia. Singulas, hypocauſta diceres, tam longas laxasque habent concamerationes. *Procœton* vocamus, quod excubiis, vti demonſtrauimus, contiguum eſt, & *Anti-Camera*, vulgo nominatur. *Procœton:*

In huius apſide, cernitur primo, FERDINANDI imago, dextram, in libros, quos ante ſe habet; ſiniſtram, in coniugem *Eleonoram*, quæ obuerſa ei, aurum, coronam, & inſignia, contemplatur, extendentis: vt ea pictura doceret imperantes; *quantum anteponenda ſint, æterna, caducis.* Deinde, Regis eiusdem, ſupplicem conſolantis viduam, ſimulacrum viſitur, cum epigraphe: HVMANITAS, ET BENIGNITAS IN OMNES. Vtrinque, duo ſunt emblemata: illinc, caſtrum ruinis fœdum, cum verbis: TEMPVS CVNCTA TERIT; hinc, manus protenſa e nubibus, & mixtas, nummis aureis, ariſtas ſpargens, cum lemmate: TAM MALIS, QVAM BONIS. Vltra eſt *Triclinium*, (*) quod pariter duas icones oſtendit. In vna, ſtans FERDINANDVS, Bohemos, fidem, vulgo *homagium*, ei præſtantes, ſacramento videtur adſtringere, cum inſcriptione: DOMINE, NON EST EXALTATVM COR MEVM, NEQVE ELATI SVNT OCVLI MEI, NEQVE AMBVLAVI IN MAGNIS, NEQVE IN MIRABILIBVS SVPER ME. VERMIS SVM, ET NON HOMO, OPPROBRIVM HOMINVM, ET ABIECTIO PLEBIS. Altera, idem pluteo aſſidens, & litteras expediens, ELEONORA coniuge, manus ſimul admouente, componenteque epiſtolas, pingitur, cum verbis: LABOR ET DILIGENTIA. Succedit *buleuterium*, priori minus, ideoque, vno tantum emblemate, FERDINANDI, marſupium, ære plenum, *Tillio*, duci bellico, cum *Ieſuitis* adſtanti, in laboris eius præmium, largientis, inſignitum. Id, diuerticulum excipit, vulgo *Retirada*, cuius apſis, amicorum, & hoſtium ſimulacra, cum indicio prouinciarum, quæ a FERDINANDO diſceſſionem fecerant, regis obtutui, ſiſtit: CARITAS IN PROXIMOS, ET INIMICOS. Inde, Regis eſt habitatio, vltimum, ea ſerie, conclaue, angulare idem, & in vrbem, fronte obuerſum, ideoque, aſpectu in vtramque partem, aperto, atque amœno. Bifariam id diſcriminatum eſt, vri plus Regi opportunitatis ſufficeret. Exterioris laquear, pericula quibus circumuentus fuerat FERDINANDVS, videtur referre. Stanti enim, enſis impendet; *Mars* autem coronas Hungariæ, & Bohemiæ, pedibus coram proterit; a tergo, vexatur *Iobus* a ſatana, vno ſpei cum anchora, ſolatio relicto, cum titulo: CONFORMITAS VOLVNTATIS, CVM DIVINA. Parte interiori, pingitur ſacelli effigies, in qua, ad aram, ex manu antiſtitis, ſacrum epulum ſumenti FERDINANDO; hinc, Euangeliſtarum quatuor; illinc, totidem purpuratorum patrum, adſunt effigies, cum his verbis: *triclinium:* *buleuterium:* *Regis habitatio:*

*) *Triclinium* dicimus, quod in eo Rex, dum adeſt, palam, menſæ accumbere ſolet.

FIDES ET CATHOLICAE RELIGIONIS ZELVS, PIA SACRAMENTORVM FREQVENTIA, AC EVCHARISTIAE CVLTVS. Ex hoc, ſeries conclauium alia, orienti iam obuerſa, ab vrbis aſpectu, in aquilonem recurrit. Vbi primum obuium eſt, Regis cubiculum, habitaculo ipſius contiguum, læta & hoc ſpecie, concamerationeque, icones quatuor referente. In prima, palmæ eſt arbuſcula, cuius verticem, lapides premunt, virente tamen materia, ad notandum: PREMITVR, SED NON OPPRIMITVR. Deinde, ipſe FERDINANDVS, ampliori paullo pictura, nunc, vt luctabundus, cum hoſtibus, manus iniicientibus; nunc, vt coram cruci affixo SERVATORE, humi prouolutus, & auxilium implorans, ſiſtitur. Vltra, turris eſt, cum gallo gallinaceo, poſt procellas & turbines, colophoni inſidente, accinenteque, tritum illud: POST NVBILA PHOEBVS. Tum. viciſſim FERDINANDVS, pari vt ante ſpatio, *Ieſuitæ* adſidens, coram præfectis militum, res narrat, vndique trepidas, cum indicio: SPES, ET FIDVCIA, IN DEVM. Poſt, minori iterum, quam prius erat, in circulo, infra, pingitur agnellus, tribus inferne arcubus, in eum ſagittas vibrantibus, & ſuperne oculo vno, deorſum proſpectante, additoque: DEVS PROVIDEBIT. Inde Reginæ procœton, & manſiones incipiunt, quarum prima, eademque proxima Regis cubiculo, oſtendit exemplum FERDINANDI, pauperum pedes lauantis, & lemma: BENEFICIA IN PAVPERES. In altero, ſimulacrum eſt iuſtitiæ. Tertium, quod in angulare deſinit, ea parte, qua ſeptentrioni obuertitur, habet Regis familiam, pia ſpecie, FERDINANDVM, & ELEONORAM reginam, cum filiis & filiabus, nepoteque vno, ad vbera matris vagiente, repræſentantem, adſcripto titulo: PIETAS ERGA SVOS. In quarto eſt pictura bibliothecæ, cui adſtans FERDINANDVS, ſtipem dare iuueni ſtudioſo, cernitur, vbi legas: STVDIVM LITTERAS PROMOVENDI. Quintum, caſtitatis repræſentat imaginem; & denique *caſtrum doloris* vltimum, cum inſcriptione: SVMMORVM VIRORVM GLORIA. Ex his, per veſtibulum, tranſitur in ſacrarium, quod angulo occidentali inſtructum eſt, concionis capax haud numeroſæ. Aræ, in eo ſunt duæ, quarum maior S. STEPHANI, cum filio EMERICO, refert memoriam. Iſthuc, arcem ingreſſi Reges, a præſulibus deducuntur, dum decantato *Ambroſiano* carmine, in conclauia ſecedant. Inibi, & arcis ſacerdos, ſeu *Capellanus* regius, in dies ſingulos, confluente milite præſidiario, ſacra facit. Murum heic, in feneſtra obſeruauimus, paſſibus ſex facile craſſiorem.

eiusdem cubiculum:

Reginæ ſeceſſus:

ſacrarium.

§. IV.

Conclauia ordinis tertii.

PAr muri, & conclauium ſtructura eſt, & in ordine tertio. Simili enim ſerie, neque minus faſtoſis clauſtris, feneſtrisque, & fornicibus, cubicula circumueniunt, vndiquaque ſuperbiſſima, laquearia item vbique picta, ac multa inſignium varietate, diſtincta. In his ephebis, apparitoribus, & gynæceo regio, quoties adſunt, hoſpi-

ſpitium eſt. Adſunt autem rarius, & non niſi, dum opus poſcit, Rege, ſiue inaugurationis cauſſa, ſiue ad comitia huc deſcendente. Atque tunc cuncta, intus extusque, ſplendidius, & ad maieſtatem inſtrui ſolent. Regiæ in primis habitationes, aliæ ſuper aliis, tapetum, & aulæorum, auro argentoque illuſorum varietate, induuntur. Nec reliquis, quas familiares inſident, ad ſplendorem quidquam deeſt.

§. V.

QVartus, idemque ſummus prætorii ordo, eodem conclauium procurſu, abſoluitur. Conuexæ his quoque apſides, & laquearia, hyberna item, & æſtiua cubicula, cameræ, ſecluſique fornices. Summa, imbrices obregunt, pari, & turrium, tecto, quarum ea, quæ in meridiem ſpectat; quatuor enim totidem angulis, prominent; tympanorum diurno pulſu, ſolis orientis, occidentisque tempus, prænunciat. Porta arcis decumana, ſeu interior, aperit latus prætorii meridianum, ponte, ſuper foſſam, verſatili, inſtructa. Interior hic arcis habitus fuit. Extra, mœnia, amplo ambitu, prætorium circumeunt. Intra hæc, militum ſunt hoſpitia, & annonæ receptacula. Olim, per minutas caſas, ad orientem, miles Hungaricus habitabat: quem ædicularum ordinem, *Hajdú-városok* adpellabant. Sed, quod is, ex materia conſtabat, facile, ſi arcem obſideri contingeret, ignem conceptura; noſtra ætate abrogatus eſt, longa hoſpitiorum ſerie, mœnibus orientalibus adſtructa. Proxime inde abeſt, apotheca puluueris pyrii, validæ celſæque turri, inædificata. quæ hoc habet incommodi, quod vrbem proſpicit, ideoque, ſi quid funeſti accideret, ſtragem eidem minatur. Hinc, ſuggeſtus ineunt, grandioribus machinis, inſeſſi. Poſtea, ſedes eſt ſacerdotis, muro impoſita, eaque proſpectus patentiſſimi. Pone hanc, viridarium inſtruxit, florum fructuumque varietate inſigne, qui nunc ſacris præeſt, *Du Breilius*, vir elegantiæ & humanitatis, perquam ſtudioſus. Inde, via eſt, profunda illa, & præceps, quæ per portam, quam veterem dicunt, in vrbem ducit. Erectior altera, in geminam iterum portam deſinens, in occidentem abit. Earum vni, quæ decliuius poſita eſt, hæc inſcripta videas:

Ordo prætorii ſummus:

porta decumana:

arcis exteriora:

militum hoſpitia:

puluueris pyrii apotheca:

porta, quibus editur.

L. R. I. S. A. G. H. B. R.

hoc eſt:

Leopoldo Rom. Imp. Semper Auguſto Germaniæ Hung. Bohem. Regi.

MDCLXXIV. ex fundamento ædificata.

In ſuperioris fronte, adpoſita ſunt:

sIC eX fVnDaMento noVIter erecta.

Regnante, C. VI. R. I. S. A. G. H. H. B. R. Anno 1712.

§. VI.

Recentior hæc moles, quando edicta:

ATque hunc quidem, quem exhibuimus, arci habitum, publico ſumtu, *Comes Paullus Pálffyus*, ærarii præfectus, poſt annum MDCXXXV. conciliauit. Humilior antea fuit, neque tam commoda habitatu. Itaque, deiecta mole vetere, nouam hanc eduxit, vti ampliorem, ita validiorem etiam, celſioremque priſtina. Exſtant, deſtinati operis ſanctiones, publicis regni decretis, expreſſæ. Ita anno MDCXXXV. *(b.)* conſtituere Ordines: *Quantum*, inquiunt, *ad reparationem arcis Poſonienſis adtinet, eam, Status & Ordines, apprime neceſſariam eſſe cenſent; in qua, vt ſua Maieſtas, modum adinuenire dignetur, Status & Ordines, demiſſe inſtant.* Proinde, recluſo ærario, atque operis adminiſtrandi cura, *Paullo*, quem diximus, *Pálffyo*, tunc *Camera Hungarica* præfecto, eidemque *Arcis Capitaneo*, commiſſa, octo propemodum anni abiere, dum conſummaretur penitus. Nam, anno demum MDCXLIX. *(i.)* diſcuſſis rationibus, quas *Pálffyus* fecerat, exædificatæ iam arcis, *Status* meminerunt. *Illuſtriſſimus Dominus Comes Paullus Pálffy, ab Erdöd, iam Regni Hungariæ Palatinus, ſuper quibusuis Regni prouentibus, eidem concreditis, & potiſſimum in readificationem arcis Poſonienſis, erogatis, quietus, & totaliter expeditus declaratur.* Neque tamen, priſtinus ille arcis habitus, obfuit, quominus, reges iſthic, frequentiſſime hoſpitarentur. Hiſtoriam vrbis, quam dedimus, legentibus, obuium id fore, haud dubitamus. In primis, MATTHIAE Coruino, ſeceſſum dabat, belli pacisque tempore, longe acceptiſſimum. Hinc ille, & fulmina, in Auſtrios atque Bohemos, vibrare, & non raro, genio etiam iſthic indulgere, fuit ſolitus.

fuit ſemper regum hoſpitium.

§. VII.

Tragicus, Nicolai Bánffi, *in arce Piſonienſi*, *ob* Matthiæ Coruini *amores*, *caſus.*

LVdicra eſt tragœdia, ſed digna inferi, quæ de *Nicolao Bánffy*, *(k.) ab Alsó-Lyndva*, MATTHIAE Coruino a conſiliis, & Comite Piſonienſi, *Paullus Gregorianczius*, Epiſcopus Iaurienſis, & Zágrábienſis, in litteras retulit. Vxor *Nicolao* fuit, patria *Sileſiaca*, gente non minus, quam virtutibus illuſtris, formæ autem tanta excellentia, vt regem quoque MATTHIAM, in ſui amorem pertraxerit. Quam ob rem, cum *Piſonium* venturum accepiſſet BÁNFFYVS, honeſto metu, vxorem, ne ea Rex abuteretur, in *Alsó-Lyndvam*, per *Benedictum Cheneházy*, quem ipſe vicaria poteſtate, arci *Piſonienſi* præfecerat, volente femina, ſeducendam iuſſit. Diſuaſit *Cheneházyus* inſtitutum, interſerens, moleſte id laturum Regem. qui, licet laſciuioris ſit naturæ, nulli tamen inferre vim ſoleat; nec ideo, vllum fore pu-

b.) Articulo VI.

i.) Articulo LXXIII.

k.) Quando hæc *Nicolao* euenerint, difficile eſt definire. Nam, anno 1477. adhuc inter primores belli duces, numeratur, apud BONFINIVM Dec. IV. Lib. V. p. 592. fine. Atque in rebus WLADISLAI Dec. V. Lib. III. p. 710, 26. & p. 717, 5. p. 722, 4. p. 725, 21.

pudicitiæ vxoris periculum; ſe, ſtudio & induſtria, maleficium, ſi quod timendum foret, auerruncaturum. At *Nicolaus*, nihil a ſententia, aſportandæ vxoris, dimotus, pergit exſequi deſtinata, feminamque clam dimittit. Adeſt interim Rex, acceptusque a præfecto hoſpitaliter, cum vxorem ſubductam, metu ſui, comperiſſet, hilari conuictu, in iras ſubito, atque indignationem verſo, *Bánffyum* acerbiſſime increpat, exprobratoque facinore, quaſi per regis laſciuiam, vxori ſuæ haud liceret eſſe pudicæ, captiuum eſſe iubet. Datum mox *Cheneházio* negotium eſt, vt herum, in vincula compingeret. Tunc ille, angi, pendere animo, & quid ageret, hærere; Regi, iuſſa ſeuerius repetenti, nil quidquam reſpondere; mox, crebra genuum flexione, eum venerari, exire foras, atque iterum reuerti, abireque denuo. Opinabatur Rex, lictoris arceſſendi cauſſa, curſitare hominem; cum ille, clam Regem, milites, quos opera ſua conduxerat, conuocat, repræſentatoque ſtipendio, cunctos, vt ſe ſequerentur, ſacramento adſtringit; præſtolari, tantiſper, ad portam iuſſos, dum mandata ab Rege, vti ſimulabat, acciperet. Stetit, intra arcem, conglobatus miles. *Cheneházius* interim, correptis arcis clauibus, Regem iterum iterumque adit, atque: *En*, inquit, *Rex! claues arcis, eo iure, a* Nicolao, *mihi creditas, vt ſi ipſe in diſcrimen vitæ, capitisue vocaretur, aut rebus humanis, quod ſit, eximeretur nec opinato, eas Tibi, optima fide, redderem: eo vero iam captiuo, cum manus, tamquam hero iniicere, nefas ducam, en! inquam, recipe claues, atque vale!* His dictis, *Cheneházius*, cum vniuerſo præſidio, proſpectante Rege, arce egreſſus, omnium oculos animosque, in ſe conuertit. Et Matthias quidem, fide *Cheneházii* collaudata, retentauit abiturientem; *Nicolaum* tamen captiuum abduci, atque machinæ bellicæ, quam ſecum auehebat, catena adſtrictum, pone ſequi iuſſit. Regem comitatus *Cheneházius*, captata adloquendi eius occaſione: *Veteri more receptum eſt*, inquit, *o Rex! vt ſontes, curru euehantur ad ſupplicium, non raptentur pedites; eccur igitur, virum hunc grauem, de Te, ante meritum optime, neque ſceleris conuictum, ſaltim plauſtro finis imponi?* Eo *Cheneházii* ſermone, euictus Rex, currui *Nicolaum* iniici iuſſit, atque ſecum, quocunque iret, onuſtum catenis, vectari. At, *Benedictus*, ne vllum, fidiſſimi, in re deſperata, familiaris, intermitteret officium, e comitatu regis, bona venia regreſſus, citato curſu, *Lyndvam*, vbi latebat *Bánffya*, petiit, eique, non modo cuncta, de marito, felicia & proſpera nunciauit; ſed etiam, ne quid ſiniſtri ſuſpicaretur, fictis, nomine mariti, aliis ſuper aliis litteris, eousque, dum liberaretur, de proſperitate eius, ſecuram fecit. Dimiſſus, poſt biennium, e vinculis, & *Lyndvam* redux, *Nicolaus*, cum vxor inſcia, quid cum marito actum eſſet, ex barbæ, quam prolixam adtulit, indicio, funeſti quidpiam auguraretur, atque luctum, ex more gentis, *(l.)* obſtupefacta, animo præciperet; maritus, proh

l.) Barbæ inconſa prolixitas, mœroris olim fuit apud *Hungaros* indicium.

Deum! inquit, adeo ne mariti eſſe poteras incurioſa, vt, quo loco res eius eſſent, toto biennio, ignorare volueris? Regis, Tua vnius cauſſa, quam, indomitæ eius libidini, prudens ſubduxi, captiuus fui. Hæc mihi calamitas, barbam, quam tu miraris, ſubmiſit, aluerunt innumeræ miſeriæ. Adſum iam, quando vita non licuit, eximia, auitarum poſſeſſionum, parte, mulctatus. Bene eſt autem, quod Te viuam, quod incolumem, offendam. Obſtupuit femina, & manantibus lacrymis, virum amplexata, *Cheneházii*, in occultanda mariti hac infelicitate, ſolertiam, prolixe viro explicuit. *Nicolaus*, comperta *Benedicti* prudentia, cariſſimum poſtea in familiaribus habuit. Hæc ex *Gregorianczii* ſchedis, oblectando lectori, protrahere in lucem voluimus. Ac fuit omnino damnoſa *Bánffyo*, captiuitas hæc: quippe quæ, *Lippæ*, & *Sólmóſi*, hærediorum iactura, conſtitit. Neque, eas arces, recuperauit poſtea, gens *Bánffyorum*; tametſi *Iohannes* quidem, filius *Nicolai*, *Palatini* dignitate, apud IOHANNEM regem inſignis; *Stephanus* autem nepos, FERDINANDI I. *Dapiferorum magiſter*, omnem ſubinde lapidem, ea propter, mouerint: donec arx vtraque, cum *Temesváro*, in Turcarum poteſtatem, anno MDLII. redigeretur. *Tanti eſt, terrena numina, & horum cupiditates, offendiſſe!*

§. VIII.

Arcis prærogatiua:

PRæter hæc Regum hoſpitia, frequentia ea, dignaque memoratu, ad arcis celebritatem in primis adtinet, quod SACRAM REGNI HVNGARIAE CORONAM, & *Clenodia* cetera, in ſinu habeat. Turris ei conditorium præbet, validior reliquis, & Auſtriam proſpiciens. Id, Hungarus & Germanus miles, perpetuo cuſtodit, ea vigilantia, quam quæ poteſt eſſe maxima. Et de *Corona* quidem, & inſignibus Regni ceteris, fuſe, neque id negligenter, diximus, cum vrbem *(m.)* deſcriberemus: vt non ſit opus, plura heic adtexere. Nunc, quibus arx regatur *magiſtratibus*, videamus. In primis ſunt *Capitanei:* veteri quidem iure; ſed quod hodie, non poteſtatis, aut imperii, verum honoris tantum, vocabulum eſt. Olim, horum fuit; arci moderari; præeſſe rebus; dare mandata præſidio; ſi imminebat hoſtis, arcem defenſare. Iam, ſi res trepida ingruat, tametſi *Capitaneo*, hæc incumbere certum ſit; deliguntur tamen, nunc *Hungari*, nunc *Germani*, qui arci præſint cum imperio. Neque tamen nulla eſt *Capitaneorum* prærogatiua. Præterquam enim, quod, qui ea ornatus eſt dignitate, *Supremi Comitis* axioma, veterrimo iure idem ferat; haud facile in arce quidquam, quod ſit momentoſum, ſtatuitur, inconſulto Capitaneo. Longum foret, ac profecto, in tantis rerum patriarum tenebris, impeditum prorſus, ſingulorum, qui hoc magiſtratu defuncti ſunt, nomina conquirere. Suffecerit, *Pálffyos* recenſuiſſe. Adiere hi, dignitatem eam, *Statuum* & *Ordinum* rogatione, quam anno MDXCIX. publi-

magiſtratuum præcipui, Capitanei:

Pálffii, *quando ea dignitate positi:*

m.) Tomo I. in Hiſt. Vrbis Poſon. Cap. V. Art. II. p. 319. ſeqq.

publicis comitiis, tulere. Digna ea eſt, profecto, vt hic legatur iterum. Inquiunt enim: *Cum apud omnes, omnium Statuum, & nationum, Reges, & principes, ac ipſam etiam Sereniſſimam & Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, ex qua, tot Imperatores Regesque prodiere; ſemper obſeruatum, ac in more poſitum fuerit, vt iis, qui domi foriſque, res præclare geſſiſſent, & rempublicam, armis defendiſſent, præmia, & remunerationes decernerent. Cumque Status, & Ordines Regni Hungariæ, Spectabilem & Magnificum Dominum* NICOLAVM PÁLFFY, *&c. ab eo toto tempore, quo in aula Maieſtatis Cæſareæ, Domini ipſorum clementiſſimi, educatus, ac deinde, præfecturis militaribus ornatus fuit, ita ſe geſſiſſe, optime ſciant; vt merito inter viros, virtute & fortitudine præſtantiſſimos, numerari poſſit & debeat. Nam, & initio præſentis belli, in expugnatione plurimarum arcium Reipubl. Chriſtianæ, ac patriæ, & Maieſtati Cæſareæ, ſeruiuit fideliter, & vtiliter; vt taceantur alia eius ſeruitia, cum ſanguinis ſui effuſione præſtita, & quotidie præſtari ſolita, tum erga omnes militares, exteros, pariter & noſtrates, per ſtudia & officia. Horum igitur, & aliarum virtutum eius memores Regnicolæ, motu proprio, ac ſpontanea humilitate, & demiſſione, Maieſtati Sua Cæſareæ, Domino ipſorum Clementiſſimo, ſupplicant, dignetur Sua Cæſarea Maieſtas, ipſi Domino* NICOLAO PÁLFFY, *eiusque haredibus maſculis, quamdiu ii claruerint, cum titulo Comitis perpetui, arcem, & bona Poſonienſia, clementer conferre.* Hæc tum, *Ordinum*, ſine vllo *Nicolai* ambitu, ſuſcepta eius cauſſa, apud Cæſarem RVDOLPHVM, deprecatio fuit. Nam addunt, poſt pauca: *Qua petitio Regnicolarum, & humilis ſupplicatio, cum in ſimilis perſonæ commendatione, prima ſit, & nullo petente, ſed ſponte, vnanimiterque fiat; ſperant Status & Ordines, Maieſtatem Suam Cæſaream, pro ſolita ſua benignitate, gratioſe admiſſuram.* His ergo virtutibus, hac ordinum ſuffragatione, in arcis Piſonienſis poſſeſſionem venit PÁLFFYVS. Ea nimirum lege, vt primo quidem, ſoli NICOLAO, deinde filio etiam STEPHANO, tandem nepoti quoque, regio RVDOLPHI diplomate, adſcriberetur. FERDINANDVS III. demum, ius arcis, & quæ ei admenſa ſunt, bonorum, vniuerſæ genti *Pálffyanæ, ſenioratu*, quem vocant, inſtituto, munificentiſſime adtribuit. Ceterum, NICOLAO II. anno MDC. immatura, ſua tamen morte, e viuis ſublato, STEPHANVS II. inter filios primogenitus; huic PAVLLVS IV. frater, quarto genitus, poſtea Regni Hungariæ *Palatinus*; iſti, NICOLAVS IV. primi illius, ex *Stephano*, nepos; ei IOHANNES III. ANTONIVS, *Paulli* Palatini, maior natu filius; inde *Nicolaus V.* Paulli Palatini ex Carolo I. nepos; tandem NICOLAVS VI. nuper Regni Hungariæ Palatinus, idemque NICOLAI II. ex *Stephano II.* & *Nicolao IV.* abnepos; denique, hoc ipſo, dum hæc ſcribimus, anno MDCCXXXII. IOHANNES IV. *Palatini* vterinus, atque *Iudex Curiæ Regiæ*, ſucceſſere. *Feliciter!* Diploma, quo dignitatem hanc CAESAR, adfirmauit IOHANNI, vti verbis conceptum eſt benigniſſimis; ita, palam condocet, quæ ſint partes, ac prærogatiuæ *Capitanei* Piſonienſis: *Officium*, inquit, *Supremi Capitaneatus arcis noſtra Poſonien-*

Statuum & Ordinum, pro iis, rogatio.

proſus inuſitata:

mutua Pálffyorum, in eo munere, ſucceſſio:

quæ ſint Capitaneorum partes.

ſonienſis, poſt mortem, & ex hac vita deceſſum, Spectabilis ac Magnifici quondam Comitis Nicolai Pálffy ab Erdöd, *ſuprafati Regni noſtri Hungariæ Palatini, & Locumtenentis noſtri Regii, eidem Comiti* Iohanni Pálffy ab Erdöd, *tamquam in familia Pálffyana, natu maiori, immediatoque ſucceſſori, pro more & conſuetudine, alias etiam vſitata, iureque a prædeceſſoribus noſtris, Diuis quondam Hungariæ Regibus, felicis reminiſcentiæ, eidem familiæ priuilegialiter conceſſo, ſimul cum conſueta iurisdictione, prærogatiuis, conditionibus, emolumentis & authoritate, (excepta tamen ipſa arce noſtra Poſonienſi, pro Maieſtate noſtra & ſucceſſoribus noſtris, legitimis Hungariæ Regibus, abſolute remanente & reſeruata) clementer dandam duximus, & conferendam. Ita tamen, vt ipſe* Comes Iohannes Pálffy, *pro functione iam fati Officii Capitaneatus, non ſecus, niſi cum benigno præſcitu noſtro, vel Camera noſtra Hungarica, in dicta arce diſponere, & huius officii munia, in euentu rei exercere, peragereque poſſit & valeat.* Hactenus verba *(n.)* diplomatis.

§. IX.

Coronæ Duumuiri: *qui ſibi ſucceſſerint:*

POſt *Capitaneos*, primum locum obtinent *Duumuiri*, ſeu *Cuſtodes Coronæ.* Vetus, oppido, dignitas, & quæ poſt ſeculi decimi ſeptimi initia, cum diademate, *Piſonium* immigrauit. Hos, publicis comitiis deligi, in more poſitum, immo lege cautum eſt. Primi, qui id muneris, poſt deportatum huc ſacrum diadema, communibus ſuffragiis, *(o.)* tulere, *Petrus de Réva*, perpetuus Comes Comitatus Thúróczienſis, & *Stephanus Pálffy*, Comes Comitatus Piſonienſis, fuerunt. Poſtea, *Révayo*, in ipſo Coronæ, quam ex *Etſchedienſi* captiuitate reducebat, comitatu, Trentſchinii fatis functo, *Paullus Appony, de Nagy Appony*, iis comitiis *(p.)* ſublectus eſt, quæ anno MDCXXII. Piſonii fuerunt celebrata. Triennio poſt, vltro eodem hoc magiſtratu, *Stephanus Pálffy* abiit, cum iam ante, *Appony*, e viuis exceſſiſſet. Proinde, iterum, *duumuiros* legi oportuit. quod in comitiis anni MDCXXV. euenisſe, decretum *(q.)* loquitur. Fuere autem, alter quidem *Iohannes Pálffy, ab Erdöd*, Nicolai II. filius, tertio genitus, alter *Stephanus Dóczy, de Nagy-Luche.* Sed *Dóczio*, eius muneris procuratio, nequiuit eſſe diuturna. Diſerte, anni MDCXXX. *(r.)* ſanctio: *Decedente Magnifico quondam Stephano Dóczy, de Nagy-Luche, altero cuſtodum Sacræ Regni Coronæ, in locum eiusdem* Magnificus Dominus, Petrus Forgách, de Ghymes, *iuxta antiquum vſum & obſeruationem, per Status & Ordines, eligitur.* Vtrique demum, *Pálffyo*, & *Forgáchio*, anno MDCXLVII. *Iohannes Kéry, de Ipoly Kér*, & *Nicolaus Oſztro-*

n.) Editum id eſt, anno MDCCXXXII. d. XIV. Martii; atque inaugurato IOHANNE, anno eodem, d. XXI. Mar. ſolemni ritu, promulgatum.

o.) Vide anni MDCVIII. ante *Coronationem, Art.* IV. & poſt *Coronationem, Art.* XVI.

p.) Prolixe ea de re, *Articulus* IV. vbi ſimul, *Coronæ* fata, & *Petri Révay* obitum, legas.

q.) Articulo XXV.

r.) Exſtat ea, *Art.* XLVII.

Oſztroſith, de Gyletincz, mutuis Statuum atque Ordinum ſuffragiis, ſuffecti ſunt. *Ex quatuor perſonis*, verba ſunt *(s.)* decreti, *vtriusque religionis, per Sacram Cæſaream Regiamque Maieſtatem, ad officium conſeruatoratus Coronæ denominatis, in locum prænominatorum quondam Sacræ Coronæ Conſeruatorum, Magnificos Dominos*, Iohannem Kéry de Ipolykér *ac* Nicolaum Oſztroſith de Gyletincz, *vnanimi voto & conſenſu eligendos duxerunt, qui ſolitum etiam iuramentum, coram ſua Maieſtate, & regnicolis, ſolenniter præſtiterunt.* Eligendorum cuſtodum coronæ, mos hinc condiſci poteſt. Poſtea, cum anno MDCLXII. *(t.) Nicolaus Pálffy* ab Erdőd, & *Stephanus Zichy*, extra publica regni comitia, a LEOPOLDO, ſuffecti fuiſſent, rogata fuit lex iſtiusmodi: *Cum per mortem ac deceſſum, priorum Sacræ Coronæ Conſeruatorum idem officium vacauerit, ac per Suam Maieſtatem, Spectabili & Magnifico Domino Nicolao Pálffy ab Erdöd, & Magnifico Dómino Stephano Zichy, Cameræ Hungaricæ præfecto, vsque ad præſentem diætam, collatum ſit, idcirco, Status quoque & Ordines, memoratos Dominos, Comitem, & præfectum, veluti bene meritas, de regno, perſónas, in eodem officio relinquunt: cum ea tamen cautela, ne deinceps, Cameræ Præfecti, ad tale officium eligantur; ſed potius antiquus eligendorum Conſeruatorum modus, in poſterum obſeruetur.* At enim, ad eundem prorſus modum, *Comitem Chriſtophorum Erdődy de Monyorókerék, Pálffyo*, ſubſtitutum a LEOPOLDO M. fuiſſe, ex anni MDCLXXXI. decreto, *(u.)* addiſcas; vt adeo ſanctio ea, tametſi repetita iterum, nequiuerit in legem abire; quin, anno MDCCXV. *(v.)* abrogata quodammodo eſt, permiſſumque denuo, vt, & *Præfecti Cameræ*, ſi gente fuerint Hungari, ad capeſſendum eum magiſtratum, admittantur. Ergo, ſucceſſere ſibi mutuo *Nicolaus Pálffy* pater; huic *Nicolaus Pálffy* filius; *Adamus Kolonitſch*, & *Thomas Nádasdy*; quorum nomina, eiusdem anni MDCCXV. decretum, dicto loco, exhibet. Iam, dignitate ea, mortuo *Thoma Nádasdy; Comes Georgius Erdődy, de Monyorókerék*, Cameræ Hungaricæ Præfectus, & *Comes Carolus Zichy, de Vásonykő*, S. C. R. M. conſiliarii locumtenentiales atque intimi *(x.)* potiuntur. *Feliciter!*

§. X.

QVæ ſint muneris huius partes, ex iurisiurandi formula, anno MDCCXV. *(y.)* deſignata, condiſci poteſt: *Ego*, inquit, *iuro, quod ſacram regni Hungariæ Coronam, & reliqua clenodia regia, ac regni, penes ipſam ſimul in conſeruatorio exiſtentia, pro poſſe meo, præſertim, cum mea ſeries fuerit, diligenter ac fideliter cuſtodiam, &* *Eius muneris partes, iurisiurandi formula, explicantur.*

s.) *Artic.* III. Anni MDCXLVII.

t.) *Artic.* XLIX.

u.) *Articulo* XXXV. vbi iterum iterumque, *Præfectos Camera*, excluſos ab huius muneris procuratione, legas.

v.) *Articulo* XXXVIII.

x.) Adiit eam dignitatem, ritu ſolemni inauguratus, anno MDCCXXXV. v. Cal. Iulii, *S. Ladislao* ſacro.

y.) Articulo eodem, XXXVIII.

militum numerus & ſtipendia:

a Cuſtodibus Coronæ accipiunt mandata:

Caſtellani *duo, & horum munia:*

Germanica cohortis præfectus:

rei tormentariæ magiſter:

curator conclauium:

& conſeruabo, milites, eiusdem Coronæ cuſtodes, ad diligentem & fidelem cuſtodiam, commonebo, ac in bona eiusdem cuſtodienda diſciplina, conſeruabo, ipſamque Sacram Coronam, & Clenodia Regia ac Regni, penes eandem habita, nulla arte, nullo dolo, vel fraude, nullisque viis & mediis, a regno, & rege, legitime coronato, abalienabo. Iſtis ergo partibus, magiſtratus huius adminiſtratio, conſtat. Salarium *(z.)* a rege dependitur. Alternis coſtodiæ hoc munus, procurare, moris eſt. Militum illa mentione admonemur, vt & de horum numero, atque ſtipendiis, quin & ordinibus, diſpiciamus. Deliguntur hi, ex *Hungaris*, iuxta, & *Germanis*. Cum primum ſedes Coronæ *Piſonii*, magno Regis & Ordinum conſenſu, adſignata eſt, ſexaginta, ei cuſtodiendæ, milites fuiſſe deſtinatos, conſtat. quibus, anno MDCXXII. *(a.)* cum poſtliminio, ex *Bethleniana* illa peregrinatione, *Piſonium* reduceretur, quadraginta ſunt additi, vt *cohors* fieret *centenaria*. Vtriusque autem gentis milites, *Cuſtodibus Coronæ*, obſtringi oportuit. Quod, cum a *Germanis* haud fieret, lege, anno MDCXXV. *(b.)* lata, ſerio, iterumque, ad cuſtodum nutum intentos eſſe voluerunt Ordines. *Coronæ cuſtodiæ*, inquiunt, *iuxta anni MDCXXII. Articulum IV. quinquaginta pedites* Hungari, *& alii quinquaginta* Germani, *adhibeantur. Qui quidem quinquaginta milites* Germani, *quia hactenus aliunde dependere videbantur; dignum eſt, vt deinceps, a tali regimine, abſoluantur, & non ab aliis, quam a Conſeruatoribus Coronæ, & Caſtellanis, habeant dependentiam.* Et *Caſtellanorum* quidem duo ſunt, pari vterque poteſtate. Partitis hi vicibus, munia obeunt, acceptas a Cuſtodum alterutro, teſſeras militares, excubatoribus, Hungaris & Germanis, impertiuntur, nilque non faciunt, quod militaris muneris procuratio, ac diſciplina, videtur poſcere. Alioquin, licentioſius ſubinde egiſſe præſidiarium hunc militem, *(c.)* latæ leges, editæ præterea querelæ, condocent. Iam, præter *Caſtellanos*, quinquagenariæ illi cohorti *Germanorum*, præfectus *Germanus*, imperat. qui plerumque, *protribunus* eſt, milesque emeritus. Tum id cœpiſſe puto, cum, præter deſtinatum cuſtodiæ Coronæ militem, arcendorum hoſtium cauſſa, præſidio arcem muniri oportuit. Nullum ei tamen in arcem, nullum in *Hungaros*, & qui in vinculis ſunt, ius eſt, ſi pacata ſint omnia. Poſt eum, rei tormentariæ, atque machinatorum *(d.)* eſt magiſter. Ad hunc pertinet; curare armamentarium, & omne, quod in arce eſt, tormenti genus, bellicumque inſtrumentum aliud. Connexa ei muneri eſt, curatio conclauium, &, qui huc pertinent, adparatus reliqui. Cetera, ad eum ſe modum habent, qui eſt munimentis proprius. Stata claudendarum,

z.) De hoc, rite ſoluendo, plures Comitiorum ſanctiones, exſtant. Legeſis, *Anni* 1635. Art. 4. *Anni* 1649. Art. 96. *Anni* 1655. Art. 15. *Anni* 1659. Art. 10. *Anni* 1662. Art. 50. & *Anni* 1681. Art. 36.

a.) Articulo IV.

b.) Articulo XXVI. Repetitam eam legem habes, in Decreto *Anni* MDCXXV. Art. LXXXVII. De *Caſtellanorum* autem, & militum ſtipendiis, vide, *Annum* MDCXXV. Art. XXXVIII. & ſupra citatos.

c.) Legeſis *Anni* MDCXLVII. Art. IV.

d.) Germani, *Stuck-Hauptmann*, dicunt,

rum, reſerandarumque portarum ſunt tempora; ſua militibus Symbola, quibus mane, & veſperi, commonèntur officii. Ad arcem admittitur nemo, niſi exploratæ ſit fidei: admiſſi, humaniſſime accipiuntur, atque peregrini in primis. Nihil his inacceſſum relinquitur: præter ſacro ſanctum illud conditorium, quo diadema, & reliqua regni inſignia, continentur.

§. XI.

CElebritatum arcis, ne id forte ſileamus, recentiſſima eſt, quam ei conciliauit, CONSILII LOCVMTENENTIALIS REGII inauguratio, ad XII. Calendarum Aprilis, iſthic, ſolemnitate eximia concelebrata. Recenſuimus rem geſtam, (*) in vrbis prærogatiuis; recolendam iterum, vt & heic, non regii modo inſtituti, ſed horum etiam, qui tunc, in Excelſum illud Collegium, cooptante CAROLO indulgentiſſimo, adſciti ſunt, ex-ſtet memoria. Nam intereſt omnino patriæ, ne ignorentur apud poſteros nuperi actus, atque illuſtrium virorum nomina, quorum arbitratu ac prudentia, respublica, noſtra hac ætate, adminiſtrabatur. Ergo, deſignationem exhibendam putauimus, omnium eorum, quos ſub iſta *Conſilii* exordia, inauguratos cognouimus; poſtea vero illorum etiam, qui, ſeu emortuis ſucceſſerunt, ſeu ad alias dignitates, promotis. Fuere autem:

PRAESES I.

NICOLAVS PÁLFFY Comes ab Erdöd, Regni *Hungariæ Palatinus, & Locumtenens Regius, actualis Conſiliarius* intimus.

Moritur *Poſonii*, A. MDCCXXXII. d. XX. Febr.

Conſiliarii e Ven. Clero.

CHRISTIANVS AVGVSTVS, Cardinalis de Saxonia, S. R. I. P. Archiepiſcopus Strigonienſis, Hungariæ Primas, actualis Conſiliarius intimus. 1.

Soluit naturæ debitum, *Ratisbonæ*, A. MDCCXXV. d. XXIII. Auguſti.

EMERICVS de COMITIBVS CSÁKY de Kereſzſzeg, Cardinalis, Archiepiſopus Colocsenſis, actualis intimus Conſiliarius. 2.

Deſiit viuere, *Magno Varadini*. A. MDCCXXXII. d. XXVIII. Auguſti.

*) Tomo Operis I. Comitatus Poſonienſis Parte Spec. Memb. I Sect. I. Hiſtoriæ Vrbis Piſonienſis, Cap. V. Artic. VI. §. X. p. 432.

3. Emericvs e Comitibus Eszterházy de Galantha, Epiſcopus Veſzprimienſis, actualis intimus Conſiliarius.
   Succedit Christiano Avgvsto Cardinali de Saxonia, ſitque, eodem, quo ille fatis conceſſit, anno, Calendis Septembris, Archiepiſcopus Strigonienſis, *reliqua.*
4. Ladislavs Szörény de Kis-Szörény, Epiſcopus Dulcinenſis.
   Abdicat ſe dignitate A. MDCCXXII. d. XIV. Martii, ſitque poſtea Epiſcopus Sirmienſis.

Conſiliarii, e ſtatu Magnatum.

1. Stephanvs Kohary de Csábrágh, Comes, Curiæ Regiæ Iudex, actualis intimus Conſiliarius.
   Finem viuendi fecit, in arce Csábrágh, A. MDCCXXXI. d. XXIX. Martii.
2. Iohannes Pálffy ab Erdöd, Comes, Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclauoniæ Banus, Campi Mareſchallus, & actualis intimus Conſiliarius.
   Fit *Iudex Curiæ Regiæ*, A. MDCCXXXI. d. XXVII. Octobris.
3. Sigismvndvs Csáky de Kereszszeg, Comes, Tauernicorum Regalium, per Hungariam Magiſter.
   Cedit vltro ea dignitate A. MDCCXXVI. d. XXVI. Martii.
4. Marcvs Czobor, de Czobor Sz. Mihály, Comes, Ianitorum Regalium per Hungariam Magiſter, intimus Conſiliarius.
   Fatis concedit, *Poſonii*, A. MDCCXXVIII. d. XI. Iulii.
5. Georgivs Erdödy, de Monyorókerék, Cameræ Hungaricæ Præſes, actualis intimus Conſiliarius.
   Fit S. Coronæ Regni Hungariæ Cuſtos.
6. Alexander Karoly de Nagy-Károly, Comes, intimus Conſiliarius.
   Fit Prouincialis Commiſſariatus per Hungariam Director.
7. Adamvs Draskovith de Trakostyán.
   Abdicat ſe lubens hac dignitate A. MDCCXXV. d. XXVII. Octobr.
8. Franciscvs Eszterházy de Galantha, Comes, Agazonum Regalium per Hungariam Magiſter, actualis intimus Conſiliarius.

Ca-

CASPARVS ESZTERHÁZY de GALANTHA, Comes. 9.
Deſiit viuere Peſtini, A. MDCCXXIV.

ADAMVS MESKO, *Liber Baro*, ſit ſimul Cancellariæ Director. 10.
Eximitur rebus humanis, Sempronii A. MDCCXXXIII. d. II. Iulii.

Conſiliarii e ſtatu Nobilium.

IOHANNES ANTOLCSICS. 1.
Excedit e vita, Poſonii, A. MDCCXXVII. d. XVIII. Septemb.

FRANCISCVS SIGRAY de SVRÁNY. 2.
Deſiit in viuis eſſe, Poſonii A. MDCCXXVII. d. VI. Febr.

ADALBERTVS SÁNDOR de SZLAVNICZA. 3.

GEORGIVS PALVSKA de ARANYOS MARÓTH. 4.
Fungitur fato ſuo, Poſonii, A. MDCCXXXII. d. X. Auguſti.

IOHANNES FIÁTH. 5.
Emoritur *Poſonii*, A. MDCCXXVII. d. XIX. Febr.

GEORGIVS FEKETE. 6.

FRANCISCVS PALÁSTY de PALÁST. 7.
Transfertur ad Cancellariam, Regio Hungariæ Aulicam, A. MDCCXXXI.

EMERICVS MADARÁSZ. 8.
Deſiit viuere, A. MDCCXXIX.

Secretarii.

Iohannes Adelffi. 1.
Fit Conſiliarius, A. MDCCXXX. d. XIX. Aprilis.

Georgius Paluska iunior. 2.
Migrat e viuis, A. MDCCXXII. d. XI. Auguſti.

Georgius Fabiankouitsch. 3.
Cooptatur in Conſiliariorum numerum A. MDCCXXXII. d. XVI. Ian.

Atque hi quidem primi erant, qui conſtituto, ritu ſolemni *Conſilio*, rebus adminiſtrandis admouebantur. Poſtea, quum, vt videre eſt, debitum naturæ ſoluerent alii; alii, vel ipſi abdicarent ſe munere, vel aliorſum, ex Regis voluntate, transferrentur, neceſſum erat inſtaurari, Præſidis dignitatem, Conſiliariorum item, & Secretariorum numerum. Id quod iam exponendum eſt:

PRAESES II.

SERENISSIMVS DOMINVS DOMINVS, FRANCISCVS STEPHANVS, DEI GRATIA, LOTHARINGIAE ET BARRI DVX, per Hungariam Locumtenens Regius.

Fit PRAESES Conſilii Locumtenentialis Regii, A. MDCCXXXII. d. V. Aprilis.

Cœpit præeſſe *Conſilio*, anno eodem d. V. Idus Iunii. *Feliciter!*

Succeſſio Conſiliariorum.

IOSEPHVS ESZTERHÁZY de Galantha, iam Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclauoniæ Banus, intimus Conſiliarius.

Decernitur in locum Caſparis Eſzterházy, A. MDCCXXV. d. XXV. Aprilis.

Obſtringitur iure iurando, eodem anno, d. VI. Maii.

Abdicat ſe eo munere, anno MDCCXXX. d. XIX. April.

GABRIEL, e COMITIBVS ERDÖDY, de Monyorókerék, Epiſcopus Agrienſis, actualis intimus Conſiliarius.

Adſciſcitur regis indulgentia in *Conſilium*, A. MDCCXXV. d. XVII. Nouemb. cum *Emericus Eſzterházy*, ad ſedem Strigonienſem, eueheretur.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem. d. XIX. Decemb.

THOMAS de NÁDASD, Comes, S. Coronæ Reg. Hung. Cuſtos, intimus Conſiliarius.

Adſciſcitur in Conſilium, loco *Adami Draskovith*, A. MDCCXXVI. d. XXIV. Februarii.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. XII. Martii.

Migrat e viuis, A. MDCCXXXIV. d. V. Octob. in poſſeſſione ſua Báth.

CAROLVS ZICHY, de VÁSONKÖ, Comes, Cubiculariorum Regiorum per Hungariam Magiſter, Cuſtos Coronæ, & intimus Conſiliarius.

Succedit *Sigiſmundo Csáky* A. MDCCXXVI. d. XXIII. Iunii.

Obſtringitur iure iurando anno eodem, d. VI. Septemb.

LEOPOLDVS de NÁDASD, Comes, Cæſareo Regiæ Maieſtatis Camerarius.

Subrogatur *Marco Czobor*, anno MDCCXXX. d. XIX. Aprilis.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. VIII. Maii.

STE-

STEPHANVS MÓROCZ de BEKED-FALVA, Nobilis.
Decernitur in locum *Iohannis Antolcsics*, A. MDCCXXX. d. XIX. April.
Obſtringitur iure iurando anno eodem, d. VI. Iunii.

IOHANNES ADELFFY, hucuſque Secretarius. Fit in locum *Franciſci Sigray*, Conſiliarius, A. MDCCXXX. d. XIX. Aprilis.
Obſtringitur iure iurando, eodem anno, d. VIII. Maii.
Transfertur ad Cancellariam, Regio-Aulico-Hungaricam, A. MDCCXXX. d. V. Maii.

IOHANNES FRANCISCVS ZÁVSKA de SAMBERG, Nobilis.
Fit Conſiliarius, in locum *Iohannis Fiáth*, A. MDCCXXX. d. XIX. Aprilis.
Iurat, eodem anno, die VI. Iunii.

GEORGIVS ESZTERHÁZY de GALANTHA, Comes, Ianitorum Regalium per Hungariam Magiſter, intimus Conſiliarius.
Surrogatur *Ioſepho Eſzterházy* A. MDCCXXXI. d. XX. Maii.
Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. VII. Nouembr.
Mortem oppetit, in Thermis Carolinis, anno MDCCXXIV. d. III. Iunii.

IOSEPHVS SIGRAI de SVRÁNY, Liber Baro.
Subſtituitur in locum *Stephani Kohary*, A. MDCCXXXI. d. XXI. Iunii; Conſilium tamen adire nequit, ob articulorum morbum.

GEORGIVS FABIANKOWITSCH, hucuſque Secretarius.
Decernitur in locum *Franciſci Paláſti*, A. MDCCXXXII. d. XVI. Ian.
Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. XXVIII. Ian.

ALBERTVS RÉVAY de RÉVA, Liber Baro, Præpoſitus Ujhelyienſis.
Succedit *Ladislao Szörény*, accenſeturque in Conſilium, A. MDCCXXXII. d. XVII. Octobris.
Obſtringitur iure iurando, anni eiusdem, d. VII. Nouemb.
Fatis concedit Poſonii, A. MDCCXXXIII. d. IX. Octob.

GABRIEL FÁJ de FÁJ, Nobilis.
Deſignatur in locum *Georgii Paluska*, A. MDCCXXXIII. d. XXVI. Febr.
Iurat, anno eodem, die VI. Martii.

IOSEPHVS FESTETICS, Nobilis.
Decernitur in locum *Iohannis Adelffy*, A. MDCCXXXIII. d. XV. Octob.

Ante-

Antequam iure iurando fidem adfirmaret, ſponte decedit, A. MDCCXXXIV. d. XVI. Aprilis, caſtra iterum ſequutus.

MARTINVS SZVHÁNY, Nobilis.

Decernitur, in locum *Emerici Madaraſz*, A. MDCCXXXIII. d. XV. Octob.

Iurat, anno eodem, Calendis Decembribus.

PAVLLVS BALASSA, de GYARMATH, Comes.

Accenſetur Conſilio, in locum *Iacobi Mesko*, A. MDCCXXXIV. d. XXVI. Ian.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem, die V. Martii.

SIGISMVNDVS BERÉNY, de Karants-Berény, Epiſcopus Mallenſis.

Surrogatur *Adalberto Révay*, A. MDCCXXIV.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. V. Martii.

CAROLVS NEDECZKY, de NEDECZE, hucuſque Secretarius.

Surrogatur, *Ioſepho Feſtetics*, A. MDCCXXXIV. d. VII. Auguſti.

Obſtringitur iure iurando, eodem anno, d. XXI. Auguſti.

IOSEPHVS KEGLEVITSCH, de BVZIN, Comes.

Subſtituitur *Thomæ Nádasdy*, A. MDCCXXXV. d. II. Febr.

Obſtringitur iure iurando, A. eodem XI. Martii.

IOHANNES ESZTERHÁZY, de GALANTHA, Comes.

Decernitur in locum *Georgii Eſzterházy*, A. MDCCXXXV. d. II. Febr.

Obſtringitur iure iurando, anno eodem, d. XI. Maii.

Succeſſio Secretariorum.

Emericus Gyurcsány.

Decernitur, loco *Iohannis Adelffy*, A. MDCCXXX. d. XXI. Auguſti.

Iurat, anno eodem, d. XXXI. Auguſti.

Fit Adſeſſor *Tabulæ Regiæ* A. MDCCXXXV. d. III. Febr.

Carolus Nedeczky, de Nedecze.

Decernitur in locum *Georgii Fabiankovitſch*, A. MDCCXXXII. d. XXII. Martii.

Iurat, anno eodem, d. IV. Aprilis.

Andreas Pehm.

Decernitur, in locum *Georgii Paluska*; A. MDCCXXXII. d. XIII. Octob.

Iurat, anno eodem, d. XVIII. Nouemb.

Ludo-

Ludouicus Ordódy de eadem.

Decernitur, in locum *Caroli Nedeczky*, A. MDCCXXXV. d. II. Febr.

Iurat, anno eodem, d. XV. Febr.

Ladislaus Barinyai

Decernitur, in locum *Emerici Gyurcsáni*, A. MDCCXXXV. d. II. Febr

Iurat, anno eodem, d. XXV. Febr.

Iuuit, illuſtria nomina, iſtheic interſeruiſſe, ne, quod eſt factum ſæpe ſæpius, lapſu temporis intercidant.

§. XII.

ILlud porro peculiare eſt, quod noſtra quoque ætate obſeruauimus, arcem, fulminis ictus, numquam ſine portento mali, accepiſſe. Anno in primis MDCXVIII. locus fuit male *(e.)* ominandi, dum deſtinatum inaugurationi FERDINANDI II. diem, inopinata tempeſtas, funeſtaſſet. Nam, eodem plane die, quo poſt longas conſultationes, tempus ſolemnitati præſtitutum fuerat, ſereno, vſque ad meridiem, cælo, hora, poſt prandium, ſecunda, nubes ſubito inductæ ſunt, quæ vibrato fulmine, turrim, cui corona inerat, inflammarant, conſumendam procul dubio, niſi ſubſequutus imber, quem ingens procella effuderat, ſerpentes late flammas, reſtinxiſſet. quod, quin *Bethlenianos* motus illos, coronæ maxime funeſtos prænunciarit, ambigendum haud eſt. Non incertiori augurio, ad *Rákóczii (f.)* ſeditionem referebatur, quod anno MDCCIII. d. III. Iunii, accidit. Hora enim pomeridiana VI. ſudum cælum, neque vllam minitans tempeſtatem, nec opinato, vehementer intonuit. Ictum fulminis fuiſſe, dubitabat nemo, tametſi neſcius, vbi delapſum ſit; dum poſt inſignem moram, fumus proderet, in colophonem turris eiusdem, & ſubiectum ei vallum, eubratum fuiſſe. Incendio reſtincto, fama primum increbuit, *Hungaros*, aduerſus Regem, *Rákóczio* duce, armari. Vidimus, & anno MDCCXXVII. d. XXV. Iulii, pari fulgure percuſſam turrim aliam ſeptentrionalem, at, ſine vllo hucuſque, euentu triſtiore.

Fulminis ictus, quibus arx percuſſa eſt ſæpius, Hungaria ominoſi.

§. XIII.

ARce egreſſos, incuruum, vrbem verſus, iter deducit, idemque, obſeſſum ſerie ædium ſingulari. *Várallja* Hungari vicum adpellant, Germani *Schloßberg*. Hic *Pálffyorum* prætorium,

Arcis ſuburbanum.

e.) Meminimus eiusdem rei, in Hiſtoria vrbis *Piſonienſis*, Cap. v. Art. I. §. XIV. Tomo I. p. 302.

f.) Anno MDCCIV. ſeditioſis iam graſſantibus, peculiari iride, vrbis *horizontem* induci, & ſupra arcem, auem candidam, miræ pulchritudinis, circumuolitare, & deinde *Haynburgum* verſus, ſe recipere obſeruarunt *Piſonienſium* aliqui. Non minus, & anno MDCCV. XV. Cal. Octobres aduerſum, intempeſta nocte eſt, turri illi, in qua eſt *Corona* conditorium, impendiſſe radiantis columnæ ſimulacrum, habentis parte ſuperiori *Coronam*, & in hac lumen tanti ſplendoris, vt arcem totam illuminauerit. Hæc, ita relata, accepimus, fide, penes narratores, relicta.

prætorium Pálffyorum:

rium, principem locum, forma auguſta, ſtructura ampla, inſedit. In tres namque areas ſciſſa, ſingulis, vaſta & ſuperba circumfudit ædificia. Primæ areæ, quæ in aditu occurrit, a ſiniſtris familiarium ſunt hoſpitia, ſcribarumque muſea. Inde, dextram verſus, porticus, per quam in alteram aream itur, maiorem illam, & quaqua verſum, crebris atriis, cellis, cubiculis, & hypocauſtis, obſeptam. Præcipuum latus, in ſubiacentem hortum, proſpicit. In hoc, alia, pone alia, conclauia, & cœnacula ſunt inſtructa. Illud maxime, quod angulum occupat ædificii, in orientem obuerſi, non tantum ob amplitudinem, multis poteſt anteferri; ſed etiam, ob pictam illam apſidem, in qua varium genus mortalium, viuum quaſi, ex pergulis ſubdiualibus, deſpicere in ſubiectam plebem, videtur. Inde, a dextris continua ſerie, quot cubicula, tot diuerſorum hominum, & animantium, ſcite pictas varietates, obſeruaueris. *(g.)* Extra, ambulacrum eſt, muro adiectum: vltra hortus ſubiacet, humili poſitu. qui, quod variis inter ſe gradibus, mox adſurgit, mox deprimitur, multum adfert amœnitatis inambulantibus. Hinc & illinc, per iuſta locorum interordinia, arbores occurrunt fructiferæ, plures humiles, quam proceræ, varia pomorum, pyrorumque, & id genus, diuerſitate inſignes. Nec citreorum ſucci deſunt, quos ſub porticu æſtate, hieme adſeruant in adſtructo heliocamino. Præter hanc domum, ſunt ex ea parte arcis, qua viam deſcendere, oſtendimus, *domus* duæ *liberæ*, & nobiles, *Frankianæ* vni, alteri *Angarianæ*, nomen eſt. Reliqua a *Iudæis*, pauca a Chriſtianis, mixtim habitantibus, inſidentur. *Synagogam* hi, annis ſuperioribus, excitauerunt, inſigni mole, opere autem, longe ſolidiſſimo. Ampla huic concameratio, &, quidquid *Iudaiſmus*, diuerticulorum, aut adparatus requirit, affatim id omne inſtructum eſt. Vix tota Hungaria locum repereris, qui *Iudæos*, ſeu clementius alat, ſeu copioſius; ſed, quanto vrbanæ plebis, & commercii, quod antea penes *Chriſtianos* vnice fuit, detrimento, facile eſt exiſtimare. Poſtea, vrbis ambitus ſuccedit, tanto diſcriminatus ſpatio, quantum via, intra foſſam, & cliuum arcis, admittit. Nam, quod eadem accliuitate adſurgit, arcis eſt terrenum, iamque, præter ædem ſacram, quæ *S. Nicolai* nomine, ſupereminet, crebrioribus, in dies, ædiculis incipit obſideri. Quod vltra adſcendit, vitis, vſque ad arcis mœnia, conueſtit. Tranſitum hac, vrbs olim prohibuit, neque aperuit prius, quam ab *Ordinibus* regni, admonita. Enim vero, anno MDCXLIX. publicis regni comitiis cautum eſt, *vt tranſitus (h.)* (verba ſunt legis) *ſub radice, & monte arcis Poſonienſis, penes foſſatum ciuitatis exiſtens. habitus, qui antea, per ciuitatem, præcluſus fuiſſet, ſemper in poſterum pateat, & pro via publica, habeatur.* Hinc, quod porro eſt, arx & vrbs, diuiſim poſſident. quæ enim altius monti adhæſerunt, ædes, arci

hortus ei adpoſitus:

domus liberæ:

Iudæi *incolæ, horum libertas.*

g.) Multo iam ſplendidior ædificii habitus eſt, & ad incolendum, commodior; poſteaquam, *Ducem Lotharingiæ*, FRANCISCVM STEPHANVM, Locumtenentem Regium, anno MDCCXXXII. VIII. Idus Iunii, hoſpitem accepit.

h.) Vid. Artic. XXII. *Anni* MDCXLIX.

arci accenſentur; vrbi contra, geminus *Vedricenſis* vicus, intra flumen, & montis pedem, procurrens.

§. XIV.

Zuckermandel inde eſt, frequens is quidem vicus; at, *Iudæorum* potius, quam *Chriſtianorum* perfugium. Longus, paſſus circiter trecentos; latitudine autem ea, quæ ex vtraque plateæ parte, ſingulas tantum ſeries ædium, nunc longiorum, nunc breuiorum, ptout cuiuis terrenum in his anguſtiis eſt, transmittit. Qui *Danubio* impendent, terga, adgeſta crepidine, muniunt, ne ſubruantur amnis fluctibus; contra, qui radices montis incolunt, terebrant, *(i.)* a tergo petram, cuniculis, vt habitent laxius. Quod ita excauarunt, ſtabulis, cameris, & cellis in primis vinariis, inſtruunt. Interſunt & heic, duo *libera prætoria* nobilium, ea parte, qua vicus incipit. Altera vocatur *curia Kamfferiana*, ſeu *Scharffeneck*, inſignibus priuilegiis, a regibus donata; altera *Prameriana*, cum iuſtitiæ inſigni, ſupra inſcriptis verbis: VIRTVTIS COMES INVIDIA. Et, SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? Quod hinc, verſus vrbem, ſpatii decurrit, tenues partim ædiculæ, partim *penuaria domus*, ſolido opere, & nuda, verſus Danubium, fronte, occupat. Pone, *magiſtri annonæ*, domus eſt, veterrimi *(k.)* operis: vbi & ſal regius venit. Alioquin, oppidi prærogatiuam, annis ſuperioribus, vico, *Nicolaus Pálffy*, Regni Hungariæ Palatinus, ſtatasque nundinas, ſed, quæ inualeſcere nequeunt, conciliauit.

Zuckermandl, Iudæorum perfugium: eius habitus:

ædes liberæ:

domus penuaria:

ius oppidi gaudet prærogatiua.

§. XV.

His ergo locis, quæ vtrinque arci ſubiacent, etſi mixtim, populum duplicem conſtituunt incolæ, *Chriſtianum*, & *Iudaicum*; tamen, vni omnes ſubſunt dominationi, *Coronæ* ſcilicet, & per eam, genti, vti diximus, *Pálffya*. Hac inuita, nulli heic incolere, nulli ædificare, integrum eſt; & qui obſedit, ab eiusdem pendet arbitrio, ipſique præſtat tributum. Lingua vtrinque mixta, *Germana*, *Hungarica*, & *Slauica*; quamuis prima reliquis anteeat. Duæ *Iudæis* permittuntur *Synagogæ*, quod diximus, in arcis ſuburbano altera, altera, in *Czuckermandl*. Vtramque, bis quotidie frequentant. Rabbinus eis eſt, quem publico ſumtu alunt; tametſi, quod mirum, nullas cerimonias faciat; verum libere, &

Reliqua, vtrinsque ſuburbani arcis, rationes:

Iudæorum Synagogæ:

i.) Vetantur id quidem facere incolæ; ſed, quantum ſcimus, fruſtra plerumque; eo quod, fiſſo hic lapide, faciunt ſucelli quidpiam. Vrbico certe fundo, qui vineas ſuperne habet, detrimentoſa ea cauatio eſt, quando ſubrutis petræ radicibus, ſubſidere oportet, terrenum vite cultum.

k.) BELAE IV. regiam fuiſſe putant, quam incoluerit frequentius, a MATTHIA Coruino, *Ilropolin* dictam, quod affirmare non habemus. Moles certe anguſtior eſt, quam quæ famæ huic reſpondeat.

& intrare *Synagogam*, & abeſſe inde poſſit. Semel iterumque, quotannis, ad concionem diſſerere ſolet, neque obſtringitur alio officiorum generi, quam quod oraculi loco ſit, quod dubia religionis explicet, confirmet in errore nutantes, & turbam omnem, nutu & auctoritate moderetur. Quæ nuptiarum, quæ præputii circumcidendi, quæ perimendorum altilium, quæ denique, ad mortuos ſepeliendos, officia requiruntur, aliis etiam, qui nonnihil didicerunt, fas eſt peragere. Magiſtratus, *Chriſtianis* æque, ac *Iudæis*, diuerſus. Iudices, & ſenatores, genti cuiuis proprios, ex arbitrio præfecti *Pálffjani*, deligunt. quorum illi ſuffragio, de omnibus, quæ grauiora videntur, conſtituunt. Vitam, mercatu, & multa fraude, qua *Chriſtianos* irretiunt, ſuſtentant miſere multi, nonnulli lautius. Nam, quod diſtinctis ab vrbe ſunt negotiis; aut ciues deſtruunt, ſi eorum foris miſcentur; aut ipſi peſſum eunt, ſi emaneant. Eam ob rem, perpetua eis, cum ciuibus, rixa eſt. *Iudæorum*, mercandi quidlibet, æmulatione, corrumpi ciuiles quæſtus, merito querulantur *Piſonienſes*. Quidquid enim, ſiue ruſticæ mercis, ſiue rerum aliarum, ad vrbis fora, inuehitur, præripitur id a *Iudæis*: non quidem vi, quam nemini audent intentare; ſed facta licitatione immodica, qua *Chriſtianos*, ab emtione depellunt. Locus vterque, *Parochiæ S. Martini*, quæ in vrbe eſt, accenſetur.

occupantur in mercatu, & fraudibus.

§. XVI.

Inſulæ arci adſcriptæ:

SVnt, & inſulæ in Danubio, arci adſcriptæ, quas, vna cum vrbicis, enumerauimus. Ea, quæ obiacet, vtiliſſima cenſetur.

Engerau:

Engerau nonnulli, a ſitu vocant, quod ſubinde in anguſtias, ab amne cogatur; alii tamen, ab *Hungaris* dictam malunt: propterea, quod ab eis credant olim inhabitatam, vt, quaſi ex *Vngerau*, errore pronunciationis, enatum ſit *Engerau*. Quidquid eius ſit, nunc *Germanos*, *Hungaros* pauciſſimos, immo nullos, niſi qui alibi didicerunt linguam; aut famulandi cauſſa, apud eosdem morantur, ſitu fouet. Agris frumentariis fere carent, ideoque, hortenſi cultu hi, illi aurigatione, vitam tolerant; nouo iterum ciuium *Piſonienſium* damno. Aediculas ſtruunt humiles, ſolide tamen factas, atque, vt fieri poteſt, loco erecto, nec facile vndis obnoxio. Ab harum enim exceſſu, non modicas accipiunt calamitates. Altera inſula, *Oberufer*,

Fö-Rév.

Hungaris *Fö-Rév*, & ioco, *Velentze*, audit, a qualicunque ſimilitudine poſitus: *Venetia* enim, Hungarico ore ita vocantur. Incolæ ei Germani ſunt, paucis Hungaris, neque iis genitis, ſed vel linguam alibi addiſcentibus, vel admiſſis aliunde. Viuunt agricolatione, inſulam nacti, frumenti & pabuli feracem. Pomorum quoque crebri eis, & fertiles horti ſunt. Itaque, degunt inter arbuſtorum, & nemorum amœnitates. Vtrosque inſulanos, *Venatores* olim fuiſſe *Regios* conſtat, apud rerum Hungaricarum peritos. quo illi munere, tunc in pri-

primis fungebantur, cum Reges *Piſonii* agebant. Fruuntur ergo iisdem illis prærogatiuis, quas leges patriæ, regiis venatoribus, indulſerunt: cetera, *Capitaneis* arcis obnoxii.

§. XVII.

EXtra fines territorii *Piſonienſis*, ſunt in *Coronæ* ditione, oppida: *Samaria*, *Szerdahely*, & vici tredecim; *Benke-Patony*, *Bögel-Patony*, *Csecseny-Patony*, *Csentöfa*, *Diós-Patony*, *Egy-házas-Paka*, *Hegyſúr*, *Kis-Lucse*, *Lögér-Patony*, *Ó-Gelle*, *Pinteksúr*, *Pósfa*, *Zoncz*, *Bodok*. quorum deſcriptionem, infra, ſuo loco, dabimus. *Reliqua arcis poſſeſſiones.*

II. Arx S. Georgii.

SYNOPSIS.

Nomen & ſitus arcis. §. I.

Eius, ad defenſandum, importunitas: arcis vſus: ruinarum initia, ab Ottocaro *profecta: bellis Turcicis & ciuilibus, continuata.* §. II.

Facies arcis priſtina: hodie vaſtum eſt rudus. §. III.

Neüſtifft: *reliquæ arcis poſſeſſiones.* §. IV.

§. I.

QVæ ad loci originem, nomenque ſpectant, & fata, in vrbis hiſtoria diximus. Eminet eo tractu, qui ab vrbe, in occidentem æſtiuum, leni collium accliuitate, in altos montes, ſurrigitur. Pone, viam per montes transmittit, peregrinationibus in primis religioſis, quas accolæ, in *Vallem D. Mariæ*, vulgo *Marienthál*, ſuſcipiunt, tritam atque nobilem. Immo, commune, hinc & illinc, commeantium, iter eſt. A ſiniſtro ergo callis latere, quo ab vrbe, paſſibus, plus minus mille, aſcenditur, arcis poſitio eſt, loco erecto, diſtinctoque, ab ea parte, qua in aquilonem ſpectat; ſed non tam depreſſa valle, quam, quæ ei ſubeſt ab auſtro, & Fauonio. Illinc enim, abrupta primum rupe, deinde decliui magis, & qua deſcendit, molliori ſemper deiectu, in profundam vallem deſinit; hinc contrario, foſſa manu facta, abſcinditur a viæ, quam diximus, latere ſeptentrionali. Vallis, ab aquilone, in profundum depreſſa, riuum demittit, vrbi, vti demonſtratum eſt, vtilem & opportunum, haud tamen perennem. *Nomen, & ſitus, arcis.*

§. II.

Eius, ad defendendam, importunitas:

QVamuis ergo valles, quas deſignauimus, arci noſtræ, non plane nullo olim erant munimento; tamen, importunior multo mons fuit, ab occidente imminens. Nam, & opacus arboribus, hoſtem potuit occultare; & quia caſtrum, altitudine ſuperat, facile erat, in mediam arcem, ex eius iugo, globorum ictus & miſſiles ignes, intorquere. Vnde coniicimus, non multum eam præſidii, *arcis vſus:* locis circumiectis, ferre potuiſſe. Ergo, perfugium fuit, herorum non minus, quam plebis ruſticæ, ſi belli merus, ingruebat: neque tam retundendo hoſti, quam conſeruandis reculis, proderat. Euenit hoc, in primis bellis *Bohemicis*, vti crebris, ita mirum in modum ſæuis. His enim præcipue debet, ruinarum, in quas abiit, initia. Nam, poſtquam infauſtis illis STEPHANI IV. quas in Auſtria patrauit, *ruinarum initia, ab* Ottocaro *profecta:* direptionibus populationibusque, incitatus OTTOCARVS, in oram hanc irrupiſſet; nihil fecit reſidui, quod ad iniurias, vt vocabat, vindicandas, in deſtruendis diripiendisque locis obuiis, fieri poſſe exiſtimabat. *Iacuit*, inquit COENOBITA LEOBIENSIS, *(a.) in Hungaria potenter, cum ingenti exercitu, & copioſo nimis, diebus multis, quod ab antiquis temporibus, vsque in hodiernum diem, neque in Chronicis, neque in geſtis regum, vel imperatorum, legitur hoc factum eſſe. Poſtquam caſtra regis Hungariæ in confinio Auſtriæ ſita, deſtruxit, & funditus ſubuertit, ita, quod non remanſerit lapis ſuper lapidem.* Id, cum poſt, de *Piſonio* interpretatur, luculenter adiicit: *Poſtea*, inquiens, *aliud caſtrum dictum, apud* S. GEORGIVM, *& caſtrum dictum Poſinge, & Pibersburg, & ciuitatem, dictam Tyrnam; hæc omnia, in illo loco exiſtentia, viriliter expugnauit.* Factum hoc eſt, non modo ſub STEPHANO, ſed etiam poſt huius fata, tenero adhuc LADISLAO. Aegydius enim, perduellis ille, quem ad *Piſonium* meminimus, regem Bohemorum, iterum iterumque ad perdendam hanc oram induxerat. Itaque, alterum deuictas arces, *S. Georgii*, & *Bo-* *bellis Turcicis & ciuilibus, continuata.* *zin*, meminit idem Chronologus. *(b.)* Accedentibus poſtea bellis Turcicis, & ciuilibus, in dies magis concidit. Quoad tamen dominatu gentis *Seredia*, ſeu Comitum de *S. Georgio*, tenebatur, retinuit decus. Sed ea poſt emortua, quamuis non deerant ſucceſſores; tamen, cum ob libidinem ſeditioſorum, paſſim gemerent omnia, neque eſſet vsquam quieti, aut auctoritati locus, nihil amplius fuit reſiduum, quod arcem retentare potuiſſet a ruinis Fama eſt, temporibus FERDINANDI II. Imperatoris, præſidio adhuc fuiſſe munitam.

§. III.

Facies arcis priſtina:

FVit mole, non ea quidem grandi, ſed facta opportune. Nam, & prætorium habuit, conclauibus ſuperne, fornicibus inferne, atque cellis vinariis, inſtructum; & mœnia, ſic ſatis valida. Intra

a.) Vid. PEZII Tom. I. col. 871. & col. 838. ad annum MCCLXXI.

b.) Ibidem, ad annum MCCLXXII. col. 839.

Intra hæc, militum fuerunt hoſpitia, & ſubterraneæ concamerationes. Qua latus occidentale humilius deſidebat, puteus deprimebatur, vti laxi circuitus, ita, pro montis habitu, altitudinis eximiæ. In ortum, porta adſpiciebat, vnica ea, ponte verſatili inſtrata. Moenia foſſa circuibat, ad ortum ſolis profunda, partem reliquam, fere in valles deſinens. Ex ruderibus, quæ ſcrupuloſius veſtigauimus, duas eam partes habuiſſe, collegimus. Quæ in ortum, & meridiem ſpectat, veſtigia quædam refert, hypocauſtorum, cænaculorum, aliorumque id genus conclauium, haud negligenter ſubſtructorum. Reliquum molis, veſtibulum tantum fuiſſe iudicauimus, idemque, non vni cubiculo, ſed in vniuerſum, cunctis palatiis, eo modo circumfuſum, vt, cum primo anguſtum fuerit, vltra dilatarit ſe laxius, donec, in arctos iterum meatus, occidentem verſus, cogeretur. Iam, in fœdam abiit vaſtitatem, neque, niſi parietinas, & pertuſos fornices, oſtentat. Veſtigatores nimirum, theſaurorum, rati, neſcio quid? diuitiarum hic *Plutum* occuluiſſe, & quod perduraſſet aduerſus tempeſtatum iniurias, inſano labore, nocturnis plerumque & furtiuis operis, diſiecerunt.

hodie, vaſtum eſt rudus.

§. IV.

INfra arcem, per decliuia vicus eſt, *Neüſtifft* nomine. quem vna cum vrbe, deſcripſimus. Ad arcem is refertur, iure omnino priſco. Incolæ, ſi vsquam, heic egeni ſunt & pauperes. Præter vineas modicas, & parui fructus, habent nihil. Agri enim frumentarii, nulla in his cliuis, portio, pratum eſt nullum. Ea propter, neque pecuaria re, poſſunt proficere, neque agreſti. Lignandi cauſſa, ſiluarum non nihil, ab hero obtinuerunt. qua re, lucelli aliquid indipiſcuntur a ciuibus, ad quos ligna deuehunt. Olim, lignatores arcis fuerunt, dum ea floreret: vltra quas operas, nihil pendebant præterea. Hodie, cogendæ vindemiæ, & torcularibus adhibentur. Eſt enim arci, haud poſtrema vinearum poſſeſſio: agri autem & prata, remotiora paullo, circa *nigra*, vt vocant, *aquæ*, lacunas. Ad arcis iura pertinent *caſtella: Királyfalva*, & *Német-Gurább;* oppida: *Grinava*, & *Csötörtök;* vici integri: *Alsó-Szely*, *Csattaj*, *Duna-Ujfalu*, *Horváth-Gurább*, *Sárffö;* Dimidii: *Filiſtál*, *Nyárasd*, *Vámosfalu*, *Miſſérdi*, *Szemeth*, *Torcs;* parte quarta: in *Eberhard*, *Fél*, *Kürth*, *Lak-Paka*, *Pruk*. de quibus poſtea plura. Ab vrbe, vini quotannis accipit, vrnas 400; quas olim *cenſus regii* nomine, hero iam, poſt dominationem *Pálffiis* traditam, *Regiæ Camera*, ciues tenentur pendere.

Neüſtifft:

reliqua arcis poſſeſſiones.

III. Arx Bozin.

SYNOPSIS.

Situs arcis: domini, & fata, cum S. Georgio, *eadem: hæc tamen, illa felicior: eius hodierni poſſeſſores, & inſtauratores.* §. I.

Mo-

Molis forma: puteus. §. II.
Extra arcem, ab oriente, quid? *ab occidente, hortus, & opportunitates alia.* §. III.
Arcis ditio. §. IV.

§. I.

Situs arcis: RX BOZIN, vrbi adſidet, a ſeptentrione, loco portæ proximo, & paſſibus aliquot diremto, non edito quidem, ſed neque depreſſo. Parem, cum arce *S. Georgii*, longa retro ætate, & dominorum habuit, & fortunæ varietatem. Vtrique enim ſimul imperabant, non modo *Comites de S. Georgio & Bozin*; ſed etiam, *Iohannes Kruſſithius*, *Stephanus Illyésházy*, cum *Catharina Pálffy*, & huius poſtea ſucceſſores. Certe euaſtata illa, hæc manere intemerata, haud potuit. quod priſcis non minus, quam recentioribus bellis, euenit. Non eſt, vt ea, quæ illic, de *Ottocari* impreſſione dicta ſunt, repetamus iterum. Eo, *Bozinenſis* hæc exſtitit felicior, quod excitabatur e ruinis ſæpius. Fecere id gentilitii, de *S. Georgio & Bozin*, comites: atque poſt hos, coniuges, *Stephanus Illyésházius*, & *Catharina Pálffya*. Sed, vti erant tempora, dura, & perpetuis conuerſionibus obnoxia, rurſus ita eam adtriuit, cum motuum ciuilium, tum belli Turcici pernicies, vt nouas denuo ruinas minitaretur. Itaque, *Nicolaus*, & *Iohannes*, *Comites Pálffy*, poſſeſſores, id dedere operam, vti veteres ſubſtructiones, nouo ſolidioreque opere, inſtaurarentur. Eoque iam ædificium perductum eſt, vt ſi tectorium opus, pro ea, quam meruit dignitate, acceſſerit, nihil ad arcem habitatu opportunam, poſſis deſiderare.

domini, & fata, cum S. Georgio, eadem:

hac tamen, illa felicior:

eius hodierni poſſeſſores, & inſtauratores.

§. II.

Molis forma: TOta eius moles, laxis conclauibus, feneſtris amplis, altis poſtibus, parietibus eleuatis, & in conuexas apſides adſurgentibus, duplici contignationis ordine, ſurrigitur. Faſtigia, imbrices integunt. reliqua exſpectant cultum. Portam vtrinque habitationes obſident, a famulitio inſeſſæ. Circum, fornices, conditoria, & qua nondum exædificatum eſt prætorium, laxa ſunt granaria: ſubtus, cellæ vinariæ, & torcularia. A ſiniſtris puteus eſt, aquæ ſalubris, & perennis. Vix tota vrbe repereris, ſeu meliorem, ſeu abundantiorem. Quinquies mille vrnis exhauſtis, non modo non defecere aquæ, ſed viſæ ſunt etiam adfluere, venis exundantioribus. Arcem totam, piſcina circumuenit, vaſto aggere coercita, & piſcium locuples. Pari ambitu, exterior quoque incingitur. In hac, præter exiles ædiculas, quæ portæ vrbis, & vltra, obiacent, nihil dignum memoratu, occurrit.

puteus.

§. III

§. III.

EA parte, qua arx, in orientem proſpicit, granarium habet, cenopolium item, quod *Stephanus Illyésházy*, & *Catharina Pálffya*, temporibus RVDOLPHI, excitauerant; ſed collapſum poſtea, *Pálffii*, anno MDCCXIII. reſtaurarunt, adpoſitis nuper, caupona, macello, & id genus ædificiis, pro arcis commodo. Inde, orientem verſus, tota illa terræ portio, quæ penes mœnia vrbis eſt, villis ruſticis partim, partim fructuariis, inſidetur. Ab occidente hortus, amplus & hic, multaque amœnitate varius, adſedit. In hoc, fructiferæ arbores, areolarum interordinia, & lætum gramen, piſcinæ item complures. quarum vna, teſtudinum eſt viuarium, muro & valido aggere coercita. Trutis quoque piſcinam, nuper, in obiecta valle, poſuerunt, qua nil poteſt dici amœnius. Magna, ſcilicet, montium pars, ad arcis refertur dominationem. In his, luci, & nemoroſa ſunt ſpatia, riuis deſcripta trutas alentibus, pulcherrimo ſane ſpectaculo. A monte, eiusdem arcis, ſiluæ procurrunt. quarum altera, vsque ad viam *Modrenſem* porrigitur; altera vero, vineis *Schwantzbachienſibus*, atque *Szentzienſi* ſiluæ, interiacet, magna, faginæ arboris, frequentia & proceritate, intermiſtis paſſim quercetis.

Extra arcem, ab oriente, quid?

ab occidente, hortus, & opportunitates alia.

§. IV.

SVnt in arcis *Bazinienſis* ditione: *Czajla*, *Gocznód*, *Kis-Senquitz*, *Limpach*, *Nagy-Senquitz*, *Schwantzbach*, & *Tóth-Gurád*, de quibus infra. Ipſa vrbs *Bazinienſis*, etſi libera regiaque eſt, annuum tamen cenſum, CCL. vrnarum vini, olim arcis hero, iam *Regiæ Cameræ*, pendere conſueuit: eodem illo iure, quod ad *Sz. Györgyinum*, nunc meminimus; niſi de eo, quod ſperant ciues, remiſerit Rex benigniſſimus.

Arcis ditio.

IV. Arx Vöröskö.

SYNOPSIS.

Nomen arcis, eiusdemque ſitus. §. I.

Origo, & conditores: iniuria bello accepta: poſſeſſorum ſeries. §. II.

Belli, quas pertulit, calamitates: obſidio Rákóczianorum irrita. §. III.

Forma arcis exterior: moles triplex: frigidarius hydraulus: fuit arx FERDINANDO III. *in deliciis: eius amœnitas ſingularis.* §. IV.

Loca ditionis Vöröskóienſis? §. V.

§. I.

Nomen arcis

VRÖSKÖ, Hungaricum nomen eſt. Germani *Bibersburg* vocant, incertum, a poſſeſſorene eius nominis, an ab animali amphibio, Caſtore. Slauis contra, Hungarorum imitatione, *Cerweny-kamen* dicitur .. quod, vtriusque nationis lingua, *petram rubram*, ſignificat: dubio procul, a colore ſaxi, arcem ſuſtinentis. Inſtructa enim eſt, colle edito, petroſo, & neſcio, quam rubiginis ſimilitudinem referente. Iugum eſt *Carpathi*, quem ab arce *Piſonienſi*, recta, inter orientem, & ſeptentrionem, procurrere, eademque ſerie, primo *S. Georgium*, deinde *Bozinum*, tum *Modram* deſpicere, oſtendimus. Diſcedit *Piſonio*, vltra quartum lapidem, altius tamen, & retractiore inter ſiluas, poſitione, quam arces reliquæ. Nam, vti ea, quæ caſtrum habent inædificatum, depreſſiori paullum cliuo ſunt; ita, ex vtraque parte, a ſeptentrione non minus, quam ab occaſu, altius iuga quædam adſurgunt; dorſo montis, inter eadem, quæ adtolluntur, celſitate, cum ſitu arcis æquali Sed, quæ editiora ſunt, non ita prope imminent, vt nocere moli poſſint. Separata nimirum conſedit, inter proximos cliuos, & arcem ipſam, paſſuum, circiter mille, interiacente diſcrimine. Vtroque latere, deiectus habet, a fronte autem, prorſus abrupti eſt poſitus. Quocirca, patentiſſimo gaudet proſpectu, in orientem hinc, illinc in meridiem, habetque in obtutu, vaſtam illam regionem, quæ ſecundo *Vago*, vsque ad *Danubium*, atque hinc, per *Cituorum* inſulas, diffunditur.

eiusdemque ſitus.

§. II.

Origo, & conditores:

COndidit eam, CONSTANTIA, Belæ III. filia, cum erepto e viuis, *(a.)* marito PREMISLAO, rege Bohemiæ, in patriam redux, oram hanc incoluiſſet. Vix tamen annos aliquot perſtitit, dum BELAE IV. temporibus, labefactaretur. Primum enim *Tartarorum* graſſationes, deinde excurſiones *Bohemorum*, perniciabiles arci fuerunt. Nam, ſicuti *Piſonium*, *S. Georginum*; & *Tyrnauiam*; ita, *Vörös-kôum* quoque, captum ab *Otocaro*, euaſtatumque fuiſſe, memoriæ proditum eſt. *(b.)* Non minus & ab *Vaivoda*, *Opuro*, qui LADISLAI *Cuni* temporibus, prouinciam hanc Piſonienſem, igni ferroque vaſtabat,

iniuria, bello accepta:

arx

a.) De hoc matrimonio, vide, *Epitomen Rerum Bohemicarum* BOHVSLAI BALBINI, Lib. III. Cap. XIII. p. 249. Exceſſit autem e viuis MCCXXX. decimo octauo Calendas Ianuarias: cui CONSTANTIA, annos ſuperuixit decem: quippe, anno MCCXL. fato functa. Idem ibid. Cap. XIV. p. 262. & 264. Proinde, eo decennio, quod inter vtriusque coniugis mortem, interceſſit, excitari oportuit arcem.

b.) Vid. *Anonymi Leobienſis* Chronicon, Lib. I. ad A. MCCLXXI.



PALFFYA gens veluti caput extulit inter honores,
Sic arx Carpathico surgit auita iugo.

BIBLIOTECA NAPOLI

Pannonicis Szomolana dūs habitacula præbet,
Heic vbi frondet ouans ERDÖDIANA *domus.*

BIBLIOTECA NAPOLI

arx noſtra vexata fuit. Sed nec *Matthæus Trentſchinenſis*, Vagi dominus, an tyrannus, intemeratam reliquit. Melius ſe poſtea res arcis habuerunt. A Comitibus de *S. Georgio & Bozin*, poſſeſſam nouimus, non exſtructam, quod volunt aliqui. Dubium tamen non eſt, quin cultior facta ſit, a familia, tam nobili, & lauta. MATTHIAE *Coruini* temporibus, vnam hanc gentem, late per Hungariam fuiſſe dominatam, monumenta rerum *(c.)* teſtantur. Alii enim in *Magyar-Óvár*, & *Tata*, rerum potiebantur, qui ſub Coruino; alii in *Köpcsén*, *Dévén*, *Eberhard*, *Szered*, *S. Georgio*, *Bozino*, & *Boroſtyánkó*, qui ſub FERDINANDO I.; alii denique in *Vöröskó*, qui ſub LVDOVICO II. emortui ſunt, poſſeſſionesque, oppido ampliſſimas, *Coronæ* reliquerunt. Tunc vero, LVDOVICVS, arcem *Vöröskó*, MARIAE coniugi dedit, vt voluptarium haberet ſeceſſum. Cuius cauſſa, multæ ei lites, cum IOHANNE *de Zápolya*, Tranſiluaniæ *Wajuoda*, interceſſere, arcem, vti ſuam faceret, omni ope connitente. Sed, manſit tamen, iudicum arbitratu, penes MARIAM. Occupauit eam poſtea *Ladislaus Moræus*, homo potens, ſed ob multa maleficia, a FERDINANDO, & IOHANNE, regibus, pulſus *(d.)* proſcriptusque, antequam eandem *Alexio Thurzoni*, vt ISTVÁNFFYVS *(e.)* aſſerit, vendidiſſet. Ab hoc iterum in *Fuggerios*, FERDINANDO I. regnante, *emptionis titulo*, delata eſt. Et quamuis, in eo erat *Caſpar Békeſſius*, *(f.)* vt, haud renuente MAXIMILIANO II. arx ei, ab iſtis venderetur; tamen, quod *Fuggeriorum* natam, *Mariam Magdalenam*, *Nicolaus Pálffy*, in matrimonio habebat, is parte vxoris, quæ non exigua in arce fuit ſibi vindicata, reliquum, ære a *Fuggeriis* redemit: dum, anno MDCCXXXIV. inſigni CAROLI VI. Cæſaris & Regis optimi, indulgentia, ob præclara gentis merita, prorſus inter hæredia *Pálffyorum*, referretur.

poſſeſſorum ſeries.

c.) Habemus id, cum aliunde; tum ex *Curia Iarndorffenſis*, quæ eſt in *Comitatu Moſonienſi*, priuatis monumentis. Legas enim iſthic, in litteris, quibus venditam eam *tariam*, ratam habuit, anno MCCCCXXXIII. *Ich Wilhelm, der Herr, geſeſſen zu Altenburg.* Et Anno MCCCCXLI. *faſſionem* ſuper eadem curia *fecit*, IVTHA, *DEi gratia, Hæres Opaulenſis, vidua Egregii* Paulli Wolffart, *dicti* de Vörösko, *alias* de Ouár. Vtrosque autem, gentem fuiſſe eandem, ex ſigillis condiſci poteſt, & innumeris diplomatibus aliis.

d.) Vide, actus hominis, apud ISTVANFFYVM, Lib. XII. poſt initia, & Lib. XV. p. 257.

e.) Ibidem, venditum *Thurzoni*, a *Moræo*, arcem legas: *Arcem*, inquit, *quam Hungari* Vöröskönem, *Germani* Bibersburgum *vocant, inter vrbes, Poſonium, & Tyrnauiam, opportuno loco, & æquali fere interuallo, ſitam*, ALEXIO THVRZONI *vendiderat, in quam receptus ei nequaquam dabatur.* Itaque, fuiſſe, latrocinantis hominis perfugium, colligas. Aliter diplomata. MARIAM nempe, *Ludouici II.* viduam, *Alexio Thurzoni*, theſauri præfecto, viro, ſibi in primis gratioſo, arcem donauiſſe aiunt. Vt ideo ſuſpicari fas ſit; *Moræum*, in ea rerum perturbatione, vti erat ad latrocinandum factus, vi aſtuue, occupauiſſe *Vöröskönem*, cum iam in poteſtate *Alexii*, fuerat; quam, a feroce, violentoque homine, ne vexationi locus relinqueretur, numerato ære, *Thurzo*, quaſi iure poſtliminii, redemerit.

f.) Vid. WOLFFG. BETHLENIVS, Lib. V. p. 300. & VI. f. 325.

§. III.

Belli, quas pertulit, calamitates:

MVltum, bellis ciuilibus accepit detrimenti. Nam, non *Bocskaio* tantum; ſed etiam *Bethlenio*, tumultuantibus, cum vim ſuſtinere non valeret, aperire portas, & facere imperata, non ſine calamitate, cogebatur. Recuperatam iterum, laute inſtaurauit *Comes Nicolaus IV. Pálffy*, adſtructa, qua nunc ſuperbit, palatii fabrica. Neque pauca addiderunt, *Nicolaus*, & *Iohannes*, filii; poſtquam, nouis iterum tumultibus adflictam, receperunt. *Rákóziana* enim ſeditione, etſi crebras adgredientium incurſiones, repreſſit; tamen, anno MDCCV. Octobri menſe, parum abfuit, quin hoſtibus concederet. *Caſpar Thúróczius* fuit, proiectæ homo audaciæ, quem, cum *Ladislao Ocskaio*, *Paullo*, & *Andrea Szalaio*, ac parte exercitus, cæde *Ricsánii*, multo iam elatiore, ad obſidendam arcem, *Rákóczius* ſubmiſerat. Is ergo, per continentes ſiluas, occultis itineribus, ſummo ſilentio, copias ad arcem admouet, delectoque loco, ad duo paſſuum millia, caſtra, in occidentem, inter ſiluas, collocat, &, ne quis a latere impetus fieri poſſet, cæſis arboribus, rubis adhæc, ſentibusque interiectis, caſtra, ad eum modum incingit, vt perpetua hac vaſtaque ſepe, circumirentur. Tunc, partem arcis poſteriorem, quæ, ab vtroque montis latere aditum habet, vaſto aggere præcludit, collocatisque, per ſuggeſtus, machinis, (nam circumuallare arcem, loci natura, prohibebat) tormenta primum igniuoma, in arcem diſplodit; atque, vbi tecta incendiſſet, perfracta porta extima, ad alteram, tertiamque, factis adſultibus, penetrat. Non deerant præſidiarii, quin pari virtute, audaciæ *Hungarorum*, contrairent. Nam, non incendia tantum, celeriter reſtinguebant, contabulabantque, quod deuſtum fuerat; ſed diurnis etiam, nocturnisque eruptionibus, aut aggeri vim inferebant, aut hoſtes, occupatos in opere, adoriebantur; quin mœnibus etiam adpropinquare auſos, cum clade, ſemel, iterum, ac tertio, reüciebant. Quo viſo *Hungari*, arcem, depreſſiori parte adoriri, cuniculisque, ex ea valle, quam riuulus proluit, ſubruere conſtituunt. Sed, vix opus inceperant, cum intempeſta nocte, aduertere id obſeſſi. Itaque, nihil cunctati, ex eodem arcis latere, alii globos, pyrio fartos puluere, in foſſores eminus iacere, picem alii, reliquasque res, quibus ignis concipi poterat alique, in hoſtem depluere. Igneam procellam dixiſſes, ita, flammis fœuiebatur, in cunicularios. Quare, cum multi necarentur, plures autem ambuſti, editis ciulatibus, ordines deſererent, ab opere, imprudenter ſuſcepto, egregie mulctati, diſceſſere. Dum ergo, maiorem, in dies, iacturam faceret hoſtis; neque a virtute quidquam remitterent præſidiarii; conuaſatis, clam, belli inſtrumentis, nocte concubia, per eosdem, qua veneranț, calles, abiere inglorii. Erat per ſiluas receptus; ſed hoc minus inſiſtebant præſidiarii, quo magis, inſtructæ, per ſaltus, inſidiæ, metuebantur.

obſidio Rakóczianorum irrita.

§. IV.

§. IV.

ARcis formam, luculentius paullo deſcribamus. Tres in ea obſeruauimus areas, maioribus hic, minoribus alibi munitionibus, incinctas. Earum prima eſt, quæ aditum aperit, oblongo ſpatio, & accliui, horto a dextris, a ſiniſtris villa, ſtabulis, muro ſolido eductis, intermiſſa; dum ad alteram portam, aſcendatur. Inde, pari accliuitate, ſed reflexa magis, a dextra, in ſiniſtram, altera ſuccedit atea, minor priori, at munitior, altioribusque, & ſolidioribus ædificiis, inſtructa. Vltra, prætorium eſt, alto iugo, & ex omni parte directo, vti diximus, inſidens. Id murus circumdat, paſſuum aliquot traſſitudine, angulis quatuor, totidemque propugnaculis, operis omnino vaſti, commiſſus. His, per interualla, tormenta impoſita ſunt, & amœna ſolaria. Duo in primis, vnum ab oriente, a ſeptentrione alterum, quod humiliori muro coniuncta ſunt, continuum & ſubdiale, per ſuperiora muri, ambulacrum exhibent. Reliquæ partes, vti altius adſurgunt, ita palatiis, & eonclauibus, diſtinguuntur. Earum vna, quæ in meridiem ſpectat, cum dimidia occidentali, poſſeſſionis eſt, hæredum *Nicolai Pálffii*, Comitis nuper *Palatini*. Triclinium hic primo occurrit, vaſtum illud, & ob picturas, quas oſtentat, nobile. Inde, a dextris, ſacrarium, a ſiniſtris procœtia ſunt, apodyteria, cubicula, non minori picturarum, quam adſpectus, in ſubiectas planities, hilaritate amœnitateque. Non eodem gaudent nitore extus, quæ dominatu *Iohannis Pálffii* tenentur; ſed intus ſplendore & magnificentia, certe anteeunt. Nam, vti a triclinio, quod oſtendimus, vno tantum veſtibulo, & gradibus, occidentali latere dirimuntur; ita continua, hypocauſtorum & cubiculorum, ſerie, conopiis, & tapetibus ſericeis, varie eleganterque illuſis, ornata, ad angulum vſque ſeptentrionalem, procurrunt. Infra, non minus in pulchras apſides conuexa ſunt, hiberna, æſtiuaque conclauia. Dignum in primis memoratu eſt, hydraulum illud frigidarium, toto laqueari, minutis lapillis, colore diſtinctis, incruſtatum, ſolo ſtrato glarea, crebrisque hiſcente foraminibus, ad fallendos hoſpites. Non raro, qui arcem primum intrauerunt, quaſi luſtrali quodam latice, iſthic, per iocum, adſperguntur, tam occultis paſſim fiſtulis, vt, cum ſalientem a dextris laticem, velint declinare, a ſiniſtris rurſus incidant in aliam; atque iterum, hac a fronte madefiant, dum illam effugere conantur a tergo. Puteus, machinæ ſubſtructus eſt, tam vbere ſcatebra, vt momento temporis, per latentes ductus, in diuerſas cellæ regiones, prolici, & vehementi impulſu, elidi poſſit. Id luſus genus, nemo, qui arcem primum conſcendit, niſi agreſtis ſit, euitarit. Quidquid præterea occurrit, de eximia loci natura, & opere magnifico, teſtatur. Certum eſt, FERDINANDVM III. cum, *Piſonienſibus* comitiis, iucunditati interdum ſe dare vellet, nusquam lubentius, quam in arcem hanc, diuertiſſe. Et, re vera, locus, nuſpiam amœnior alius: quippe qui,

Forma arcis exterior.

moles triplex.

frigidarius hydraulus.

fuit arx Ferdinando III. in deliciis.

eius amoenitas singularis.

a fronte, camporum oſtendit æquor, pulchra vrbium, arcium, vicorum, caſtellorumque, diſtinctum varietate. A tergo, ſiluæ ſunt, & inter has, atque arcem, interiectæ, per dorſum montis, apricæ paſſim caluities. Triplex, ab arce, via procurrit. Vna, ſiniſtrorſum, in conuallem, riuo *Gidra*, trutarum diuite, irriguam; altera, recta, trans montem contendit. quæ, vti a porta incipit; ita modico, ante eam, interſtitio, ferme nuda, poſt arborum, æqua vtrinque ſerie, ſingulariter, per aperta ſpatia eminentium, quaſi vallata, Xyſti præbet ſpeciem, læto ambulacro conſpicuam. Heic, non raro tripudiare ſolet plebs arcis: in primis, dum ignis ponitur, die *D. Iohanni Baptiſtæ* ſacro. Tunc enim, choreas, circa tres diſtinctos rogos, ducere conſueuit, vt toti, qua patet, oræ, & lucis fiat, & prauæ conſuetudinis indicium. *(g.)* Ex eadem arcis, parte tertia, via, decliui faſtigio, in longitudinem, paſſuum circiter bis mille, ad oppidum *Cseſzte*, deſcendit. de quo infra.

§. V.

Loca ditionis Vörös-kőienſis.

Spectant ad dominationem *Vöröskő*, *Caſtellum Szuha*; oppida: *Szuha*, *Alſó-Diós*, *Cseſzte*, *Ompithál*; vici tredecim, *Bogdanócz*, *Klucsovan*, *Zwoncsin*, *Borova*, *Dubowa*, *Helmes*, *Hoſzúfalu*, *Iſtvánfalu*, *Kápolna*, *Koſſolná*, *Pudmericz*, *Selpicz*, atque *Viſtuk*.

V. Arx Szomolán.

SYNOPSIS.

Nomen, & ſitus arcis: ſubſtructionum ratio: aquarum inopia: præſidio exitialis. §. I.

Poſſeſſio arcis: opportunitates eximiæ: ditio. §. II.

§. I.

Nomen:

Omen arcis, ex Slauorum *Smolenicze*, detortum eſt, quod picis officinam ſignificat. Ac, vero ſimile omnino, ab eodem id genere operarum, enatum eſſe. *Germani*, imitatione Slauorum, *Smolenitz* vocant: *Hungari*, ſuo ore, *Szomolán*. Alioquin, arx eſt, & natura loci, & opere, non plane inermis. Diſtat, a *Vöröskő*, milliaria duo, ea parte, qua eiusdem montis latus, in prouinciam *Nitrienſem*, transmittitur. Loco inſedit alto, proſpectus amoeni,

& ſitus arcis.

g.) Quamprimum enim agreſtes, in ſubiecta, late patente ora, ignem hunc S. *Iohannis*, conſpiciunt, illico, eius exemplo, ſuos, vici ſinguli, rogos, quaſi ex compoſito, ſuccendunt.

ni, retruſi tamen paullulum intrà iuga, & ſaltus montium. Hic monte prominet, a ceteris reſciſſo, directo tamen, & metæ inſtar, ſummo vertice, ædificium ſuſtentante. Id, & munimentum præbet moli, & pulcherrimum obtutum. Non minus enim, quam *Bibersburgum*, a meridie, & ortu, deſpicit in planitiem. Reliqua, colles ſunt editi, viniferi tamen, & amœna ſiluarum, arcem circumſtantium, faſtigia. Ipſa ſubſtructio adſurgit, ordine conclauium magnifici cultus, ſuperiore in primis contignatione. Extus, ſplendidum ei conciliat adſpectum, opus tectorium, & candida incruſtatio, poteſtque a longinquo, nitor eius adſpici. Neque deſunt valida propugnacula. Aditum habet vnicum, cliuo petroſo, & vltra, quam vt cuniculis ſubrui poſſit, firmo. In eandem ſoliditatem, depreſſus arcis puteus, latice haud quidem deſtituitur, ſed parciori *(a.)* tamen adfluit, quam, qui diutius multitudini ſufficiat. Id, obſeſſis, plerumque exitio fuit. Motibus certe nuperis, præſidium arcis, nonniſi aquæ victum inopia, manus dedit. Præerat ei *Caſtellius*, Haslingerianæ legionis centurio, octoginta ſtipatus militibus. qui, vti magno erat animo, ita crebros impetus, inſultantium ſubinde Hungarorum, cum ad *Nádas (b.)* haberent caſtra, ſumma virtute ſuſtinuit. Sed, obſidione poſt cinctus, non alia re, animo fractus eſt magis, quam aquarum penuria. Harum enim, tanta inualuerat inopia, vt ternos vix ſextarios, equi ſinguli, in ſingulos habere dies, potuerint; hominibus promiſcue cunctis, vinum, quo exundabant cellæ, bibentibus. Eodem liquore, quod maior eius copia erat, quam aquæ, & in farre ſubigendo, coquendoque pane, vtebantur obſeſſi. His demum anguſtiis circumuenti, cum, nec opis ſpes adeſſet, & obſeſſores, auxilio omni ſpoliarent præſidiarios, compluresque iam, diuturnioris mali impatientia, ad hoſtem ſe eiicerent, dictis inuicem ſententiis, conſtituerunt; vt, ſi incolumes eos, armatosque, hoſtis dimitteret, arcem ei dederent. Itaque, X. Iulii, anno MDCCV. miſſis caduceatoribus, deditionem paciſcentes, armati, & neceſſaria inſtructi ſupellectile, inter caſtrenſes concentus, arce degreſſi ſunt: comitibus acceptis, qui *Piſonium* deducerent abeuntes. Sed biennio poſt, *(c.)* recepere arcem *Germani*, numquam poſtea dedendam.

ſubſtructionum ratio.

aquarum inopia.

præſidio exitialis.

§. II.

a.) Iam, ad eam altitudinem, *Comitis Georgii Erdödii*, prouidentia, depreſſus eſt; vt & perennibus, & diuitibus aquarum venis, exundet, ſufficiatque, hominum, iuxta & iumentorum, adaquationi. quæ res, quantum valeat, cum ad commendationem arcis, tum ad tolerandas, ſi quæ ingruerint, obſidiones, nemo non videt.

b.) *Nádas*, diſtat quadrante milliaris. Hic *Bercſényius*, caſtras A. MDCCIV. menſe *Maio*, locauerat.

c.) Anno namque MDCCVII. d. VII. Iul. *Hungari* arcem reſtituerunt.

§. II.

Poſſeſſor arcis:

QVidquid arci, bello detrimenti adlatum eſt, pacatis rebus, poſſeſſores redintegrauerunt. Tenet eam hodie, *Comes (d.) Georgius Erdödy*, ærarii Regii, quod *Piſonii* eſt, Præfectus, atque Coronæ *Duumuir*. Vir inquam, ſiue elegantiam moris ſpectes, ſiue in agendis, pro rege, & patria, rebus, aſſiduitatem, vix vlli ſecundus. Is, quoties a negotiis requieſcere, laxareque curis animum, conſtituit, huc, ex ea, in qua verſatur, hominum celebritate, tamquam ad portum quendam, conſueuit ſecedere. Iam, & *Comes Ladislaus Adamus Erdödy*, *Epiſcopus Nitrienſis*, *idemque Aulæ Cancellarius Hungaricus*, *& Regi a Conſiliis intimis*, pluribus retro annis, poſt exantlatos labores, in hoc ſeceſſu, requieſcit, ducitque vitam, ſecuram ab aulæ ſtrepitu, atque intentam rebus, ſupra fortunæ aleam poſitis. Neque heic deeſt, relaxandi animi, opportunitas, ſiue loci poſitionem ſpectes, ſiue commoditates reliquas. De his non nemo:

opportunitatis eximiæ:

Arx, vbi ſublimes aperit celſiſſima portas,
Vidimus expanſo colle virere nemus.
Vidimus & fœcunda ſuis pomaria donis,
Septaque qua docta flexerat arte manus.
Heic ager innocuos paſcebat fertilis agnos;
Illic prabebant ſubdola tecta feras.
Lata Pales herbas pecori, lac Theſtilis agnis;
Agricolis Aegon, pocula plena dabat.
Flauentes a ſole Ceres, ſtringebat ariſtas,
Bacchus & eximio munere diues erat.
Non melius potuit ſpatium cultiſſimus heros,
Quærere, ſi curas forte leuare velit.
Si velit in viridi veſtigia ponere prato;
Eſt via, qua faciles ducat ab arce pedes.
Si velit audacis rabiem frenare caballi;
Heic quadrupes curſu liberiore ruit.
Si velit infeſtis leporem mactare moloſſis;
Heic quoque qua campos tranſeat, Argus habet.
Si velit aligera voces audire caterua;
Heic vaga dulciſſimo gutture vernat auis.

Verbo, ſeceſſus eſt, ſummorum virorum habitatione digniſſimus. Subiacet arci, oppidum eius nominis, nec non, *Felſö-Diós*, *Deithe*, *Felſö-Dombó*, *Iaſzlócz*, *Igram*, *Katlócz*, *Loſſoncz*, *Nabács*, *Pagyerócz*; quæ in eius ſunt ditione.

ditio.

SE-

d.) Olim *Vngnadii*, eam tenebant, quibus iure emptionis, & donationis Regiæ, ſucceſſit *Thomas Erdödy*, ex eoque tempore, poſſidetur ab *Erdödiis*.

SECTIO III.

De

Caſtellis Proceſſus Superioris Extranei.

SYNOPSIS.

Caſtelli Cseklés, *conditor: ſitus: molis ratio: obtutus elegantes: opportunitates circum.* §. I.

Magyar-Bél, *quo ſit habitu? eius triclinium, & conclauia: iſtorum adparatus: ſacrarium: auctor molis, Cardinalis* Csáky. §. II.

Német-Guráb, *quas habeat opportunitates.* §. III.

Szuha, *& huius commoditates.* §. IV.

Vödröd, *habitus obſoleti.* §. V.

Cziffer, *Schlosbergiorum: qua ſit forma: eius heri.* §. VI.

Cziffer, *Kerekeſiorum.* §. VII.

§. I.

Caſtellum Cseklés.

Aſtellorum, quæ oram hanc inſi- *Caſtelli Cseklés, conditor:*
dent, primum ea parte eſt, qua planities, *Piſonio*, in orientem recedit, idemque facile inter pulcherrima habendum. Condidit illud, Comes *Ioſephus Eſzterházy*, nunc *Croatiæ Banus*, loco erecto, hilari, atque fertili. Vinearum erat tumulus, e patente planitie adſurgens, & qua in occaſum ſpectat, æqualiter decliuis, ad aquas nigras, & ſubiectam planitiem. Eius viſa opportunitate, *Comes*, cum magis caſtello, quam vitibus, iudicaret idoneam, eis excuſſis, anno MDCCXIV. ædificii iecit fundamenta. Atque primum cellas vinarias, depreſſit in imo ſolo, ſuperius cameras, fornices, & apodyteria, inde contignationes inſtruxit laqueatas, & ſuper his conclauia, magnifico ordine, ſpatiis amplis, laxis poſtibus, & feneſtris patentibus, ac partim obductis, vario genere conopeorum, partim incruſtatis, opere tectorio. In horum vno, bibliothecam ſtatuit, libris linguarum, & artium diuerſitate, præter gentis noſtræ morem, refertam, & cultu inſtructam Gallico. Vltra, armamentarium eſt, adparatus tam nobilis, vt luculenter demonſtret, in *Hungaros* etiam, Græcam, Romanamque translatam eſſe nobilitatem. Nec in habitu caſtelli deeſt, quod cum lautitie, elegantiſſimarum quarumuis gentium, poſſit contendere. Fronte, in occidentem proſpicit, pulchro-

ſitus:

molis ratio:

obtutus elegantes:

chroque obtutu, quod erecto loco eſt, in ſubiectas planities, hinc *Baſingam*, atque *S. Georgium*; a quibus vno milliari: illinc *Piſonium* vſque; a quo duobus diſtat, reniteſcit. Inde, orientem verſus, duas ædificii, quaſi alas, exporrigit, pari, vt in fronte, cultu, non minus in ſeptentrionem, quam meridiem, conſpicuo. Alarum vtramque, turres ſtipant, turbinatis, & obductis lamina, faſtigiis, ſupra tecta eminentibus. Inter eas, murus intercurrit, duas altus orgyias, & ita coniunctus, cum turribus, vt continuum formæ quadrangulæ caſtellum referat. Eadem hac molis regione, porta, & ſuper ea, parte vtraque, ſubdiale, in oppidum, ab oriente obiacens, proſpectat. In medio aream habet, ſolo ſtrato, & tertia ornato turri, paris formæ, ex ea parte, qua gradibus adſcenditur in palatium. Adhæret enim, & ea, ædificio, pulchreque ſupereminet, tecto bracteato. Totum opus, ambit foſſa, cocto inſtructa laterculo. Inde hortus, topiariaque opera, ambulatoriæ circum porticus, conuexæ vitium texturæ, & tiliarum, depacti ad regulam ordines, viſuntur. Vltra, oppidum eſt, iterumque amœniſſima, in ſeptentrionem nemora, prata item, atque agri frumentarii, & reducto in meridiem poſitu, colles vitiferi.

opportunitates circum.

§. II.

Caſtellum Magyar-Bél.

Magyar-Bél, *quo ſit habitu?*

Diſtat a priori in orientem, ad dimidium lapidem, loco plano & campeſtri; ſed poſitionis amœnæ, ſtructura æque magnifica, tametſi diuerſa forma. Illud enim, tria tantum latera, totidem turriculis adornata habet; hoc e contrario, turres quatuor, totidem refert angulis, ædificio circum circa, faſtoſis cubiculis, & triclinniis, principe dignis, circumſepto. Præcipuum in his, quod in fronte, inſtructum eſt, in meridiem. Nam, vt ab auſtro aditur: ita ſupra caſtelli portam, laxo quodam inſidente veſtibulo, marmore ſtrato, proximum adeſt a dextris triclinium, ſeu diæta, ampli ſpatii, laquearis ſplendidi, & ſupra, quam in aliiis cernas, conuexi. In turbineum quaſi adtollitur verticem. cui extra inſidet turris, ſingularis eadem, & ab reliquis quatuor, & mole diſcreta, & forma. Horologium hic conſtitutum eſt, familiæ moderandæ. Inde, a triclinio, vtraque parte, cubicula procurrunt, aliis alia ſuperbiora, & inſignibus, picturisque conſpicua. Ea præſertim, quæ in angulum orientalem abeunt, & hero, dum hic diuertebat, præbebant hoſpitia, Regum Reginarumque, heroum item, *Csákyorum*, *Eſzterházyorum*, *Kohárioruum*, ſcitiſſime pictas effigies, oſtendunt. Eo latere, quod ad ſeptentrionem vergit, ſacrarium poſitum eſt, rariſſimi operis. Nam, vti eſt altitudo ædificii; ita, ab imis adſurgit vſque ad tecti pedem, inſigni & artificioſa teſtudine, parietibus auguſtis, ſolo marmoreo, ara

ejus triclinium, & conclauia:

ipſorum adparatus:

ſacrarium:

por-

porphyretica, eademque vnica admodum imagine, reſipiſcentis *Pauli* Apoſtoli, inſignita, cum his verbis: SAVLE, SAVLE, CVR ME PERSEQVERIS! Icones reliquæ, pietatis mouendæ cauſſa, per parietes diſpoſitæ, multum habent venuſtatis. Totam hanc molem, quanta quanta eſt, eduxit EMERICVS CSÁKY, *S. R. E. Presbyter, Cardinalis, & Archiepiſcopus Colocienſis*. annis, vt plurimum, viceſimo *ſexto* & viceſimo *ſeptimo*, poſt milleſimum & ſeptingenteſimum, ſalutis recuperatæ. Quamobrem, ſæpius eo, dum *(a.)* viueret, velut in eremum, ſecedebat. Fuit antehac *Bosnyákyorum* hæredium, qui ideo, de *Magyarbél* dicebantur. Adiacet Caſtello, vicus eius nominis, poſſeſſionis nobilium. Sed de hoc poſtea plura.

auctor mo-lis, Cardinalis Csáky.

§. III.

Caſtellum Német-Guráb.

POſuit hoc, Comes *Iohannes Pálffy*, annis MDCCXV. & XVII. extrema ora vici cognominis, *Piſonio* milliaria quatuor diſtantis, in orientem hibernum. Formæ, & iſtud quadrangulæ eſt, latere occidentali, præſtantioribus inſtructo cubiculis: cum reliqua, rei tantum familiari inſeruiant; tametſi ſint illuſtri cultu. In medio habet puteum, aquæ ſalubris & copioſæ. Tanta hic columbarum copia eſt, vt ſata depaſcat, longo ambitu, ſitque colono damnoſa. Extra villæ ſunt, ruſticæ & fructuariæ. Inde, orientem verſus, rudus viſitur templi & viculi, qui olim nomine *Tárnok*, a Croatis habitatus, deſertus autem eſt, ſub dominatione Comitis *Stephani Illyésházy*.

Német-Guráb, *quas habeat opportunitates.*

§. IV.

Caſtellum Szuha.

POſſeſſio eſt *Comitis* eiusdem, *Tyrnauia* milliari vno, ſecreta in occidentem. Vetuſto adſurgit ædificio, quadrangulari forma, altitudine contignationum trium, conclauibus laxis; ſed quod raro inhabitantur, a cultu meliore deſtitutis. Poſſidebatur olim a *Comite Ferdinando Pálffy*, *Nicolai II.* ex *Iohanne II.* nepote, *Ieſuitarum* primo ſocio; deinde, Antiſtite *Agrienſi*. Reſtaurauit molem, *Iohannes IV. Pálffy*, anno MDCCXX. Adſpectu eſt hilari, ſolo, & frumenti feraci, & pabuli. A meridie, pomarium ei adiacet, fructus varii. Inde piſcina diffunditur, nuper admodum ſeminio referta. Vltra horrea inſederunt, & quibus præterea villicus indiget, opportunitates aliæ.

Szuha, *& huius commoditates.*

a.) Moritur, anno MDCCXXXIII. *Váradini*, in epiſcope ſua, vere ineunte, magno ſui deſiderio relicto: eo quod vir fuit, & Regis obſeruans, & amans patriæ.

§. V.

Caſtellum Vödröd.

Vödröd, habitus obſoleti.

TEnet oram, regionis, verſus caſtellum *Német-Gurább*, loco plano, ſed ædificio vetuſtate deformi. Nulla enim, neque a fronte, neque a lateribus ſuperant conclauia; ſi occidentalem partem excipias, quam habitabilem reddidit, cultus paullo crebrior, ſed rei tantum familiari deſtinatus. Quo circa, ampla horrea, villas laxas, inſtructas laterculo, & reliqua villatici vſus, adnexa habet in occidentem. Paret genti *Comitum Zichy*. qui tamen raro huc diuertunt, niſi forte inuiſendæ œconomiæ gratia.

§. VI.

Caſtellum Cziffer, Schlosbergianum.

Cziffer, Schlosbergiorum:

PRiſca poſitio eſt, in oppido eius nominis, qua *Tyrnauiam* itur. Et, vti plano inſiſtit, ita, alte ſatis eminet, contignationibus, in geminam regionem, adſurgentibus. Fabricam habet quadrangulam, quam, paris formæ murus circumcingit, rotundis quatuor turriculis, per totidem angulos foſſa incinctis, præmunitus. Specioſa hæc ſunt, externe contemplantibus; ſed nutant intus, vetuſtate operis. Imperant enim eidem, non *Schlosberg* ſolum; ſed etiam *Semſei*, & *Macripodári*. quorum dominatu diuerſo, non poterit non, diuerſam experiri viciſſitudinem. Extra muros, in orientem habet horrea, & areas fructuarias. Inde, ſolitudo *Balásháza* init, quam nuper, a *Palatino, donationis titulo*, impetrauit vidua *Schlosbergiana*, & *Franciſcus Semſej*.

quæ ſit formæ:

tius heri.

§. VII.

Caſtellum Cziffer, Kerekeſſiorum.

Cziffer Kerekeſſiorum.

ESt in vicinia prioris, via tantum inter vtrumque intermiſſa. Multo, priori recentius eſt; ideo ſolidiore quoque ædificio adſurgit. Vaſtum ſpatium, murus incingit quadrangulus, cuius tamen latus tantum ſeptentrionale, inſtructum habitaculis eſt, in alteram eductis contignationem: reliqua ſunt mœnium loco, ea in primis, quæ viæ adſiſtunt in meridiem. In Septentrionem pomarium habet, varia arborum ſerie, atque fructu. Inde occidentem verſus, caupona eſt, & res neceſſariæ agricolationi.

SE-

SECTIO IV.

De

Oppidis Priuilegia habentibus, Proceſſus Extranei Superioris.

SYNOPSIS.

Poſony Várallja. §. I.

Rétse, *Germanorum colonia: eius ſitus, & habitus adium: ades ſacra: oppidi poſſeſſores: vini huiatis laus.* §. II.

Situs Cseklési: *ager: incolæ.* §. III.

Semptzi *habitus: poſſeſſor, & huius commoditates: ciues: fora.* §. IV.

Nomen oppidi Grinaua, *& poſitus: incolæ, atque adium ratio.* §. V.

Cziffer, *celebre oppidum: ab ornatu nomen accepit: qua iam ſit facie: ſitus elegantia: quibus pareat dominis.* §. VI.

Szuha, *cur ſic dicatur: eius incolæ: ius nundinarum a* Ferdinando III. *indultum: oppidanorum occupatio.* §. VII.

Cseſzte, *amœnus poſitus: incolæ: nundinæ.* §. VIII.

Ompitáli *cultus: habitatores.* §. IX.

Alsó-Diós, *vbi ſedeat: eius priuilegia: oppidani: ab impoſtore, facete circumuenti.* §. X.

Felsö-Diós: *eius opportunitates.* §. XI.

Szomoláni *ſitus.* §. XII.

Spátzæ *poſitio: agri ratio.* §. XIII.

Dejte, *dirimitur* Blawa, *amne.* §. XIV.

Boleráz: *quibus rebus proficiat?* §. XV.

Vnc oppida ſuccedant, quæ priuilegiis donarunt, Reges optimi. Quindecim horum numerat, minutior hæc prouinciola. quæ iam adeamus.

§. I.

POSONY VÁRALLJA, ſeu arcis Poſonienſis ſuburbium. Diximus de eo, cum in arce deſcribenda occuparemur, quod erat viſum ſatis. Poſony Várallja.

§. II.

Rétse: Germanorum colonia: eius ſitus, & habitus: adium:

RÉTSE, vulgo *Ratſchdorff*, ſeu *Ratſchersdorff*, *Germanorum* colonia eſt, *Slauis* mixta, in radicibus montis, a Piſonienſi arce, hac ſe ſinuantis, poſita. nam, ab ea vrbe, vno tantum diſtat milliari, ſedetque propter iter, quod *S. Georgium* ducit. Singulari procurrit vico, ſed oblongo adeo, vt non deſint, qui cum platea, quæ Viennæ eſt protenſiſſima, eius longitudinem auſint comparare. Situ gaudet accliui & læto: quippe editiore paullulum, quam reliqua locorum, qui monti ſubſunt, poſitio. Lapideis quidem, ſed humilibus ædiculis colitur, atque crebris belli tumultibus ita adtritis, vt mirum ſit, exſtare poſſe oppidum. Nupera certe ſeditione, perpetuas *Rákócziánorum;* nunc commeationes; nunc velitationes cum Cæſarianis; nunc iterum excubias, magna ſui iactura, tolerare cogebatur. Dum hæc, curis poſterioribus *(a.)* recognoſcimus, igne fortuito, pars vici præcipua, exuritur, tanto oppidanorum damno, quod, in hac communi temporum difficultate, vix luſtro alterutro ſunt reparaturi. Aedes ſacra, in occidentem recedit. Vetuſti ea eſt operis, multisque virorum nobiliorum ſepulturis, inſignis. Inter alios, CELLARII etiam, nobiliſſimi olim *Piſonienſium* ſenatoris, epitaphium in eo obſeruauimus. Molam habet vnam, ad riuulum, qui ex cliuo montis, tenui alueo, deiectus, oblique vici plateam interluit, colligiturque in piſcinam, vt operis molaribus, aquam ſuffundat. Nupero *Rákócziánorum* tumultu, propugnaculi vice fuit, militi, vltro, citroque, commeanti, eſtque inſigni *Hungarorum* clade nobilitata: quando concluſas hic excubias, vi expugnarunt *Cæſariani*. Oppidum, priſco iure, in ditione *Déuénenſi* cenſetur, iamque, *Comitis Nicolai Pálffy*, Regni Hungariæ Palatini, hæredibus, obſtringitur. Nundinarum priuilegia, queis pro ſtatis anni temporibus, oppidum gaudebat, olim, ob bella, *Piſonium* translata, accepimus. Alioquin, incolas habet, bene moratos, & conſuetudinis terſæ, non ſine artium ſcientia. Sed, qui conuenæ ſunt, multum referunt agreſtis duritiei. Vino maxime dant operam, toto eo collium tractu, qui a tergo oppidi, ſoli orienti, & meridiano ſubeſt, vite obſito, fructus longe lateque per *Germaniam*, & *Sileſiam*, celebris. Viennæ profecto, exilis ille conuictus habetur, vbi *Rétsenſi* vino, haud adfluunt pocula. Certe, ſalubritatis opinio, qua inclaruit, tanta eſt, quam quæ maxima. Itaque, magno hic vineæ conſtant, emunturque, a peregrinis potiſſimum; vt vinum habeant genuinum, & alienum a corruptelis. His auerruncandis, ſigno vtuntur *Rácsdorffenſes* peculiari, quod dolüs inurunt. Neque deſunt agri, ſegeti vtiles, & prata fœniſeciis idonea; ſed parciora, quam pro oppidi modo. Lignorum, magna in montibus eſt copia. quibus aliqui, & metalla, neſcio, quo experimento, adtribuunt.

ades ſacra:

oppidi poſſeſſores:

vini bonitas laus.

§. III.

a.) Recognoſcimus autem A. MDCCXXXII. tertio Calendas Iunias.

§. III.

CSEKLÉS, *(b.)* Germanis *Lanſitz*, rectius *Landſitz*, penes caſtellum eius nominis. Loco inſidet edito, & qua is decliuior eſt in meridiem, ac Septentrionem, vitifero. Occidentali cliui parte, ramus *Danubii* ſubit, vel, ſi mauis, lacuna aquæ, ex *Danubio*, dum exundat, fluitantis. Hinc potum incolæ petunt, ob fontium penuriam. Vltra eum alueum, prata ſunt, & agri frumentarii, itemque paſcua. Sed horum pleraque, eluuiones crebræ vitiant. Qua erectior eſt regio, agrum habet, viti hic, alibi frumento amicum: in primis, qua in aquilonem vergit; vbi, & nemus eſt, cuius ad caſtellum nobis fuit mentio. Cum anno MDCLXIII. obſidione vrgerent *Vjuarinum* Turcæ, re maxime dubia trepidaque, caſtra hic, cum quantulocunque exercitu, *Montecuculus* metatus fuerat. Eorum nobis habitum WAGNERVS *(c.)* deſcripſit. *Montecuculus*, inquit, *motis Altenburgo caſtris, in alteram Danubii ripam, duxit caſtra, ad* Lanſitzum *pagum, duobus paſſuum millibus*, Poſonio *diſſitum, metatus. Latera, ad Danubii brachium definebant, frontem dumeta, arbuſta, & raptim exſtructa terrea munimenta, pratexebant.* Exſtant hodieque, aggerum veſtigia: vt fallantur, qui, neſcio quid vetuſti operis, hinc velint exſculptum. Incolæ ſunt *Hungari*, ædes habitantes depreſſas, & ad ruſticationis factas opportunitatem. Templum, tumulo inſidens, honeſtat oppidum. Prima heic, digreſſi *Piſonio* veredarii publici, ſtatio eſt. Paret, quod dictum ſupra eſt, *Comiti Ioſepho Eſzterházio*, nunc, Croatiæ Bano.

Situs Csekléſ:

ager:

habuit Caſarienorum caſtra.

incolæ.

§. IV.

SEMPTZ, Germanis *Wartberg*, Slauis *Sencz*. Oppidum eſt elegans, copioſum, & vno a priore diſiunctum milliari, in orientem æſtiuum. Inſidet loco edito, ſed accliui vtrinque. Qua ab oppido ſubducitur ager, diffundit ſe in planitiem. Antiquum eſt oppidum, & patria *Alberti Molnarii*, nobile. Procurrit vico vnico, latam transmittente plateam. Paucæ hic ædes occurrunt, neque, niſi nobilium, quæ ſint elegantius inſtructæ. Omnis earum commoditas, ad ruſticandum facta eſt. Eo fine, qua erectiori, in occidentem, ſolo eſt, templum oſtendit, cum turri & horologio, vetuſti quidem operis, ſed adſpectus, e longinquo, inſignis. Cliuo templi adiacet, in orientem, prætorium *Comitis Franciſci Eſzterházii*, loci domini, ſtructura non tam ſplendida, quam vtili; commoda tamen hoſpitio, dum

Semptzi *habitus:*

poſſeſſor, & huius commoditates:

b.) Sunt, qui nomen a *Csik-Les*, quod Hungaris *flutarum inſidias*, notat, deriuent. Aiunt nempe, caſas hic piſcatorias, olim fuiſſe poſitas, ad obſeruandum capiendumque flutas, familiare tunc, reſtagnanti fluuio, piſcis genus, quæ poſtea caſæ, in vicum, hic, in oppidum abierit. Iſtud tamen contrait opinioni, quod diplomata *Cheukles* adpellant.

c.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. II. p. 127.

dum adeſt herus. Vltra, villæ ſunt ruſticæ, & fructuariæ, ſolidi omnia operis. Vltimo, hortus amplus, & percultus. Diuerſorium, medium tenet oppidum. Inde, *regia triceſima*, & nonnullæ domus erectiores in meridiem, & extra has, ſacrarium, in via, ad *Királyfalvam*, elegantis fabricæ. Incolitur ab *Hungaris*, admixtis iam *Slauis* quoque, & *Germanis*; tametſi paucioribus. Præcipua ſunt oppido nundinarum priuilegia. Celebrant eas quotannis, diebus *Epiphaniæ*, *SS. Sophiæ*, *Margarethæ* & *Luciæ*. In primis fora boaria, magna pecudis frequentia, ſingulis diebus *Lunæ* aguntur. Circum, agri procurrunt, vini & frumenti fertiles, intermiſtis paſcuis ac pratis, haud vulgaribus, ſiluaque exigua, ea parte, qua ſe vineæ in aquilonem exporrigunt. Fabula eſt, quam laſciuientis ſplenis homines, *Semptzienſibus* adfingunt. Incolam, columbas olim, coram prætore, depaſti tritici poſtulauiſſe, acceptaque fures domum compellendi licentia, oblonga virga, columbarum agmen, ouium inſtar, ex agro, in villam compuliſſe; ſtupentibus oppidanis, quod nulla earum in alas ſe eleuarit.

cinus:

fora.

§. V.

Nomen oppidi & poſitus:

GRINAVA, a Germanorum *Grüne-Au (d.)*, quod viride lætumque aruum denotat, nomen accepit. Et reuera, loco inſidet viridi & amœno, ſub iisdem montibus, æquali fere, inter *Bazingam*, & *S. Georgium*, in cuius ditione eſt, interuallo. Itaque, vini, haud minore, & fertilitate pollet, & gloria. Inde, ſub montibus, agri ſunt frumentarii, paſcua item & prata. quibus incolæ, non magis operantur, quam vindemiæ. *Germani* hi ſunt, *Slauis* commixti. Domos, longo tractu poſuerunt, cultu ſimplici, ducti neceſſitate magis, quam elegantia. Viuunt inuicem pacifice, communibus freti iuribus & libertatibus. Templum, quod inſtructum oppido eſt, nomen fert S. SIGISMVNDI, eidem, a Comitum *Szent-Györgyenſium* quodam, dedicatum. Nundinas, quas nuper indepti ſunt oppidani, non parum fora impediunt *Bazingenſia:* quorſum, frequentes & ipſi, quemadmodum & *Piſonium*, commigrant, ligni diuendendi cauſſa. Vicum riuus interfluit, aqua ſalubri, & molis multum idonea. Duas earum impellit, *Veleczkianam* vnam, alteram *Göſzingerianam*, muro inſtructas & habitaculis. Inſignior multo illa eſt, quæ ab aquilone, ad eundem riuum, qui oppidum interluit, adiacet. *Grünfeld* ei nomen: credo, ab amœna viridique planitie, quam inter *Grünauam*, *Limbachum*, & *Bazingam*, inſedit. Prætorium, gemina contignatione adſurgit, fronte *Bazingam* proſpectante. Pomarium, & coniunctum ei viuarium trutarum, in commoditatibus molæ cenſetur. Sed ager, quem habet, frumentarius, in *Cseklésienſi* eſt territorio.

incolæ, atque eorum ratio.

§. VI.

d.) Nominis etymon *Germanicum*, tum huius oppidi, tum aliorum locorum, quæ ſunt in ditione *S. Georgenſi*, & *Boſnenſi*, prorſus nobis perſuadet, colonias eſſe, a *Comitibus* harum dominationum, deductas. quas illi, vti *Germani* erant origine, eius gentis lingua, adpellauerunt.

§. VI.

CZIFFER, oppidum celebre olim. Nomen, ornatum *(e.)* denotat; a quo tamen, ita deſciuit, vt, præter ſitus lætitiam, & aliquas nundinarum reliquias, retineat nihil, quod cum nomine conueniat. Occupat vaſtam planitiem, penes *Gidram*, milliari vno diſiunctam *Tyrnauia*, in occidentem, & tantundem in orientem, a *Szemptz*. In vicos complures, diffunditur, domibus etiam liberis, inter ruſticanas, interiacentibus, quarum præcipua eſt *Franciſci Semſey*. In medio habet templum, *S. Michaeli Archangelo* nuncupatum. Paret pluribus dominis, cum, non tantum *Nicolaus Kollio*, Canonicus Strigonienſis, *Kerekeſii*, & *Schlosbergii*; ſed etiam *Semſeii*, & *Macripodarii*, nonnihil in poteſtate habeant. Eſt & familiæ *Kovácsóczianæ* ſua hic domus. A meridie, prædium *Balásháza* obiacet. quod *Schlosbergios* & *Semſeios*, donante Palatino, ditioni adieciſſe ſuæ, iam diximus. Incolitur ab *Hungaris*, *Slauis* miſtis. Terrenum ei campeſtre, agri fertiles, prata hilaria, paſcua fœcunda, ſiluæ amœnæ, aqua ex riuo ſalubris.

Cziffer, *celebre oppidum, ab ornatu nomen accepit: qua iam ſit facie: ſitus elegantia:*

quibus pareat dominis.

§. VII.

SZVHA oppidum, recedit a caſtello eius nominis, in orientem gemino ordine, vtrinque incinctum riuis. quorum vnus, ex piſcina, alter a *Koſſolna*, adlabitur; &, quod alteruter aquis ſubinde deficit, nomen oppido, quod *aridum* ſignificat, indidit: nam & a Germanis, *Dürrenbach* cognominatur. Ad caſtellum habet templum, *D. Martino* ſacrum, muroque incinctum. Altera caſtelli parte, ſacrarium eſt, *S. Annæ*, anno MDCCVIII. dedicatum. Lingua incolis Slauica. Nundinarum hi beneficium, a FERDINANDO III. indepti ſunt, anno MDCXXXIX. Comitis *Iohannis Pálffy ab Erdőd*, prouidentia procuratum. Viuunt oppidani, agri & vini cultu: nam vtriusque cura proficiunt: hinc ſegetibus & fœniſeciis, paſcuisque; illinc vineis, in meridiem, *Borovam* verſus protenſis. quas, forte a *Germanis* poſitas, *Kräfften* & *Spiegel*, vbi optima gignuntur vina, adpellant: tametſi, & copioſiores ſuppetant aliæ, ab aquilone. Silua itidem Germanici eſt nominis, *Buſchberg*, procerarum quercuum opacitate nobilis, & amœna. Totum autem eius terrenum, vicis *Zwoncſin*, *Roſſindel*, *Borova*, *Longauilla*, *Koſſolna*, *Selpicz*, atque *Tyrnauia*, circumcingitur.

Szuha, *cur ſic dicatur:*

eius incolae

ius nundinarum, a Ferdinando III. *indultum:*

oppidanorum occupatio.

§. VIII.

CSESZTE, ſubiacet arci *Vöröskő*, in orientem, per decliuitatem radicum montis, loco erecto, & partim ob vineas, quæ impendent, partim ob ſiluas, quæ ſubſunt, amœniſſimo. Domorum ſtructura, loco conueniens, terſis hinc & illinc ædificiis, cementitia operis ſtructura, porrigitur. Præter alias, præcellit ea, quæ

Cseſzte *amœnus poſitus:*

e.) Cziffra, nimirum, *Hungaris* id eſt, quod ad *luxum vsque ornatum eſt* atque *elegans.*

quæ eſt gentis *Kellio*. In medio oppidi, templum inſedit, *S. Emerico* dedicatum, multisque dotatum beneficiis. Huic turris adhæret, faſtigiis rotundis, & varie, in verticem vsque turbinatis, venuſta.

incolæ: Incolæ *Slaui* ſunt, mixti cum *Germanis*, iidemque, non tantum vinicolæ, ſed & opifices, lanii, piſtores, pannifices, ſartores, & ſi quibus, in oppido eſt opus.

nundinæ. Habet iura nundinarum, *Dominica oculi*; *SS. Petri, & Pauli*, die; feſtiuitate item *S. Matthæi:* & *hebdomadales*, diebus ſingulis *Dominicis*. Lignorum, magnam copiam, non montes tantum ſuppeditant; ſed etiam ſilua, quam *Lintauam* vocant. Crebræ hic aquarum ſunt, per montis latus, ſcaturigines. Sigillum oppidi, in tricolle, *Crucem Hiſpanicam* refert, binis palmis concluſam.

§. IX.

Ompitáli cultus: OMPITÁL, priore nihilo vilius, medio inter hoc, & *Alsó-Diós*, itinere, in eiusdem montis radicibus. Domos certe habet cultas. In oppido templum, *S. Catharinæ*, & in aquilonem, ſacraria duo, vnum *S. Sebaſtiani & Rochi*, alterum, *S. Leonardi*. Medium oppidi, riuus irrigat, molis tribus inductus. quarum altera, in acceſſu, in exitu oppidi, altera, poſita eſt, magno loci commodo.

habitatores. Inferiori, piſcina cohæſit, ditionis, vti & oppidum, *Vöröskôienſis*. Incolitur a *Germanis*, & *Slauis*, vrbanis tamen promiſcue. *Germani*, præcipue humanitati ſtudent, & cultis moribus. Itaque, qui rem loci adminiſtrant, plurimum viri ſunt cultus elegantis. Nundinarum priuilegia, acceperunt a FERDINANDO II. Harum annuas celebrant, per Dominicas *Reminiſcere; Exaudi;* per dies ſextos *Auguſti;* & decimos quartos *Octobris; hebdomadales*, ſingulas per *Dominicas*. In ſigillo refert *Satyrum*, nudo corpore, brachiis extenſis, & vtraque manu, botros oſtentantem. Id, non inepte quadrat, cum oppidanorum occupatione: quippe qui, vitem in primis, tunc & frumentum, ſtudioſe educant. Plebis dicterio circumfertur; incolas oppidi, leporem, ſi inter caules deprehenderint, ad cippi pœnam ſolere arceſſere. quod inuſitati ſupplicii genus, & alibi *(f.)* recolemus.

§. X.

Alsó-Diós, vbi ſedeat: ALsó-Diós, Slauis *Oreſſany*, Germanis *Windiſch-Nuſsdorff*, quin & *Vnter-Nuſsdorff*, dicitur. Diſtat *Ompitálo*, dimidio fere milliari, in ſeptentrionem, eodem tractu, & ſitu æque amœno: hinc, ſupra oppidum, in accliui montis latere, poſitis vineis; illinc, hilari planitie, agris frumentariis, & rure paſcuo, ſe offundentibus. Domos, vaſte diſiungit cultus agreſtis, lapideo tamen opere, & rei familiari accommodo. Templum, *D. Virgini ad calos adſumtæ*, conditores dicauerunt. Oppidum riuulus interfluit, cuius ripas, de-

eius priuilegia: pactis vtrinque ſalicibus, ſtipauerunt incolæ, molis duabus frumentariis ſuperſtructis. Lingua obtinet *Slauica*. Prouidentia *Comitis Nicolai*

f.) In Hiſtoria *Comitatus Thorocziensis*, Parte Speciali, Membro I. Sect. II. num. II.

olai Pálffy, cuius poſteris & nunc paret, non modo priuilegia accepit nundinarum, diebus quibusuis, *primis Septembris; Nouembris triceſimis;* hoc eſt, feſtis diuorum, *Aegidii*, & *Andreæ*, celebrandarum; ſed etiam, vt ſingularum occaſione, hebdomadis quatuor, communo oppidi vinum venundare liceat. Fructu enim vitis abundant, tantæ præſtantiæ; vt *Tyrnauienſibus* quoque placuerit, vineas heic ponere, colereque magno ſumtu, neque exiguo oppidi prouentu. Ea montium parte, qua cum *Felsö-Diöſienſibus* ſunt contermini, habent fontes, quinque ſcatebris, tam vberibus; vt ſingularum effluuium, agendæ molari rotæ, ſufficiat. In meridiem, nemus oppido ſubiacet, pulchra quercuum denſitate ſilueſcens. Gaudebat olim incolis diuitibus. In his lanionem, *Georgio Gloknero* nomen erat, trecentos alios, facultatibus exſuperauiſſe, fama eſt. Sed eadem hæc fortuna, cum temporum lapſu, concidit. Alioquin, & nunc ei ſunt homines induſtrii, licet haud diuites. Ferunt, anno MDCCXXIV. vaſtantis territoria grandinis metu, perculſos oppidi incolas, in impoſtorem quempiam, *Loſſonczienſem; Bubliſtium* nominabant; incidiſſe, eumque, artificium, tempeſtatis auerruncandæ iactantem, lauta mercede, conduxiſſe, commendauiſſeque ei, vinearum ſuarum curam. Sed vero, ære, vinique hydriis quatuor, acceptis, nil quidquam nebulo, præſtitit aliud, quam, quod aquis, quibus pedum ſordes eluerat, reſpergi paſſim agrum iuſſerit; eo ſcilicet beneficio, immunem a calamitate præſtiturus. Deriſa poſtea incolarum facilitate, in ſiluas receſſit, ibique, quam fraude pepererat mercedem, cum ſcorto prodegit. Neque id iniuria oppidanorum dictum volumus. Ipſi, rem in facetias verſam, narrant peregrinis. Inſignia eorum ſunt; paſtinator, cum bidente, e humero ſuſpenſo, ſub viridi arbore.

oppidani:

ab impoſtore, facete circumuenti.

§. XI.

FELSÖ-DIÓS, vicinum priori, a quo, paſſibus vix quatuor mille diſſidet, æquali ſitu, ſub iisdem montibus, verſus *Szomolán*. Germanis eſt *Ober-Nuſſdorff*, Slauis *Horné-Oreſſany*. Incolæ *Slaui* ſunt. Agri magnitudine non ſuperbit; ſed lætatur fœniſeciis, pecori ſalubribus; nec non feraciſſimis vinetis. Vinum hæc gignunt nobiliſſimum, & ſalubre adeo, vt, *Rhenanis*, optimo ſuo iure, anteferri poſſe, videatur. Aetatem certe, pulchre tolerauerit, ſi adſeruetur cum cura. quem vnum obicem, in exploranda eius virtute, damnaueris. Inter priuilegia, nundinæ ei ſunt, pari cum reliquis, vſu, & numero. Habet quæſticuli quidpiam, ex lignis, quæ ad *Tyrnauienſes* deuehunt oppidani. Eſt in ditione *Szomolanenſi*.

Felsö-Diós:

eius opportunitates.

§. XII.

SZOMOLÁN, arci eius nominis ſubiacet, amplo ſpatio, domibus laxis, muratis, & cultu plane vrbano. Gaudet, vti oppida reliqua, nundinarum beneficio. Incolæ, lingua vtuntur *Slauica*,

Szomoláni *ſitus.*

curantque, vitem non minus, quam frumentum. Tenuiores, in arce, operas locare conſueuerunt.

§. XIII.

Spáczæ poſitio.

SPÁCZA, Slauis, *Spaczinczæ*, natale ſolum nobilium *Spátzay*. Oppidum eſt, *Tyrnauiæ*, vnius milliaris, ad ſeptentrionem interuallo, obuerſum. Sunt heic & nobilibus aliis, domicilia. In templo, aræ viſuntur, prodigio memorabiles. Ferunt *Nicolaum IV. Pálffy*, cum vitæ periculum, in profluente *Vago*, adiiſſet, lymphato ſimilem, vidiſſe B. V. MARIAE icona, concepiſſeque ei votum, ſi vitam ſibi ſeruarit. Exemtum periculo, iamque *Vöröskönem* reducem, hic imaginem, viſæ illi ſimillimam, offendiſſe, protinusque maiorem vnam, & duas minores aras, ſuo ei ſumtu poſuiſſe. Lembunculus, quo enatauit e diſcrimine, hodieque, in porta *Vöröskőienſi*, anathematis inſtar, alte ſuſpenſus, cernitur; paucis, quid hoc rei ſit, gnaris. Oppido, ad occidentem, ſilua nobilium eſt: reliqua, ager occupat, frumenti ferax, & leguminum. Horti contra, & prata, frequentibus diluuiis ſunt infeſta.

agri ratio.

§. XIV.

Dejte:

DEITE, tuetur quomodocunque oppidi prærogatiuam, eſtque vineis, agro frumentario, & vbere lignatione præditum. Figuli, qui heic numeroſiores colunt, progeniei ſunt *anabaptiſticæ*, fictilia, e candida humo, artificio eleganti, varioque, educentes. Iacet ad eum modum, vt ab amne *Blawa*, qui intercurrit, bipartito diuidatur. Pars oppidi citerior, *Piſonienſi*; vlterior, *Nitrienſi* prouinciæ, accenſa eſt. Eadem hæc ditionis varietas, geminam eccleſiam in oppido inſtruxit. quarum, quæ noſtra hac ora ſedet, *S. Catharinæ* nuncupata eſt; vaſti omnino & elegantis operis. Fons in oppido ſcatet, ſulphuroſus, & ad potandum, eximie idoneus. Itaque, non ab incolis modo, auide bibitur; ſed exportatur etiam aliorſum, magna ſalubritatis opinione. Pertinet oppidum, ad dominationem *Jókőienſem*.

dirimitur Blawa *amne.*

§. XV.

Boleráz:

BOLERÁZ vetus oppidum, cuius origines, ad BELAM II. forte, quia id priuilegiis donauit, referendæ ſunt. Certe, in ſigillo, quo vtebatur antea, epigraphen legiſſes: BELA REX: ex quo vulgus *Boleráz* fecit, voce iniquius detorta. Paret nunc *S. Claræ Monialibus*, quæ *Tyrnauiæ* degunt. Apud has, priſcum illud ſigillum, BELAE regis nomine inſignitum, adſeruari, relatum accepimus. A Septentrione, vineas habet, commodi fructus. Vltra, mons draconis eſt, vulgo *Sárkány*, agris & vinetis, qua latera demittit, inſeſſus. Huic, architectorum conſilio, *Leopoldopolis* inædificanda fuerat, quæ iam, loco, apud *Vagum*, paluſtri, hæret.

quibus rebus profciat.

SE-

SECTIO V.

De

Vicis Proceſſus Superioris Extranei.

ICORVM, ingens, toto *Proceſſu*, & numerus eſt, & præſtantia. quos iam luſtrare iuuat. Vici Proceſſus Superioris Extranei, nobiliores:

1.) *Magyar-Bél*, non tam copioſus, quam ſitus amœni: adiacet enim caſtello, quod ſupra vidimus. Paruit, præter quosdam nobiles, *Cardinali* EMERICO, *e Comitibus Csáky*, qui annis ſuperioribus, ædem ſacram, quod obeſſet proſpectui, loco dimotam, modico quidem, ſed eleganti opere, altera vici regione, curauit excitandam. Incolunt vicum *Hungari*, linguæ puræ, paucis *Slauis*, *Germanis* paucioribus, admiſtis, iisque nonniſi, quos caſtelli diuturniores operæ, huc acciuerant. Agro gaudet fœcundo, tritici feraci, & pabuli: neque vire caret, fructus, haud contemnendi. Prope vineas, ſiluula eſt, ſed, quæ lignationi vix ſufficiat. Fuit olim *Bosnyákyorum* gentis, quæ ideo, de *Magyar-Bél*, dicebatur.

2.) *Puſzta-Födémes*, diſtat a priori, milliaria duo in orientem, loco patenti, erectiori tamen paullulum, ea parte, qua domus poſitæ ſunt. Duabus hæ plateis diſtinguuntur. Templum, extra vicum eſt, in ſeptentrionem. Domuum autem præcipuas, viri, cum gentis antiquitate, tum geſtis magiſtratibus inſignes, *Dobsa* nempe, & *Caſpar Farkaſs*, poſſident. Hinc & illuſtris familia, *Fodor* prodiit. Eadem loci regione, qua ad orientem, ſeptentrionem, & occaſum vergit, agro eſt fertili, erecto magis, neque eluuionibus tantopere obnoxio, quam, qui eſt in meridiem. Hic enim, vti demiſſa eſt, & depreſſa regio; ita vliginoſa & paluſtris, vt, non homines admittat, non iumenta: quin, fallente in ceſpite veſtigio, veluti voraginibus, quod obuenerit, hauriat. Vulgo, infeſtum adeo locum, *Csádék* adpellant. Id tamen, præſtat accolis, quod alnos alat, idoneas lignationi. Reliqua agri, paſcua ſunt, & fœcunda planities, pabulo, qua ad *Danubium* vergit, copioſisque fœniſeciis commoda.

3.) *Réthe*, haud procul inde abeſt, in planitie, prope vicum *Boldogfalua*, in orientem, campo pariter aquatico, & paluſtri; tametſi & heic, ſicciore, qua domus ſunt. Procurrit vicus, ab oriente in occidentem, tractu oblongo, pluribus interordiniis. Incolæ *Hungari* ſunt, homines non inurbani: quippe, & gente nobiles, & moribus. A panis, quo veſcuntur, præſtantia, & hoſpitalitate in primis, commendantur; tametſi, paſcuis magis, quam ſegetibus, adfluant.

Fouent armenta, copia inſigni. qui iis præcipuus ruſticationis fructus eſt. Siluis tamen deficiunt, ideoque, ſtipula, & arundine, lignorum ſubleuant inopiam.

4.) *Körtvélyes*, vicus, maximam partem deſolatus, in ripa *Gidræ*, prope *Tótfalu*, & *Vödröd*. Sunt hic, *Comiti Iohanni Pálffy*, nonnulli inquilini. quorum ædiculas, rudera contingunt, ædium, familiæ *Pázmániana*. Inde iterum domus, ædificii vetuſti, cui idem *Iohannes Pálffy*, Zythopœiam, molamque, inſtrui nuper curauit; tametſi, deficientibus ſiluis, ligna, aliunde neceſſum ſit aduehi. Rus ceteroquin, paſcuis, fœniſeciis, agrisque frumentariis, idoneum eſt. Alit familias nobiles, complures. Atque hos quidem vicos, primo loco, nominaſſe decuit; quod, a *Nobilium Familiis*, incoluntur. Reliqui, hoc ordine ſuccedunt:

Vici ruſtici.

5.) *Prácsa*, vicus *Slauicus*, terreno *Piſonienſi*, in cuius ditione eſt, ab oriente contiguus. Sedet, loco plano, vliginoſo, & ſilueſtri, vt non prius, quam proxime accedentibus, adpareat; ſola turri, quæ templo adhæret, albeſcente e longinquo. Germanis *Weinern*, *Winári* Slauis, vtrisque, a vini prouentu, dicitur. diplomata *Szőlős* vocant. Domorum poſitione, non ſuperbit; ſed, procurrit tamen, copioſis ædiculis. Neque multa eidem ſeges, ob ruris vliginem. plura ſunt prata, paſcua, & ſiluæ. Montes habet, in aquilonem, ad paſſus circiter bis mille, ſubductos: in his, vineas, per collium decliuia. quarum partem maximam, ipſi excolunt *Piſonienſes*. Optime heic vitis fouetur, ſolo, e gleba, & topho, conſtante, totoque die, hinc ab oriente, a meridiano illinc, nec non, occiduo ſole, concalefacto. Mediæ virtutis aiunt, inter *S. Georgii* fructum, &, quem laudauimus, in territorio *Rétſenſi*. Nobis, illi ſecundum, par huic videtur, ac fere nobilius. Mágni certe fit a *Piſonienſibus*, quibus hic, ſi annus fauit, lætus vindemiationis modus ſuppetit. Aedicula eſt, inter vineas, loco demiſſo, læto tamen. Eam, magiſtratus inſtruxit, vt, præfectis vindemiæ, hoſpitium præbeat. In his, ſenatorem eſſe oportet, cum ſcribarum aliquo. Cauent bi præſentia ſua, ne fraus fiat, in tributis vineaticis. Inter colles, & vicum, villa eſt ruſtica. Hanc, anno MDCCXXVII. poſuerunt *Piſonienſes*, forma quadrangula, opere murato, manſionibus, opportunis, ſtabulis concameratis, & pro pecoris *Heluetici* conditione, laxis, commodisque. Caſeus profecto, qui hic cogitur, nihil cedit *Heluetico*. Ea parte, quæ occidenti obuerſa eſt, piſcinam habet, late diffuſam, cui in orientem, intermiſſa via, minor adſedit alia, ſeminio alendo deſtinata. Aqua vtrique perennis eſt, & piſcibus idonea. Id, in toto boc inſtituto deſideraueris, quod, cum pabuli ſit dives, agro frumentario deſtituatur, inſignis alioquin reditus futurum.

6.) *Ivány*, diſtat a priori, modico in meridiem milliari, loco plano, fertili, incolis *Slauis*, ditionis *S. Georgii*.

7.) *Német-Bél*, viculus eſt, vltra *Magyar-Bél*, dimidio lapide in orientem. Incolitur a *Slauis*, olim forte a *Germanis*. vnde ei nomen

men enatum credimus. Eſt *Monialium S. Clarę*, Piſonienſium. Dedere eum pignori, *Comiti Löwenburgio*; ea tamen lege, vt eo mortuo, ne repræſentato quidem quatuor millium *florenorum* ære, ad *Moniales* redeat. Agro eſt fœcundo, arctiore tamen, ob vicinias vicorum, preſſe ei adiacentium.

8.) *Bóldog-Fakva*, Slauis *Matka Bozi*, & latina adpellatione, *Villa Mariæ*. Inſidet vaſtam, ſed vliginoſam illam planitiem, quæ a *Sárſſó*, procurrit, media fere, inter *Királyfakvam*, & *Szemptz*, via. Campis lætatur egregii fructus, qui per plana diffunduntur. *Hungari* hos colunt, vitam degentes agreſtem. Templum eis eſt, antiqui operis, B. MARIAE *Virgini* dedicatum, vnde & vici nomen. *Szemptzienſis* in eo *parochus*, rem diuinam peragit. Eſt in ditione, Sacrarum virginum, *S. Clarę*, quæ *Piſonii* colunt.

9.) *Horváth-Guráb*; coloniam eſſe *Croatarum*, nomen loci, innuit. Diſtat a priori, in meridiem, reflexo, per ſiluam *Szemptzienſium*, verſus montes, itinere. Locum occupat ſolidum, vini & tritici feracem. neque deſunt ſiluæ, & aquæ, ad potandum ſalubres. Templum egregie dotatum eſt, habetque, haud contemnendum poſſeſſionum, in vico ipſo, modum. Paret Comiti *Nicolao VIII. Pálffy*, iure ditionis *S. Georgii*.

10.) *Tóth-Guráb*, nomine differt a priore, & colonia *Slauorum*. Medius fere, inter *Grinauam*, ad eiusdem nominis riuum, conſedit, cum mola operis murati, & contignationis geminæ. adtinet ad gentem *Kerekes*. Ipſe vicus, poſitione eſt depreſſiore paullulum, quam *Horváth-Guráb*, ideoque, viliore ſolo; vinearum tamen ſitu, & feracitate, haud iniqua. Templum, *S. Iohannis Baptiſtæ* nomine, inſignitum eſt. Cuius parocho, ius erat olim in molam, quemadmodum ex ſcriniis, Regii ærarii, vulgo, *Camerali Vrburario*, anni MDCXVIII. elicitur. Alioquin, iure hæreditario, pertineret ad ditionem *Bazinienſem*. Aura, non eſt vndiquaque ſalubri, ob lacunas, & cœnoſam planitiem. Id, nec agris vtile, nec itineri, quod moleſtum inde fit, ac paſſim, prorſus imperuium. In ſigillo eorum, *Vrbanus Papa*, botrum manu gerit pendulum: quod *Diuum* illum, vinitores, patronum habent.

11.) *Limpach*, excipitur ſinu cliuorum montis, a *Bazinga*, in occidentem, reflexi, loco quieto, & vini, quod gignit, prouentu, celebri. Neque caret agris frumentariis, montium autem fructum, debet *Bazingenſibus*; non modo, quod parte eorum vtatur, pro mercede; ſed etiam, quod quæſtum inſtituat, ligno in vrbem inuecto. Eiusdem arcis colonia eſt, *Germanis*, & *Slauis* permixta. Riuus, hac demiſſus, *Grinavam*, perennibus vndis, interluit.

12.) *Czajla*, a tergo arcis *Bazingenſis*, in ſeptentrionem porrigitur; latere altero occidenti, amœno vitis hoſpitio; altero, orienti obuerſus: qua planitie, & poſtea, ſilua arcis eiusdem, clauditur. Prætercurrit eum riuus, molis compluribus inſeſſus. In his vnica, pannifi-

nificum; altera *Zombergiana*, latronum olim ſtatio; *Koſſouicsiana* tertia; deinde *Spaczaiana*; & denique *Fabianicsiana*, arci proxima. Templum extra vicum eſt, in montium faucibus, qua itur ad *Pernek*, nuper, *Comitis Nicolai Pálffy*, liberali impenſa, reſtauratum: cui *Zomberg* nomen. Bis, in annos ſingulos, inſtitui huc peregrinatio religioſa, conſueuit, puta, diebus, *S. Ioſepho*, cuius nomen refert, & *D. Eleonoræ*, ſacris. Incolæ, agreſtes ſunt omnes, ac hi quidem *Slaui*, vineis & agris, dediti.

13.) *Schwantzbach*, recedit a priori in orientem, paſſibus fere bis mille, *Bazinga* diremtum. Ager ei, vtraque parte, copioſus eſt, & fertilis. Vineæ, ad aquilonem retrahuntur, vinum fundentes, guſtus grati, & generoſi: ſed prata in meridiem vergunt. Olim, a Germanis cultum fuiſſe, loci nomen indicio eſt; quos, *Croatæ* excepiſſe feruntur; at his, ſiue abductis aliorſum, ſiue degenerantibus, iam mera *Slauorum* colonia eſt. Templum, *SS. Philippo* & *Iacobo*, Apoſtolis ſacrum, nuper ære ſuo, *C. Nicolaus Pálffy*, loci tunc herus, inſtauratum voluit, *Parochia* ſimul adſtructa, datoque ſacerdote: nam ante, ad Eccleſiam *Bazingenſem* adtinuit. Incolæ induſtrii ſunt, neque egeni, hoſpitales præterea & vicinitatum amantes.

14.) *Csukárd*, Germanis *Czukersdorff*: vicus eſt *Venerabilis Capituli Piſonienſis*, medio inter *Bazingam* & *Modram*, itinere, loco edito, atque ob vicinum nemus, & vineas, quibus adſedit, amœno. Coloni, *Slaui* ſunt, agro frumentario, & pratis deſtituti. Faciunt quæſticuli quidpiam ex lignis, quæ, neſcio, quo pyrorum genere, ſtatis, in annos ſingulos, diebus, coguntur ab heris redimere; aut, ſi non fecerint officium, mulctam, centum aureorum, pendere. Ergo, ſollicitam adhibent curam incolæ, vt inſolitum tributi genus, tempeſtiue comparent. Certe, ſi annus non fauit fructui, pererrant viciniam, dantque operam, vt eius tantillum conquirant, quod ſufficiat.

15.) *Terling*, diſtat Modra, paſſus bis mille ad occidentem, in radicibus collium, quos habet, vitiferorum, eſtque viciniſſimus priori. Alit hic quoque incolas *Slauos*. Olim, ditioni accenſebatur *Bazienſi*, ſed pridem, a regibus, pignori datum fuiſſe aiunt. Paret nunc, partim *PP. Benedictinis*, partim *Caſparo Farkaſi*, cuius tributarias operas, vino redimit. quin & *Gabriel Zmeskal*, nuptiarum iure, quandam vici partem capit. Alluitur riuulo, tenui eo quidem, ſed, qui molæ verſandæ, ſufficiat. Prata, quæ verſus *Modram* ſunt, adgeſtis manu tumulis, ab vrbanorum fœniſeciis, dirimuntur.

16.) *Nagy-Senquicz*, *(a.)* eſt colonia *Croatica*. quam ante annum MDL. *Nicolaus Benicsius*, *(b.)* cum *Coſtaniczam*, Turcæ excurſionibus

a.) Ita ſcribere amant, more Hungarico; legunt autem *Schenquitz*.

b.) Hunc ideo liberum fecit *Caſpar Seredius*, *de S. Georgio* & *Bozin*, hoc eodem anno mortuus, poſſeſſionisque quidpiam ei contulit, quam adhuc retinent poſteri. Confer Synopſin Chronologicam, SAMVELIS TIMON. S. I. ad annum MDL. p. 123. vbi *Nicolaum Benicſium*, coloniæ ſtructorem, *Bodichium* vocat.

nibus vexarent, propter barbari furorem, magna hominum multitudine, iſthuc deduxit. Ferunt, LXXX. plauſtris huc translatos, locum, nomine *Csanok*, cuius nullum prorſus veſtigium ſupereſt, exſtirpatis circum nemoribus, recoluiſſe, atque exſtructis domibus, grandem hunc vicum, commutata adpellatione, poſuiſſe. quam ob rem, *Casparus Seredius*, loci dominus, immunitatem a cenſu, decumana vacatione, in præmium induſtriæ, nouæ huic coloniæ indulſerit. Horum gentem, referunt adhuc nonnulli, inter ipſos nobiliores: *Auguſtinics*, *Berdarics*, *Cſeſznakovics*, *Kolinovics (c.) Kralinouics*, *Magyerics*, *Zelenkouics*, alii: reliquis, ſiue emortuis, ſiue, ob mutua connubiorum fœdera commerciaque, in *Slauos* tranſeunribus. Nam, etſi adhuc eſt vſus eis linguæ, quam a maioribus acceperunt, *Croaticæ*; multa tamen redolent *Slauoniſmum*, vt non immerito, corruptionis linguæ *Slauica* poſtulentur. Eſt domiciliis inſtructum, more *Slauorum*, humilibus, rei tamen domeſticæ opportunis. Templum, *D. Annæ* dedicatum, anguſtius loco obtigit, quam pro vici copia; ſed compluribus tamen aris exornatum. Natio ipſa, auitæ religionis extra modum tenax, nulli alii, in vico, ſedem hactenus dedit. Sed nec quempiam ſui cœtus, tranſire ad alienos, neque miſceri matrimoniis permiſerunt hucuſque. Adminiſtris certe ſacrorum, *Croatis* tantum vtebantur; rati, niſi ex gente ſua ſacerdotes prenſarent, fore, vt tota intercidat colonia. nunc primum, a *Slauo Plebano*, erudiuntur. Atque idem, præcipuus rerum apud eosdem, arbiter eſſe conſueuit; reliqua, *Iudices* curant. quorum duo hodie, cum totidem vicariis, ſummæ rei præſunt; cum alioqui, ſinguli *iudices*, antiquitus creari, atque idem officium annum obtinere conſueſſet. Iis, duodecim *iurati* adſunt; æditui duo; totidem campi cuſtodes; ſiluarum vnus, vnus & vinearum *inſpector*, cum tribus excubatoribus. Eſt & iuuentuti, ſuus præfectus, quem *Sztareſſina*, hoc eſt, *Seniorem*, honoris cauſſa nominant. Huic, adoleſcentum, ne exorbitent, ſtudium, huic & in mores, cura. Adeſſe eis, dum conueniunt, & ſuffragari cogitur, quoties inter ſe ipſi, de quapiam re conſtituunt. Moris enim apud eos eſt, permittere iuuentuti concilia, regemque luſus gratia, in biduum delectare, ex ſuorum contubernio. Ei ludo, *Martyrum* innocentium dies, deſtinatus eſt: præfectus autem, mutatur in *Paſchate*; reliquis vici muneribus, ad *Calendas Ianuarias*, inſtaurari ſolitis. Sigillo, tres exprimunt cruces, Seruatoris vnam, eamque paullo eminentiorem, in medio, duas humiliores, vtrinque cum latronibus, vnum cum luna a ſiniſtris, a dextris alterum, cum ſole irradiante; adſtantibus infra, *Maria* matre Domini, *Maria Magdalena*, *Maria Cleophe*, *Maria Iacobi*, & *S. Iohanne Euangeliſta*; quæ circumdantur litteris: Oppidi Senqviz. Magnam, gens ipſa, induſtriæ laudem habet. Neque pau-

c.) Gabriel Kolinovics, vir eximie doctus; lautioreque fortuna dignissimus, hæc nos, & alia plura, liberalitèr condocuit. quod ei, lubentes non minus, quam grati, in acceptis referimus.

cos produxit viros, in publicum vtiles. Viget adhuc *Ferenczfiorum*, & *Senquiczіorum*, memoria; quorum ex illis, *Franciſcus*, FERDINANDO II. a ſecretis; ex his, *Matthias*, Strigonienſis Canonicus, *Orodienſis Præpoſitus, & Iudicum, ad Tabulam Regiam, adſeſſor.* Hinc etiam *Matthias* alter, ærario regio Piſonienſi, a conſiliis, & complures alii, prodierunt. Nunc, tametſi multi egeni ſint, reque domi anguſta; tamen, ducuntur adhuc, ingenita ſibi ambitione. Id, virtutis non minus; quam vitii, in eis indicium. Aiunt, ſua quadam culpa, *Senquitzenſes* meruiſſe, ne audeant palam *Viennam* ingredi. Proinde, ſi huc eos accedere contingat, *Kis-Senquitzenſium* nomen præferunt. quæ, iocone dicantur, an reuera? haud diſputamus. Ebrietas, nullam apud eos habet infamiam, quæ, intra cauponæ ſit parietes: quippe quam, curarum laxatione, ac, conſumendæ vindemiæ obtentu, eleganter excuſant. Itaque, intemperantius vino indulgent, quod ea re, ad laborem tolerandum, corroborari ſe arbitrantur. Student enim viniculturæ; cuius cauſſa, maxima eis cura eſt, quam latiſſime circum ſe, excuſſis ſiluis, vitem ponere. Habent vinearum, verſus minus *Senquitz*, quatuor poſitiones, vite obſitas generoſa. Vnam vocant *Sztará-Gora*, quod *collem antiquum*, ſignificat, tribus lineis diſtinctum, inter vicum & huius ſiluam; alteram *Kozara*, quæ vico accedit a meridie; tertiam *Zriniam*, *Zrinſzká-Gora*, in memoriam, *Nicolai Zrinii*, Senquitzienſium olim, in Croatia, domini, ex eadem auſtri parte, ſed paullo inferius; vltimam denique *Nouoſad*, vineam quaſi *nouellam*, quæ inter ſiluam *Szempczienſem*, & *Senquiczienſem*, interminſſa, in duas ſcinditur partes, pomariis fructus varii conſerta. Huic, arborum ſatiuarum; vini autem *Kozaræ*, deferunt palmam, *Senquiczenſes*; tametſi ex omni parte, toto, quatuor plagarum tractu, vinum gignatur ſalubre, generoſum, & ob guſtus gratiam, *Sileſiis* etiam cognitum. Nouimus multos *Tyrnauienſium*, *Piſonienſiumque* non plane nullos, vini aliquem modum heic redimere, propriosque habere fines. Quemadmodum autem, vino operantur *Senquiczenſes*; ita, neque agros frumentarios, permittunt vacare. Quidquid enim in occidentem procurrit, vetſus *Csukárd*, *Terling*, prædium *Nouæ Villæ*, & territorium *Modrenſe*, penes tiuum *Szifzak*; quidquid inde, reflexum in aquilonem, recta inter eundem hunc riuulum, & vicinam vallem, pertinet ad viam Tyrnauienſem & vltra eodem tractu; quidquid recurrit ad fines *Wiſtukienſium*; rurſumque, a via *Tyrnauienſi*, quidquid ad *Sárffó* vſque, vaſto ambitu, circuit, frumentis conferitur, labore haud exiguo. Præterea, ea quoque agri parte, quæ, a minori *Senquiczio*, continua eiusdem amniculi ripa, ad vineas vſque *Sárfdienſes* porrigitur, multum gignitur ſiliginis; ſed a cenſu & decimis, quod ſolo prouenit exſtirpato, liberum. Prata eis multa non ſunt, optimi tamen graminis, ob riuuli, quo irrigantur, humorem. Eadem & paſcua præbent, fœno ſublato; tametſi alibi quoque, circa riuos & ſiluas, ſit pabulum. Ex his ligna promunt; ſed vero,

vero, carent molendinis: ideoque, *Sárffóienſium, Czailenſiumque* ad molas deferre frumenta neceſſe habent, farinæ cauſſa. Ceteroquin, totum vici territorium, ambitu, duo milliaria Hungarica, complectitur, finitimis, ab Oriente *Bahon, Kápolna, Igram*, & *Sárffő*; a meridie *Sempcz, Bóldogfalua, Horváth*, & *Tóth-Guráb*, atque *Schwantzbach*; ab occidente vero *Bazinga, Czaila, Csukárd, Terling*; & denique a ſeptentrione, *Modra*, & *Viſtuk*.

17.) *Kis-Senquitz*, eiusdem generis agreſtes, quique, eodem cum prioribus tempore, *Croatia* depulſi, in oram hanc peruenerunt. Primum in vico *Tárnok* conſederant, deinde a *Stephano Illyésházy*, in *Kis-Züſzek* vicum translati, agros, atque ædificia, excoluerunt. Nomen loco, diſcriminis cauſſa, ob viciniam, *Kis-Senquitz* inditum. Germanis audit *Klein-Senquitz*, Slauis, *Malé-Senquitze*. quin & *Czerowé-Brdo*, hoc eſt, *quercinum licium*, dicitur, ob eius generis ſiluas, eodem hoc colle, quem inſedit vicus, exſtirpatas. Vicus eſt, multo editior, quam *maius Senquitz*, ceditque ei in orientem, longo domuum ordine, propter riuum poſito. Vltra ſunt horrea, & vineæ. Templo carent, ideoque, cum *Nagy-Senquitzenſibus* rem ſacram faciunt, parique ſunt, & religionis, & morum rigore. Non minus, eadem vtrumque, manet ſoli cælique felicitas. Aerem, montes ab aquilone obiecti, reddunt temperatum, aquam ſalubrem, fontes atque putei, perenne ſcatentes. Neque parcior eſt vini copia, quod colles proximi, nobile fundunt. Agri, frumenti tantum educant, quod ſatis eſt; lignis cæduis, paſſim ſuccreſcentibus.

18.) *Sárffő*, Germanis *Schárffi*, ex eadem *Croatarum* colonia. Frequens vicus, priori ab oriente oppoſitus, ſeiunctusque *Piſonio*, milliaribus quatuor. In eo eſt, curſoris, altera ab vrbe, ſtatio. Templum, *D. Alberto* ſacrum: ditio *S. Georgii*. In occidentem habet agros, tritici fertiles; molas duas, in riuo *Szüſzak* verſus *Senquitz*; tertiam intra vicum. Ex eadem regione, ſunt eis & vineæ, quas *Veres-Hegy*, hoc eſt, *montem rubrum* nominant, paſſuum circiter mille quingentorum interuallo, penes ſiluas *Senquitzenſes*. Ab hoc vico incipit, vaſta illa, & vliginoſa planities, quæ creberrimis lacunis, & paludibus, inter *Csattaj, Német-Guráb, Szempcz, Királyfalva, Réthe, Bóldogfalva*, & *Puſzta Födémes*, atque vltra procurrit. Si annus ſit benignior, vbere gramine luxuriat, ſed quod pluuium cælum, limo facile obruit. Inde nomen vico *Sárffő* inditum volunt aliqui, quod *lutulento* ſit *gramine*; ſed reuera, aliunde fuerit arceſſendum: nempe, quod ad *caput lacunæ* eius *(d.)* loco edito, conſedit. Deliberabatur annis ſuperioribus, annon *Szüſzak* amniculus, collino tractu, *Szemptzinum*, atque hinc, in *Danubium* deriuari poſſet? Et ſucceſſurum opus, aquilegum iudicio videbatur; niſi diuerſorum agrorum, qua fuerat du-

d.) *Hungaris* nimirum, *Sár* lutum; *Fő*, ſeu *Fej*, caput, vel id, quod eſt in vnaquaque re præcipuum, pro conſtructionis, & phraſium varietate, ſignificat.

cendus alueus, heri, de operis diſſediſſent. Dici nequit, quantum ea prouidentia regionis, in prata verti potuiſſet: vt *Semptzienſium* commoditates, quas, deductus iſthuc riuus adtuliſſet, taceamus.

19.) *Német-Guráb*, rus, priori vicinum, ea parte, qua depreſſiori, humiliorique eſt planitie: reliqua, ſunt paullulum erectiora; latere vici vno, in orientem & meridiem; altero, in occidentem & ſeptentrionem, obuerſo. Inde caſtellum, poſtea mola, ſuper riuulo, conſedit. Sacellum vici, *D. Annæ* ſacrum, *Parocho Csattajenſi* accenſum eſt, qui id, cum opus, ſacrorum cauſſa viſitat. Locus eſt campo fertili; ſed ob aquas, fœniſeciis inepto, neque propterea aere & vnda, ſalubri: ditionis *S. Georgii.* Coloni *Hungari* ſunt omnes, iique rerum ſatagentes.

20.) *Csattaj*, eodem, quo prior, tractu, ideoque, loco partim ſicco & frumenti fertili; partim limoſo, atque crebris lacunis impedito. Vineæ ſunt remotiores a vico, quam pro ruſticationis commoditate. In his, fons ſcatet aquæ ſalubris, magno incolarum commodo. Occulto is meatu, e montibus, millaria duo ſecretis, terram ſubire creditur; quod folia, montanis arboribus decidua, ſecum vehat. Vulgo, fontem Regis MATTHIAE vocant, qui iſthic, *Bohemicis*, quæ ſæpius faciebat, bellis, caſtra ſit metatus. Addunt narrationi prodigium: depactos e quercu, circa fontem, palos, tametſi aridi fuerint, egiſſe tamen radices, inualuiſſeque, inſigni, & proceritate, & robore. Ac ſunt omnino, qui has quercus viderunt, deiectas jam, ſiue ſenio, ſiue hominum iniuria. Ea parte vici, qua in meridiem ſpectat, eminet populus, inuſitatæ proceritatis, quam, ſucciſi a trunco rami, decoram reddunt. Superiore vici ora, domus eſt *C. Erdödi*; intus, *Samuelis Maitány* altera. Incolæ *Slaui*, *Germanis* ſunt permiſti. quibus nuper *Parochus* datus eſt, qui in æde *S. Margarethæ*, quæ iſthic viſitur, ſacris operatur. Pertinet ad ditionem *S. Georgii.*

21.) *Igrám*, eadem planitie vicus, ditionis *Szomoláni.* Incolæ *Slaui* ſunt, quorum ſacellum, nomine *S. Emerici* Ducis, anno MDCCXXV. exſtructum, *Kápolnenſium* Eccleſiæ adſcriptum eſt. Ager, & amœnus loco obtigit, & vini, atque frumenti fertilis. Vtraque eum parte, qua in meridiem ſpectat, vineolæ intercipiunt; dum in limoſa campi deſinant, vbi dein, paſcuis & pratis eſt locus.

22.) *Kápolna*, priori in occidentem ſuccedit, vico ſimplici. Colitur a *Slauis*, habetque ædem S. ELISABETHAE viduæ. Adſcribitur dominationi *Vöröskö*, cuius ſumtu templum reſtauratum eſt, *Parochusque* recens additus. Rure lætantur amœno, laxoque ſatis & fertili, tametſi lignorum indigo.

23.) *Báhon*, adſidet riuo *Viſtukienſi*, paſſuum circiter quatuor millium interuallo, a *Viſtuko* ſeiunctus. Occupat, porrectæ in orientem vallis decliuia, quam riuulus interluit. Superiorem pagi terminum, mola tenet, & ſemirutum ſacellum. Infra vero, eſt manſio *Iezerniczkiana*, cum villa, in edito tumulo. Ager, in orientem,

pro-

procurrit & occaſum, eſtque frumento amicus, & viti: atque eadem hac occidentali parte, leporum adeo diues, vt modico temporis interuallo, vertagus vnus, plures poſſit intercipere. Habitant vicum *Slaui*, quibus & templum eſt, nomine *S. Franciſci Seraphici*, & *Parochus*. Aëre, & aqua pollet, multo, quam vicini, ſalubriore.

24.) *Viſtuk*, æquali fere interſtitio, inter *Senquitz*, *Báhon*, *Pudmericz*, & *Királyfalvam* Modrenſem. Vicus frequens, idemque *Croatarum* colonia. Eccleſia, quæ ei ineſt, *SS. Trinitatis* nomen refert, ſuoque parocho potitur. Infra vicum eſt ſacellum, *S. Aegidii*, ſumtibus dominationis *Vöröskőienſis*, ad quam locus refertur, excitatum. In meridiem, vbere amniculo rigatur, tanto *apii* profectu, vt, quod his hortis prouenit, toti circum regioni poſſit ſufficere. Vltra ſunt vineæ, ſed fructu parco, neque eo generoſo. Altero vici latere, agri frumentarii, ad fines vsque *Pudmericzienſium* procurrunt. Prata, ingentis piſcinæ oſtendunt veſtigia. Ipſe vicus, per decliuia poſitus eſt, inter vallis, & vinearum latera. Incolis illudunt facetiores, quod mortuum mendicum, infami cippo, incluſerint.

25.) *Királyfalva*, Modrenſis poſſeſſio, ad diſcrimen alterius, quam eodem nomine tenet, *Comes Iohannes Pálffy*. Slauis *Králowa*, quaſi villa regia, dicitur; quod & Hungaricum ſignificat. Fama eſt, MARIAE, coniugi SIGISMVNDI, LVDOVICI I. filiæ, villam iſthic fuiſſe, indeque viculo nomen. Adſidet ſuæ vrbi, in orientem, loco edito, & a paſcuis, *Lintauiaque* ſiluæ vicinia, multum amœno. Agri, exiguus ei modus, plures vineæ, ſed in *Modrenſi* promontorio. Incolitur a *Slauis*, qui ſacris operaturi, *Modram* abeunt. Ager, ſolo eſt petroſo, atque, lapidis ſciſſilis diuite. cuius, magna hinc copia, auehitur, ædificiorum cauſſa.

26.) *Dubowá*, vicus *Slauicus*, radicibus montis, quem *Vöröskő* inſedit, longa ſerie, tam arcte ſubſitus, vt ex eo, arx ægre conſpiciatur. Templum, quod vico ineſt, *Decollationi S. Iohannis* conſecratum, ſubiectumque ſacerdotio *Viſtukienſi* eſt. Vineæ, ſupra vicum, ad aquilonem recedunt; in eurum autem auſtrumque, frumentarii agri, plana poſitione, diffunduntur: vbi & pecus paſcitur. Student incolæ, præter rem agrariam, carbonariæ, & exurendæ calci. homines ruſtice feſtiui: quippe qui, encœniorum tempore, hoſpitibus, luſus cauſſa, vinum tabacca mixtum, non dubitent propinare.

27.) *Pjla*, in valle poſitus, modica adiecta planitie, altis montibus vndique continetur. Ab oriente, arx *Vöröskő*, æqualem demittit cliuum, vsque ad vicum, vnde pari accliuitate collis ſurrigitur, aduerſus arcem, ad paſſus circiter CCC. Ipſe vicus, paucis admodum ædiculis compoſitus, in duas partes, riuo *Gidra*, trutarum diuite, & compluribus molis idoneo, diuiditur. In his, quod primam ferram inſtruit, findendis tabulis factam, vico nomen *Pjla*, ſubnatum, ferram *Slauis*, quales hic ſunt incolæ, ſignificans. Deinde, mola eſt, papyro tundendæ; vltra molendo frumento; atque iterum

rum ſerratoria alia, *C. Iohannis Pálffy;* tum mola panno ſubigendo, educta; hinc, pyrii officina pulueris; & denique, noua mola frumentaria. Præterea, villas etiam oſtendit *Pálffyorum; Nicolai* vnam, alteram *Iohannis*, cum ſubiecto fonte, aquæ ſulphureæ & ſalubris. Licet ſacello etiam gaudeat *S. Ioſephi;* tamen, ſacra in *Cseſzte* fieri, moris eſt.

28.) *Iſtvánſalva*, exiguus vicus in decurſu riui *Gidræ*, haud procul a *Pudmericz*, *Slauis* incolis, agro feraci, ditionis *Vöröskő*. Habet ædem, S. Stephano, regi Hungariæ, dedicatam: vnde, vocabulum vici manauit. Olim, copioſe colebatur, ædibus propemodum ducentis, iam, temporum difficultate, vltra modum decreuit.

29.) *Pudmericz*, diſtat a *Vöröskő*, cui ſubeſt, milliari vno, in meridiem, loco plano & hilari, inter ſiluam *Lintævam*, atque *Gidram* riuum. qui, quod neque deficit vnquam, neque gelu adſtringitur, molis ſex, ingenti herorum commodo, inſidetur. Inhabitant vicum *Slaui*, non agreſtes modo, ſed figuli etiam, ob præſtantiam operis, tota hac regione cogniti. Templum, vetuſtæ molis eſt, ruſticanis ædiculis interpoſitum. Inde villæ & caupona publica: poſt, piſcinæ tres locupletes. Neque deſunt agri, & vineæ, paſcua, ſiluæ, & prata, adſpectus læti, opimorumque redituum. Inſignia vici, *cruce Domini*, cum lancea, ſpongia & flagro, conſtant. Atque idem hic locus eſt, cuius agrum, celebris illa, exercitus Cæſarei victoria, quam anno MDCCV. Menſe Auguſto, de *Rákóczianis*, reportauerat, nobilitauit. Fama vulgauerat, hinc *Rákóczium*, ad *Schintam;* illinc *Bercsénium*, ad *Sellyam*, coacto exercitu, conſediſſe, iamque cum equitatu, *Leopoldopolim*, extra modum infeſtare. Ac fuit omnino, cur metueretur arci. Tametſi enim, & natura, & arte, multo erat validior, quam vt *Rákóczianorum* incurſiones illas reformidaret; tamen, ea commeatus laborare cœpit inopia, vt, niſi mature ſubmiſſum accepiſſet, foras cum hoſte, cum fame intus, bellandum fuiſſet præſidiariis. Proinde, ſubueniendum ei duces ſtatuerunt. Atque, eam quidem expeditionem, feliciter omnino, *Ludouicus Herbevillus* confecit. Traiecto nimirum Danubio, eduxit ex inſula, cum ingenti carrorum numero, exercitum, tacitis itineribus *Leopoldopolim* ſubiturus: cum *Rákóczius*, explorata Cæſarianorum hac deſtinatione, inter *Szeredum*, & *Leopoldopolim*, qua profecturos ſuſpicio erat, inſidias collocat, easque tormentis inſtruit. Huc delari Cæſariani, machinarum iactibus, mox & velitum incurſione, excipiuntur. Non deerat *Herbevillio*, ratio obſiſtendi; ſed, quod inſtitutum, præſidio ſuccurrendi, periclitari tardarique nolebat, mutatis itineribus, occultiori tramite, quantum ea planitie prouideri poterat, profectionem ſuſcepit. Dies erat, menſis eiusdem ſeptimus, quo ad caſtrum pertigit. Ergo, illato celeriter commeatu, incenſoque trans Vagum, *Galgóczio*, die menſis X. recta *Tyrnauiam* remigrauit. Inde, poſtero die, luce adhuc dubia, digreſſus, vaſta illa planitie, inſulam verſus,

ſus, modicum exercitum promouebat, cum, viſo e longinquo, ſtupendæ multitudinis hoſte, in edito quodam loco, qua via ducebat, conſiſtit, & quod, nec quintam hoſtium partem æquaret, iter, verſus montes, ſubito flectit. Lacuna, multo impedita cœno, ſaluti *Herbevillio* fuit. Cum enim ipſe, dextra eius parte, exercitum duceret, *Rákóczius*, cum omnibus copiis inſequutus, altero lacunæ margine, iter faciebat. Eam, vt Cæſariani transirent, *Rákócziani* exſpectabant; illi autem, ſi ab his, initium traiiciendi fieret, parati in armis erant. Toto fere die, vtriusque partis itor, eo diremtum interuallo ac ſollicitudine, promouebatur. Vbi neutri, transeundi initium facerent, iamque ad ſolis occaſum dies vergeret, *Ludouicus*, ſuis conſulturus, fiducia editioris loci, caſtra prope *Iſtvánfalvam*, collocare inſtituit. Hora erat, poſt meridiem quinta, dum id conſilii cœptum. Sed vix mandata ediderat, cum *Rákóczius*, inſtructa acie, decertandi poteſtatem, Cæſarianis faceret. Quo viſo, Comes *Iohannes Pálffy; vnum illud eſſe tempus, exclamat, quo eundum ſit in hoſtem, edendumque præclari facinoris quidpiam; multitudinem reformidari haud debere; caſtram animis, ſimul conſpexerit, noſtrorum paucitatem, pugnam adparare.* Fit extemplo, ducum conſenſio. Tunc *Pálffyus*, ad eum modum, ſuorum aciem inſtruit, vt, ſiniſtrum *Rákóczianorum* cornu, latere aperto adgredi, circumuentoque a tergo hoſte, prius, ordines eius perturbare poſſet, quam prælii quidquam, ederetur. Neque caruit ſucceſſu conſilium. Inter duas acies, tantum ſuperabat ſpatii, quod ſatis eſſet, ad concurſum vtriusque exercitus. Dato ſigno, cum Cæſariani, ſecundum molam, in hoſtem faciunt impetum; *Rákócziani*, incondito clamore, tormentisque diſploſis, primam impreſſionem excipiunt. Inſtabant noſtri, &, qua ſclopis, qua gladiis, ſtrenue rem gerebant. Itaque, non ſuſtinuerunt impreſſionem hoſtes. Cum enim, primi reſiſtentium ordines, ſubito conciderentur, atque ſuccedendum eſſet ſubinde aliis, timidius, quam pro periculi magnitudine, dimicare, mox referre gradum, tandem, in apertam fugam, per patentes campos, effundi. Inſequuti ſunt fugientes Cæſariani, cædebantque carptim diſperſos, dum nox intempeſta, pugnam interrupit, hoſti autem, fugiendi poteſtatem reliquit. Ita, trium dierum labore, & inedia, confectus exercitus, poſtquam nocte ea, paullulum requieuiſſet, poſtero die, in inſulam *Csallóköz* rediit. *Rákóczius*, ex colle *Helmëſienſi*, ſuorum fugam conſpicatus, victoria deſperata, *Sellintam* ſe recepit. Ex *Hungarorum* exercitu, qui, triginta millium fuiſſe perhibebatur, M. cecidere, tormenta VII. & reliqua belli inſtrumenta, impedimentaque omnia intercepta. Neque Cæſarianis incruenta victoria fuit, millia octo haud excedentibus. Ex vicis *Pálffi*, *Sárffő*, *Viſtuk*, & *Pudmericz*, flammis hauſti.

30.) *Helmes*, abeſt a *Pudmericz*, in orientem, ad tormenti iactum. Ex huius vici tumulo, quem ad meridiem habet, *Rákóczius*, prælii, cuius nunc meminimus, euentum ſpeculatus eſt. Vineæ vico

ſunt,

ſunt, qua tuber eſt, reliqua occupant agri, quos *Gidra* humectat, vico, a ſeptentrione ſublabens. In hoc molæ duæ, ante vicum vna, altera a latere in meridiem. Templum, *S. Magdalenæ* dedicatum, ſacra, cum *Pudmericzenſibus*, habet communia. Incolæ, lingua *Slaui* ſunt, ſed moribus duri agreſtesque.

31.) *Gocznód*, paullo ſupra *Cziffer* oppidum, paſſuum duum millium interuallo, in eiusdem *Gidræ* ripa; vico eſt exili, ditionis *Bazinienſis*. Templum *S. Procopii*, parochiæ *Báhonienſi*, accenſum. Agro circumſidetur fertili, neque fraudante ruſticum. Ex parte *Gidræ* ſeptentrionali, domum habet, familiæ *Schlosbergiorum*, cum adſtructo nuper molendino. In eius facie, ſub ſalicis vmbra, fons ſcatet, aquæ exundantis atque limpidæ, ideoque *Bazinio*, pedeſtri itinere, *Tyrnauiam* commeantibus, opportunus.

32.) *Puſzta-Páty*, Slauis *Pacza*, vicus priori nihilo maior, ad eundem riuulum, prope *Cziffer*, ita conſedit, vt latus alterum occidenti, orienti alterum, & meridiei obiiciat. Sedes eum, *Czingeliana vna*, altera *Andreanſzkiana*, nobilitant. Ea parte, qua ad *Cziffer* proſpicit, templum *S. Petro* dedicatum, in aperta planitie ſedet, parochiæ adſcriptum *Czifferenſi*. Agris abundat; ſed lignorum inopiam, ſtramine penſare cogitur.

33.) *Tóth-Ujfalu*, eadem parte amniculi, vicus *Slauicus*, quod & nomen ſignificat: Germanis *Neüdorff*. Paret *Caſparo Farkass*, cenſeturque, ſub parochia *Czifferenſi*. Agro itidem plano eſt, atque frumenti & pabuli fertili.

34.) *Vödród*, Slauis *Woderád*, eodem in deflexu *Gidræ*, colonia *Slauica*, ditionis *Comitum Zichy*, quorum caſtello inſignitur. Templum, quod vico ineſt, S. Andreae dedicauere conditores: vnde, & *Slauicum* vici nomen, vulgus arceſſit; quaſi *Andreas*, cum eſſet piſcator, *Woderád*, hoc eſt, *aquarum amans* fuerit. Idem, & loci ſigillo præfertur. Alioquin, vaſtus vico planusque ager eſt, vineæ, circiter bis mille paſſuum interuallo, in orientem æſtiuum, ſeiunctæ, fructu, vulgaribus menſis, non item quæſtui idoneo. Vltra vicum habet molam, prope ſiluam & villam, eiusdem dominii, ruſticam. Picarum & coruorum fœturam, præter morem, copioſam iſthic, obſeruauimus. Immenſis illi agminibus, regionem, hieme potiſſimum, peruolant, graſſanturque per viciniam, in frumenti aceruos, ſub dio poſitos. Nequeo ſine nauſea meminiſſe, *Vödródienſes* ruſticos, coruinos pullos, in deliciis habere. Solerter illi nidos excutiunt, cumque profecere aliquantum infauſtæ aues, ad eſcam inde promunt. Eheu!

Vos viles pulli, nati infelicibus ouis.

Nempe, nudis adhuc atque deplumibus, ſingulari arte corium tollunt, poſteaque luculento igni aſſatos, menſis inferunt, eduntque auiditate ea, qua delicatiores pullos phaſianorum. Neque id pauci faciunt; agminatim, ad hanc capturam prodeunt, ac referunt tantum

tum prædæ, quantum ſatis eſſe putant, ad famem explendam, aut conciliandas delicias.

35.) *Páldj*, parte riuuli meridionali, modico, a priori, cuius etiam parochiæ ſubeſt, interuallo ſeiunctus. Sedet loco amœno, & campeſtri, incolis *Slauis*. Orientali regione, piſcina ei adiacet, pulchro ſalicum interordinio cincta, verſanteque molam frumentariam. Eſt *S. Claræ Monialium Tyrnauienſium.*

36.) *Gerencsér*, Slauis *Hrnczarowcze*, eiusdem nationis vicus; forte, ab ollarum opificio olim nomen indeptus. nam *Hrnczár*, figulum, ea dialecto notat. Obiacet *Tyrnauiæ* a meridie, ad lapidem dimidium, loco plano, inque via regia: habet ideo curſoris ſtationem, eamque Piſonio profectis, tertiam. Terra eſt læta, aprica, ac fertili; incolæ ſubdoli, mercatibus frumentariis, non ſine laude dediti, & plerumque, ſi ſit, qui ære conduxerit, etiam aurigæ. Nullas vites, arbores tamen deponunt pomiferas, prope ad domos, quas copioſo vico inſtructas habent. In medio, templum reſedit. Ea regione, qua *Tyrnauiam* proſpicit, riuulo adluitur, quem *Parnam* vocant, inſigni molæ beneficio: parte altera diuerſorium eſt.

37.) *Albanus*, vicus Collegii, quod *Tyrnauiæ* eſt, *Ieſuitarum*, Hungaris *Fejér-egy-ház*, *Weiskirchen* Germanis, *Slaui* vocant *Bily-Koſtel*, a templi candore, quo ante alia olim emicuit. Adiacet ſiluæ *Roſſindelenſi* prope *Tyrnauiam*, poſitione tam amœna, vt non dubitarint *Patres*, hortum in eo, & domum, anno MDCCXIX. excitare; vt eſſet, vbi diuerterent ſocii, releuarentque, ſeuerioribus ſtudiis, animum. Igitur, huc, quoties ceſſatio eſt *Academia* a litterariis negotiis, ſecedere conſueuerunt. Atque eſt omnino, idoneus locus, cum pietatis ſtudiis, tum etiam oblectamentis, dignis homine, haud triſti tetricoque. Habet in obtutu, cum vrbem, tum in primis *Societatis Collegium.* Parte orientali, campi, propter ſiluam procurrunt, ab exercitu *Heiſteri*, quem anno heic MDCCIV. collocauiſſe memorauimus, nobiles, frumentique feraces.

38.) *Roſſindel*, Germanis *Roſenthal*, quorum imitatione, *Tyrnauienſes* nominarunt, *Vallem Roſarum.* Depreſſiori paullulum planitie eſt, dimidii milliaris interuallo, ab vrbe, in occidentem, prope ad ſiluarum nemeroſos receſſus. In meridiem, vicina ſunt ei, *Gocznód*, & *Pudmericz*, fœcundo interiacente agro. In vico templum eſt, *S. Bartholomæo* dedicatum; extra ſacrarium. Incolæ *Slaui* ſunt omnes, quorum vxores, deteſtabilis veneficiorum criminis, vulgo inſimulantur. Alioquin, prodierunt hinc, litteris atque doctrina venerabiles, *P. Laurentius Tapolcsáni*, nuper, Academiæ Tyrnauienſis Rector; & *P. Dionyſius Schneider*, Prouinciæ Marianæ Franciſcanorum, adminiſter prouincialis; item *P. Cseles*, celebris S. I. ſacerdos, ob linguæ Hungaricæ, inſignem & elegantiam & copiam, CICERO Hungaricus adpellatus.

39.) *Zwoncsén*, eidem ſiluæ adiacet, inter *Albanum* & *Szuham*,

cum quorum poſteriore, ſacra etiam habet communia, quia templo caret vicus. Colitur a *Slauis* ditionis *Ieſuitarum*, habetque ædificia, ſub ſalicibus vmbroſis, poſita. A ſeptentrione, riuus venit, pulchra molæ fabrica conſpicuus.

40.) *Longavilla*, Germanis *Langendorff*. A *Slauis* vocatur *Dluhá*; *Hoszúfalu* ab *Hungaris*: propterea, quod longo vici ordine vallem explet. Incolæ *Slaui*, ſacrarium *S. Antonii*, intra vicum; extra templum *S. Margaretæ* virginis, loco habent erectiore. Vites colunt, in agro Ompitalenſi, cui *Toſſandel* nomen eſt. Verſus *Koſſolnam*, ſunt piſcinæ duæ, ſeminii fœcundi. Inde agri & prata: lignationem eis præſtat, ſilua *Buſchberg*.

41.) *Borowá*, iacet inter oppidum *Szuha*, & *Pudmericz*, vtrinque æquali interſtitio. Aedium interordinium, depreſſa quædam lacuna intercipit. Eſt colonia *Croatica*, cum templo, *S. Stephano* Regi conſecrato. Planitie tam aperta, vt ab *Vjvarino* queat proſpici. Ager, tritici fertilis, & regione illa, qua *Szuhenſibus* iungitur, *Roſſindelenſibusque*, vini ferax. Ditionis *Vöröskőienſis*.

42.) *Koſſolna*, itidem ad *Vöröskő* ſpectat, Germanis *Köſſelsdorff*. Vicus elegans, atque in primis domo, *Comitum Pálffy* & alia, quam, *Anabaptiſtæ* incolebant olim, nobilis. Hodie *figulis* permiſſa eſt, magna operis *(e.) Anabaptiſtici*, & imitatione, & laude. Limo enim gaudent fictili, eodemque optimo. Reliqui ſtudent agriculturæ, ſuntque omnes *Slaui*. Communia his, cum *Szuhenſibus* ſacra ſunt: quippe, templo deſtitutis. Diſtant inde, paſſibus vix ter mille, in occidentem. Ideoque, vitem etiam colunt, in terreno *Szuhenſium*. Ceteroquin poſitione ſunt amœna, ſiluarum, pratorum, & agrorum varietate diſtincta. quam, accedens a montibus riuulus, haud mediocriter fœcundat. In hoc, molæ duæ viſuntur; vna, ora vici inferiori; ſuperiori altera, gemina contignatione ſuperbiens. Olim, vaſtæ quoque, in pratis, piſcinæ erant, quarum tamen cultum, hodie *Koſſolnenſes* improbarunt; partim pratorum, partim vinearum ſtudio; quod illa ab aquis coarctari, has refrigerari vitiarique, arbitrabantur. In ſigillo habent *B. V. Mariam*, talari pallio amictam, cum cultro vineatico.

43.) *Klucsowan*, exilis vicus, inter *Boleraz* & *Selpicz*: huic in occaſum ſolis; illi in ortum obiectus. Ex ea parte, qua in *Koſſolnam* reſpicit, habet ſiluam, dominatus *Vöröskőienſis*, cui & ipſe ſubiacet. Vitem colit eodem tractu cum *Selpitzenſibus*. Reliqui agri, fertiles ſunt, & fœcunda paſcua. Poſſidetur hodie, ab hæredibus *Beniczky*, iure pignoris.

44.) *Selpicz*, colonia eſt hominum inficetorum, & nullius ſalis. Vulgo, menſurandi eis prudentia imputatur. quam, ioco expetentes, ſi prehenderint, miſto cum aceto naſturtio, coram loci præ-

e.) Inſignes ſunt *Anabaptiſtæ*, in omni genere, *opifices*, figuli in primis, educentes fictilia, ad *Indorum* imitationem facta.

prætore, ingurgitant. Inter vici domos, viſitur libera illa, quam olim, *Nicolaus Pálffy*, *Iohanni Kubicsar*, aliter *Krizanovicz*, in præmium, ſeruatæ ab eo, ſub pugna *Parcanenſi*, vitæ, donauerat. Eſt hic inſignis caupona, ditionis *Vöröskóienſis*, ad quam & vicus pertinet. In ſigillo, ferramentum vineaticum refert, cum botro & vomere. Gaudet enim, agris non modo pratisque fertilibus; ſed etiam vineis, *Szuhenſibus* limitaneis.

45.) *Bogdanócz*, vicus exilis, eodem tractu, ad idem pertinens *dominium*; ſed qui hodie in pignore eſt. Quæ hic, anno MDCXXIII. geſta ſint, ad *Tyrnauiam* meminimus.

46.) *Bohunicz*, viculus familiarum *Hunyadi* de *Kis-Krſtyene*, & *Vitális*.

47.) *Dolné Dubowé*, in diſtinctionem *Dubowæ*, quæ *ditioni Vöröskóienſi* accenſetur. Hæc enim eſt iuris parochiæ *Tyrnauienſis*.

48.) *Alsó*, & *Közép-Korompa*, coniuncti vici. Hinc, Petrvs Korompay, Epiſcopus *Nitrienſis*, & regni Hungariæ, circa annum MDCLXXXVII. *Cancellarius*, prodiit. Florent hodieque *Korompaii*.

49.) *Felsö-Koronipa*, Slauis *Horná-Krupa*, ſecretus a prioribus, ſitu commodo; ſunt nobilium *Korompaj* gentilitii. Exſtant tamen poſſeſſiones haud modicæ, Baronibus *Sándor* de *Slavnicza*; *Kürtesſius*; *Nedeczkiis*; *Dobſæ*; atque *Ghilániis* adſcriptæ.

50.) *Katlócz*,

51.) *Laſzlócz*,

52.) *Pagyerócz*, tractu decurrentis *Blavæ*, vici, pratis & agro fœcundo; partim, & vineis gaudentes. Incolæ *Slaui* ſunt in ſingulis. Pertinet ad dominationem *Iókóienſem*. Hinc, occaſum verſus,

53.) *Bimyócz*, agro fertili, quem & nobiles aliqui habitant.

54.) *Nahács*, ipſis montibus ſubſitus, habet incolas *Croatas*. Non longe hinc, abeſt, *Monaſterium PP. Franciſcanorum*, *Prouinciæ Marianæ*, nomine, *Eremi S. Catharinæ*, monti inſidens vndiquaque conſpicuo; ideo adſpectu lætum, & religioſo in annos ſingulos, vicinæ plebis *Catholicæ* concurſu celebre. Ei exædificando, anſam dedit, *Iohannes Appony*, Baro, relictis ditiſſimis parentibus, eremo addictus, & conſpectu *S. Martyris Catharinæ* ſæpius, vti dicitur, recreatus. Iam patroni ſunt, qui & terreni domini, *Erdödii Comites*. Iſthic, annis ſuperioribus, vixit *P. Hyppolitus*, tanta vitæ continentia, atque morum integritate, vt totius circum regionis, meruerit adtentionem.

55.) *Nádas*, vicus elegans, & copioſus, linguæ Slauonicæ, *Korlatkóiórum* de *Laps*, & *B. Luzinskiorum*, hæredium, quibus & domus ſunt, extremo vico. Hæret in faucibus *montis albi*, qua via ducit, in partes transmontanas, loco amœno, paruo admodum interuallo, a *Szomolán* ſeiunctus. Solum, vini & ſegetum fertile, ſiluis, & ſalubri aqua abundans. Clades *Ricsánio*, anno MDCCIV. illata a *Rákóczianis*, fœdauit, an nobilitauit, vicum. In hoc ſcili-

cet angulo, montibus a tergo, vtroque autem latere, æqualiter accliuibus iugis, intercluſum, *Bercſénius*, cum *Károlyo*, & *Ocskayo*, a fronte primum Cæſarianos adorti; cum, neque prodire antrorſum; neque retrogredi poſſet, tranſitu montis, deiectis arboribus, valli inſtar impedito, in tantas coegerunt anguſtias; vt pars, arctiſſimo in tranſitu, ſe ipſos premerent; pars, montem tranſgreſſi, partim a militibus, partim ab agreſtibus, contrucidarentur; ſtrage, *Iabloniczam (f.)* vſque, *Nitrienſem*, vltra montes vicum, propagata. Qui enim, ex his faucibus, transuerſo, per montium iuga, itinere, euaſerant, iſthic, in glabros colles degreſſi, ab *Hungaris*, iuxta & accolis, fugientes præuertentibus, conciſi ſunt. Cadauera, bis mille quingenta, captiuorum quadringenti, cum *Ricsáno* duce, recenſiti fuere.

56.) *Neſtich*, cohæret *Szomoláno*, hinc etiam pari agro & vineis gaudet. Paret *Monialibus S. Claræ*, quæ ſunt *Tyrnauiæ*. Eſt *filialis Boleráz*.

57.) *Loſſoncz*, præcedenti vicinus, ſed intra montes retruſus, agro, ex ſitu, ſterili, niſi fimo lætificetur. Abundat ſiluis, vnde, qualescunque materiarii, ſunt incolæ. Nam, & fuſos, colos, orbiculosque, tornant, & ſupellectilem aliam, vernaculis vſibus neceſſariam, rudi efformant opere.

58.) *Huty*, montes inſedit, ob vitrariam officinam, vltra arcem *Vöröskö*, cuius ditioni adſcribitur. Conflatur hic vitrum, non ignobile, idque, reditus inſignis, poſteaquam officina alia, quæ in *Bazingenſibus* montibus inerat, herorum iuſſu abrogata eſt. Vicus, præter operarios, vix quemquam alit, quodque agro vtitur exſtirpato, a tributis, quæ conferuntur in commune, liber eſt. Fuit hic *Proceſſus Extraneus Superior*. Pergamus porro.

f.) Vide Comitatus Nitrienſis Partem Specialem, vbi præſii hiſtoriam, explicauimus.

MEM-

MEMBRVM II.

De PROCESSV INFERIORE EXTRANEO.

PROOEMIVM.

Egionem is infra *Tyrnauiam*, & vtrumque *Fodémes*, complectitur. quæ obliquo tramite, intra orientem & meridiem, *Vago* illinc, hinc *Danubio*, ita cohibetur; vt ſimul inſulæ *Vizköz* partem, intra ſuos fines recipiat. Itaque, ſitus naturam ſequuti, primo, eam oram peragrabimus, quæ *Vagum* & *Danubium* interiacet; deinde, interamnanam, & quæ ad inſulam recedit. Vtraque, & vrbibus caret, & arcibus.

PROCESSVS INFERIORIS EXTRANEI, PARS PRIOR, De *Regione Exteriore.*

SECTIO I. De *Caſtellis Regionis Exterioris.*



Auciora hæc ſunt, inſtructa tamen commode, niſi fœdauiſſet ea, nupera ſeditio. Certe enim, non alia re magis, quam exuſtis populariorum ſuorum vicis caſtellisque, *Hungari*, tumultuantes illi, mulctare hos ſueuerant, qui deteſtati factioſorum maleficia, Regi fidem, genti decus, ſeruare nitebantur. Iam alia adſurgunt, aliis magnificentius. *Slaui*, quatuor horum, memo-

riali prouerbio indicant: *Hodi Galantha, Neboyſza Kossuta:* cui, neſcio quid fabellæ, prætexunt. Dabimus ſingula.

SYNOPSIS.

Caſtella Galanthenſia *duo: vtriusque cultus.* §. I.

Kossuthenſe. §. II.

Vizkelethenſia. §. III.

Hodienſe. §. IV.

Neboyſza, *Hedervdriorum olim, hodie plurium poſſeſſio.* §. V.

Gány. §. VI.

§. I.
Caſtella Galanthæ.

Caſtella Galanthenſia *duo:*

SVnt hæc gentilitia Comitum *Eſzterházy*, qui ideo, de *Galantha* dici conſueuerunt. Nunc *Petri* & *Franciſci* ſenioris, alterum; alterum *Alexandri*, ſedes eſt. Adiacent, eius nominis oppido, parte illa, qua id in meridiem terminatur: vno caſtello, ſeriem ædificiorum vnam; altero, alterum contingente. Horum, quod eſt *inferius*, vaſto ædificio, forma eminet quadrangula, ſolido muro incinctum, quem foſſa circuit, ſicca tamen, & ſine lacunis. Sæpius, bello & igni, fœdatum erat. Hodie, parte altera, illuſtrioribus habitaculis percultum eſt; altera, referente adhuc permultum vaſtitatis. Cultius multo exſurgit, quod a ſitu, vocatur *ſuperius*. Id, etſi mœnibus communitum haud eſt; præſtantia tamen ſubſtructionum, & ſpecie prætorii, nec non ſplendore cubiculorum, alterum, multis modis ſuperat, fitque perpetuo, vnius alteriusue *Comitis* hoſpitio, illuſtrius. Vtrique adnexæ ſunt domus, familiæ accipiendæ, amplæ item villæ ruſticæ, iuxta & fructuariæ.

vtriusque cultus.

§. II.
Caſtellum Kossúth.

Koſſuthenſe.

EIusdem gentis *Eſzterházie*, illius nimirum, cuius nunc caput *Alexander* eſt, hæredium, in vico eius nominis, quem liberi, & nobiles viri inſident. Aedificio non ſuperbit; lætatur tamen, non minus agri, quo circumfunditur, fertilitate, quam commoditate ruſticationis reliqua.

§. III.
Caſtella Vizkelethenſia.

Vizkelethenſia.

ALterum in poteſtate eſt, Comitis *Franciſci* iunioris *Eſzterházy*, ædificio, pro ratione loci, illuſtri ſatis, & eximio. Inſedit vici cognominis partem vnam, eandemque haud minimam.

Ne-

Neque enim prætorio tantum conſtat; ſed pluribus etiam ædiculis circumſidetur, quas famulitium, agreſte non minus, quam familiare, habitat. Alterum, *Ladislaus Somogyi*, nunc *Vice-Comes Strigonienſis*, nuptiarum *Thédianarum* iure, habet, qui & vetuſtum opus, inſtaurare cœpit, ſic ſatis eleganter.

§. IV.

Caſtellum Hodi.

HAeredium eſt gentis *Andrásy*, in exili pago *Hodj*, ædificio eminenti, laxo, & habitaculis inſtructo, familia ſua dignis. Eximia & hic, ad agricolandum opportunitas eſt. Itaque villæ ei adſederunt, fructuariæ non minus, quam ruſticæ. Hodienſe.

§. V.

Caſtellum Neboyſza.

ANtiqua moles eſt, gentis olim *Balogh de Neboyſza*; & per hanc *Hedervárjorum*, iam *Viczaj*, inter Galantha, & Diószegh, loco pulchro, fertili, & ob vaſtam planitiem, adſpectus læti, fructuoſæque ruſticationis, poſita. Ipſa caſtelli ſtructura, formam habet quadranguli, muro alto, quatuor commiſſo propugnaculis, quorum tamen duo tantum, & quod eis intermiſſum caſtelli latus eſt, in orientem & meridiem, cubiculis, a *Franciſco Szluha* inſtructa, ad habitandum commodis. Reliqua, a *Ladislao Schloſsberg*, dum hæc ſcribimus, prouinciæ noſtræ, *Vice-Comite* laudatiſſimo, inſtaurari conclauibus cœperunt. Totum opus circumeunt vaſtæ foſſæ, aquis ſubinde madentes, quas *Vagi*, & vicinorum riuorum exundationes, crebro offundunt. Porta ei ab occidente eſt, inde & hortus procurrit in orientem, ſolo pullo, ſed herbis admodum culinaribus, & pomiferis arboribus educandis, factus. Neboyſza, *Hedervá-riorum olim, hodie pluriam poſſeſſio.*

§. VI.

Caſtellum Gány.

TEnet partem cognominis vici, poſteriorem, loco plano, & rei ruſticæ idoneo. Aedificium habet ſolide ſubſtructum, conclauia non ineleganter facta. Eſt in poteſtate gentis *Farkas*, cui præter ſedem, villa heic eſt, ad rei familiaris procurationem, cum fructu poſita. Gány.

SE-

SECTIO II.

De

Oppidis Proceſſus Externi Inferioris.

SYNOPSIS.

Galantha, *nobile oppidum: prætoria* Baloghiorum, *& domus reliquæ: agri fertilitas.* §. I.

Oppidi Szered *poſitus: adificiorum ratio: nundinæ: herus: terrenum.* §. II.

§. I.

Oppidum Galantha.

Galantha, nobile oppidum:

Legans, copioſum, & ſoli fertilis oppidum. Diſtat *Tyrnauia*, milliaribus duobus in meridiem, loco plano, & domibus virorum nobilium, frequenti. Duo *Eſzterházиorum* caſtella, nunc vidimus. Proxime, ad horum cultum accedunt, prætoria, gentis *Balogh*, quæ *Eſzterházиana* conſobrina eſt, & eodem, de *Galantha*, titulo inſignitur. Sunt enim ſtructura nobili, ædificio laxo, atque digno, herorum ſedibus. Sed, nec *Farkaſii* domus incommoda eſt. Vltra, domicilia ſunt, *Feketeiorum*, *Galgóczиorum*, *Zádoriorum*, *Baloghiorum* item, prioribus ſanguine iunctorum, *Sidóiorum*, *Batkaiorum*, & *Bezuriorum Schenquitzenſium*. Pulchro ordine, nec minus eleganti cultu, domus omnes, quæ ſunt, procurrunt; vicis tamen, Ioue pluuio, ob ingens cœnum, fere impermeabilibus. Campus, oppidum circuit, aperta vbique planitie, agris frugiferis, fœniſeciis vberibus. Sed lignatione deſtituitur; quod incommodorum oppidi, maximum eſt.

prætoria Baloghiorum, & domus reliquæ:

agri fertilitas.

§. II.

Oppidum Szered.

Oppidi Szered *poſitus:*

Szered, adiacet caſtro *Sempthe*, in ripa *Vagi*, ad occidentem. quem ideo, ponte iungit ſublicio, ea parte, qua *Sintauiam*, vltra fluuium, obiectam habet. Vico procurrit laxo, ædificiis humilibus, neque tamen ſordidis, inſtructo. Medium, area intercurrit, ſed inæqualis. Hic nundinæ coeunt, trinæ in annos ſingulos: diebus ſcilicet *Purificationis B. V. Mariæ*, *S. Iohannis Baptiſtæ*; & *Aſſumtionis B. M. V.* tanta plerumque celebritate, cui parem, vix in vrbibus conſpicias. Boaria in primis fora, inuſitatæ ſunt frequentiæ. Confluunt, haud raro, tam numeroſa armenta, vt fidem ſuperet. Incolæ ſunt *Hungari*, *Slauis* mixti. His iam & *Iudæi* adſperſi ſunt, egenum genus, & quod vix trahat vitam. Eſt in ditione *Sempthenſi*, quæ iam *Comiti Ioſepho Eſzterházio* adſcripta eſt; ſuis tamen magiſtratibus regi-

adificiorum ratio:

nundinæ:

herus:

regitur. quos, communibus ſuffragiis incolarum, creari moris eſt. Interſunt & nobiles, liberique ab oppidanorum cenſu. Vaſtum oppido terrenum, ager multus; ſed ex *Vagi* vicinia, ſubinde eluuionibus infamis. Ferunt, inter oppidum, & arcem *Sempthe*, *Vagi* olim *(a.)* alueum intercurriſſe. quo, ſiue præfocato, ſiue ſuapte, in aduerſam partem, declinante, ita cum oppido cohæſit, vt rerum ignari, oppidum & caſtrum, eodem *Szeredi* nomine, inſigniant: multum falſi; cum oppidum quidem *Szered*, *Comitatui Poſonienſi*; *Szempthe* contra, *Nitrienſi* regioni, accenſeatur. *terrenum.*

SECTIO III.

De
Vicis Proceſſus Extranei Inferioris.

Dlues vicorum, hæc quoque prouinciola eſt; tametſi arcta ea, & haud late procurrens. Videbimus ſingulos, & præcipuos quidem, quos nobiles colunt, primo; poſtea, vulgares reliquos. Sunt vero:

1.) *Alsó-* &

2.) *Felsó-Csöpöny*, duo vici, prope *Szered*, in ſeptentrionem, *Vago* adpoſiti. Solo vterque feraci, ſed damnoſo, crebris amnis eluuionibus. Poſterior, familiæ *Czúziana* hæreditas eſt.

3.) *Neboyſza*, vniuerſim nobilium eſt poſſeſſio, ad caſtellum eius nominis, exiguo a *Galantha* interuallo diremta. Familiæ aliquot, præclaræ nobilitatis, ſua iſthic hæredia habent. quarum præcipuæ ſunt, *Schloſzberg*, *Balogh de Galantha*, item, *Balogh de Neboyſza*, eadem vtrique ſtirpe orti, ſed ob diuerſa poſſeſſionum loca, diuerſe adpellati.

4.) *Kajal*, copioſus vicus, itidem crebris nobilium familiis clarus. Hinc *Kajaliorum* gens prodiit, nuper, in *Paulli*, viri celebris poſteris, emortua. Nam, qui in vico eius ſtirpis ſuperſunt, vti nomina mutauerunt: quippe, in plures ramos propagati; ita opibus, tenuiores ſunt multo, quam vt auitum decus queant tutari. Ex horum adfinitate, aliquis hæredii modus, *Paullo Radaio*, hic obtigit, qui *Paulli Kajali* filiam habuit in matrimonio. Ex primoribus, partem poſſeſſionis aliquam capiunt, *Iohannes* iunior *Comes Eſzterházy*; *Schloßberg*, & *Balogh*, Kajaliorum conſobrini; item *Puskás*, & *Bor*. Terreno eſt priori ſimillimo, hoc eſt, fertili, ſed depreſſo eo, ideoque exundanti *Vago* obnoxio. Incolitur ab *Hungaris*, nobilibus quidem iis, ſed vitam degentibus agreſtem.

a.) Diſerte Bonfinivs Decade IV. Lib. IX. p. 669. 33. *Vagus* Tyrnauiam, & Schemptem, *amnis interfluit.*

5.) *Hegy*, vicus a nobilibus inſeſſus, haud procul a *Kossútho*. Incolis lingua Hungarica eſt : templum in colliculo poſitum, antiquitatis, vltra moduni, retruſæ. In poſſeſſorum numero ſunt, *Pulyaii*, *Iezerniczkii*, *Liptaii*, & *Szweteneii*. Hinc familia *Hegyi*, prodiit.

6.) *Barakony*, &

7.) *Gáry*, vicini conſedere, non ü quidem copioſi ; ſed nobilium tamen ſedibus, inſignes. Agro ſunt fertili, & fœcundis paſcuis. In illo, elegans prætorium eſt, cum villa ruſtica *Iohannis Balogh de Galantha*, *Nobilium*, dum hæc commentamur, *Iudicis* axiomate conſpicuo.

8.) *Kossút*, hircum *Slauis* notat. Inſidet fluuio *Dudvág*, incolis nobilibus, fertili ſolo, ſed quod diluuia intumeſcentis fluuii corrumpunt ſæpius. In tanta amnis copia, aquis, ad potandum ſalubribus, deſtituitur. Inuentus, anno MDCCXXIX. per *Franciſci Thédii* piſcatores, in amne eſt, inuſitatæ magnitudinis gladius, inter priſci orbis reliquias reponendus. nam, & molis inſolentis eſt, & virgæ inſtar flexilis. Familiæ, quæ hic rerum potiuntur, ſunt : *Balogh de Galantha*, *Liptay ; Jezerniczky*, *Duchon*, & quem nunc nominauimus, *Thédy*.

9.) *Apai*, diſſidet a *Dudvágo*, in occidentem, exiguo interuallo, inter *Majtén* & *Farkashida*. locus frequens, & inter alios incolas, ſedibus familiarum *Ernej*, *Szászj*, *Nedeczky*, & *Thúróczy*, nobilis. Traditur, mulierem *Catharinam Apaj* nomine, terreni totius fuiſſe dominam, cuius poſteri, extra modum aucti, vicum ſenſim condiderint, de matris, vel auiæ cognomine, nuncupatum. Mixti & hic degunt, *Slaui* cum *Hungaris*. Gaudet vicus, agro idoneo rei ruſticæ, ſi æque immunis eſſet ab exundationum iniuriis, quam eſt gleba fertili & ſubacta.

10.) *Moderdorff*, Tyrnauiæ in meridiem, loco edito, & aſpectu *Piſonio* venientibus amœno, obiacens. Eam ob rem, iuuentus *Tyrnauienſis*, ſæpe huc excurrit, animi cauſſa. Incolitur a *Slauis*. Templum vici elegans eſt, duabus inſignitum turriculis, & parochiæ accenſum *Gerencsérienſi*. Rure obſidetur fertili ; ſed lignationis, quin & aquæ idoneæ ad potandum, inope. Eſt in ditione vrbis *Tyrnauienſis*.

11.) *Szilincs*, iacet infra *Gerencsér*, in ripa *Parnæ* riuuli. Situs eſt paullulum erecti, ideoque amœni. Hic quoque *Slaui* colunt, quibus, templum in vico, ſacerdos in *Gerentsér* eſt. In meridiem vineæ recedunt, poſitu, quam vindemia, meliore. Contra, in orientem, ſiluæ inſederunt, crebris manantibus riuis, vliginoſæ, ideoque, itineribus commeantium importunæ. Impermeabiles forent, niſi ſubinde exæquarentur, ſternerenturque telonii gratia. Sunt, in huiate agro, grandiorum piſcinarum veſtigia, quas vulgus in Belae II. reliquiis cenſet. Eſt V. *Capituli Piſonienſis*.

12.) *Majtén*, diſtat milliari vno *Tyrnauia*, in meridiem. editiori & ipſe poſitione, ædiculas per decliuia habet. In poſſeſſoribus ex-

excellunt, nobiles *Bencsics*, *Czingel*, *Andreánskj*, *Bokross*, atque *Horváth*, qui iure *Szegediano*, tenent iſthic prætoria. Hinc prodierunt *Majthénii*, viri, per Comitatus, *Piſonienſem* & *Nitrienſem*, ac geſtis etiam magiſtratibus, multis nominibus celebres. Habitant vicum *Slaui*, colonia ſimul *Polonica*, in ſupplementum admiſſa. Campus ei vber eſt, verſus *Páldi;* prata in primis, quæ ad meridiem, trans *Dudvágum*, verſus vicum *Geſzt*, & *Szeredienſem* ſiluulam vergunt, gramine luxuriant. Reliquum rus *Parna* humectat, & *Dudvág*. qui hic cum *Tyrna*, confluunt, orientali infra vicum regione.

13.) *Farkashida*, pontem luporum ſignificat. Eodem inſedit tractu, prorſus ad *Dudvágum*, cui molam adſtructam habet, ædificio & prouentu inſignem. Eſt in vicis, qui hoc tractu ſunt, optimis. Pons, amni impoſitus, faſcibus vimineis, ſtramine & ſarmento, inſternitur. Longe is protenſus eſt. Itaque, ſi cum onere traiicias, totus fluitat, vt non ſublicium, ſed penſilem dixeris. Antequam pons adeatur, amnis diuerticula, cauernas fecerunt, eluuionum tempore, propemodum inexſuperabiles. quas nuper *Iohannes Balogh*, iudex nobilium, ſolido aggere obturauit. Alit vicus incolas *Slauos*, qui, tametſi templum habeant; ſacra tamen cum *Kereſztúrienſibus* communicant. Accenſetur dominationi *Sempthenſi*. Rus vici, *Tyrnauiam* verſus porrigitur, pratis & paſcuis, vltra *Dudvágum* reiectis. Luporum copiam, vico nomen dediſſe, perhibent.

14.) *Kereſztúr*, hic quoque, ad ditionem *Sempthenſem* pertinet. Ad hunc vicum Wládislavm II. regem Bohemiæ, & Matthiae *Coruini* ſucceſſorem, anno MCCCCXC. prima in *Hungaria* caſtra metatum fuiſſe, accepimus. In his ergo campis, a ſplendida, quæ obuiam proceſſerat, *Hungarorum* legatione, acceptus eſt. Prolixe rem Bonfinivs *(a.)* in litteras retulit. quam nunc non recognoſcimus.

15.) *Zavar*,

16.) *Alsó-Lócz*, &

17.) *Felsö-Lócz*, Slauis, *Horné*, a *Dolné Louczicze*, vici, vno omnes tractu poſiti. Terreno fertili ea parte, qua erectiorem, verſus *Tyrnauiam*, ſitum habent. Sed, quod vltra *Dudvágum* eſt, crebris amnis exceſſibus vitiatur. Diuiduntur in complures poſſeſſiones. Nam eſt, quod *Bencsik* poſſidet; ſunt etiam *Majtheniis*, *Kádassiis*, *Ambrois*, *Hraboſzkiis*, & *Zabaſſiis*, ſuæ partes. quorum domicilia, cauponæ atque villæ, iſthic viſuntur.

18.) *Nagy-Breſtován*, poſſeſſio vrbis *Tyrnauienſis*, Slauis, *Welikè Breſtowany*. lacet loco eleuato, incolis *Slauis*, agro plano & fertili.

19.) *Kis-Breſtován*, vulgo, *Malé Breſtowány*, vicus, & nomine, & poſitione, priori minor, eodem tamen tractu, incolis pariter *Slauis*; familiæ *Berenyiana* hæredium.

b.) Decade IV. Lib. IX. p. 669, 31. ſeqq. iisdem in caſtris, *Diploma*, quo genti vniuerſæ, & fidem ſuam addixit, & libertates adfirmauit, perſcriptum eſt. vti eſt in eius clauſula, in Decretis R. Hung. p. 174.

20.) *Geszth*, Monialium Ordinis *S. Claræ* Tyrnauienſium, terreno exili.

21.) *Sz. Abraham*, *Comitis Franciſci Eſzterházy*, a plebe paupere cultus, quamuis agro gaudeat, neque ſterili, neque anguſto.

22.) *Nagy-Mácséd*, multo, priori locupletior, *Sempthenſis* ditionis; tametſi & a nobilibus nonnullis incolatur.

23.) *Kis-Mácséd*, vicinus maioris illius, parte altera, ad familiam *Schloſsberg*; altera, ad ſucceſſores *Szegedianos*, vtpote *Czingel*, & *Andreanſzky*, relatus.

24.) *Hidas-Kürth*, a ponte nomen accepit, quo hic *Dudvágus* iungitur, eamque ob rem, differt a *Kürth* inſulano. paret iam *Caſparo Farkas*. Eſt in hærediis *Sempthenſibus*.

25.) *Diószegh*, copioſus omnino vicus, cultus ab Hungarica plebe. Eſt in poteſtate virginum Piſonienſium *S. Claræ*. Longo ſe vico porrigit, ab occaſu in orientem, prorſus in via regia *Szeredienſi*. Medio fere vico, templum ſedet, non incultum. Eſt hic & taberna diuerſoria, ſed frequens minus, eo quod, campeſtre illud iter, quod *Királyfalva*, iſthuc deducit, multis obſeſſum eſt diuerſoriis. quæ ob paſcua, pone viam libera, viatores malunt frequentare. Campo ambitur patente, & frumenti fertili.

26.) *Vizkeleth*, natale ſolum familiæ eius nominis. Caſtellum Comitum *Eſzterházy*, ſupra deſignauimus. Inſunt & complures domus aliæ, a nobilibus cultæ. Reliqua ſunt ditionis *Sempthenſis*.

27.) *Alsó-Szelyi*, Germanis *Unterſallibe*; Slaui vocant *Dolná Szaliba*. Vicus egregius, in ripa *Dudvági*, ditionis *Sancto-Georgenſis*. Incolæ *Hungari*, rei in primis pecuariæ dediti, quæſtu boario, haud exigui fructus, proficiunt. Peculiaris eis eſt caſeus, quem ex bubulo lacte, cogunt, ſapore grato, forma aculeata, quem ideo, *Hegyes-Túró*, nominant. Student præterea piſcaturæ.

28.) *Felsö-Szelyi*, Germani, *Ober Sallibe*, *Horná Saliba*, Slaui adpellant. Agro & incolis, priore nil deterior, neque ab eodem longe ſeiunctus. Incolæ ſunt æque *Hungari*, dominationi *Sempthenſi* obſtricti: inter quos, & nobiles reperias, ſuis in ædibus colentes. Atque iidem etiam, prædarum, re pecuaria, quæſtum faciunt. Crebra eis, cum laniis *Piſonienſibus*, & *Auſtriacis*, commercia, lucra multa; ſed cum frequenti, quod fit, intertrimento.

29.) *Thót-Nyárasd*, vicinus *Nádſzego*, eſtque in poteſtate, partim familiæ *Andraſiana*, partim nobilium *Dobſza*.

30.) *Taxony*, vicus ditionis *Semptenſis*, prope *Sárdum*, ſed crebris eluuionibus funeſtus, incolis pariter *Hungaris*, cetera, agro fertili.

31.) *Deáky*, Slauis *Diakowcze*, ſedet in terminis Comitatus, prope *Vagum*, *S. Monti Pannoniæ*, Ordinis *S. Benedicti* adſcriptus, cui & domus hic eſt, heris accipiendis, ſi iſthuc contingat accedere, facta. Olim, ſupra templum habitaſſe eos, fama eſt: ſuperſunt, enimuero,

uero, hodieque, eius rei veſtigia. Idem, duabus inſtructum turriculis, antiqui cultus, præbet indicium. Terrenum loco amplum obtigit, & frumenti fertile; ſed quod incolæ, crebris, & temporum, & *Vagi* iniuriis adfliguntur, decreſcit fere in dies. Funeſtus eſt, ſed caſus omnino memorandus, quem heic eueniſſe, *Iohannes Ferdinandus Auer (c.)* anno MDCLXIII. meminit. Coacto, prouincialium *Piſonienſium* exercitu, *Parkanenſis* illa expeditio, an clades? cuius nobis ſupra fuit mentio, adparabatur. Dum in hoſtem iretur, diſtributus per æſtiua miles, inſolentius, quam pro diſciplina caſtrenſi, agebat. Hunc vicum, *Archiepiſcopi* cohortes, forte inſederant, omni fructuum genere, tunc abundantem. Illectus eorum adſpectu, gregariorum quidam, intra ſepimentum pomarii ſe iniicit, decuſſisque fructibus, ſitim famemque, leuat. Aduerſo milite, vetula, cuius erat pomarium, indignari facinus, mox & minitari, niſi cœptis deſiſteret, ſeque horto, nec cunctatus, efferret. Riſit miles, anus indignatiunculam. Tunc illa: *ergone*, inquit, *nondum ceſſas in fructus hoſce meos, graſſari? non tu mihi poſthac fructus vmquam voraueris!* Abiit ille, egregie fatur: at, ſimul hoſpitium adtigit, habere ægerrime, mox letaliter decumbere, denique, toto corpore inareſcere. Itaque, minarum vetulæ recordatus, contubernali rem geſtam narrat, anum accuſat. Fit, inter commilitones, murmur, cumque de vita æger periclitaretur, etiam concurſatio. Iniuriam, inter compotandum, incolis queſti, docentur, vetulam, toto vico, in ſuſpicione eſſe veneficii, dignam, quæ dudum flammis interüiſſet. Quo illi audito, vindicta non minus, quam vino calentes, habito, per tumultum, concilio, ædes vetulæ inuadunt, correptam vinciunt, raptatamque, per eundem hortum, vbi effaſcinarat militem, extra vicum protrahunt, atque ſua ipſius ſepe reuulſa, rogum ſubito inſtruunt, iniectamque feminam, flammas fruſtra deprecantem, ante exurunt, quam ad præfectos tes perferretur. Scilicet:

Sequitur iniquos, vltor a tergo DEus!

32.) *Hodj*, vicus exilis, & ob temporum querelas, ab incolis ferme deſtitutus. Vix ſane habet, quod memoremus, præter caſtellum gentis *Perénia*, ſuo loco deſcriptum. Sedet ad *Sárdum*, Galanthæ ab aquilone oppoſitus.

33.) *Pered*, inſignis pagus, infra *Dedky*, regione fertili poſitus, incolis *Hungaris*. Subeſt *Præpoſitura Thuróczienſi*, quam Collegio S. I. Tyrnauienſi, dono a regibus datam, inibi, dedita opera dicemus.

34.) *Vága*, Slauis *Wágoucze*, ditionis *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, ex adminiſtratione *Tyrnauienſi*. Tenet regionem *Vagi*, eſtque agro fertili, ſed ob aquarum exceſſus damnoſo.

35.) *Vág-Szerdahely*, eiusdem Archiepiſcopatus vicus, prope

c.) In *manuſcripta*, captiuitatis ſuæ Turcicæ, hiſtoria, §. XIV. digna luce publica. quam poſſidemus: edituri, cum ſe dabit occaſio.

Szeredum, qua ſunt frequentiſſimæ *Vagi* eluuiones. Agro alioquin eſt pingui, & pratis, gramine luxuriantibus.

36.) *Közép-Csöpöny*,

37.) *Valtasúr*, &

38.) *Varasúr*, pagi, circa Szeredum vicini, dominio ſubiecti *Sempthenſi*, colonis *Slauis*.

39.) *Nagy-Súr*, Slauis *Welké Suroucze*, ad *Vágum* ſitus. Et hic *Sempthenſi* dominationi paret. Inſunt tamen & *Theſſeniorum*, atque *Nagyiorum*, prætoria. Quin & terreni pars haud exigua, ad nobiles pertinet. Incolæ ſunt *Slaui*. Extra vicum ſacrarium viſitur, SS. TRINITATIS nomine, ſumtu autem *Paulli Theſſénii*, excitatum.

40.) *Zſigárd*, vicus, vltimo Comitatus *Piſonienſis*, angulo, inter *Vagum & Danubium*, in ipſo *Nitrienſium* collimitio, repoſitus, &, ob amnis vtriusque vicinitatem, exundationibus, non raro infelix. Eſt in ditione *Archiepiſcopi Strigonienſis*.

PROCESSVS INFERIORIS EXTRANEI.

PARS POSTERIOR,

DE

Regione Interamnana.

HActenus de iis, quæ *Vago*, & *Danubio*, ſunt intermiſſa. Sequitur *Regio Interamnana*, quam Hungari *Víz-Köz* nominant, quod vno ramo *Danubii*, concludatur. qui eâ parte, qua *Dudvagum* recipit, duobus in locis, ad maiorem alueum, redit, totidemque diſtinctas inſulas, molitur. Vici, qui in priore occurrunt, ad *Proceſſum Inſulanum Superiorem* pertinent plerique; ſi *Nyék* exceperimus, qui *Proceſſui Extraneo Inferiori*, admenſus eſt. In altera ſunt: *Tallós*, *Eperjes*, & *Nádſzeg*; denique, inter *Dudvágum*, & *Danubium*, ad ſolem orientem, *Vezekény*, & *Hidas-Kurth*. Proinde, ſex vicis, interamnana hæc regio, inſeſſa eſt. Ora vndiquaque habitabilis, & amœna. Solum fertile, crebris hinc & illinc, ſiluis & nemoribus, vmbroſum, ideoque, ferarum frequens. Rei indicium capi ex eo poteſt, quod dicemus. Incolarum quidam, quartana multum adflictus, vti febrem, venatu edomaret,

Da-

Danubium, glacie concretum, traiecerat, ſclopo admodum, atque duobus vertagis, ſecum acceptis. Nondum dies in veſperam inclinauerat, cum lepores quidem *viginti*, vulpes *tres*, deiiceret æger. Sed, cum ille, de ſeruanda præda ſollicitus, moras in veſperam vsque trahit, rupta ſubito glacie, reditu præcluditur. Quatridui poſtea inedia, fere confectus, non ante, quam detumeſcentibus aquis, repertus a ſuis, delatusque domum eſt ſemianimis. Tanti huic conſtitit, *Dianæ* litauiſſe! Anatum præterea, & fulicarum, anſerum item, & olidum, quot lacunæ, totidem innatant greges. Crebris enim *Danubii* eluuionibus, diffuſæ aquæ, remanent per concaua regionis, & reſtagnant. Id, & amphibiis ſeceſſum, & piſcibus dat viuaria: itaque, piſcationi non parum ſtudent incolæ. Agricolationi, ſi vsquam, heic modus eximius. Milium in primis & linum, læto prouentu, vidimus conualeſcere. Incolis, magna inuicem concordia eſt, familiaritas autem propemodum inuſitata. Nobilium maxime, cum frequens, inter ſe conuictus; tum conſenſio adeo mira, vt diuerſas familias, vno natas patre, vniusque regi arbitrio, exiſtimares. Alter fortunas alterius, & iuuat libenter, & cum fide tuetur. Quod vni, in re familiari, factum eſt acceſſionis; ſibi natum putat vicinus. Ergo, quantum in ſe eſt, agunt ætatem Saturninam. Neque in ruſticis minor dexteritas. Proinde, non poſſis heic, *inſulanos*, *mortalium peſſimos*, dicere; quod alias in prouerbium abiit. Panis, agreſtibus, lautior eſt ſapidiorque, quam alibi vrbanis. Accedit, *Pomonæ* dominium, & peponum vbertas. Sed, ſatis de hoc, ad vicos cognoſcendos veniamus.

1.) *Nyék*, eſt in ripa *Danubii*, erecta poſitione, ſerie domuum, vna orienti & ſeptentrioni; altera meridiei & occidenti, obiecta. Salubri aere, & adſpectu tam hilari, tamque patente, vt longe lateque circumſtantia loca, oſtendat. Paret dominio *Sempthenſi*, incoliturque ab *Hungaris*.

2.) *Vezekény*, diſtat a priori, quadrante milliaris ad orientem, in

in oppoſita *Danubii* ripa, loco pariter edito, ea parte, qua flumini vicinior eſt; cetera demiſſiore; lata interpoſita platea, in cuius medio, templum viſitur, ſumtibus *Iohannis Orbán*, lanii A. C. addicti, exſtructum. Ager loci fertilis eſt. Cenſetur vicus in ditione *Sempthenſi*, paretque iam *Comiti Franciſco Eſzterházy*, qui heic viuarium *Phaſianorum* inſtruxit.

3.) *Hidas-Kürth*, altius ſepoſitus, & ad ruſticandum idoneus.

4.) *Tallós*, eiusdem ditionis, ſtadiis circiter tribus a *Vezekény*, in meridiem ſeiunctus, in altera inſularum, prope ad eum ramum, quem ob viam regiam, ponte ſublicio, herus inſtruxit. Ipſe vicus, ſerie gemina domuum, late diducta, porrigitur. Intercurrens ſpatium, ita depreſſum eſt, vt cælo pluuio, aut exundante vicino amne, piſcinam referat. Templum ideo, in locum erectiorem ſepoſuere conditores. Vltra *Caſtellum* eſt, habitu magnifico. Nuperum opus, Comitis *Franciſci* iunioris *Eſzterházy*, ideoque, ad regulas architectonices recentioris, eleganter atque commode ſubſtructum. Concordat moli, ſitus amœnitas, vti herili ſeceſſui idonea, ita haud omnino vnius opportunitatis. Prætorio, ſtabula adſident equeſtria. Campus enim circumſitus, armentum eius generis alit, copioſum non minus, quam generoſi ſeminii. Eſt ei præterea, venationis atque aucupii, inſignis commoditas. Huc & viuarium retuleris phaſianorum, in agro quidem *Vezekénienſi* inſtructum, ſed memorandum tamen inter caſtelli oblectamenta. Inter incolas, commendari accepimus iuuenem; *Iohanni Szalaio* nomen eſt; tanta ingenii felicitate, vt nullo magiſtro vſus, ſua in ſolidum induſtria, omnes operas fabriles, ferrarias, lignariasque, adcurate, & teneat, & exerceat. Sclopos certe ac horologia, haud infabre machinatur.

5.) *Eperjes*, in meridiem, a *Tallós*, medio milliari, ſecedit, ad maiorem ramum *Danubii*. Locus, ſi quis alius, lacuſtris, & crebris eluuionibus imperuius. Tunc vero, obrutus late ager, fraudat colonum. quæ princeps egeſtatis, pridem hic inualeſcentis, cauſſa eſt. Alioquin, diligentes ſunt agricolæ, üidemque, more *Hungarorum*, hoſpitales. Sacrarium, quod templi loco eſt, e materia contignauere incolæ. Rei ſacræ adminiſter, parochus *Tallóſienſis* eſt. Paret dominatui *Franciſci Eſzterházy*.

6.) *Nádſzegh*, ab arundine nomen mutuat: quippe qua, velut circumſeſſus, crebris lacunis interiacet, ob ramos Danubii vtrinque propinquos. nam, quo magis recedit ab *Epperjes*, (recedit autem milliaris vnius interſtitio) eo magis cuneatur ora, in angulum, confluentium infra, Danubii alueorum ductibus. Alioqui, poſitio vici ſolida eſt, neque, niſi exundante amne, vliginoſa. Templo gaudet, & parocho; eſtque in eiusdem *Eſzterházii* ditione.

MEM-

MEMBRVM III.

De *Proceſſu Inſulano Superiore*, et de *Inſula Cſallóköz*, generatim.

SYNOPSIS.

Proceſſus *inſulanus* Superior: *inſula* Csallóköz, *an* Cituorum, *an* Scytharum? §. I.

Eius partitio: defenſatur, obiectis Danubio, aggeribus: Csallóköz, *vnde dici credant:* §. II.

Hunno-Auarorum, in hac inſula, clades. §. III.

Qua ſit ſoli & cæli natura: incolarum ingenium: nobilitatis vetuſtas. §. IV.

Inſula, vicis frequens. §. V.

§. I.

INSVLANVM PROCESSVM dicunt, a ſitu, quod intra *Danubii* alueum, hinc & illinc, in varios ſeſe ramos diuidentis, concluditur. LAZIVS *Cituatum (a.)* vocauit, a *Cituis*, veteribus inſulæ colonis. *Inſula*, inquit, *quam a* Cituis, *veteri, eorum agrorum incola, vt eſt apud* PTOLEMAEVM, Cituatum, *Germani vero*, die Schütt, *adpellant.* A Scythis, *Scythicam* vocat AVENTINVS: *(b.) Pars Germaniæ*, inquit, *in confiniis Auſtriæ, & Hungariæ, Scythia nomen etiam nunc retinet*, auff der *Schyt*. Hæc ille, Grammatice magis, quam conſentanee cum antiquitate. Difficile eſt enim probatu, coluiſſe hic aliquando *Scythas:* niſi propagare nomen illud quam latiſſime velis, vti faciunt ſcriptores. *Germanis*, haud grauate relinquimus vulgarem illam notionem, qua *Schütt*, ab eductis, coercendo amni, aggeribus, dictam putant. Neque enim habitabilis eſſet ora, niſi obiectis molibus, ab exceſſu aquarum, defenderetur. Sane, crebris per eam itineribus, nullum vsquam, cultus veteris, obſeruauimus veſtigium. Nam *Romani* quidem, multum licet conniſi, *Danubium*, hoc noſtro latere, nunquam ſuum facere potuerunt. Obſeruatum id eſt, ſcriptoribus. BEATVS RHENANVS *(c.)*, *In Danubio, dextra ripa, Romanorum erat; ſiniſtra*

Proceſſus Inſulanus *ſuperior:*

inſula Csallóköz, *an Cituorum, an Scytharum?*

a.) De Republ. Romana, Lib. XII. Sect. II. Cap. XV. p. 1131. A.
b.) Annal. Boi. Lib. I. p. m. 36.
c.) Rerum German. Lib. I. p. 118.

niſtra Barbarica. Et poſt eum, IACOBVS CAROLVS SPENER, *(d.)* diligentiſſimus, *Germaniæ antiquæ*, deſignator: *Vere*, inquit, *numquam, aut Danubium, aut Rhenum, Romani in ditionem redegerunt; ſed in ſolis conſtitere conatibus.* Adulatur ergo Romanis, AVSONIVS, *(e.)* dum Danubium loquentem facit:

Danubius penitis caput occultatus in oris:
Totus ſub veſtra, iam ditione fluo.

Proinde, vacua, eorum veſtigiis, manſit inſula. *Quadi* autem, quibus inſulam admetitur CLVVERIVS, *(f.)* vti erat natio nuda fere, & vagis bellis, quam certis ſedibus, deditior; ita, haud lætabatur, multo ſtudio, multaque impenſa, factis operibus: præſertim, vbi naturæ id vetabat ratio, & aquarum iniuriæ; præſtructis autem crepidinibus, coercere amnem, ſeu ignorabant, ſeu nolebant. Itaque, etſi fuerunt, priſci cultus, qui ætatem anteceſſit. *Quadorum*, veſtigia quædam, facile ea fuit, crebris eluuionibus deradi, obliterarique.

§. II.

Eius partitio:

TOta autem, qua hoſpitalis eſt colono, inſula, trifariam, a *Danubio* interlabente, finditur. Vnam, in *Proceſſu Extraneo Inferiore*, dedimus, quam Hungari *Vizköz*, hoc eſt, *interamnanam* regionem, adpellant. Altera eſt tractus ille, qui *Piſonio*, vsque *Comaromium*, intra duos maiores *Danubii* alueos, longitudine milliarium XII.; latitudine, nunc anguſtiore, nunc iterum laxiore, procurrit. Hanc, *Inſulam Magnam*, *Nagy-Sziget*, incolæ vocant. Tertia, huic a meridie, prætenditur, diuiſo, ad *Rajkam, (g.)* amne, ſpatium, ſex plus minus milliarium, complexa, diciturque *Sziget-Köz.* Singulæ, qua ripas habent depreſſiores, aggeribus obiectis, præmuniuntur, atque in primis, maxima illa. Caueri autem, quantacunque operarum adſiduitate, nondum potuit, quin ſæpius, crepidines ſupergreſſus amnis, late fœdarit regionem. Eſt autem agger, altior hic, humilior alibi; ſublimior fere nusquam pedibus octo. Quantamcunque vero molem oppoſueris, vix ſuſtinet, glaciei impetum, quæ, vbi diffluere cœpit, fertur ſurrectis quaſi parietinis, atque perrumpit, qua ſemel incubuit. His iniuriis, fractis aggeribus, cum iam liquidus amnis demanat, euagatur latiſſime, & hic ſegetem, prata alibi, extra modum inundat, editque non raro, hominum pecudumque ſtragem deplorandam. Proinde, ad ſe pertinere magiſtratus prouinciæ exiſtimant, vt hæc iſtiusmodi damna, arceant. Sunt qui ob has *Danubii* iniurias, *Csallóköz*, vocatam ab Hungaris, inſulam, credant. Accidit enim, cum eſt lautæ meſſis ſpes ampliſſima, fraudari

defenſatur, obiectis Danubio, aggeribus:

d.) *Notitia Germaniæ Antiquæ*, Lib. I. Cap. III. §. I. pag. 29.

e.) Epigrammate IV. de *Danubio*.

f.) Germaniæ Antiquæ, Lib. III. Cap. XXXI. p. 123.

g.) Oppidum eſt *Comitatus Moſonienſis*, meridionali *Danubii* ripæ hæreſcens.

ri ea colonum, ſubitaneis eluuionibus: tametſi, non exundatione ſolum, verum etiam nebulis, damna in annona fieri, certum ſit. Segetem nimirum, meſſi proximam, immo nonnunquam demeſſam, in manipulis, grano exinaniri; ſaltem, ita vitiari accidit, vt præter glumam, & paleam, nil quidquam in ariſtis, ſuperſit. Nolim contraire, vulgatæ huic etiam inter doctos, opinioni. Illud certum eſt, exſtare monumenta, quæ ſuadeant, a vico *Csalló*, qui eſt in aditu inſulæ, Piſonium proſpiciente, iamque *Cselle* dicitur, nomen deriuari oportere. Vt taceamus, diuaricatos, vtraque inſulæ parte, ad falcis modum, fluminis alueos, potuiſſe, apud agreſte vulgus, adpellationi dare occaſionem, vt *Sallo-Köz*, hoc eſt: regionem dicerent, quaſi falcato vtrinque *Danubii* ambitu, tamquam falcibus, concluſam. Quidquid eius ſit, rectius a *Csalló*, *(h.)* ſeptentrionali *Danubii* alueo; quem ita vetera *Piſonienſium* diplomata adpellant; totam inſulam credideris vocitatam.

Csallóköz, *vnde dici credant.*

§. III.

NObilitauit *Inſulam Hunno-Auarorum* clades, a CAROLO M. edita, quam BONFINIVS *(i.)* meminit. Profligati nempe, ad *Iaurinum Hunno-Auari*, huc liberos, & vxores, cum eximia parte exercitus, coniecerant. Vſus interea victoria CAROLVS, cum porro inſequitur fugientes, atque *Chagani* regiam, expugnat diripitque: *Hunni*, hic relicti, omni ſe ope circumuallant, inſulam, qua faciles habebat aditus, communiunt, planeque confidunt, ea prouidentia, reliquam, a clade, ſeruari poſſe multitudinem. Sed CAROLVS, ab inſequendis *Hunnis*, per Dacos & Iazyges, redux, ne quid belli a tergo eſſet reſiduum, huc claſſem exercitumque admouit. neque ceſſauit ante locum oppugnare, quam euinceret; id quod ſuo *(k.)* loco memoratum a nobis eſt. Atque, iſtius ego ætatis, crebra illa caſtrorum veſtigia, quæ a *Tartaris* relicta credit vulgus, ideoque, *Tatár-Ülés*, vocitat, fuiſſe exiſtimarim: quippe, quod multum habent vetuſtæ ruditatis, iam non parum adobrutæ.

Hunno-Auarorum, *in hac inſula, clades.*

§. IV.

TErra vndiquaque fertilis; ſed ſolo, quam cælo, melior, atque, vti fœcunda frugum, & pomorum omnis generis; ita, aeris ad maturandas ſegetes, quod dictum eſt, iniqui & peſtilentis. In primis luxuriat graminibus, non lætis modo; ſed etiam dulcibus. quæ, & bene fariant pecora, &, ſi pabulo modus adhibeatur, haud longo tempore paſta, eximie faginant. Nec deſunt feræ, & piſces omnis generis. Media, inſulæ maioris, intercapedo, aper-

Quæ ſit ſolo & cæli natura?

h.) Supra, *Parte Generali*, *Membro Phyſico*, §. *V. num. I.* Ita dicimus: *Rábaköz*; *Muraköz*, hoc eſt: *Inſula*, quam *Rába*, ſeu *Arrabo*, & *Mura*, ambitu ſuo, moliuntur.

i.) Decade 1. Lib. IX. p. 139., 40. & p. 142., 40.

k.) Vide, Hiſtoriam *Vrbis Piſonienſis*, Cap. II. §. VII.

aperta eſt, & nonniſi ſatiuis hinc inde arboribus, interpuncta. Sed qua flumen pererrat, omnibus ripis ita ſilueſcit, vt lignandi opportunitate, toti oræ, facile ſufficiat, infinitasque alat feras, ceruos, damas, lepores, phaſianos, perdices, attagines, ruſticulas, anates, *reliqua.*

incolarum ingenium: Incolæ *Hungari*, plerique e vulgo, ſtrumoſi ſunt, & tardæ mentis. *Beotiam* diceres, ita ſunt ingenio ſegni, & inficetis moribus. Olim, crebriores nati fuiſſe dicuntur, gentis quodam opprobrio: nunc in dies eduntur pauciores. quod alii quidem conuenarum multitudini, adſcribunt; alii matrimoniis, cum delectu inſtitutis: nam, vti ſtrumoſus, refugit ſtrumoſam; ita hæc, raro nubit, niſi qui eo vituperio careat. Sed ſunt tamen, ne quid diffiteamur, qui militum, inter eos hibernantium, conſuetudine, aiant interpolatos. *Nobiles*, qui ſunt, tuentur eam prærogatiuam mordicus; tametſi multi aratra ſequi, & verſare falces, ac trituram, ob rei anguſtiam, cogantur. Illud adfirmarim, nobilitatem tota Hungaria, *Csalló-Közienſi* antiquiorem, haud facile reperiri. Nouimus aliquos, quorum maiores, a S. STEPHANO, eam prærogatiuam accepere, tametſi iam re ſint exili.

nobilitatis vetuſtas.

§. V.

Inſula, vicis frequens. VIcis, tam frequens eſt inſula, vt paſſim nimia vicinitate, laborent. ISTVÁNFFYVS *(l.)* CCLVII. numerauit ſuo tempore. Auium domeſticarum nusquam maior copia. Alunt eas quæſtus gratia. Copioſum quoque, arborum fructiferarum eſt ſeminium: peponum autem, ſi annus fauit, inexhauſta vbertas. Atque hæc de *Inſula*, generatim dixiſſe, ſuffecerit. Sequitur, vt quemadmodum in *Proceſſus duos* diſpertita eſt; ita vtriusque loci, breuiter recenſeantur. *Proceſſu* ergo *Superiore* continentur, quæ ab vrbe *Piſonienſi*, tribus fere milliaribus, longe lateque decurrunt. Horum alia, ſunt in *Inſula*, ea *maiore*, in *minore* alia. quam ſupra meminimus. Iam ad loca ipſa veniamus.

SECTIO I.

DE

Caſtris & Caſtellis nobilioribus, Proceſſus Inſulani Superioris.

ARces, ſi *Eberhardenſem* excipias, nullæ inſunt *Proceſſui* noſtro: *caſtella* plura, quorum præcipua recenſebimus.

SY-

l.) Lib. VI. fine.

SYNOPSIS.

Caſtri Eberhard *poſitus: auctores: heri hodierni.* §. I.

Caſtellum Püspöky: *eſt Archiepiſcopi Strigonienſis.* §. II.

Csákány: *Ciſtercienſium.* §. III.

Gomba, *Szeleptsénii opus: qua eius nuper fuerint opportunitates.* §. IV.

Illyésháza, *eius gentis originibus, illuſtre: iam rudus eſt.* §. V.

Nagy-Szarua, *Illyésháziorum hæredium: vidit hoſpitem* LVDOVICVM II. *cum* MARIA. §. VI.

Vſzor, *Naſzvádiorum ſedes.* §. VII.

Királyfalua, *Pálffyorum ſeceſſus: eius habitus, factus ad magnificentiam: hortus adſitus, multa elegantia: machina hydragoga: helliocamini: fructus exotici: villa ruſtica.* §. VIII.

§. I.

Caſtrum Eberhard.

VEtuſti eſt operis, in planitie, decliui in tumulo excitatum, & foſſis, alte depreſſis, circumcinctum. Nomen indicat, *Germano*, quisquis ille fuerit, originem debere. Crediderim, vni e *Comitibus de S. Georgio* & *Bozin*; hos enim e Germania in Hungariam veniſſe, certum eſt. Quid quod? iure hæreditario, parte altera, adhuc ſpectat, ad ditionem *S. Georgii*; altera ad *Maholánios*. Olim, cum *Comites de S. Georgio & Bozin* deſiiſſent, in poteſtatem *Michaelis Mirei* venerat. Eo, ſtirpitus emortuo, multum elaborauit Comes *Iohannes Draskovitz*, vti ſui iuris poſſet facere; ſed difficultatibus, quæ interceſſerunt, deiectus a propoſito eſt.

Caſtri Eberhard *poſitus:*

auctores:

heri hodierni.

§. II.

Caſtellum Puſpöky.

ARchiepiſcopatus *Strigonienſis* hæredium eſt, non tam ædificii cultu; qui fere deſiit; quam vrbanæ villæ commoditate, memorandum. Occupat locum, cognominis oppidi, inferiorem, ſitu quidem plano; ſed hilari, ob ſubfuſam regionem, patentem eam, vberemque.

Caſtellum Püspöky: *eſt Archiepiſcopi Strigonienſis.*

§. III.

Caſtellum Csákány.

POſſeſſio *Ordinis Ciſtercienſium.* In orientem, a priori recedit, inſeditque, loco pariter amœno; ſed, quod raro frequentatur, cultus experte. Ergo, prorſus rei ruſticæ, & accipiendo villico, deſtinatum eſt.

Csákány: *Ciſtercienſium.*

§. IV.

Caſtellum Gomba.

Gomba, *Szeleptsénii opus:*

EXcitauit hoc, coadunatis *curiis* pluribus, *Georgius Szeleptsény*, Archiepiſcopus Strigonienſis, ædificio quadrangulo, forma eleganti, quatuor commiſſa turriculis. Fuerunt ei cubicula, digna tanti hoſpitio præſulis. Heic, celebrem illam officinam inſtruxerat, in qua panni fiebant, *Hollandicorum* ſimillimi, & *Anglicis* propemodum ſuppares. Magna, inuſitatum operarum genus, impenſa conſtitit. Præterquam enim, quod textrinæ, ſingulari diligentia, & imitatione exterorum, excitandæ erant; integros, exoticarum ouium greges, lanæ cauſſa, cura extra modum ſcrupuloſa, ali educarique oportuit. Quin & hortum, laxæ capacitatis, poni curauerat, idem præſul, in quo, peregrinæ herbæ, & frutices, ſererentur, colorum ſuccis idonei. Inualuerat, ad eum modum, inſtitutum, vt nobiliſſimi panni plurimum contextum fuerit; ſed, quod vendendi eius ratio deficiebat, ſaltim non ea fuit, qua ſuſtentari potuiſſet opus, ſumtus ingentis, viuo adhuc præſule, labaſcere occepit, eo vero mortuo, prorſus intercidit. Erant præterea, inſignes, circa caſtellum, piſcinæ, atque ferarum viuaria: reliqua autem, ad habitandum, cum voluptate, opportunitas tanta, quantam, tota vix facile inſula, repereris. Peruenit poſt ad *Barones Maholánios*, a quibus id *PP. Ciſtercienſes*, ære quatuor millium repræſentato, iure pignoris obtinuerunt, cœperuntque, ex ruderibus inſtaurare.

quæ eius nuper fuerint opportunitates?

§. V.

Caſtellum Illyésháza.

Illyéshá-za, *eius gentis originibus, illuſtre:*

ILluſtri olim prætorio ſuperbiit, quod *Stephanum Illyésházyum*, primum in hac gente, *Comitem*, poſteaque *Regni Hungariæ Palatinum*, exeunte ſeculo decimo ſexto, cum coniuge, *Catharina Pálffy*, eduxiſſe accepimus, vti natale ſolum; hic enim, equeſtri e familia, vetere ea, & bellica laude inſigni, ſatus fuerat; cohoneſtaret. Sed cum is, anno MDCIII. ob concitatam in ſe, Rvdolphi Cæſaris indignationem, profugiſſet in *Poloniam*, nuperum opus, diiectum eſt, iuſſu regis, an æmulorum inuidia? Inerat vico cognomini, prope ad *Danubium*, cui iam præter deraſas parietinas, nil quidquam ſuperat.

iam rudus eſt.

§. VI.

Caſtellum Nagy-Szarva.

Nagy-Szarva, *Illyésházio-rum hæredium:*

EIusdem *Comitis* hæredium, æquali, inter vtrumque *Danubii* alueum, interuallo, planitie erectiori, ideoque eluuioni haud obnoxia. Habet tamen piſcinam, a ſeptentrione contiguam, ele-

eleganti, & obtutu & fructu. Aedificium eſt quadrangulum, operis vetuſti, ſed hoſpitii *Comitis*, dum adeſt, opportuni. Olim tenebatur ab *Ambroſio Sarkány*, a quo LVDOVICVM II. Regem, cum ſponſa MARIA, hac *Budam* deſcendentem, lauto prandio exceptum, ſcribit ISTVÁNFFYVS. *(a.)* LVDOVICVS, inquit, MARIAM *coniugem, ſecundo Danubio, Poſonium vſque deducendam curauit, eousque obuiam progreſſus. cumque Poſonio diſcedens, terreſtri itinere, ad villam* Szarvam, *die Veneris diuertiſſet, quo die Chriſtiani carnibus abſtinere ſolent, ab Ambroſio Sárkányo, lauto conuiuio exceptus eſt: admirante regina, plurimos. varii generis piſces, & in primis, marinos illos cetaceosque ab Euxino Ponto, in Danubium commeare ſolitos, qui vulgari nomine; Vſones adpellantur.* Hæc tunc caſtelli celebritas fuit.

vidit hoſpitem Ludouicum II. *cum* Maria.

§. VII.

Caſtellum Uſzor.

IVcunda loci poſitio, lætum ædificium, opportunitates item, ad ruſticandum, ſi vſquam, heic profecto ſunt exquiſitiſſimæ. Incolitur a nobilibus *Naſzvádi.*

Vſzor, *Naſzvádiorum ſedes.*

§. VIII.

Caſtellum Királyfalva.

EST Comitis IOHANNIS PÁLFFY, nuper Croatiæ Bani, nunc Iudicis Curiæ Regiæ, longe omnium amœniſſimum diuerticulum. Diſtat *Piſonio*, quatuor in orientem, milliarium interuallo, ſedetque, intra minorem inſulam, propter ſeptentrionalem Danubii alueum, loco hilari & iucundo, dignoque, qui *regius* adpelletur: id enim caſtello nomen, *Királyfalva*, hoc eſt: *Regius Vicus.* Germani *Königs-Aden*, rectius *Königs-Öden*, vocant. Fama eſt, reginarum olim prædium fuiſſe, villa vrbana cultum, quodque ſiluoſis nemoribus, pone Danubii latera porrectis, obſidebatur, tuliſſe nomen deſerti: nam *Öde*, deſertum ſignificat Germanis. Alii, a regis, quisquis ille fuerit, genero, poſſeſſum fuiſſe locum, aiunt, vnde vocabulum *Königs-Eydam*, & noſtrorum dialecto, *Königs-Aden*, ſubnatum ſit. Nihil laboramus de adpellatione. Hodiernus caſtelli habitus, ita comparatus eſt, vt egregie nomen regium tueatur; ſiue ædificii nitorem, ſiue poſſeſſoris, partam pace belloque gloriam, exiſtimes. Nimirum, anno MDCCIH. motibus *Rákóczianis* adtritum fuit, odio *Comitum*, CAESARI fide integerrima, adhærentium. Sed pace facta, recuperauit amiſſum decus, quod IOHANNES PÁLFFY, extra modum, ſeceſſu iſto, cœpit oblectari. Inſtaurabatur autem ſumtibus fratrum, *Nicolai* nempe, & *Iohannis*, eum in modum, vt porrecta a meridie, in

Királyfalva, *Palffyorum ſeceſſus:*

eius habitus, factus ad magnificentiam:

a.) Libro VI. extremo.

in ſeptentrionem, magnifica ædificii mole, paſſuum circiter CL. longitudinem, æquaret. Bipartito eam vterque poſſidebat, atque id ſine querela. Sed cum *Iohannes*, eo ſeceſſu, in primis lætaretur, neque tamen ex animi ſententia, perfrui eodem poſſet, dedit operam, vt partem, quæ *Nicolai* fuerat, ſuam æquiſſimo iure, faceret. Id a fratre anno MDCCXXVI. conſequutus, muros, qui herciſcebantur ædificium, eliminauit, coniunctisque partibus, vtrumque latus caſtelli, illuſtri ſpecie, commiſit. quin & conclauibus, more ſuo, mirifice ornatis, ad eum modum inſtruxit: vt iam, ne regum quidem hoſpitia reformidet, domus, ad omnem perculta magnificentiam. Quemadmodum vero palatia, eminent latere gemino, in occidentem longiore, breuiore in ſeptentrionem; ita partes reliquas, quæ longiori illi obuerſæ ſunt, in orientem & meridiem, primum occupant cameræ, deinde equorum ſtabula, & denique, in extremo angulo, hippodromus.

hortus adſitus, multa elegantia:

Inde hortus init, reditque iuxta caſtellum, eadem longitudine, ad aquilonem, modico tantum intermiſſo interuallo, inter vtriuſque muri poſitionem. Murus enim, & hortum ambit, paſſuum plus minus, ter mille circuitu. Hunc, portæ interſtinguunt ſubdiales, tanta laxitate, quanta ſunt horti interordinia. Clauduntur autem clathro ferreo, parte anteriore & poſtica, vt apertus viridarii adſpectus fieret, prætereuntibus. Sed partem alteram, huic obuerſam, murus incingit humilior, quam qui eſt a reliquis lateribus; propterea, quod illic *Danubio* communitur. Qua frons horti, viam regiam proſpicit, turris aquaria, flumini adpoſita eſt, orgyiarum plus minus VI. altitudine. Hydragogæ ei machinæ ſunt inædificatæ, quæ aquam ex ſubeunte amne hauſtam, ad ſummum turris faſtigium educunt, ibidemque in aheneum cadum, qui pro loci intercapedine ingens, ſub tecto turbinato eſt, effundunt. quæ demum, vehementi deiectæ impulſu, per diuerſas horti partes, ſubterraneis ductibus ſparſæ, erumpunt, in complures lacus teſſellati operis, fuſoribus æneis, ea, qua ex turri deciderant, altitudine. Quæ res, permultum horto adfert iucunditatis, eſtque oblectamento ſpectatoribus. certe, rigando ei, vix quidquam excogitari potuit commodius.

machina hydragogæ:

heliocaminī:

fructus exotici:

Medium horti, domus occupat, diſtinctis conclauibus, complures heliocaminos complexa. In his, arbores citreæ, diuerſiſſimi generis, & fructus varii, ac nihil non exoticorum fruticum, fouetur. Vidimus & fabas Turcicas, *Caffé* vulgo dicunt, fœcundis baccis, materiaque viuida, peculiari loco educari, egregieque proficere. Vt nihil dicamus, de *malogranatis*, & pomorum pyrorumque generibus aliis, quæ pumila æque, ac procera arborum ſilua, inſitata, & mole, & ſucco procreat. Paucis, *Királyfaluenſis* hortus, omnium, quos vnquam poſuit *Hungaria*, & inſtructiſſimus eſt, & ea magnificentia conſitus, quam nemo, niſi alter ſit *Pálffyus*, æmulari poſſit.

villa ruſtica.

Infra hortum, villa ruſtica viſitur, centum paſſibus, in orientem, eadem fluminis ripa, ſepoſita, ædificio quadrangulo, crebrisque

que pro re pecuaria, ſtabulationibus diſtincto. Vaccarum genus *Helveticum*, vix alibi videas nobilius. Illic, nobis forte diuertentibus, bubulcus, anno iam vernante, pecus e ſtabulis, in paſcua primum educebat. Eo, in genua prolabente, armentum, quaſi eſſet conſcium, precibus ſe, a paſtore, nouellis pabulis initiari, præter morem boare cœpiſſe, obſeruauimus, erumpereque, cum luculenta lætitiæ ſignificatione. quod, tametſi nihil habeat peculiare; admonuit nos tamen, inhumanitatis eorum hominum, qui accepta cælitus beneficia, ne tanti quidem faciunt, quanti id feciſſe pecora vidimus. Caſeus, qui hic cogitur, ſeu ſapore, ſeu præſtantia, *Heluetico*, haud cedit; *Batauum* autem præclare æmulatur. Reliqua, circum, loci opportunitas, nihil habet, quod non ſit eximium; ſi culices excipias. Hi enim, æſtiuis menſibus, ita copioſi ſunt, atque moleſti, vt vix depellendis remedium ſuperſit.

SECTIO II.

De

Oppidis, quæ Priuilegia habent, Proceſſus Inſulani Superioris.

Oppidorum, in hoc *Proceſſu*, quæ iuribus gaudent peculiaribus, quatuor ſunt, eaque in *Inſula Maiore* poſita.

SYNOPSIS.

I. *Oppidum* Püspöki: *Nomen oppidi, a præſule tractum: aedium habitus: poſitionis modus: ruris qualitas.* §. I.

Traiectus Püspökienſis, mutua Cæſarianorum, & Rákóczianorum *clade nobilitatus: rei, a* Trampio, *infeliciter geſta, hiſtoria: perfidia Püspökienſium.* §. II.

II. *Oppidum* Samaria: *Oppidi nomen genuinum: ſitus ratio: traiectus difficultas.* §. I.

Eius vetuſtas, & iura peculiaria. §. II.

Aedium habitus: templum & cœnobium S. Franciſci de Paula: *cuius ſit ditionis oppidum: magiſtratuum & incolarum indoles.* §. III.

Eſt totius fere inſulæ emporium: nundinæ annuæ: hebdomadariæ: fœdatur incendiis frequentioribus: prouincialium iudicia heic celebrantur. §. IV.

Agri, & panis huiatis, laus. §. V.

III. *Oppidum* Csötörtök. *Vnde dicatur: eius opportunitates, & incolæ: nundinæ: prædium* S. Eliſabethæ: *quibus frequentetur cerimoniis.*

IV. *Oppidum* Nagy-Magyar: *eius ſitus & frequentia: eſt patria* Nicolai Illyésházii, | *nuper Cancellarii: agri habitus:* Rákóczianorum *aggeres: clades:* Mérges *inſula.*

I. Oppidum Püspöki.

§. I.

Nomen oppidi a praſule tractum:

PÜSPÖKI, Germanis *Biſchdorff*. Nomen, linguæ vtriusque, *Hungaricæ*, & *Germanicæ*, ab hero, qui eſt *Archiepiſcopus Strigonienſis*, traxiſſe, certum eſt. Nam *Püspök*, voce ex Græco Ἐπίσκοπος detorta, præſulem apud Hungaros, notat: inde *Püspökè* cum *ſuffixo poſſeſſiuo*, locum, qui ſit epiſcopi. Germani certe, rectius *Biſchoffs-dorff* adpellarunt. Oppidum, incolis, qui *Hungari* ſunt, frequens, atque ædium ordine æquo, ſed crudo laterculo inſtructarum. Templum, eo fine inſedit, qua oppidum in meridiem exit. Hinc caſtellum eſt *Archiepiſcopi*, in orientem ſepoſitum. Situs ei in orientem & meridiem, quam qui eſt a ſeptentrione, contigit depreſſior. Eadem plaga, via inſulæ regia, decurrit, propter pomaria, quibus oppidum circumcingitur. In ſolis ortum, rure eſt aperto, multisque & vberibus agris, ſubacto. Reliqua, ſilueſcunt magis, &, tametſi patent ſegetibus paſcuisque; tamen, arbuſtis hic, nemoribus alibi, interſtinguuntur. Ea in primis ora, quæ ad traiectum *Vereknyenſem*, in aquilonem recedit, amœnum præbet iter, ex inſula, & *Piſonio*, vltro citroque commeantibus. Par, & in *fauonium* terrenum procurrit: quippe, crebrioribus pratis, pomariisque, per quædam quaſi interordinia *Danubii*, inſeſſum. Angulus eſt, quem flumen molitur, alueorum altero, ad orientem, ad meridiem altero, declinantibus. Vtrinque plures, ſed minores inſulæ interſunt.

adium habitus:

poſitionis modus:

ruris qualitas.

§. II.

Traiectus Püspökienſis, *mutua Caſarianorum, & Rákóczianorum clade, nobilitatus:*

rei, a Trampio *infeliciter geſta, hiſtoria:*

EIusdem anguli latus occidentale, quod *Köpcsényo* obiacet, traiectum habet, quo ager *Moſonienſis* aditur. Clades hunc nobilitauit, dubium, Hungarane magis, quam Germana. Annus erat MDCCIV. *Rákóczziana* ſeditione infamis. Eius miles, caſtra hic poſuerat, obſeſſoque traiectu, late transamnanam regionem euaſtabat. Id, vt prohiberet *Trampius*, Danorum auxiliarium tribunus, coadunato exercitu, XIII. Calandas Maii, *Piſonio*, in hoſtem mouit. Octingentos Danorum pedites, Germanorum trecentos, e *Piſonienſi* delectos præſidio, in naues impoſuerat. quas, centum lectiſſimi pedites, cum tormentis colubrinis duobus, in continenti comitabantur. Ad traiectum delati, atque exſcenſione celeriter facta, ordines noſtri ſtruere, atque hoſtem adgredi. Occurrunt, pro caſtris, *Hungari*, velitationemque, non pugnam rati, ex more, in hoſtes, impetu quam conſtantia, maiore proruunt. Excipiuntur a *Caſarianis* fortiter, immiſſoque glandium imbre, intra vallum reiiciuntur. Ibi, pars in

ſub-

ſubeuntes hoſtes iaculari, pars vaſa colligere, omnes denique fugam circumſpicere. Ea trepidatione *Rákóczianorum*, Dani vtendum rati, non ante ceſſant, turbatis inſtare, quam caſtris *Hungaros* depellerent. Fugientes, ne poſſent inſequi, nox intempeſta, & inſidiarum metus, prohibuit. Ergo, caſtris hoſtium inſeſſis, tantiſper ſubſiſtunt, dum, quo loco ſint res hoſtium, intelligerent. Vix dies illuxerat, cum *Püspökienſes* incolæ, *Trampium* ſupplices adeunt, officium fidemque ſimulant. Interrogati, vbi hoſtis conſediſſet? vacuum reliquiſſe oppidum, atque præcipiti fuga, longius euaſiſſe, reſpondent, quam vt diurno itinere, poſſit deprehendi. Credidit imprudens *Trampius*. Itaque, ducentos e ſuorum numero, deligit, qui ſubirent oppidum, imperarentque commeatus. Illi, ſenatu cum oppidanis habito, cum, quod iuſſi erant, incauti faciunt, nec opinato ab hoſtibus obruuntur. Erat oppidum, vallo, & depreſſis foſſis, communitum, ſed nulli vſpiam excubarores: quippe quos, magno numero, ſub rectis occuluerant oppidani. Hi ergo, dato ſigno, ex latebris prouolant, factoque, hic atque illi ccuneo, in *Cæſarianos*, nil quidquam hoſtile metuentes, incurrunt; mox oppidanorum aucti manipulis, valli portas inſident. Adtoniti *Trampiani*, cum apertis oppidi vicis, fruſtra ſe defenſarent, tandem, denſatis ordinibus, intra cœmeterium ſe conïciunt. Huc, vbi venere, fortius, neque ſine clade hoſtium, reſiſtunt. Id importune accidit, quod, dum *tribunus*, qui cohorti moderabatur, e turri, porrecto longius capite, in *Hungaros* deſtinatis ictibus, auidius iaculabatur, glande, ab agreſti furcifero, per caput transuerberatus, occubuerit. Eo enim aduerſo, *Rákócziani*, ad muros cœmeterii adſiliunt, deiectisque propugnatoribus, id occupant. Sæuitum poſtea in captiuos fuit, tanta atrocitate, vt ne arma quidem ponentibus, parceretur. Qua in re, oppidanorum cum primis deteſtanda fuit perfidia: quippe qui, non modo in has inſidias induxerint *Cæſarianos*; ſed barbara etiam feritate in captos ſæuierint. Nuncio, rei infeliciter geſtæ, celeriter, vti fit, ad *Trampium* perlato, is quidem nihil cunctatus, cum ſuis adcurrit, atque oppido, quaſi corona cincto, acceptam cladem vlciſci parat. Nequiuerunt reſiſtere *Hungari*, ſiue ab oppidanis deſerti, ſiue perturbati maleficii conſcientia. Proinde, pertuſis portis, oppidum ſubit *Trampius*, obuios quosque ſternit, atque latebris perueſtigatis, magnaque, in hoſte edita ſtrage, expilatum oppidum, incendio delet. Victorem ſe *Trampius* exiſtimabat, cum *Hungari*, recollectis, ad *Samariam*, viribus, altero, quam hæc geſta fuerant, die, cum quinque millium exercitu, *Cæſarianos* adoriuntur denuo. Pugnatum vtrinque eſt acriter, ſed a noſtris infelicius. Quia enim, maior in paucitate iactura eſt, iamque cadentibus plurimis, nequirent ordines, inter pugnandum ſeruari, pedem referunt, ſeque ad traiectum, præcipiti curſu recipiunt. & correptis, quæ ſors obtulerat, nauibus, traiectum moliuntur. Multos, euadendi hæc opportunitas, ideoque, & vita ipſa, deſtituit. Graſſabantur enim *Hungari*,

perfidia Püspökienſium.

gari, in ſparſos per amnis ripas, tanta acerbitate, vt alios quidem, gladiis conciderent, in *Danubium* proturbarent alios, poſteaque, globorum iactibus, natantes conficerent. Tantus, eo prælio, clamor ſublatus eſt, vt pugnantium fremitus, *Piſonium* vſque, milliari in occidentem ſubmotum, exaudiretur. Hæc tunc *Püspökienſium*, & fortuna fuit, & maleficium.

§. I.

II. Oppidum Samaria.

Oppidi nomen genuinum:

SAMARIAM, vulgus Latinum; *Somorja* Hungari; *Sumarein* Germani; *Schomorin* Slaui; praue omnes, adpellant: rectius, S. MARIAM vocarent. nam diplomata, *Fanum S. Mariæ* dicunt, credo ob ſacram ædem, eius nomine, iſthic primitus dedicatam. Oppidum eſt, priori multis modis amplius, præſtantiusque: non modo, ob

ſitus ratio:

loci poſitionem; ſed celebritatem etiam. Occupat ſolum campeſtre, atque nullis interiectis ſiluis, patens; erectius tamen paullo, quam quod eſt verſus fluuium. Propius ante ſubluebatur a *Danubio*; ſed, qui flexo in meridiem alueo, iam receſſit longius, veſtigio tantum relicto, cui hodieque *Hölt-Duna*, nomen eſt, quod *emortuum Danubium* ſignificat; tametſi adhuc reſtagnet aquis, quas ei crebræ eluuiones, ſuffundunt. Itaque, quod caret emiſſario, piſcinæ inſtar eſt, habetque fœcundum, varii generis, ſeminium. Situs hæc ratio facit, vt rarius, vsque ad oppidum pertingant exundationes; niſi forte, diſcuſſa alibi glacies, iſthic alueum Danubii obturarit. Tunc enim, intumeſcentibus vndis, late, omnis circum regio, offunditur. Tra-

Traiectus difficultas.

iectus *Danubii*, quem *Somorjenſem* vocant, quique in *Moſonienſem* agrum transmittit, impeditior eſt, quam pro commeantium frequentia. Fiſſus enim, obiectu inſulæ & puluinorum, alueus, extra modum remoratur transiicientes.

§. II.

Eius vetuſtas, & iura peculiaria.

AD ipſum oppidum, quod adtinet, vetuſtum omnino eſt, & multarum prærogatiuarum, iuriumque peculiarium, quibus id, priſci Reges donauerunt. Quæ nobis videre contigit lectitareque, RVDOLPHI II. anno MDLXXXIII., die II. Ianuarii, edito *Viennæ* diplomate, tamquam vno faſce, *Ladislai Cumani*, *Sigismundi*, *Alberti*, *Ladislai* poſthumi, & *Matthiæ* Coruini, continebantur. Singula recognouit CAROLVS VI. anno MDCCXII. die VI. Iunii. *Piſonii Ludouicus II.* id oppido indulſit, vt, ſi dies ei dicatur, a *Cauſarum Regalium Directore* defenſetur. *Matthias* Coruinus, anno regiminis quarto, inſulanum ei prædium *Szap*, hodie *Csap*, æterno iure donauit: *Sigismundus*, iisdem priuilegiis voluit perfrui, quibus *Piſonium*. reliqua. In plerisque diplomatibus *Ciuitas libera* vocatur *Samaria*.

§. III.

§. III.

COlitur ædibus, neque ſuperbis, neque ſordidis, procurritque gemino vico, quorum, qui *Piſonio* venientibus, dexter eſt, forum habet, oppidanorum prætorio inſeſſum. Templum, in meridiem recedit, ſtructura ſolida, & eleganti. Annis ſuperioribus, cœnobium, ordinis, vt vocant, *S. Franciſci de Paula*, meridionali fori latere, ædificio quadrato, & ſupra domus reliquas eminenti, ideoque, toto oppido, pulcherrimo, excitari cœpit. Veterrimo, quod in diplomatibus vidimus, iure, in ditione arcis *Piſonienſis*, oppidum fuit. Proinde, qui huic cum imperio, hoc eſt, *Capitanei* titulo, præeſt, idem & oppido potitur. Ceterum, oppidanæ multitudini, magiſtratus moderantur, e ciuibus ſublecti, eo prorſus ritu, qui in vrbibus obtinet. Sunt nempe, duodecim ſenatores. e quorum numero, liberrimis ſuffragiis, prætor, ſeu iudex, deligitur. Annua huic poteſtas. qua, ſi prudenter moderateque vſus eſt, in plures ei annos prorogatur. Senatui *notarius* additur, quem doctum, & peritum iuris patrii, requirunt: vt, quod viris ſenatorii ordinis deeſt, hic vnus expleat. Nam, plerique plebei ſunt, neque exculti litteris. Ciues olim, ſine vllo alienigenarum contagio, *Hungari* fuerunt. Iam, poſt tot clades, *Germani* quoque & *Slaui*, in ſupplementa recepti ſunt; ſed hi, illis parciores. Varia eis occupatio eſt. Alii enim, ſola agricolatione, mercatu, & opificiis alii, multi vtroque rem faciunt, & qua poſſunt, auctitant. Sed, mores gentis quisque ſuæ retinet: idque tenaciſſime omnium *Hungari*; in quorum inſtituta, *Germanos*, non raro, *Slauosque* tranſire videas. In primis tuentur hoſpitalitatis laudem, cui *Germani*, lucripetæ illi, adſueſcunt difficilius.

Ædium habitus:

templum, & cœnobium S. Franciſci de Paula:

cuius ſit ditionis, oppidum:

magiſtratuum, & incolarum, indoles.

§. IV.

ALioquin, emporium dixeris, *Somorjam*, totius inſulæ; ita hic, non vernaculis modo mercibus, ſed peregrinis etiam, forum, & extra nundinas, refertum eſt. Videas enim, panno ſerico, pharmacis, & aromatum refertos fornices. Id vero non oppidi ſolum, ſed totius oræ, commune eſt emolumentum. Concurritur enim huc, ex tota propemodum inſula, emendi & vendendi cauſa. Annuarum nundinarum, (*) ſtati ſunt dies: *menſe Martio*, *B. Gregorii*; *D. Helenæ*, *Maio*; *Auguſto*, *S. Bartholomæi*; atque *Omnium Sanctorum*, *Nouembri*. Harum commercia, etſi præcipua increbuerunt opinione, non minori tamen frequentia hebdomadariæ quoque, celebrantur. Ad has, quidquid ruſticarum eſt mercium, ac præcipue, rei frumentariæ, ſingulis *Saturni* diebus, innumeris plauſtris, conuehitur, tanta mercantium auiditate, vt antequam ineat meridies, vacuum omni eo adparatu, forum relinquatur. Vnum illud, infelices oppidanos facit, quod crebrioribus euaſtantur incendiis. Non

Eſt totius fere inſulæ, emporium:

nundinæ annuæ:

hebdomadariæ:

ſæpius incendiis frequentioribus:

*) Has oppido, CAROLVS VI. ſingulari diplomate, an. MDCCXII. die VI. Iunii, adfirmauit denus.

hic facile domum obſeruaris, quæ luſtris pluribus ſteterit. Carcerum *Samariæ*, maxima eſt reformidatio. Ex curiæ hi fundamentis, forum ſubeunt, perpetuo fere cœno, ſordidi. Huc reos capitis coniiciunt prouinciæ magiſtratus. Nam, iudicia quidem prouinciæ, quæ vulgo *Sedes Iudiciarias* vocant, hic agere ſueuerunt: quod ſane, ad oppidi pertinet celebritatem. Sigillum Oppidi S. Mariam refert: cuius auctoritatem prorſus *autenticam* eſſe voluit *Ludouicus II.*

prouinciarum iudicia hic celebrantur.

§. V.

Agri, & panis humiditis, laus.

AGri, quo circumſidetur, laus eſt præcipua, quod ſementi amicus ſit, triticoque in primis. Itaque, habent incolæ, laudatiſſimi, quem coquunt, panis gloriam, nulli, facile tota prouincia, ſecundam. Panarium *Piſonienſium* diceres, tanta eius copia, in dies fere ſingulos, inuehitur in vrbem. Cuius coquendi laborem, non, vti apud *Germanos*, viri; ſed feminæ, ſuum faciunt. Has oppidi commoditates, minuit quodammodo, lignationis difficultas: nam ager quidem, quo lætatur, ſiluis nudus eſt. Itaque, ex inſulis, lignorum, quod & foco, & furnis ſufficiat, petant neceſſe eſt. Recedit *Piſonio*, tribus milliaribus, in ortum æſtiuum.

III. Oppidum Csötörtök.

Vnde dicatur oppidum:

DIem *Iouis*, eo vocabulo, Hungari adpellant, quod a *Slauis* manauiſſe, palam eſt: quibus, & idem ille dies, & noſtrum hoc oppidum, *Cſtwertek* dicitur. Ad imitationem veterum, *Fanum Iouis* poſſet vocari. Germani *Leopersdorff*, diplomata, quæ legimus, *Leopolds-Dorff*, *(a.)* nominant. Oppidum eſt tenue atque ædificiis multo, quam *Samariæ*, vilioribus inſtructum. Recedit inde in ſeptentrionem, agro pariter aperto, atque frumenti, & omnium ſeminum, ferace. Sed pratis, quin & aruis, paſcendæ pecudi idoneis, multo, quam pro ruſticationis commoditate, exilioribus eſt. quin & lignationem, a vicinis, ære redimat, neceſſe eſt. Oppidani, omnes ſunt *Hungari*, eandem, quam *Samarienſes*, vitæ rationem ſequuti, tametſi opportunitate multo minore. Ante cladem *Mohátſianam*, a *Germanis* colebatur. quod nos anni MCCCCLXXXVIII. *protocollum* docuit. Sunt oppido, annui mercatus, qui heic diebus: *Inuentionis S. Crucis; D. Valdrici epiſcopi; Adſumtionis B. Mariæ Virginis;* & denique, die *B. Vrſulæ*, feſtis, non infrequentes, aguntur. Templum, inſigni mole ſubſtructum, atque gemina præfultum turri, *Mereii*, ſummi viri, epitaphium oſtendit. Vicinum oppido, prædium *S. Eliſabethæ*, adſedit, Hungaris, *Szent-Örsébeth*, dictum; ſed cui, præter ædem ſacram, nilquidquam eſt reſidui. Huc ſacras peregrinationes, al-

eius opportunitates, & incolæ:

nundinæ:

prædium S. Eliſabethæ:

a.) Non plane nihil dicunt, qui a *Iouis* arceſſunt vocabulum, quaſi *Iupitersdorff* primitus fuerit. quod poſtea, imperitum vulgus, ob pronunciationis difficultatem, in *Ieopersdorff*, ac tandem, in *Leopersdorff*, detorſerit. Sed diplomata aliter.

altera *Pentecoſtes feria*, inſtitui olim accepimus, religione oppido eximia, atque hilaritate inſigni. Ruſticum ſcilicet vulgus, vetere ſuo more, vicatim reges ſibi, diebus *Pentecoſtes* ſublegit, quos vernacule *Pünkösdy Király*, hoc eſt: *reges, pentecoſtales*, ſeu temporaros, vocant. Frequentes huc coeunt, cumque ſacra concelebraſſent, effunduntur in choreas & tripudia. Rebus florentioribus, adeo hæc cerimonia obibatur ſollicite, vt heri ipſi, ſubditos ſibi, ad eam faciendam compellerent. Iam aliquot retro annis, obſoleſcere ea ſolemnitas cœpit, credo, ob anguſtam rem agreſtium. Eodem hoc loco, collis viſitur, manu adgeſtus. *Bethleniani* belli monimentum eſſe aiunt, quo cæſorum oſſa contegantur. Hunc, vite conſertum viderat ætas noſtra. quæ vna, in tota inſula, vinea fuit. Iam excuſſa ea, arationibus, per latera inſtitutis, collis ſubigitur. Eſt oppidum in ditione L. B. I. *Maholány*, & *Paulli Ieſzenák*. *quibus frequentetur cerimoniis.*

IV. Oppidum Nagy-Magyar.

OPpidum eſt- *Danubio* hæreſcens, grande id quidem, & incolis qui *Hungari* ſunt, frequens. Plura habet virorum nobilium domicilia, in quibus *Bárſonianum*, ruinæ proximum, inquilinorum, *Comitis Iohannis Pálffy*, ſedes eſt. Monſtrantur ædes quoque, *Comitis Nicolai Illyésházii*, Regis, noſtra ætate Cancellarii, natiuitate celebres. Inde templum eſt, cum *parochia*, vaſti item domuum, per vicos aliquot, ordines. Hos, præter nobiles, quod diximus, viros, inquilini & ſubditi *S. Claræ Piſonienſium*, colunt. Ager oppidi amplus eſt, ac frumenti ferax; at, qua in Danubium deſinit, pone ripas, ſilueſcens. Hic quoque frequens traiectus eſt, quem *Rákócziani*, egregie in rem ſuam, verterant, aggere, circiter paſſus tercentos longo, lato centum quinquaginta, educto. Præerat ei *Wincklerus*, vir, cauſſam ſi excipias, ſtrenuus, magno Cæſarianorum damno. Proinde, militari ſenatu habito, *Iohanni Pálffyo*, id negotii datum, vti qua poſſet, vi, arteue, prolectos inde *Hungaros* deiiceret. Ille, nihil cunctatus, aperto Marte, adoritur imprudentes. Reſtitere illi acriter, ſed quum in noſtris, feruor ad pugnandum, multo quam in *Hungaris*, pertinacior eſſet, hoſtes, qua metus quemque rapiebat, diffugere. Cæſorum ingens fuit numerus; in captiuis *Wincklerus* ipſe, & *Georgius Balogh*, vir, non paruæ apud ſuos laudis, numerabantur. Adſita oppido inſula eſt, cui *Mérges* nomen, opportunitatis eximiæ. Præter ſiluas enim, quibus inſidetnr, cæduas, ferarum diceres viuarium omnimoda arte poſitum: ea hic, ceruorum, caprearum, leporum, quin & phaſianorum, eſt frequentia. Adtinet ad easdem, quas diximus, *S. Claræ Virgines*.

Situs oppidi & frequentia:

oſt patria, Nicolai Illyéshàzii, nuper Cancellarii.

agri habitus:

Rákóczianorum aggeres:

clades:

Mérges inſula.

SE-

SECTIO III.

De

Vicis Proceſſus Inſulani Superioris.

SVnt, & hac regione, vici, quos *Nobiles* colunt, non ii quidem pauci; at multo plures, ab *ruſticis* inſeſſi. Vtrosque adibimus.

1.) *Ióka*, olim *Ilka*, ſeu *Iólka*, vicus grandis & frequens, in inſula, ſitus a *Danubio* paullo reductioris, ea parte, qua traiectus eſt, in inſulam maiorem, ad *Nagy-Magyar*. Diuiditur in partes duas, quarum alterum vocant, *Nagy-Ióka*, ob maiorem numerum ædificiorum, alteram, ob minorem, *Kis-Ióka*, quæ *Monialium* eſt *Piſonienſium S. Claræ*. Itaque, vicus eſt, quo vix, toto hoc tractu, copioſior alius. Colitur ab *Hungaris*, magna caulium, & peponum, quos educant, gloria. Nec deſunt arborum pomiferarum genera varia, campique & agri, inuſitatæ laxitatis, & fructus eximii. Siluas, fœcunda *Danubii* vicinia ſuppeditat, crebris interiectis lacunis, piſcium, & auium aquaticarum, diuitibus. Neque feras deſideraueris, damas, apros, lepores, vulpes, ceteras. Emericvs Rex Hungariæ, anno MCXCVII. *Zerzovoy* filio *Zhima*, caſtri *Piſonienſis* ſubdito, ſed poſtea, ob præclara virtutis *(a.)* ſpecimina, manu miſſo, vicum donauerat. Vetus diploma, ex gentis, quæ adhuc floret, ſcriniis depromptum poſſidemus. *Zerzovoyi*, poſteri, *Iókam* tribus poſſeſſam ſeculis, ſub *Nicolao Trentulio*, Comite Poſonienſe, anno MCCCXLII. *Egydio, filio Ladislai de Borſa, & Dominico, filio Stephani, Iudicis Nobilium, ac Magiſtro Andrea, Canonico Poſonienſi*, arbitris, diuiſerunt in partes ſex. quarum vnam, obtinuit *Stephanus*, filius *Uguth*, & *Thomas*, filius *Stephani*; reliquis quinque, iterum in tres

a.) Verba diplomatis, quæ huc pertinent, ſic habent: *Quanto varior hominum, creſcente nequitia, fides inuenitur in terris, tanto fidelitatis merita, cariora ſunt habenda, & maioribus compenſanda ſtipendiis. Hinc eſt, quod quendam Iobbagyonem de Caſtro Poſony, nomine Zerzouoy, filium Zhima, qui in aduerſitatibus & bellis inter nos, & fratrem noſtrum, habitis, a fidelitate noſtra non declinauit, verum viriliter pro corona noſtra dimicauit, ob meritum ſua deuotionis ad eximiam extulimus libertatem, ſtatuentes, quod nullus Comitum, aut aliorum, in eo ſibi ius aliquod vendicare præſumat; verum in aula regia, tam ipſe, quam ſui hæredes, perpetua libertate gaudeant.* Lege, fraterni huius belli hiſtoriam, apud Bonfinivm, Decade II. Lib. VIII. p. 275, 44. ſeqq. Editum eſt diploma, per manus Magiſtri *Katapetu*, Albenſis Præpoſiti, aulæ Regis Cancellarii, anno Incarnationis Dominicæ CIↃ. C. XCVII. Venerabili *Iob*, Strigonienſi Archiepiſcopo exiſtente; *Saul*, Colocenſi Archiepiſcopo; *Petro*, Agrienſi Epiſcopo; *Calano*, Quinque Eccleſienſi Epiſcopo; *Fuyno* Iaurienſi Epiſcopo; *Adriano* Vltraſiluano Epiſcopo. *Eſau*, Palatino Comite, & eodem Bácſienſi; *Eſau* Curiali Comite, & eodem Senadienſi; *Dionyſio*, Comite de Suprun; *Petro*, Comite de Bichor; *Hermone*, Comite de Zconuk.

tres diſpertitis portiones: prima ceſſit *Nicolao*, filio *Ladislai*; & *Nicolao*, filio *Emerici*; nec non *Marco*, filio *Iacobi*; *Blaſio* item, filio *Poos*; & *Andreæ*, filio *Inak*, denique *Iohanni*, filio *Illerj*. Portio ſecunda data eſt *Iohanni*, filio *Abraham*; *Blaſio*, filio *Georgii*, filii *Isaak*; *Georgio* item, filio *Petri*; quibus cunctis, *Bethlehem* poſt nomen fuit; nec non *Lothardo*, filio *Stephani*; ac *Thomæ*, filio *Iohannis*, *Petroque* filio *Tyvodori*: qui idem *Petrus*, genuit *Stephanum Agh*, hoc eſt, *Senem*: hic *Petrum II.* nomine *Farkas*; *(b.)* is *Iohannem*; iſte *Benedictum*; hic *Michaelem*; is *Petrum III*; iſte *Petrum IV.* cui natales debet *Caſpar Farkas*, vir geſtis prouinciæ magiſtratibus illuſtris. Tertiæ denique in *Iókа* portionis, poſſeſſores facti ſunt: *Andreas*, filius *Aegydii*; & *Iohannes*, filius *Benk*. Quapropter hodienum ſexta illa pars primæ diuiſionis, *Főszegh* vocatur, ſtirps quaſi ſumma; quæ autem ex quinque reliquis, enatæ tres portiones ſunt, earum vnam *Panghi-Harmad*, alteram *Farkas-Harmad*, & iterum *Nagy-Harmad* tertiam, diſcriminis cauſſa, adpellant *Iókenſes*. Erant quidem, Lvnovici I. temporibus, aduocati regis, alteri *Nicolaus Nemzæ*, *Michael Sudar* alteri, nomen fuit, qui præſide *Octauarum*, vt vocantur, *Piſonienſium*, NICOLAO KONTH, regni Hungariæ Palatino, feria II. proxima poſt octauam *Natiuitatis B. M. V.* anno MCCCLVIII. iura nobilitatis, & poſſeſſionis *Iókenſium*, in diſcrimen vocare, non dubitarunt; ſed poſtquam hi, mandato eiusdem *Palatini*, anno MCCCLIX. die XII. *Octauarum* feſtiuitatis, *D. Michaelis Archangeli*, iura, quibus gaudebant, adſeruiſſent; non tantum *Konth* Palatinus, ius eorum adprobauit; ſed etiam ipſe LADISLAVS poſthumus, adfirmatis prioribus diplomatibus, *Iókam*, titulo nouæ donationis, *Thomæ*, filio *Iohannis Bethlehem*; *Laurentio*, filio Blaſii Szakal; *Blaſio*, filio Iohannis; *Petro*, filio Stephani; & *Michaeli*, filio Iohannis; vti habent tabulæ, contulit. Vtrasque, liberali manu, a *Caſpare Farkas*, quem nunc laudauimus, nobiscum communicatas, in cimeliis noſtris repoſuimus.

2.) *Alsó*,

3.) *Felsó*, &

4.) *Közép-Borsa*, ſunt vici tres, *Iókа*, milliari vno, in ſeptentrionem ſepoſiti; quorum ille ſuperior; hic inferior; iſte, medius nominatur, a poſitionis loco. Incolæ ſunt *Hungari*, Slauis intermiſtis. Rure gaudent fertili, ſed crebris *Danubii* meatibus, qui æquali vtrinque interſtitio defluunt, circumfuſo, ideoque inundationibus obnoxio. Adde, lignandi difficultatem, cuius cauſſa, ad vicinorum ſiluas excurrere habent neceſſum.

5.) *Egyház-Falva*, e regione priorum, ab aquilone. Ipſum vici nomen *(c.)* condocet, quo ſit habitu. Nimirum, exiguo terreno, atque ædiculis vix decem. Certe, & paſcuis caret pratisque, &

b.) Ita, habent litteræ *Faſſionales*, Eliſabethæ, conſortis *Paulli Gyönghe*, datæ in Capitulo Piſonienſi, A. MDCIII. feria III. proxima, poſt feſtum *Galli* confeſſoris.

c.) *Egy-Ház-Falva*, vnius domus vicum, ſignificat.

inops eſt lignationis. Antea, in pignore fuit nobilium quorundam; iam a *Comite Iohanne Pálffy*, repræſentato ære, ditioni ſuæ adiectus.

6.) *Sáp*, in occidentem ſecedit, prope *Danubii* ripam, itidem nobilium olim ſedes, ſed cuius magnam partem, idem *Comes*, nuper ſuam fecit. Eſt rure mediocri, agro autem frumentario trans amnem, verſus *Magyar-Bél* porrecto. Sed prata, campus item paſcuus, cum ſiluula cædua, intra inſulam reſederunt.

7.) *Buss-Telek*, locus eſt herorum plurium, agro oppido exiguo. Diſcedit a priori, in meridiem inſulæ maioris, qua *Danubius* labitur.

8.) *Gomba*, remotior a *Danubio*, eadem inſula, ad meridiem conſedit. Territorio circumfunditur modico, quin & pratis deficitur, ac lignatione; quam tamen proximæ riparum ſiluæ, quomodocunque ſufficiunt.

9.) *Kis-Magyar*, iacet e regione prioris, in orientem, loco fertili, prope ſiluas, in quibus veſtigia ſuperſunt, diuerticulorum SIGISMVNDI Imperatoris: quippe qui, dum *Piſonii* agebat, huc ſæpius conſueuerat ſecedere, venandi, & animum relaxandi, cauſſa. Atque conſtat omnino fide diplomatum, quæ heic ſignauit, frequentius eum iſto ſeceſſu, diuertiſſe.

10.) *Bél-Vata*, in plurium eſt poteſtate, ad *Danubium*, loco vliginoſo, fertili tamen, qua eſt ſolidior; ſed ſiluis caret. Sunt in eo *Comiti* etiam *Illyésházio*, ſua hæredia.

11.) *Csenke*, exiguo agro, paſcuis modicis, pratis fere, ſed & lignatione nulla. Eadem cum priori regione, in meridiem ſecedit.

12.) *Szász*, inſedit viam regiam, quæ *Comaromium* ducit. Olim, ſedes *Andreæ Szászi*, alias *Vitál*, qui munere *Perſonalis præſentiæ Regiæ* in iudiciis *Locumtenentis*, ſub MAXIMILIANO, & RVDOLPHO, regibus, perfunctus eſt. Eo improli mortuo, frater natu maior, & vici, & caſtelli, hæreditatem adiit. Sed quod & ipſius poſteri, emortui ſunt, omnis ea poſſeſſio, fiſco accenſa eſt. quam poſtea *Andreas Stermensky*, & *Iohannes Walther*, redemere. Agro & pratis vberibus lætatur, ſed ligni cædui inops eſt.

13.) *Olgya*, præter alias, ædibus ſuperbit *Sigrayanis*, amplis omnino, & diuerſoria taberna, atque villa ruſtica, obſeſſis. Ager ei obtigit anguſtus, lætus tamen & fertilis; lignatio modica. Inde

14.) *Kis-Légh* eſt, vicus, *Szászo* a meridie viciniſſimus, & inter plures nobiles diſpertitus. Arctius ei territorium, quam pro re ruſtica, prata nulla; quin & ager paſcuus, exilis nimium obtigit. Itaque, ad *Szászenſes*, & *Nagy-Léghenſes*, armenta pabulationis cauſſa, depellunt, redimuntque id beneficium, hi pretio, illi tributariis operis. Laborat ligni quoque cædui inopia. Præcipua *Kis-Leghiorum* eſt poſſeſſio. Hinc,

15.) *Egy-házas-Paka*, in meridiem, campo hilari, erectoque, humilibus ædificiis, ſed factis tamen commode, reſedit. Medio-vico, templum adſurgit, cuius turrim, annis ſuperioribus excitatam vidimus.

mus. Frequentes hic nobiles colunt; tametſi & *Comitibus Pálffiis*, eximius ſit poſſeſſionum modus. Rure gaudet vaſto fœcundoque: pro ſiluis, ſaliceta ſunt & dumi.

16.) *Csukár-Paka*, a priori, modico in occidentem ſpatio, diſiunctus. Pratis caret, ſed & paſcuus campus ſiticuloſior eſt, quam pro re pecuaria. Contra, frumentarii agri, ſi lætamen adſpergatur, probiſſimi tritici ſunt feraces. Vrgetur, ſicuti plerique alii vicini, lignationis inopia.

17.) *Gáncsháza*, gentilitius nobilium eius nominis, vicus. Interſunt tamen & alii, qui eius partem aliquam poſſident. Agro eſt fertili, ſed exilibus paſcuis. Ligna, e dumetis, quibus penitus immerſus eſt, promit.

18.) *Búcsúháza*, ſeiungitur a priori, milliari dimidio in meridiem, natalibus eiusdem nominis familiæ, inſignis. Admiſit alios quoque nobiles, qui domus, quod ſciamus, aliquot colunt. Agro eſt perparco, paſcuis tenuibus, lignationis prorſus inops.

19.) *Királyfia*, quadrante milliaris, a priore ſecretus. Inter poſſeſſores reliquos, excellit familia *Botló*. Nomen, quod *filium regis* ſignificat, regius ei partus, conciliauit. Nimirum, regina neſcio quæ, iſthac, cum gynæcei comitatu, iter faciens, partus doloribus correpta, filium, in ruſtica tenuique caſa, enixa fuit. Itaque, fauſtum adeo vicum, iſta dignata eſt adpellatione. Sunt qui credant, eodem illo puerperio, reginæ liberalitate, exemtum ſeruitute vicum, nobilitatumque cum incolis fuiſſe. Alioquin, terreno eſt extra modum arcto, pratis & paſcuis, parciſſimis. Quin & lignandi cauſſa, ad vicinos excurrere neceſſe eſt.

20.) *Tej-falu*, *Samariæ* a meridie limitaneus. Olim, villam fuiſſe aiunt ruſticam, *Ebernek*, copioſiſſimi vici. quo temporum iniuriis deficiente, villa hæc, vnde alteri illi, lac ſuppeditabatur, nomine *vici lactei (d.)* increuerit. Germanis certe *Milchdorff*, & deprauato vocabulo, *Milidorff*, dicitur. Proinde, nobilibus familiis, hinc, atque illinc, confluentibus, adauctus eſt adeo, vt hodie, cum vicinis, numero ædium, nobilitate incolarum, & agri fertilitate, certare poſſit. Siluis caret, quod vnum, in loci vitiis cenſueris.

21.) *Sáros-Falva*, in orientem a priori, recedit, eſtque plurium poſſeſſorum. In præcipuis ſunt, familiæ *Bitó*, & *Mórocz*. Gaudet agro mediocri, pratis anguſtis, lignatione prorſus deſtitutus.

22.) *Csente*, *curia* eſt, quam *Paullus Ieſzenák*, hæreditariam ſibi fecit. Poſita eſt orientali *Vajka* latere; pomariis, laxiore prato, & agro frumentario, hinc; illinc, lacuna ad piſcinæ modum coercita, circumfuſa. Aedificio eſt commodo, atque vrbanæ villæ ſimillimo; ſed cui ruſtica ſimul, & fructuaria, coniuncta eſt. Ad vernos æſtiuosque heri ſeceſſus, & laxandum a laboribus animum, locus op-

c.) *Tej* nempe, *Tej* vocant Hungari; *vicum* autem, *Falu*.

portunitatis eximiæ; qui nos ipſos, ſemel iterumque a ſeuerioribus ſtudiis, non ſine oblectamento, auocauit.

Vt porro vicorum reliquorum ordo conſtet, hos primo, qui regione interamnana continentur, reliquos poſtea, recenſebimus.

23.) *Papfalva*, primo omnium occurrit, eo inſulæ angulo, qui *Piſonio* obuerſus eſt. Subeſt ſacerdotum illi cœllegio, *Capitulum* vocant, quod eadem in vrbe, ſedem habet. Certe Hungaricum vici nomen, a *ſacerdote* petitum. Paruo eſt territorio, eodemque ob crebras exundationes, iniquo & ſilueſtri. Diſtat ab vrbe, milliari in orientem.

24.) *Ivány*, Slauis *Iwanka*, priori vicinus, eoque nihilo melior. Eſt in eo *Curia*, quam tenet Comes *Alexander Károly*; vico ipſi *Pálffii* dominantur, qui & ſacram ædem inſtaurauerunr. Alioquin, ius hæreditarium, ad ditionem *S. Georgii* adrinet. Prata habet in inſula *Tökés*, terreno *Eberhardenſi*, confinia.

25.) *Zoncz*, vicus exiguus, milliari a priori ſubmotus in orientem. Adſidet eidem *Danubii* alueo, terreno modico, incolis paucis, ditionis C. *Iohannis Pálffy*. Huic

26.) *Torony*, ita confinis eſt, vt ſola intercurrente via, diſcriminentur inuicem. Itaque, agro eſt conſimili, arcto eo, neque ab eluuionibus ſecuro. Paret *Vener. Capitulo Piſonienſi*, coliturque ab *Hungaris* iuxta & *Slauis*.

27.) *Bothſzegh*, annis ſuperioribus in deſertum abiit, ob exilitatem agri. Colitur tamen, diuerſoria taberna, & phaſianorum viuario, quod *Comes Iohannes Pálffy*, loci herus, commodum atque elegans, hic inſtruxit.

28.) *Papkörmesd*, conſedit eodem Danubii latere, ſed eadem quoque agri, paſcuorum & lignationis, inopia. Incolæ *Slaui* ſunt, ditioni *Pálffyana* accenſi.

29.) *Apáczakörmesd*, extra inſulam, e regione prioris, Danubio adpoſitus, iamque ſolitudini vicinus, ob territorii anguſtiam, an difficultates alias. Incolitur a *Slauis*, ditioni *Királyſaluenſi* adſcriptis.

30.) *Király-Falva*, vicus, caſtello cognomini, quod ſupra deſcripſimus, adſitus. Colitur ædiculis tenuibus, quarum potiores, famulitium *Comitum* inſedit. Eſt ei diuerſorium, mola item, & præſtans Zythopœia.

31.) *Bodóház*, deſerto, quam vico, ſimilior. nil quidquam enim, præter hoſpitium publicum, duarum contignationum, habet reſidui; tametſi agro non inubere, circumſideatur. Paret *Iohanni Pálffyo*.

32.) *Pintek-Sür*, vicinus a meridie, priori, ſed minore territorio. Prata quibus gaudet, mediocris ſunt poſitus. Recedit paullum a Danubio, eſtque in arcis *Piſonienſis* ditione. Adfinis ei eſt,

33.) *Hegy-Sür*, in eadem inſula, ad interiorem Danubii alueum. Spectat ad arcem *Piſonienſem*; terreno anguſto, pratis fere ſiticuloſis, paſcuis modicis, lignarione parca. Incolitur ab *Hungaris*, ſicut & prior ille.

34.)

34.) *Ujhely-lóka*, & *Nagy-lóka*, de qua diximus, limitaneus, pone interiorem *Danubii* marginem, paretque virginibus *S. Clarae* Piſonienſibus. territorio iniquo, eluuionum cauſſa. Habet tamen, quod colat. Ligna, ſilueſtris *Danubii* ripa, affatim ſufficit.

35.) *Nagy-Födémes*, vicus, poſt *Ilkam*, hac inſula, frequentiſſimus, idemque ditionis arcis *Piſonienſis*, cui & taberna in eo eſt diuerſoria. Locum occupat erectum, ſed medio concauum, per cuius decliuia, circumſtant vtrinque domus, crebrae eae, & incolis frequentes. *Hungari* horum ſunt potiores, *Slauis* mixti & *Germanis*; ſed his omnino paucioribus. Aedes ſacra, cum parochi ſede; oram vici inferiorem, quae ad meridiem vergit, ſitu perquam commodo, inſedit. Eſt ei ager, ad vitium vſque fabuloſus, qua vico propior; ſed, qua longius recedit, gleba lætatur meliore. Hinc & illinc, hortos vidimus, eximio peponum prouentu, & inſigni guſtus gratia. Eis agri adiacent, tritici & lini fertiles, atque lacunis ſuffuſi, quibus anatum non raro copia innatat. Siluis caret, quarum loco, ſaliceta ei ſunt, & dumi inſularum. quae, vti celeriter ſilueſcunt, ita praeſtant incolis, non plane nullam lignationem. Domibus ruſticis, vnica interſita eſt *curia*, quae latere vici orientali, inſedit, eſtque viri nobilis *Michaelis Kerekes*.

Atque hi erant vici, *Inſulae minoris*. Sequentur iam poſtea, quos in *maiori* offendimus. *Piſonio* intrantibus, occurrit

36.) *Vereknye*, Germanis *Wrakendorff*, vicus, traiectui *Danubii*, quem dominium *Piſonienſe (e.)* magno fructu, inſtruit, plane obiacens. In eo diuerſorium eſt, & domus, vt vocantur, *Taxatorum*. Vltra excurrunt agri, quos ex pratis hortenſibus, ſubegerunt incolae. Nam, quod amni propinquum eſt, multoties vitiatur a *Danubio*, ripas excedente. A ſiniſtris, lacunam habet, ad piſcinae modum reſtagnantem, multisque diuitem luciis, carpionibus, muſtelis, & id genus piſcibus. quos aquae, ab exundationibus deſides, retinent, & vbertim fouent. Totus inde tractus, arboribus obſidetur, ſatiuis & ſilueſtribus. Altera parte, campi ſe diffundunt patentes. Hac, MATTHIAS Archidux Auſtriae, Hungariae poſtea Rex, contabulato nauali ponte, ad *Püspökum (f.)* traiecit, cum exercitu, vt obſeſſis *Comaromienſibus*, opem ferret.

37.) *Pruck*, horae vnius itinere a priori, ſecretus, & *Danubia*

e) Traiectum hunc, *Piſonienſi vrbi*, a regibus priſcis, fuiſſe donatum, ex *Aurea*, WLADISLAI Poloni, *Bulla*, didicimus. Eum poſtea, cum *Solymannus*, ad obſidendam *Viennam*, anno MDXXIX. cum immani ſuorum multitudine, proficiſceretur, *Iohannes Szalay*, arcis *Piſonienſis* praefectus, vt expeditum, in inſulam tranſitum, praeſtaret, milite communiuit, ac ceſſante etiam belli periculo, in ſua poteſtate, detinuit: vt iam, obliteratis *Piſonienſium* iuribus, prorſus in ditionem arcis tranſiiſſe credatur. Ceteroquin, de *Szalayi* huius virtute, legeſis ISTVANFFYVM, Lib. x. p. 159, 18. & p. 164, 37.

f) ISTVANFFYVS Lib. XXVIII. p. 646, 19. vbi deprauate vici nomen *Verecnia*, legitur, elemento, *n*, in *u*, permutato. Repone *Vereknye*. Diploma *Piſonienſium*, etiam *Berekuye* vocat, a dumis credo, quos Hungarice, *Berek*, adpellamus, quique obſident vicum.

bio interiori, verſus meridiem, adpoſitus. Ditionis eſt *Eberhardenſis*, ſed cuius tamen pars quarta, adhuc dominio *S. Georgii* accenſa, iure perenni in *Paulli Ieſzenák* poteſtatem venit. Incolunt locum *Germani*, immixtis *Hungaris*. Eſt terreno exiguo, pratis mediocribus, & perparca in inſulis lignatione. Inde milliaris quadrante

38.) *Eberhard* iacet. Prata ei fœcunda ſunt, ſed agri frumentarii pauci. Subeſt caſtro eius nominis, quod in *Maholaniana* gentis poteſtate eſſe diximus.

39.) *Fèll*, verſus *Danubium* interiorem, bis mille circiter paſſibus, reiectus. Eſt in ditione *Eberhardenſi*, atque *S. Georgii*, quam idem *Ieſzenák* nuper obtinuit. Situ eſt, ob traiectum quem habet, commodo; at terreno mediocri, pratis autem & ſiluis, per inſulas minutiores, diſperſis. Habitatur ab *Hungaris*.

40.) *Vök*, viculus *Ven. Capituli Piſonienſis*, exiguus, & ab *Hungaris* cultus, qui agrum mediocriter fertilem, ſolerter colunt. Gaudet pratorum, lignationisque, modo eximio. Hinc,

41.) *Madaráſz*, ad iactum globi, recedit. Cenſetur in dominatione *Eberhardienſi*, incoliturque ab *Hungaris*, *Slauis* mixtis, eſtque, ex ingenio regionis, territorio exili.

42.) *Felsö*, &,

43.) *Alsó-Jánok*, duo, in eadem interioris *Danubii* ripa, vici, mille plus minus paſſibus, inter ſe diſcreti. Agro ſunt modico, ditionis *Virginum S. Clara* Piſonienſium.

44.) *Tonkháza*, flexo, a *Csenke*, ſiniſtrorſum, ad interiorem *Danubium*, itinere, conſedit. Tres vici partes, ad *Comitem Illyésházy*; quod inde ſupereſt, ad familiam *Csorba*, pertinet. Incolitur ab *Hungaris*, rure exiguo, eoque ſine lignatione.

45.) *Illyésháza*, natalis, *Comitum* eius nominis, vicus, territorio exili; ſed vbere lignatione. Caſtelli rudera, fataque ſupra meminimus. Cum loco *Michael Kerekes* præeſſet, LX. piſcium centenarios, vna, eaque breui piſcatione, ex *Danubio* extraxit: tam piſcoſum iſthic flumen eſt. Derogaſſemus dicto fidem, niſi ipſus ille adfirmauiſſet nobis.

46.) *Eſzterháza*, viculus eſt, *ſeſſionis*, vti loquuntur noſtri, *vnius*, vltra *Illyésházam* poſitus; ſed dignus tamen commemoratione, ob inclutam gentem *Eſzterházíorum*, quæ iſthinc prodiit, iamque latiſſime rerum potitur.

47.) *Vajas-Vatta*, eſt in ditione *Virginum Piſonienſium S. Clarae*. Olim, a gente *Vattaj*, quæ heic emortua pridem eſt, poſſeſſus. Territorium exiguum; lignatio nulla; paſcua & prata fœcunda; incolæ *Hungari*.

48.) *Csákány*, altius a *Gomba*, eo in itinere, quod *Piſonium* ducit. Vetus *Ordinis PP. Ciſtercenſium* hæreditas; territorio amplo, agris laxis, pratis modicis, lignatione nulla, incolis paucis, iisque *Hungaris*. Itaque, in more propemodum eſt, agrum frumentarium, vici-

vicinis collocare, *nonum* quemque, frumenti quod prognatum eſt, manipulum, pendentibus. Proxime hinc templum *S. Petro* dedicatum abeſt, ſummorum virorum epitaphiis, *Illyésházyorum* in primis, inſigne. Iam fere in vaſtitatem abiit; frequentatur tamen, ſingulis diebus *Veneris*, qui *nouilunium* excipiunt, magna religione. Præbet eremitæ perfugium.

49.) *Béke*, infra oppidum *Csötörtök*. Agro eſt laxo & fertili; pratis contra anguſtioribus ligatione nulla. Eſt, ab anno MDCCXXXIV. *Paulli Leſzenák* hæredium. Recedit a *Danubio*, ſedetque loco ſiticuloſo.

50.) *Nagy-Légh*, vicus oppido copioſus, idemque heris pluribus obnoxius, in primis, *Comiti Illyésházio*. Prata ei, per mediterranea inſulæ, & laxa ſunt, & graminibus fœcunda. Reliquum rus, milliaris vnius longitudine, hoc eſt, vſque ad *Danubium*, in meridiem decurrit; cum frumento idoneum, tum opportunum rei pecuariæ, cuius hic præcipuam haberi curam, obſeruauimus.

51. *Elö-Patony*, ab hoc, quem diximus, in dextram reductus, ſed cui plures dominantur. Agro æque longo, ſed latitudinis arctioris. Itaque, præter rem frumentariam, fœno luxuriat, & pingui ſabulo.

52.) *Maczháza*, occidentem verſus, a *Sáros-Falva*, recedit: ditionis arcis *Piſonienſis*. Vicus, ſi quis alius, modicus, ædibus forte *quatuor* cultus. Ager ei tenuis obtigit, paſcua exilia. Colitur ab *Hungaris*. Hinc in occidentem reflexo itinere:

53.) *Nagy-Paka* occurrit, vicus dominii eiusdem; ſed agro, quam pro vici nomine, anguſtiore. *Nagy* enim, grande quid & magnum, *Hungaris* ſignificat. Ineſt ei, gentis cognominis, *Pakajorum* ſedes. Ager ceteroquin frumentarius, ſegetum egregie patiens eſt, ſi prata & paſcua, agricolationi ſufficerent. Hæc enim, parcius admenſa habet. At lignatione gaudet, propemodum inexhauſta. Incolæ *Hungari* ſunt, nauum genus.

54.) *Kis-Paka*, vici tenuitatem, ex nomine, quod *paruam Pakam* notat, colligas. Atque eſt omnino exilium opportunitatum, quæ vix ſex colonis ſufficiant. Cenſetur in ditione *Eberhardenſi*.

55.) *Uſzor*, vicus familiæ *Naſzvády*, & *Korláth*, territorio, pro loci copia, laudabili; ſed cui, & pratorum & pabuli, quam res poſceret, minus eſt; ſiluæ autem nullæ. Suffunditur lacu, piſcium locuplete.

56.) *Torcs*, pertinet ad ditionem *Eberhardi*, eſtque rure modico, lignatione nulla. Diſſidet a priori, medio milliari, incoliturque ab *Hungaris*, *Germanis* mixtis.

57.) *Tárnok*, eſt *Monialium Piſonienſium S. Claræ*, laxo & fertili territorio. quod tamen prata, quin & paſcua, ſiluæque, deficiunt. Inſidetur ab *Hungaris*. Inde,

58.)

58.) *Nagy-Szarva* conſedit, caſtello, quod ſupra meminimus, vicinus. Procurrit gemina ædium ſerie, lata intermiſſa platea. Gaudet territorio fertili; ſed pratis exundationi obnoxiis. Hinc verſus meridiem,

59.) *Kis-Szarva* iacet, præter villam ruſticam & fructuariam, Comitis *Illyésházii*, nil quidquam ei ſuperat. Obſeruatum eſt, vix alibi, ſilueſtrium turturum fœturam, dari vberiorem.

60.) *Csellesztó*, in occidentem, *Danubio* maiori adſitus, ideoque, tametſi agro circumſideatur laudatiſſimo, poſitus iniqui. Eſt in poteſtate *Comitis Illyésházii.*

61.) *Guthor*, bis mille forte paſſibus, *Samaria* diremtus. Sedet in *Danubii* maioris ripa orientali. Exili eſt territorio; ſed pratis, agrisque fertilibus. Partem vici eximiam, iam ante, exundationes deraſerunt: nunc, templo ipſi, fluctus imminent. Incolæ ſunt *Hungari*, piſcationis venationisque, perquam ſtudioſi.

62.) *Szemeth* hinc altius ſubducitur, ſitu omnino iniquiſſimo, quia *Danubii* expoſito inundationibus. Itaque, frequens in agro ſtrages editur. quæ, annis ſuperioribus, ab imis fundamentis reuulſam parochiam abſtulit. Eſt in ditione *Eberhardenſi.*

63.) *Dienesdy*, S. montis *Pannoniæ* vicus. Sedet ad *Danubium*, agro fertili, pratis vndique fœcundis, ſed colonis ſocordibus. *Hungari* ii ſunt, *Germanis* miſti.

64.) *Misérdy*, pertinet ad *Eberhardi* dominationem. Agro mediocri, & obnoxio *Danubii* iniuriis. Eſt colonia *Germanica.*

65.) *Cselle-Karneriorum*, in mediterranea a priori reductus.

66.) *Cselle-Archiepiſcopalis*, vallicula diſcreti inuicem. Proinde, rure ſunt contiguo, ſed mediocri eo, pratis autem ſiticuloſis. Vterque, a *Germanis* incolitur. iſte, iuxta & ab *Hungaris.*

67.) *Szunyogdy*, itidem *Archiepiſcopi* poſſeſſio, in extremo inſulæ angulo, in quo forte *Pongráczius* olim ſuum poſuerat *(g.) Winckel.* Terreno eſt arcto, ſed lætis pomariis, pratis, *Püspökienſibus* vicinis.

68.) *Kiliti*, vicorum vnicus, qui vltra maximum Danubii alueum, Proceſſui huic accenſetur. Diſtat *Samaria*, milliari modico in meridiem, *Comitis Illyésházy* hæredium. Ager ei frumentarius mediocris, prata & ſiluæ amplæ, piſcatio vber, quæ ad heriles reditus pertinet. Traiectus huias, difficilis & moroſus eſt adeo, vt locum prouerbio fecerit: *Kiliti Somorjához egy hét.* Hoc eſt: *Kiliti* vicum, hebdomadæ itinere, *Samaria* diſiungi. Quod eo dictum volunt; *impeditum adeo traiectum* Kilitenſem *eſſe quandoque, vt tota hebdomade, tantillum itineris, quod inter vicum & oppidum intereſt, vix ac ne vix quidem ſuperari poſſit.* Euenit hoc, cum eluuionum tempore, tum fluctuante, aut rupta iam glacie. Hæc de *Proceſſu Inſulano Superiore.*

g.) Vid. Haselbach. Chronicon. Lib. III. apud Pez. Tom. II. col. 858.

MEM-

MEMBRVM IV.

De PROCESSV INSVLANO INFERIORE.

PROOEMIVM.

INFERIOREM PROCESSVM vocamus, eam *Insulæ* portionem, quæ, a *Nagy-Paka*, *Nagy-Szarva*, & *Vajka*, in orientem primo decurrit, atque inde, limitibus *Comitatus Comaromienſis* repercuſſa, in inſulam minorem, reprimitur, vicisque eiusdem, ſibi inſinuatis, verſus *Danubium* maiorem, ſe porrigit, inque circulum redit. Ora eſt, per mediterranea, aperta & patens; ſilueſtris contra, qua margines amnium contingit. Paſſim, lacunis madet, piſcinarum ſpecie, diffuſis. Hinc piſcium ei, ſingularis eſt copia. Nec deſunt feræ, & amphibia. Auium certe aquaticarum, anatum cum primis, infinitus eſt numerus. Sunt & phaſiani, ruſticularum item, & attagenum, agmina. Vici plerique omnes, ab *Hungaris* inſidentur; paucioribus admiſſis *Slauis*; *Germanis* pauciſſimis. Student rei pecuariæ, cura eo maiore, quo feracior eſt pabuli regio. quæ, ſi ab iniuriis *Danubii*, tuta præſtaretur, fortunatarum inſularum vnam, diceres. Sed, quod in aggeribus educendis, inſtaurandisque, ſegnius elaborabatur hucuſque; factum eſt, vt multum inſula damni faceret; quin deraderetur in dies, ad eum modum, vt metus ſit, ne nouum ſibi *Danubius* alueum adaperiat, nouisque poſtea cladibus, quod continentis fuerit reſiduum, peſſundet. Nos iam, quibus colatur, *Caſtellis*, *Oppidis*, *Vicis*que, diſpiciamus.

SECTIO II.

De

Caſtellis, & vnico Oppido, Proceſſus Inſulani Inferioris.

SYNOPSIS.

Caſtelli Bár, *ſitus: opportunitates.* §. I.

Caſtelli Böös, *habitus, & commoditates.* §. II.

Caſtellum Súly, *qua ſit mole?* §. III.

Beketfalvenſe, *quomodo ſit comparatum?* §. IV.

Kaſtély-Kartsenſe. §. V.

Oppidi Szerdahely *nomen, a ſitu petitum: celebrat nundinas: incolarum indoles.* §. VI.

§. I.

Caſtellum Bár.

Caſtelli Bár, *ſitus:*

PRætorium eſt, toto hoc *Proceſſu*, facile præcipuum. Adſidet vico cognomini, ea parte, qua is in meridiem ſpectat, atque viam, in agros, oræ eiusdem, transmittit. Forma eſt quadrangula, rotundis turriculis, per totidem angulos, commiſſa. Aedificii latera, gemina contignatione adſurgunt. His, conclauia inſunt, & habitatu commoda, & foris, adſpectu elegantia. Ab ortu ſolis, vicum habet confinem, ſupra quem, quantum eminet, tantum longius proſpicit, in patentem inſulæ planitiem. Par, & in meridiem ei proſpectus eſt, ibique ſubiectum, cum viridario, pomarium. Reliqua, iterum in vicum reducuntur. Tota moles, muro circumitur, intercluſo etiam horto, & villa vrbana. Eſt ſedes, & hæredium *Baronis Amade.*

opportunitates.

§. II.

Caſtellum Böös.

Caſtelli Böös, *habitus:*

EIusdem heri domicilium. quod, etſi mole, cum priore illo, nequit comparari; arctiori enim ſubſtructione adſurgit; tamen, nihil ei, ad commoditatem deeſt. Nimirum, educto in quadrum ædificio, tantum ineſt conclauium, quantum, numeroſiori familiæ, ſine querela, ſufficiat. Itaque, dum adeſt herus, eleganter iſthic hoſpitatur. Accedit autem, nunc anni temperie, inuitatus; nunc illectus rei familiaris procuratione. E prætorio, turris prominet, ad regulam facta, ex qua, latiſſime regionem poſſis deſpicere. Ambitur foſſa, ſic ſatis alta, & offuſa aquis. Reliquum, quod circa eſt, ſpatium, villa ruſtica, & vltra eam, fructuaria, inſedit.

& commoditates.

§. III.

§. III.

Caſtellum Süly.

TVrritum eſt prætorium, quadrato opere inſtructum, ſed cuius partem alteram, granarium dixeris potius, quam caſtellum. Qua in orientem & ſeptentrionem proſpicit, conclauia habet, non inculta. Ab eadem plaga, hortus quoque obiacet, viridario hic, illic pomario conſitus. Qua ædificium, area circumfunditur, partim vinaria taberna, partim villa ruſtica, fructus eximii, conſedit. Eſt iam, cum vico cognomine, in ſucceſſorum *L. B. Th. Maholáni*, poteſtate. *Caſtellum Süly, qua ſit mole?*

§. IV.

Caſtellum Beketfalva.

IN eiusdem nominis vico, culta omnino domus, & pro regionis more, præfulta turribus. Itaque, fert nomen *Caſtelli;* ſed meretur etiam, ob opportunitates, quas, cum ad habitandum inædificatas habet; tum ad procurandam rem familiarem. Huc, villa potiſſimum ruſtica, ſpectat, multi pecoris capax, atque confinis ædificio. Eſt ei hortus quoque, eo iucundior, quo propior, atque ſub caſtelli obtutu. Adtinebat ad gentem *Mórocz*, nunc ad *C. Iohannem Eſzterházy.* Bekerfal. uenſe, *quomodo ſit comparatum?*

§. V.

Caſtellum Sipos, ſeu *Kaſtely-Kártsa.*

SEdes *Somogyiorum* eſt, non incommoda ad habitandum; haud tamen, his quæ recenſuimus, ſuppar: tametſi nihil deſideraueris, quod, ſiue ad herilia hoſpitia, requiri poſſit; ſiue ad rei familiaris procurationem, cum fructu inſtituendam. Kaſtély. Kartsenſe.

§. VI.

Oppidum Szerdahely.

SZERDAHELY, vnicum huius *Proceſſus* eſt oppidum, quod in maioris inſulæ mediterraneis conſedit. Nomen certe loco, ex ſitu *(a.)* enatum credunt, quod in meditullio totius inſulæ deſederit. Reuera enim, medio eſt, inter *Piſonium* & *Comaromium*, poſitu. Oppidum copioſum, ædificiis crebris, quorum non pauca, incocto laterculo, adſurgunt. In medio forum habet, atque illic, templum elegans, & propagatos inde vicos, ordine tam iuſto, vt poſt *Samariam*, nullum par ei ſit in inſula. Ad nundinas *hebdomadales*, non minus, quam *annuas*, concurritur huc, magna vicinorum frequentia. In primis, celebria ſunt fora boaria, quæ, ante mercatus *Oppidi nomen, a ſitu petitum?* *celebrat nundinas?*

a.) *Streda*, Slauis dicitur, quod medium, in quacunque re, ſignificat.

vulgares agi conſueuerunt. Ea illecti opportunitate *Iudei*, conſederunt in oppido. Incolæ, culti ſunt, affabiles, & multæ humanitatis. quin & vulgus agreſte, quod hic colit, ſolito vrbanius eſt. Reſpondet loci frequentiæ ager, ſed aquis deſtitutus ſalubribus. Siluis certe prorſus caret, magno oppidanorum diſpendio. Eſt in ditione arcis *Piſonienſis*.

incolarum indoles.

SECTIO II.

De

Vicis, Proceſſus Inſulani Inferioris.

INſignis horum eſt numerus, varietas autem maxima. Nam, cum alii copioſi ſint, & incolarum diuites; tenuitate nimia, laborant alii. Qualescunque ſint, noſtrum eſt, eos deſignauiſſe: eo ſcilicet ordine, quem tenuimus ſuperius.

1.) *Csefalva*, nomen hinc *Csefalvaj* ducunt. Neque deſunt nobiles alii, quibus, ſua hic poſſeſſionis eſt portio. Sedet agro aperto, ſed mediocri eo.

2.) *Kis-Budafa*, a *Nagy-Szarua*, in meridiem recedit, loco itidem campeſtri, agro nobili, ſed exiguo, lignatione nulla.

3.) *Kis-Falu*, dimidio milliari, a priori, in orientem ſepoſitus. Ager ei fertilis, prata pauca, ſiluarum nihil. Natale ſolum *Lipthaiorum*.

4.) *Hódos*, incunabulis *Hódoſiorum*, nobilitatus.

5.) *Nagy*, ſeu *Fel-Abany*. Hinc vetuſta familia *Csiba*, denominationem, de *Nagy-Abany*, accepit. quam, dum hæc ſcribimus, *Ladislaus*, vir multarum laudum, illuſtrat. Vidimus, gentis diplomata, admiratique ſumus vetuſtatem.

6.) *Kis*, ſiue *Sik-Abany*.

7.) *Nagy-Budafa*, eadem fere omnes regione, fertili quidem, at ſiticuloſa. Rigatur tamen, hinc & illinc, deſidibus lacunis. Paſcua eis ſunt, & prata, vbere gramine herbida, ſiluæ nullæ.

8.) *Nagy-Lucse*, gentilitius Vrbani, Antiſtitis Agrienſis, & quæſtoris Matthiae Corvini, vicus. Viri, ſummæ in regem fidei, virtutis autem prorſus incomparabilis. Nos eius laudes, Bonfinio *(b.)* præeunte, *(c.)* alibi dedimus. Erat, *Dóczíorum* gente oriundus, hinc illi, ſicuti toti familiæ, titulus, de *Nagy-Lucse*. Rus vici, apertum eſt, & idoneum arationibus, atque fœniſeciis; ſed ſiluis nudum.

9.) *Kultsár-Kártsa*, alias *Gótha-Kártsa*, eſt gentis, quæ hinc denominatur, *Kultsáriorum*.

10.)

b.) Legeſis, hiſtoricum, Decade. 1. p. 4. 10. ſeq. Dec. IV. p. 623, 38.

c.) In hiſtoria *Comitatus Barſchienſis*, ad mentionem arcis *Kewitsye*.

10.) *Etre-Kártsa*,
11.) *Erdőhát-Kártsa*,
12.) *Günczel-Kártsa*,
13.) *Amade-Kártsa*,
14.) *Domazér-Kártsa*,
15.) *Sipos*, ſeu *Kaſtély-Kártsa*, inſidetur a familia *Somogyi*, & *Piber*, eſtque opportunitatis non plane nullius.
16.) *Király-Fia-Kártsa*, vici exiles, paruo inter ſe diſcreti interuallo, & a pluribus inſeſſi poſſeſſoribus. Ager ſingulis obtigit, patens is quidem, & fertilis; ſed fere anguſtus vbique, & ſiluarum egenus.
17.) *Padany*,
18.) *Bodafalua*,
19.) *Solymos*,
20.) *Nyék*,
21.) *Mád*, ſunt & hi, terreno inuicem contiguo, eadem diffuſo planitie; ſed gleba multo fœcundiore, copioſioribusque incolis; aquæ tamen, in mediis aquis, laborant inopia. Tiliam olim, intra *Mádum* ſtetiſſe ferunt, inuſitatæ proceritatis, in cuius vmbra, MATTHIAM *Coruinum*, ſæpius, itinere hac inſtituto, non dubitauiſſe prandium capere. Id, cum crebrius factitaret Rex, neque id, ob comitatus, qui eum ſequebatur, frequentiam, ſine incolarum moleſtia fieret; exſcindendæ tiliæ, adeoque, arcendi, ab eo diuerſorio, Regis, conſilium, latis ſententiis, capiunt. Nec mora, arborem annoſam, & porrectis late ramis, longe iucundiſſimam, deiiciunt; truncum, ab imis radicibus, tanta diligentia reuellunt, vt locum, quo ſtetit, ne gnariſſimi quidem, notare potuerint. Redux forte fortuna, MATTHIAS, cum ſublatam e medio tiliam cerneret, incolas, id qui factum ſit, indignabundus interrogat. Illi, ſiue fulmine ictam, ſiue, ſubuerſam a turbine, obtendentes, facile prodiderunt maleficium. At rex, ira percitus, non ſibi potuit temperare, quin acerbius imprecaretur *Mádenſibus*; vti, qui ſe hoſpitii regii honore, indignos feciſſent, nullis vnquam honoribus, per omnem poſteritatem, cohoneſtarentur; ſannis ſibi familiaribus, additis: *Csiribiri Roſz emberek!* Atque, adfirmatum omnino eſt nobis, nullum vnquam e *Mádenſibus*, ad qualescunque honores, emergere poſſe. Conuitium profecto regis, *Csiribiri*, in eorum vico inclamare, capitale eſt: quippe quod illi, cruentis verberibus, quin cæde etiam vlciſci, æquum putant.
22.) *Nemes-Szegh*,
23.) *Vjfalu*,
24.) *Töbör-Ethe*,
25.) *Lidér-Tejed*,
26.) *Csenke-Falua*, reiecti vlterius, territoriis, neque parcis ſunt, neque ſterilibus; ſed inopibus ſiluarum.
27.) *Nagy-Vdvarnok*, &
28.) *Kis-Vdvarnok*, eadem, in orientem, regione, rure fertili,

paſcuis vberibus, verum & hi, lignatione deſtituti. Inter nobiles, præcipui ſunt: *Kerekes*, *Bakó*, *Konde*, reliqui. In priori illo, domus eminet *Kerekeſſii*, ſpecie caſtelli, murati operis; & re vera, nobilis cultus. Tota inſula, vicus hic, peponum gloriam habet præcipuam.

29.) *Olle-Tejed*, poſſeſſio nobilium eius nominis, agro fertili, ſed exiguo, pratis paucis, lignatione nulla.

30.) *Aliſtál*, vicus ingens, & incolis copioſus. Ac reſpondet omnino, loci amplitudini, diffuſa, vberque, cum ruris laxitas, tum, agri frumentarii, præſtantia. Diſcriminatur a *Fel-Iſtál*, & ſitu, & prærogatiua nobilium.

31.) *Balásfa*, ſeu *Balás-Ethe*;

32.) *Bögöllö*, alias, *Kis-Padany*,

33.) *Béla-Háza*,

34.) *Hegy-Ethe*, limitanei, prouinciæ noſtræ vici, ac mediocres ii, & a nobilibus inſeſſi, fortunæ tenuioris. Territorium apertum ſingulis eſt, atque idoneum ad ruſticandum, ſi ligni demas inopiam.

35.) *Nádasad*,

36.) *Al-Baka*,

37.) *Fel-Baka*, &

38.) *Dercſika*, *(d.)* totidem ſunt nobilium coloniæ, plerorumque vetuſtæ originis, tametſi multum referentium moris agreſtis. Recedunt, ad *Danubium* maiorem, ſuntque, agro fertili, pratis late procurrentibus; ſed quæ, crebræ interſtinguunt paludes. Itaque & piſcatione gaudent, & venatibus. Vix egreſſis e vico, hic lepores, ruſticulæ alibi, pingues eæ, & præſtantiſſimi guſtus, ſe ingeſſerunt. Anatum, & auium aquaticarum, ingens paſſim copia.

39.) *Fel-Bár*, &

40.) *Al-Bár*, curiales vici, arcte adeo cohærentes, vt via ſolum regia, quæ hac *Samariam* ducit, diſcriminentur. Frequens eſt vterque, ſolo læto erectoque, poſitus, eo quod a *Danubio* recedit longius, ab eluuionibus immunis. Rure circumfunditur laxo, & cui nil quidquam ad ruſticationis commoditatem, negatum a natura eſt. Nam, & late ſementem facit, & pratis luxuriat, pinguibusque pabulis. Lignorum quod ſatis eſt, promit ex ſiluescente *Danubii* ripa. Eſt in plurium herorum poteſtate. Et in *Al-Bár* quidem, præcipui ſunt, Comes *Ioſephus Illyésházy*, atque *Baro Antonius Amade:* in *Fel-Bár* autem, nobilis vir, *Michael Bobok*, dum hæc commentamur, S. C. R. M. Cancellariæ Hungaricæ, ab expeditionibus negotiorum. *Illyés-*

d.) Verbisne tantum ludant, an dicant aliquid? neſcio, qui, nobili viro, vicum, primitus a rege impetranti, *György*, hoc eſt, *Georgius*, nomen fuiſſe, aiunt: cui rex, importunius iteranti preces, reſponderit: *György ſoka'*, id eſt: *Georgi, multa ſunt*, quæ rogitas: vnde nomen loco hæſerit, *György ſoka*, & vitioſe poſtea: *Dörcsika*, ſeu *Dercsika*. Ferunt, odiſſe *Dercsikenſes*, tametſi nobiles ſint, litteratos homines: plane ſibi perſuadentes, tamdiu *rem* ſuam *publicam*, felicem fore, dum id genus hominum, abfuerit a ſuo contubernio. Ad laudem vici adtinet; quod fuerit olim, in *Pálffyorum* titulis.

Illyéshäziana, in *Al-Bár*, orientem tenent, ædificiis, vtraque parte vici eminentibus. Horum vnum lateri inſidet aquilonari, loco erecto, area laxa, ædificio alto; ſed ob heri abſentiam, fatiſcente. Altera e regione eſt, ſub auſtro, cultior paullo, ſed ſtructura frontis, quam quæ eſt, ex parte poſtica humiliore. Ea nunc, *Zythopœia* impenditur. Olim, a NICOLAO ISTVÁNFFYO habitabatur. qui heic, nobilem illam, ſcitamque rerum Hungaricarum hiſtoriam, conſcripſit. Vidimus in templo epitaphium, quod idem, filiolo ſuo, albo marmore, *ſanctuario* a ſiniſtris poſuit, hunc in modum inſcriptum:

PALCONI, VNICO FILIO, EIDEMQVE LONGE AMANTISSIMO,
IN TENELLA ÆTATE, PROH DOLOR! VITA FVNCTO,
NICOL. ISTVÁNFFYO, PAVLI F. ET ELISAB. BOTH,
PARENTES MOESTISSIMI, POSVER.
VIXIT ANN. III. MENSIB. VII. DIEB. XVII.
Θ MENSE MARTIO. ANNO XPI.
M. D. LXXXI.

Tecum amor & Charites, ſpes, & ſolatia noſtra,
Palco iacent! Sed ſic tulit imperioſa poteſtas
Fatorum, vt, quæ te nobis pia ſoluere iuſta
Fas erat, hæc mœſti, tibi reddimus ecce parentes.

I. H. S. XPS.
FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN COELO,
ET IN TERRA.

Meridionali templi parte, caſtellum adſedit *B. Amade*, quod ſupra dedimus. In *Fel-Bár*, ad ſolem occiduum, domus *Boboki* viſitur, loco eleuato, area ampla. Terſa ea eſt, & cultu ſubſtructionum, caſtelli modum æmulante. Adtollitur contignatione gemina, cubiculis laxis, amplis feneſtris, fronte in meridiem & orientem ſpectante, tergo autem, in occaſum obuerſo, læto vndique adſpectu. Sedes, viro digna, *Vindobonenſi* adſueto munditiei.

Ignobiliores iam vici ſequuntur. Pauciores horum ſunt, quam quos, *Proceſſus Superior* habuit. Diuiduntur vero bifariam. Nam alii quidem, per *Inſulam* maiorem, alii, per minorem illam, cui *Szíget-Köz* nomen, ſparſi ſunt.

MAIORIS INSVLAE, vici iſti ſunt:

41.) *Ó Gelle*,
42.) *Pósfa*,
43.) *Egy-Házas-Gelle*, paruo interſtitio ſeparati. Nam, eadem planitie depoſiti ſunt; diſtinctis tamen territoriis, frumenti & pabuli feracibus. Solam lignationis inopiam, culpaueris. Pertinent ad ditionem *Piſonienſem*, ſuntque ideo, colonis ad rem adtentioribus. Vno, quotquot ad eam dominationem ſpectant, prætore gubernari, ac-

accepimus, quem *iudicem* vocant; ſed ad eum modum, vt vicis etiam ſingulis, ſui ſint magiſtratus, qui de rebus omnibus, ad prætorem illum referant. Vulgo, *Gelle-Vidék*, quod *tractum Gellenſem* ſignificat, nominant.

44.) *Beket-Falua*, caſtello eius nominis adpoſitus. Agro eſt feraci & copioſo; at enim egeno ſiluarum.

45.) *Csentö-Fa*,

46.) *Csécsény-Patony*, remotiores in meridiem, *Piſonienſis* dominii; territorio, anguſto quidem, ſed fertili, ſine ſiluis tamen.

47.) *Szent-Mihály-Falua*, vicus exilis, *Comitis Illyésházy*.

48.) *Diós-Patony*, paris fortunæ, agro arcto, ſed feraci rei frumentariæ, ditionis *Piſonienſis*.

49.) *Benke-Patony*,

50.) *Bögel-Patony*,

51.) *Löger-Patony*, agro ſunt copioſo, ſed inope ſiluarum. Referuntur ad eandem *Piſonienſem* ditionem.

52.) *Kürth*, tres eius partes, *Eberhardo*, quarta *S. Georgio*, adſcriptæ ſunt.

53.) *Vámos-Falu*, pari diuiſione, inter *S. Georgii*, & *Eberhardi*, dominationem diſpertitus, quem tamen totum, poſſidet *Comes Iohannes Pálffy*. Recedit *Kürtho*, in orientem, adſidetque *Danubio*, ea regione, qua is molitur inſulam. Gaudet ſiluis & agro; ſed nullius rei, quam lini, & milii ferace: quippe, crebris eluuionibus effœto, & ſui diſſimili. In primis, piſcaturæ ſtudent incolæ.

54.) *Vásárút*, in eadem inſula, ſed alueo quodam diſcretus, a priore. Eſt in ditione *Ven. Capituli Piſonienſis*. Par, & agri & paſcuorum, quam in *Vámosfalu* diximus, ratio; ædificia autem, & coloni, pauciores. Hinc,

55.) *Alsó-Nyárasd* eſt, in inſulæ maioris receſſu, in occidentem, ad prouinciæ *Comaromienſis* fines, ſubducto. Adtribuitur *Eberhardienſi* partim, partim *S. Georgii* ditioni; tametſi, totus pareat *Comiti Iohanni Pálffy*. cui & domus iſthic eſt, a rei familiaris procuratoribus habitata. Ad occidentem templum viſitur, parochiæ *Vásárútenſi* accenſum. Reliqua, ædes occupant agreſtium, & extra has, villæ heri fructuariæ, atque ruſticæ, cum *Zythopœia*. Tantum loco terrenum eſt, tamque ferax tritici & pabuli, vt ei ſubigendo, haud ſufficiant incolæ: ptoinde, maior eius pars, in rem heri vertitur.

56.) *Fel-Iſtál*, huic, quem diximus, vicinus, atque iure hæreditario, *S. Georgio*, & *Eberhardo* accenſus. Aedificia, editiori in tumulo ſunt poſita. Aquis adfluit, potatu liquidis. Hinc, *Paullus Dauid*, Quinqueeccleſienſium, ac poſtea Váczienſium quoque Epiſcopus, prodiit. qui ideo, de *Fel-Iſtál*, dicebatur. *(e.)* Reuerſis ex eo angulo,

57.) *Várkony* occurrit. Hic ille vicus eſt, vbi, ISTVÁNFFYO teſte, *Stephanus Neskeius*, Agriæ, maſcule aduerſus Turcas defenſæ, cum

e.) Vide, præter Epiſcoporum Catalogos, Decreti A. MDCXXX. clauſulam.

cum *Dobone*, præfectus, ſecuri ictus, interiit: FERDINANDO, inquit hiſtoricus, *(f.) ad capeſſenda honeſtiſſimi facinoris præmia, euocatus, Viennamque proficiſcens, cum* Várkonyum *diuertiſſet, militesque, qui cum eo erant, oppidanis aliquot equorum iuga, ad vecturam imperaſſent. atque ii, nequaquam dicto audientes, tergiuerſando moram necterent, orta ſeditione, ad arma ventum eſt, & occiſis vtrinque pluribus, cum ipſe, non ſatis cognitus, ad ſedandam eam, adcurriſſet, impacta in frontem ſecuri, ab ignobili aratore, vir clariſſimus, interfectus eſt.* Oppidum ergo fuit ISTVÁNFFII ætate. iam in vicum abiit, non quidem prorſus tenuem; ſed nec extra modum, copioſum. Hinc titulos ferunt, *Liberi Barones Amade, de Várkony.*

58.) *Nagy-Bodok*, illic, *Danubio* maiori in occidentem adcubat, qua is crebras format inſulas minutiores. Vicus amplus, & ad ruſticandum commodus, niſi præterlabentis *Danubii*, ferre deberet iniurias. quas, vt amolirentur prouinciæ magiſtratus, aggeres, vaſti operis, nuper amni obiecerunt, qua eius incurſus præcipue metuendi erant: operis, *Mikouinio* noſtro, moderante.

59.) *Süly*, loco inſedit fertili, & accliui paullulum. Orientalem vici oram, caſtellum occupat, *Anyóſiorum*, quod hodie *Maholányos* tenere diximus. Sunt ei, & ſiluæ, & crebræ lacunæ, piſcium & anatum locupletes, ager fœcundus, & prata, pinguis pabuli feracia.

MINORIS INSVLÆ, vici reſtant; quam *Szigeth-Köz* adpellant. Frequentibus ea ſiluis, obſita eſt, diues paſcuorum; at infelix agro, ob *Danubii* frequentes, damnoſasque eluuiones. Hic ſunt:

60.) *Púsky*, redit ad *Danubium* interiorem.

61.) *Remete*, adſedit ad eundem alueum. Vltra eſt:

62.) *Lipold*, &

63.) *Zsely*, exiles vici, Comitum *Kaunitz*, & *Viczay*.

64.) *Kis-Bodok*,

65.) *Darnó*, eodem tractu, & prope ad *Laurienſium* limites, exiles vici, itidem Comitum *Kaunitz*, & *Viczay*, ſed interſertis nobilium quoque poſſeſſionibus. Fuit hic *Proceſſus Inſulanus Inferior.*

f.) Lib. XIX. p. 349, 25. adde SAMBVCI Rerum Hungaricarum Append. BONFINIVM ſubnexam. p. 802, 50. vbi genuinum viri nomen, *Moczkei* eſt.

MEMBRVM V.

De PROCESSV TRANSMONTANO.

PROOEMIVM.

Omen accepit a ſitu, quod trans *Carpathi* exordia, quorum ſupra fuit mentio, amœna, inter *Morauum* & radices montium, planitie, exporrigitur. Longus eſt milliaria circiter ſeptem, latitudine nunc arctiore, nunc iterum laxiore; prouti, illinc quidem finibus *Morauiæ*, hinc montana regione, ſinuatur. Ora, vix cultior alia. Solum paſſim ſabuloſum & ſterile; ſed quod multum erudiuit, ruſticorum induſtria. Vidimus, inutili arena, ſegetes, fructu eximio, proficere; luxuriare autem alibi, qua humus erat pinguior. Nam, & terrena interſunt, ſolo pullo, reſoluto, & amico ſementi. Nec inimica ſunt viti, quæ per montium decliuia, ſoli obuertuntur occidenti, & meridiano. Lignandi copiam, planities non minus, quam iuga ſufficiunt. vtrobique enim ſiluæ increſcunt, inexhauſtis profectibus. In primis iucundum ſpectatu eſt, crebris riuis, late perlui regionem, qui, e montium deiecti conuallibus, Mæandris, per decliuia ludunt; at prolapſi in depreſſa, in piſcinas colliguntur. Incolæ regionis, *Slaui* ſunt partem maximam, admiſſis *Morauis*, atque *Croatis*. Quin, & *Germani* cœperunt inualeſcere, vndecunque huc demigrantes. Multum, ad oræ huius incrementum, *Comites Pálffii* contulere, quando prædiorum, & rei familiaris procurationem, peritiſſimis quibusque, & fouendæ plebi, vnice intentis, crediderunt. Idem fere, & *Comites Kollonitſchii*, non item, dum florebant *Czoborii*, æmulabantur. Nam, his quoque, quod

quod infra dicemus, eſt quidam, hoc *Proceſſu*, poſſeſſionum modus. Alioquin, inſeſſa ſunt omnia, vicis copioſis, frequentibus oppidis, caſtellis eximiis, queis arces ſupereminent, haud exiguo regionis ornamento, quin & præſidio. In primis, perculta ſunt, quæ *Pálffiis* accenſentur, cum ob dominationis lenitatem, qua proficit colonus; tum, ob ſingularem eorum prouidentiam, qui rebus adminiſtrandis præſunt. Caſtella profecto ſingula, ad eum modum ſunt inſtructa, vt non heros modo, pro ea, qua ſunt, dignitate; ſed hoſpitum etiam, ſalutatum venientium, agmina, & commode, & liberalius, quam reris, poſſint accipere. Adparatiſſima omnibus ſunt conclauia, onuſtæ vino cellæ, referti omni commeatu, penuarii fornices. Proinde, quocunque acceſſerit herus, nihil reperit, niſi quod eſt adparatu longe exquiſitiſſimo, refertum. Sed de his ſingulis, dicamus ſigillatim.

SECTIO I.

De

Arcibus Proceſſus Transmontani.

SYNOPSIS.

I. Arx Dévén.

Déuéni *ſitus: de eius origine, nomineque, coniectatio.* §. I.

Quando in Hungarorum venerit poteſtatem? mutauit ſubinde poſſeſſores. §. II.

Recentior arcis hiſtoria: venit in Báthoreorum *poteſtatem: quibus eam legarit* Stephanus Báthoreus. §. III.

A Báthoreorum *hæredibus*, Paulſus Pálffy *eam redimit.* §. IV.

Aedificii modus, ſex molibus inſtructus: ſitus arduitas: atque proſpectus patentiſſimus. §. V.

Molis alterius rudera, & vulgi de iis opinio: quæ ſint in arcis ditione? §. VI.

II. Arx Borostyánkő.

Poſitus Boroſtyánkő. §. I.

De exordiis arcis, opinio: ſubſtructionum ratio: aeris ſalubritas. §. II.

Quando Pálffyorum *iuribus ſit accenſa? eius ditio, quam late pateat?* §. III.

III. Arx Detrekô.

Situs & nomen: edificii ratio. §. I.

Arcis poſſeſſores: donatur a Ferdinando I. Melchiori Balaſſæ: *eſtque poſtea in hæredum poteſtate.* §. II.

Petrus Bakith, *quo facinore fœdarit* Detrekônem? §. III.

Paullus Pálffy, *ſuam facit: quæ eius dominationi, loca accenſeantur.* §. IV.

Capitur a Rákóczianis: *recipiturque.* §. V.

IV. Eleskô.

Eleskónis *ardua poſitio:* Czoborii, *eius poſſeſſores, & horum iura: iam in fœneratorum eſt poteſtate: eius ditio.*

I. *Arx Dévén.*

§. I.

Dévéni ſitus:

Dévénum, petræ inſidet, ad confluentem *Danubii*, & *Morauí*, vnius, ſupra *Piſonium*, Hungarici milliaris interuallo, eſtque ſitu directo, eminente, & in flumina, vtraque ex parte, prærupto; ſed paullo tamen leniore faſtigio, ea parte, qua ad oppidum vergit. A virgine poſitam aiunt, idque ex nomine forte coniiciunt; quod *Devojná*, puellam, *Slauorum* lingua, ſignificat. Nihil contraimus, cum certum ſit, *Slauos Mahavenſes* oram hanc tenuiſſe. Diſerte de Lvdovico, ex annalibus Fuldenſibus Strvvivs: *(a.)* Lvdovicvs *Germanicus*, inquit, anno DCCCLXIV. *menſe Auguſto, vltra Danubium, cum manu valida profectus*, Raſticem *Slauorum ducem, in quadam ciuitate, qua lingua gentis illius*, Dowina, *(b.) id eſt puella, dicitur, obſedit. At ille, cum regiis copiis congredi non audens, atque locum effugiendi ſibi denegatum eſſe, cernens, obſides, quales & quantos rex præcepit, neceſſitate coactus, dedit, inſuper cum vniuerſis optimatibus ſuis, fidem ſe cunctis diebus, regi ſeruaturum eſſe, iuramento firmauit, licet illud minime ſeruauerit.* Prorſus opinamur, arcem atque oppidum noſtrum, perfugio *Raſtici* fuiſſe: quippe, ad eam rem, maxime opportunum. Id ſi credas, facile de arcis vetuſta-

de eius origine, nomineque, coniectatio.

a.) Hiſtor. Germ. Diſſert. x. §. 7. p. 252. Conſ. *Annales Fuldenſes*, Lamber. Schaffnaburgensem, & Spangenbergvm, ad ann. dcccLxiv. Adelzreuterum Annal. Boi. P. I. Lib. xi. num. xxi. denique I. L. Schönleben, Annal. Carniolæ, P. iii. p. 433. a.

b.) Supereſt, eius nominis veſtigium quoddam, apud Hungaros quoque, qui, rudus illud arcis, quod infra *Parkas-falvam*, in montis latere, hinc *Devénio*, illinc *Piſonio*, trianguli ſitu, obiacet, *Leányvár*, Germani *Göttinnenburg*, & vulgus, *Gottenburg* adpellant; forte, quod *Devojna* limitanea fuerit, aut eiusdem prorſus originis. *Slaui* certe, priſci illi, ac gentiles, *Venerem* Deam, in virginis cultam ſimulacro, *Dewójna*, *Dewina*, ſeu *Dewa*, nuncupabant; *Göttin*, Germani.

tuſtate perſuadebere; tametſi non deſint, qui, iam tum *Romanorum* ætate, præſidio fuiſſe legionibus, quæ *Danubium* tenebant, arbitrentur. Quidquid eius rei ſit, nomen certe a puella eſt, quod ſcriptores, ex *Dewojna*, in *Dowina*, ignoratione linguæ, detorſerunt. Inde *Hungaris Dévén*, *Deben Germanis*, & imitatione Latinorum, *Dévénium* dici coepit.

§. II.

Quando in Hungarorum venerit poteſtatem:

MVltum calamitatis pertulit, temporibus, quæ perpetuis obnoxia mutationibus, inde conſequuta ſunt. Poſtea, eadem cum Pisonio fortuna, vſam fuiſſe arcem, procliue eſt exiſtimare, dum ab *Hungaris*, ſub poteſtatem mitteretur: quod nos, ad initia ſeculi decimi, retulerimus. Tunc enim, factis, in remotiſſimas regiones, impreſſionibus, *Morauiam*, datis acceptisque cladibus, ſemel atque iterum, *Hungari* adflixerunt. Pleni, de eorum crudelitate ſunt annales. Ceterum, excuſſum e *Hungarorum* manibus, ſubinde fuiſſe *Dévénum*, ex eorum temporum conuerſionibus, arguimus: donec poſtliminio, in S. Stephani ditionem, cum *Piſonio* veniret. At, eo mortuo, infeſtus limes hic fuit, ob frequentes, cum Cæſarum, tum Auſtriæ ducum, in Hungariam, expeditiones. Itaque, nunc ab *Hungaris*, a *Germanis* iterum, præſidio tenebatur. Diſcas id, ex Vito Arenpeckhio: *(c.) Anno MCCXXXIII.* inquit, *circa feſtum omnium Sanctorum, cum* Andreas II. *rex Hungariæ, pater* S. Elisabeth, *contra ducem Fridericum, in Auſtriam, ingenti potentia aſcendit, caſtrum* Tében, *cum foro* (oppidum intelligit) *igne combuſſit, & vltra procedere noluit.* Itaque, in Auſtriacorum poteſtate, *Dévénum* tunc fuiſſe oportuit. Anne vero, bellis *Bohemicis*, graſſante ſæpius in Hungariam *Ottocaro*, intemeratum manſit *Dévénum*? Profecto, eſt cur dubitemus, in tanta, tamque frequenti, hominis ſæuiſſimi, intemperie. Nempe, *Bibersburgo*, *Tyrnauia*, *Pöſinga*, *Altenburgo*, & *Caroloburgo*, per vim occupatis, *Piſonium*, cum arcibus vicinis, tenuiſſe *Ottocarum*, Roo, *(d.)* laudatiſſimus hiſtoriæ Auſtriacæ ſcriptor, auctor eſt.

mutauit ſubinde poſſeſſores.

§. III.

Recentior arcis hiſtoria:

NIhil poſtea, de arce reperio, dum eius mentionem faciat Istvánffyvs: *(e.)* mortem *Stephani Báthorei*, regni Hungariæ Palatini, commemorans. Dignus eſt lectu locus, quod & arcis ſitum promit, & heri in eam iura: Stephanvs Báthorivs *Palatinus*, inquit, *in arce* Dévénia, *ſupra Poſonium, vbi Danubius, & Morauus flumina, commiſcentur, quam* Ferdinandvs *ei inhabitandam dederat, ſenio, & articularibus omnium membrorum doloribus, confectus, fato functus eſt, & Poſonii, in maiori D. Martini æde, tumulatus,*

venit in Báthoreorum *poteſtatem:*

e.) Apud Pezivm, Tom. I. col. 1212.
d.) Libro I. ad annum MCCLXVII. p. m. 25.
e.) Libro XII. extremo, ad annum MDXXXV.

tus, relicta vnica nubili filia, Clara. reliqua. Sed, non inhabitandam ſolum, *Báthoreo* dederat FERDINANDVS, *Dévéniam;* verum, iure hæreditario, vti bene de ſe merita, & partes ſuas, aduerſus IOHANNEM *de Zápolya*, maſcule adſertas, remuneraretur, eſſetque, vbi in ea rerum perturbatione, tuto deliteſceret. Itaque, toto eo ſeculo, fuit in eiusdem gentis poteſtate, quod tabulæ teſtamenti, *Stephani Báthorei*, Iudicis Curiæ Regiæ, quas ille anno MDCIII. Prid. Cal. Martias, perſcripſerat, condocent. Verba ſic habent: *Dévén Várát, ki Poſony Vármegyében vagyon, vallom és hagyom, Báthory Örsébeth Aſſzſzonynak hügomnak, Nádasdi Ferenczénének: Varday Kataſzſzonynak, Nyári Pálnénak, Figedy Iſtvánnak, Figedy Borbálának, &c.* Quæ, ad hunc modum reddimus: *Dévénenſem arcem, quæ eſt in Comitatu Poſonienſi, teſtamento ſcribo, Eliſabetha Báthory, ſorori meæ, Franciſci Nadasdii coniugi: Catharina item Varday, vxori Paulli Nyári, Stephano Figedy, & Barbara Figedy, &c.* Vt vero res, ex præſcripto teſtamenti adminiſtraretur, arcis eiusdem procuratorem, ita obteſtatur. *Dévén várában, moſtan* BAY MIHÁLY *Tiſztartóm, fejed fen áltág, ebez tartſad magadat. Tudod Uram, Iſten után, mit tselekedtem veled! Nints kegyelmedbe kétségem; mint jámbor ſzólga, az huſa után, hogy az lévét-is meg nem iuuód reája. Dévént kegyelmed annak adja, a' kinek én haſtam teſtamentomba, és Teſtamentariuſom mondja. És valamig az én Teſtamentomom véghez nem megyen, ne bújjál Uram ki böröddbül: tudom mégis miveled, az te hozzám való hiuséged, hited, ſzereteted és kötellesſéged ſzerint.* Id eſt: *Dévénenſis arcis hodierne procurator*, Michael Bay! *dum tibi vita fuerit ſuperſtes, horum velim ſis quam obſeruantiſſimus. Scis, bone vir! quibus, poſt Deum, te cumularim beneficiis. Nullus dubito, quin ritu ſerui honeſti, poſt tot meorum, in te beneficiorum, vſuram, hoc tantillum laboris ſubiturus ſis. Dévénum, (ſ.) videris, vt ei tradas, cui id legatum vides, quodque teſtamentarius te meus docebit. Dum vero, teſtamenti mei rationes omnes, adimpletæ fuerint, ne te, vir bone! geras impatientius: id quod te, pro tua erga me fide, amore, atque animi obligatione, facturum ſcio.* Hic ille *Bay* eſt, qui *Bathoreum*, defectionem ad *Botskaium* molientem, honeſtiſſimis ſuaſionibus, id ne faceret, retentare, fruſtra connitebatur. *Quamquam* a Michaele Bayo, *familiare ſuo*, memorat ISTVÁNFFVVS, *(g.) ne a Cæſare deficeret, multis rationibus confirmaretur, cuius auum* FERDINANDVM, *Stephanus Báthoreus, ipſius auunculus, qui tunc Palatinus erat, ad capeſſendum Hungariæ regnum, omni ope & armis iuuiſſet; neque fas eſſe, eum a veſtigiis & virtute maiorum, leuibus de cauſſis, exorbitare, identidem inculcaret: ipſe tamen in ſententia perſtitit, & ſigillum, quo duplici in iure dicundo vtebatur, per* Michaelem Ancreiterum, *Germanica originis famulum ſuum*, BAYO, *vt ad Cæſarem perferendum cura-*

quibus eam legarit Stephanus Báthoreus.

f.) Multas poſtea, partiendæ dominationis, *Dévénienſis*, inter hæredes, cura, tricas dedit. Legeſis, Anni MDCIX. Art. XXX.

g.) Libro XXXIV. p. 824, 28.

curaret, miſit. Is vero, ne ab Hajdonibus, Auſtriam & Morauiam hoſtiliter infeſtantibus, circumueniretur, arcem DEVÉNIAM *deſerere non auſus, ad* Martinum Peteium, Iaurienſem Epiſcopum, *ac tunc pro regia dignitate fungentem, pertulit, a quo, ad* Matthiam *principem miſſum fuit.* Hactenus ISTVÁNFFYVS.

§. IV.

A Báthoreorum *hæredibus,* Paullus Pálffy *eam redimit.*

Báthoreo, eodem, quo nuncium CAESARI miſerat, anno MDCV. *Etſchedini* mortuo; in *Kegleuitſchiorum* poteſtatem, venit *Dévénium*, dum id a *Palocsaiis*, qui id in pignore habuere, *Comes Paullus Pálffy*, repræſentato ære, ſuum fecit, inque hæredia gentis, indulgente FERDINANDO III. retulit. Ac manet hodieque, in ditione eiusdem familiæ, cenſeturque in iis *Pálffyorum* bonis, quæ iure, quod *maioratum* vocant, ad primogenitos vnice adtinent.

§. V.

Addificii modus, ſeu molibus inſtructus:

FOrma inæquali eſt, & ſubſtructione varia. Nam, vt rupes adtollitur, ita alia, ſuper alias, ſunt clauſtra, quæ inter exigua ſpatia, gradatim conſurgunt. Eorum ſex numerauimus. Primum ampliſſimum eſt omnium, atque area inſtructum capaci. Id, partim murus, a *Danubio*, partim vallum, & agger, prædudit ab oppido. Fornices hic inſunt, validarum concamerationum, ſatellitum præterea, & *caſtellani* hoſpitia: quin ſtabula etiam iumentorum. Aditus ei ab oppido vnicus, puteus autem in area, ob perennis aquæ inſignes venas, prorſus incomparabilis. *Danubio* eum, per meatus ſubterraneos, committi credunt; quod intumeſcente illo, hic quoque obſeruetur abundare; diminui contra, cum ille decreuerit. Altera molis ſubſtructio, ſiniſtrorſum ſe porrigit, adſurgitque, pedes forte duodecim, altius. Iſthic tormenta conſpeximus, & ſubeuntes in tertiam gradus. Nam, & hæc arcis pars, eminentius paullo, quam prior illa, conſedit; anguſtior tamen eſt. Intrantibus, cellarii ianua ſe offert, in vaſtos propagati fornices. Vinum hic, & commeatus alii, cellis ſeruari ſoliti, conduntur. A ſiniſtris, areola eſt ſubdialis, & ex hac, gradus iterum ad ſuperiora. In his, cum aſcenderemus, fraga legiſſe pueros, aduertimus. Inde clauſtrum erat aliud, grandiori inſtructum cubiculo, & id genus opportunitatibus. Quod vltra ſurrigitur, conclauia habet, facta pro ſuæ ætatis, ingenio. Denique, arcis caput, ſummo petræ vertice, adtollitur, tanta altitudine, atque præcipitio, vt horruerimus, per prærupta cautium deſpicere: directo enim in flumen muro, & hic abſciſſa, aſpera alibi rupe, moles omnis ſuſpenſa videbatur. Sunt, qui arcis faſtigium, cum turris Viennenſis altitudine, comparent: nobis viſum eſt procerius. Hic rurſus cubicula, lentis inter ſe gradibus, diſtinguuntur. Ex ſummo, quod

ſitus erdui-tas:

eſt

eſt ampliſſimum, rima deſcendit, occulto demiſſa muro, in infernum caminum, cuius ope, excipiuntur voces, infra loquentium. Habet in prætorii veſtibulo, ciſternam quoque, limpidiſſima aqua plenam. Ob hanc, qua eſt, ſublimitatem, proſpectu lætatur, non amœno minus, quam patenti. Qua in occidentem, & meridiem vergit, confluentem *Danubii* & *Moraua*, in obtutu habet. Quod vltra abit, montibus *Cecitiis*, definitur. Itaque, patent ei cuncta, *Vindobonam* vſque: quam, & defluentis inde amnis, Mæandros, atque inſulas, quaſi in theatro, proſpectat. Iucundus maxime eſt adſpectu, ſeceſſus Evgenii principis, quem is in aduerſo *Moraua* latere, ſed ſubducto altius, his annis, faſtoſiſſime inſtructum, poſuit. *Hoff* ei, ab oppido, nomen. Par & in meridiem, ſituum eſt obiectus. Tota hinc fere *Moſonienſis* regio patet. Reliqua, in orientem & aquilonem, *Carpathi* iuga intercipiunt. Hic enim, adſurgere montem eum diximus, cuius caput, arx noſtra, ceu murali quadam corona, honeſtauit.

atque proſpectus patentiſſimi.

§. VI.

Præter arcem, quam deſcripſimus, alterius etiam molis adparent veſtigia, eodem iugo, quo arx eſt; verum colle diuerſo depreſſioreque, tametſi muro priori commiſſo. Arcis primordia fuiſſe, quam ſoror, *Devojna* illius, excitare cœperit; ſed morte intercepta, nequiuerit conſummare, vulgi ſunt narratiunculæ. Nos, hoc, quidquid ſit parietinarum, eo fini credimus fuiſſe eductum, vt, ſi ob belli metum res trepida ingrueret, perfugio eſſet accolenti multitudini. Obſeruatum eſt enim, neutra obſidione *Viennenſi*, tametſi tentatam acrius, capi a barbaris potuiſſe. Ceteroquin, ad ditionem arcis pertinent, oppidum & caſtellum, eius nominis; oppidum item *Récse*; & vici, *Déuén-Ujſalu*, *Hidegkút*, & *Potzneüſidl.*

Molis alterius ruderа, & vulgi, de iis, opinio.

II. Arx Borostyánkö.

§. I.

Hinc, in aquilonem, ſed declinantem eum ad orientem, progreſſis, Borostyánkő, poſt milliaris interuallum, ſe obiicit. *Carpatho* & ipſa, inædificata eſt, qua is ſolem occiduum proſpectat; poſitu non minus alto, quam prærupto, & qua ſe rupes erigit, vndique abſciſſo & præcipiti. Nam, vti mons ſurrigitur, ita eius latere, diſtincto attamen iugo, & quem a montis dorſo, interiecta vallis ſeparat, moles adſurgit. Itaque, difficili eſt aditu. Nam, quia recta mons nequit ſcandi; multo opus eſt circuitu, ad moliendum iter, dum arcem ſubeas. Ab imo vero, vſque ad petram, ſilueſtris circum eſt accliuitas; inde, apertæ quidpiam regionis. quod & ornamento eſt arci, & commodo, ſi obſideri contingat. Vbi mons petroſus eſſe incipit, hedera innaſcitur. quod ideo non ſilemus, quia *Hungaricum* arcis nomen, ab *hedera*, arceſſitum eſt, *hederatamque petram.*

Poſitus Borostyánkö.

tram, ſignificat. Germani *Ballenſtein* vocant, quod rotunda petra, pilæ refert imaginem. Diſcedunt ab vtrisque *Slaui*, quibus a ſubſito oppido, *Stupawsky Zámek* dicitur.

§. II.

De exordiis arcis, opinio:

EXcitatam credimus, eadem illa tempeſtate, qua reliquæ circum arces montanæ, ſunt poſitæ: hoc eſt, iis temporibus, cum frequentia *Hungaris* bella, cum Auſtriis, & Bohemis, intercedebant, & nunc de finibus decertabatur, nunc de populorum ſalute. Dici enim nequit, quantis, viciniſſimæ gentes, bellis inuicem conflictatæ ſint. Itaque, is tum prouidentior habebatur, qui communire fines, & infeſtare hoſticum, abigere prædas, atque nihil non edere calamitatis, nouerat. Poſtea, cum & *Tartarorum* barbaries, metui cœpit, non dubitamus, quin multum roboris, nuperæ moli acceſſerit. Illud miramur, graſſante *Ottocaro*, nullam a ſcriptoribus, arcis mentionem fieri. quod in ſuſpicionem nos vocare poſſet, nondum ea tempeſtate, arcem ſtetiſſe. At enim, exilior credo fuit, quam vt eius ſilentio, peccarint hiſtorici. Aedificium rotundum eſt magis, quam angulatum. Aditur via, vt diximus, ardua, & qua ad portam adpropinquaris, penes abſciſſa rupium, quæ illic turris eminent ſimilitudine, multum impedita. Intra, exterior arcis eſt area, ſuper eadem petra, muro, & validis propugnaculis, incincta. Poſtea, prætorium adtollitur, duplici conclauium ordine. quorum ſuperiora, commeatu, frumento, quin & agreſtium ſarcinis, ſunt referta. Infra, cellæ vinariæ, capaces eæ, ac frigidæ, & ſuper his tabularium, & armamentarium gentis *Pálffiæ*. Medio areæ interioris, ciſterna inſtructa eſt, aquæ, ex pluuiis, perpetuæ. Eximia hic aeris eſt ſalubritas, & venti, propemodum perennes. Non raro, ad ſolſtitium vſque æſtiuum, calefiant hypocauſta, neceſſum eſt. Itaque, nulla hic, a muſcis, & culicibus, familiari Hungariæ malo, moleſtia eſt; proſpectus autem, longe omnium amœniſſimus. Habet in obtutu, Viennam quoque, & Auſtriam citeriorem, creberrimis vicis oppidisque percultam. Eam ob rem, frequentatam olim a *Pálffiis*, accepimus.

ſubſtructionum ratio:

aeris ſalubritas.

§. III.

Quando Pálffyorum *iuribus ſit accenſa?*

VEnere ii, in arcis poſſeſſionem, *Maria Fuggeria*, Comitis *Nicolai Pálffy*, viduæ iuribus. quæ arcem, ſuo ære redemerat, poſtquam, a Comite *Eckio de Salmis*, in regium fiſcum rediiſſet. Ante hunc, Comitibus *de S. Georgio*, & *Boroſtyánkó*, fuit ſubiecta. quibus, ſub FERDINANDO I. deficientibus, regi, patria lege, facta eſt iterum peculiaris. qui arcem, *Eckio a Salmis*, poſtea, iure pignoris tradidit. Atque exſtant omnino *(b.)* leges, quibus re-

b.) Vide, A. MDCVIII. Art. VII. poſt Coron. & A. MDCXXV. Art. XX.

dimendam ab exteris arcem, *Status* & *Ordines*, ſanciuerunt. Tum vero demum *Pálffyorum* hæredibus accenſa eſt. Paret hodie Comitis *Nicolai Pálffy*, *Regni Palatini*, hæredibus. Sunt in eius ditione: Caſtellum & oppidum *Stompha*, *Gajár*, *Beſztercze*, *Hochſtetno*, *Kis-Lévárd*, *Láb*, *Lozorno*, *Maſzt*, *Zohor*, *Paiſtun*. Recedit *Piſonio*, duobus in aquilonem, milliaribus.

eius ditio, quam late pateat.

III. *Arx Detrekö.*

§. I.

Situs & nomen:

MOntium tractu eodem, ſed iugo magis in ſeptentrionem reducto, demiſſiorique, DETREKÖ, inſedit. Audiuimus nonnemínem, magna fiducia, arcis nomen, a *Tetrico*, Romanæ cuiusdam legionis tribuno, arceſſere. Præſtruebat adſertioni fidem, ruderum, ſparſis ſub arce, veſtigiis, quæ ille, coloniam fuiſſe adfirmabat Romanam. Credidiſſemus homini, rerum iſtiusmodi non imperito, ſi, quæ dicebat, lapidum, aut id genus monumentorum teſtimonio, confirmauiſſet. quod dum fiat, putabimus cum vulgo, a *Dieterico*, recentioris ætatis viro, arcem, ſeu poſitam, ſeu denominatam: vnde Hungaricum *Detrekö*, hoc eſt, *Dietericí lapis*, manarit. niſi enim fallar, *Dietericus*, peregrinum nomen, *Detrek*, ab Hungaris dicitur. *Germani*, ob ventorum, qui in rupem impingunt, vehementiam, *Blaſenſtein*; *Slaui*, corrupta ex Germanico voce, *Plawecz*, adpellant. Poſitu amœno eſt, lætique deſpectus. Incubat petræ, ſublime eminenti, atque vndiquaque abruptæ. Aditum certe admittit vnicum, accliui monte, a caſtello eius nominis, paſſuum quadringentorum longitudine. Reliquis partibus, inacceſſa eſt. Vti vero iugo procurrit, lacunis, ab occidente ſuffuſo, ita, ad has vſque, murum, a montis cacumine, per decliuia promittebat, cuius nil quidquam ſuperat, præter rudera. quæ coniectator ille, coloniam Romanam vocabat. Aedificium arcis, multa vetuſtate nutat, conciſurum, niſi ei ſuccurratur. Alioqui, muro eſt valido, at conclauibus iam contemeratis.

aedificii ratio.

§. II.

Arcis poſſeſſores:

ARcis poſſeſſores, diu *Fuggeri* fuere, dum, a FERDINANDO I. redemta, *Melchiori Balaſſa*, donaretur. Rem, ISTVÁNFFYVS *(i.)* memoriæ prodidit: *ſupra hæc omnia*, inquit, *arx* DETREKÖ, *quam Germani*, Bloſenſteinium *vocant*, *in confinio Auſtriæ & Moraniæ*, *a Marco*, *& Iohanne Fuccaris*, *Auguſtanis*, *Antonii filiis*, *quibus locata erat*, *redemta*, *in qua vxorem & liberos ſeruaret*, *liberalitate Cæſaris*, *acceſſit*. Præmium id fuit, deſertarum Tranſiluani partium, vt haberet perfugium, re dubia. Quam id *Balaſſio* bene ceſſerit, alibi ISTVÁNFFYVS *(k.)* adnotauit. Nimirum, *Balaſſio* abſente, *Stephanus Bá-*

donatur a Ferdinando I. *Melchiori Balaſſa:*

i.) Lib. xx. p. 140, 19. ad A. MDLXI. *k.)* Lib. XXII. p. 442, 18.

Báthori, poſtea *Poloniæ* rex, Sathmárum, eiusdem præmii partem, aſſu occupat, vxorem eius capit. *Coniux*, inquit, *Balaſſi, quæ Franciſci Turzonis ſoror erat, cum filia nubili, & Stephano filio, quartum decimum ætatis annum agente, capta fuit, ac multa & varia eius ſupellex, quotidianis vſibus deſtinata, in prædam verſa. Nam carior & precioſior ad arcem* Detrekőnem, *quam a* FERDINANDO, *in Auſtriæ & Hungariæ confinio, dono acceperat, antea transmiſſa erat.* Melchiore mortuo, *(l.)* manſit arx in *Balaſſiorum* poteſtate. *Ioannes* certe, *Melchioris* frater, criminis læſæ maieſtatis reus, eamque ob rem, in arce *Piſonienſi* captiuus, huc euaſiſſe, ab eodem ISTVÁNFFYO, perhibetur. BALASSIVS, inquit, *poſt ſextum carceris menſem, perforato muro, ac deceptis cuſtodibus, quibus vinum, vt largius potarent, adferendum curauerat, pecuniamque, pictis de more cartis, & aleæ exercendæ, diſtribuerat, felici aſtu euaſit; funeque, per mœnia delapſus, pernicitate equorum, quos in ſuburbio, ad fugam præparauerat, ad arcem ſuam, Plobenſteiniam, citato curſu contendit.* Arguimus hinc, *Melchiore Balaſſa*, cum filio *Balthaſare*, vno fere, eodemque tempore fatis functo, *Iohannem* hunc, irrequieti virum animi, arcis hæreditatem adiiſſe. Hæc ad annum MDLXXI. geſta fuere. Ac, hæſit profecto iuris quidpiam *Balaſſianæ* genri, in arcis poſſeſſione, & poſt *Melchioris* atque *Iohannis* fratrum, obitum. *Melchior* enim alter, *Iohannis*, ex *Valentino*, nepos, adhuc in eius fuit poſſeſſione; ſed diminuta multum, ob iuris feminei, quod vocant, communionem. Exſtat ſanctio in eam rem, anno MDCXXV. lata: *(m.) Idem fiat, in facto ſummæ inſcriptionis, arcis* Detrekő, *pertinentiarumque eiusdem, inter Generoſas & Magnificas Dominas, Margarethan Bakith, de Lak*, Melchioris Balaſſa de Gyarmath; *& Magdalenam Pálffy*, Martini Móricz, *Magnificorum quondam Dominorum, relictas viduas: item Barbaram Balaſſa, Petri Kohári; & Suſannam, ſimiliter Balaſſa, Petri Pethe, Magnificorum Dominorum, ac Mariam Dóczi, egregii Georgii Fánchy, conſortes.* En! quanta in vnius arcis dominatione, poſſeſſorum ſeges.

eſtque poſteri in hæreditatem poteſtate.

§. III.

FActa nobis eſt, *Bakithianæ* gentis mentio. qua admonemur, ne ſileamus facinus, quo *Petrus Bakith*, Detrekőnem fœdauit. Res iſtiusmodi fuit. *Franciſcus de Réva*, Suſannam Forgách, feminam ſpectatiſſimæ formæ, matrimonio ſibi iunxerat, atque diu cum ea *Holicsii*, & paſſim, ſine exſtanti querela, degebat: dum *Petrus*, inſano *Suſanna* amore percitus, concupiſcere primum feminam, mox deperire cœpit; denique, arte quacunque ineſcatam, eo induxit, vt libidinoſiſſimo homini, qua ſe dabat occaſio, haud negauerit obſequium. Ea res, cum diu lærere maritum nequiret, quin emanaret etiam in vulgus, *Révaius*, vt peccandi aufferret licentiam, *Holicsii*, in cuſtodiam includit *Suſannam*: ipſe, ne rei indignitate, præſens

Petrus Bakith, quo facinore fœdarit Detrekőnem.

l.) Lib. XXIV. p. 512, 6. | *m.*) Articulo LVII.

adfligeretur, ad *Thúróczienſes*, tantiſper diuertit, dum vxorem, perpetuis honeſtiſſimorum hominum admonitionibus, dato in pœnitentiam ſpatio, reduceret ad mentem meliorem. Cum hæc geruntur, *Bakitſius*, partim inceſtuoſa feminæ cupidine; fuit enim ei ſanguine iunctus; partim, illati ſibi, vti interpretabatur, dedecoris, dolore ſtimulatus, eripiendam, quoquo modo poſſet, e cuſtodia, ſtatuit. *Detrekőne* tunc amator degebat, quinque *Holicso*, milliaribus ſeiuncto. Proinde, cum delecto ſatellitum numero, in expeditionem profectus, nocte intempeſta, *Holicsum* venit, atque, vallo & foſſis arcis ſuperatis, eam ædium partem, vbi ſeruabatur *Suſanna*, perfracto muro, occupat, feminam cum ancillis duabus, rapit, ſecumque *Detrekónem* abducit, eaque poſtea, in omnem libidinem, annis pluribus abutitur. Diriſſimum facinus, quiritante publice *Franciſco*, deteſtati *Status* & *Ordines*, iure diſputandum, anno MDCVIII. *(n.)* decreuerunt. Diu, lis ea trahebatur, neque tamen lata vnquam ſententia; dum *Franciſco Révaj* fatis functo, abrogaretur *(o.)* penitus. *Petrus* autem, & *Suſanna*, inſontes pronunciarentur.

§. IV.

Paullus Pálffy *ſuam facit:*

SEd, ad arcis poſſeſſores redeamus. Manſit ea, in *Balaſſiorum* poteſtate, ad *Stephani* vsque mortem. qui, quod ſine hærede deceſſit; alteri vero *Balaſſiorum* propagini, nil quidquam ad arcem erat iuris, fiſco, FERDINANDO III. rerum potiente, adſcripta eſt. Vſus ea opportunitate, *Comes Paullus Pálffy*, non ante ceſſauit precibus fatigare FERDINANDVM, quam arcem, & quæ in eius ditione fuere, cetera, ſibi redimenda permitteret. Eo diplomate, quo ei hæreditatis iura, a rege optimo, donabantur, *Comitatus (p.)* vocabulo, inſignitam aiunt, qui id legerunt. Hinc, *Pálffyorum* ille titulus, quo, perpetui *Domini Comitatus Detrekő* ſalutantur. Subſunt eius dominio, caſtella *Detrekő*, & *Malaczka*, cum oppido; vici item, *Almás*, *Csörtörök*, *Detrekő-Szent-Miklós*, *Detrekő-Szent-Péter*, *Haſzprunka*, *Iakabfalva*, *Kiripólcz*, *Konyha*, *Magyarfalva*, *Pernek*, *Rarbach*, *Szolosnicza*, *Timburg*, *Podhradie*, & *Rowina*.

quæ, eius dominationi, loca accenſentur?

§. V.

Capitur a RákócziaNis:

BEllo, cum alias ſæpius, tum nupera ſeditione *Rakócziana*, contemeratam meminimus. Inerant arci nobiles, cum domeſtica *Pálffiorum* cohorte, cum *Ladislaus Ocskay*, ſtrenuus, noſtræ huius regionis, expilator, ſemel atque iterum, moleſtia a præſidiariis adfectus, arcem ſubiugandam ſtatuit. Admoto, quantocunque exercitu,

n.) Articulo XXVI. vbi maleficium illud deſcribitur.

o.) Id quoque publicis comitiis factum fuiſſe, *Decreto*, Anni MDCXXV. Artic. XLIX. legas.

p.) Die *Grafſchafft Blaſenſtein*,

citu, cum neque machinas, deiiciendis muris idoneas; ſed nec animi ſatis haberet ad adſiliendum, cœptam acriter oppugnationem, lenta obſidione permutauit. Qua re factum eſt, vt, & rei bellicæ, & commeatus, atque aquæ in primis inopia, laborare cœptum ſit a præſidiariis. Quo circa, anno MDCCV. vndecimo Calendas Octobris, arcem dedunt. Conditionum præcipua fuit, vti *Piſonium*, incolumibus abire liceret. quam *Ocskaius*, non ratam modo habuit; ſed operam ſimul dedit, vti iis, optima fide ſeruaretur. Recipitur, a *Guidone Stahrenbergio*, anno MDCCVII. duodecimo Calendas Auguſti: cum ante, aperto Marte, octo Rákóczianorum millia, quæ *Ocskaius* ductabat, ad *Morauam* fugauiſſet. Arcis præfectus, *Stephanus Sztuparſzky*, ac præſidiarii omnes, quod ſe inſolentius geſſerant, quam pro diſciplina militari, capti, *Piſonium* miſſi ſunt. *recipitur.*

IV. Arx Eleskö.

PRofundius, intra montes regionis eiusdem, Éleskő, viſitur. Ex nomine, de ſitus ratione colligas. Nempe, rupi incubat, in acutum verticem deſinenti, vnde & Germanis *Scharffenſtein* dicitur, quod & vocabulum *Hungaricum* ſignificat. Fas eſt credere, eiusdem opus ætatis eſſe, cuius ſunt arces circumſitæ. Acquiſiuerunt eam, anno MD. *Emericus*, & *Martinus Czobor*, iure perpetuo; ſed partita inuicem poſſeſſione. Cum enim *Emericus*, obtineret *Saſſin* & *Holics*; *Martino* caſtellum *Czobor Szent Mihály*, & dominium *Éleskő*, cum poſſeſſionibus *Binyócz* & *Maniga*, atque *Tyrnauienſi* dominio, obtigit. *Martino* demum mortuo, filia ſucceſſit: *Felicitas* ei nomen, maritus *Wolffgangus Pylisbergerus* fuit. Matrem fatis functam, *Iohannes* filius, & *Anna* filia, *Petri Bakithii* conſors, excepere. *Iohannes* gnatus *Felicitatis*, cognomento *Czobor*, partito cum ſorore iure, arcem *Éleskő* poſſidebat; ita tamen, vt is poſtea cum *Caſparo Czobor*, *Emerici* filio, coniunctus, partem ſuam, ſorori, *Annæ Bakithiæ*, vendiderit. Qua, fatis functa, eandem arcem, anno MDLII. *Paullus*, Annæ filius, & filia itidem *Anna*, *Michaelis Révaj* vxor, nec non *Barbara Gazda*, Iohannis Pylisbergeri, alias *Czoborii* vidua, *Stephanus*que & *Anna*, eius liberi, obtinuerunt. Quibus, etſi dubiam poſſeſſionem facere volebant, *Emericus*, & *Georgius Czoborii*, *Caſparis* filii; tamen, perſtitere iura priorum, patriis legibus ita ferentibus; quandoquidem, ius idem poſſeſſionis, ad femininum quoque ſexum adtinebat, neque potuit quidquam, ex eadem arce, ad *Emericum* referri, donec *Anna Bakicſia*, in viuis ageret. Poſtea, hac, & *Emerico*, mortuis; *Michael Czobor*, filius *Emerici*, alteram arcis partem, anno MDLXXXIX. obtinuit; altera autem pars manſit ſexus feminei. Atque ob eandem cauſſam, *Dominium* hoc, partim *Bakicſiorum*, partim *Lakuſitiorum*, partim *Révajorum* fuiſſe, in Leopoldi M. diplomate *(q.)* quo *Marco Czobor*, Eleskönis *arduus poſitio:*

Czoborii *eius poſſeſſores, & horum iura:*

q.) Datum id fuit anno MDCCII. die XXVI. Auguſti.

bor, Adami filio, hæreditaria arcis poſſeſſio, XV. millium florenorum pretio, addicitur, fuiſſe perhibetur. Tametſi enim ius illud hæreditarium, ad *Franciſcum Nádasdy*, e *Iuditha Revaj*, *Petri de Réva* filia, progenitum, ſpectabat; tamen quod ſe is, in peſſimam induerat fortunam; *Sidonia* vero *Révaj*; *Matthiæ Oſztroſith* de *Giletincz*, conſors, ſolo pignoris iure, partem arcis alteram, obtinebat; *Czoborii* contra, parte altera, a *Lakuſthitiis*, ſibi, lege ſucceſſionis relicta, potiebantur; arx integra, bonaque, & vici ei accenſi, *Sidonia Révaj*, ſine *Oſztroſitziano* hærede, fatis concedente, *Marco*, quem diximus, *Czobor*, perenniter, ab optimo rege, tradita eſt. Nunc, ob conflatum grande æs alienum, quo ſe idem *Marcus* obruerat, in fœneratorum poteſtate eſt, ſuis propemodum ruinis ſepelienda; niſi iam ſepulta credi poſſit. Nupero motu ciuili, anno MDCCV. ad *Rákóczianos* tranſiit, iterum tamen anno MDCCVII. menſe Iulio, ſuis reddita. Adtinent ad ditionem eius, caſtellum & oppidum *S. Ioannis*, *Búr-Szent-Gyorgy*, *Búr-Szent-Miklós*, *Búr-Szent-Péter*, *Kukló*, *Laxar-Ujfalu*, *Szekula*, *Závod*. Hactenus arces fuere.

ius in fœneratorum eſt poteſtate;

eius ditio.

SECTIO II.

De

Cœnobio B. V. Mariæ, Thallenſi.

SYNOPSIS.

Cœnobium Thallenſe, *antiqua* Fratrum Eremitarum *ſedes: eius conditor* Lvdovicvs I. *verba diplomatis.* §. I.

Præcipua cœnobio celebritas a Sacra B. V. M. *ſtatua: huius ortus prodigioſus, annalium verbis deſcribitur.* §. II.

Ad quam ætatem poſſit referri, auctoris opinio: annalium ſententia: quis de prodigiis ſacræ huius ſtatuæ, ſcripſerit. §. III.

Lvdovici *regis, noua in cœnobium, benignitas:* Mariae, *eius filiæ:* & Sigismvndi *generi, pietas.* §. IV.

Primorum, in cœnobium, liberalitas: item iniuria. §. V.

Nomen & ſitus cœnobii: amœnitas: ſalubritas aeris. §. VI.

Loci celebritas: peregrinationes ſacræ huc inſtitutæ: Caſarum, & Regum, ſeceſſus. §. VII.

§. I.

Cœnobium Thallenſe, *antiqua* Fratrum Eremitarum *ſedes:*

Equum eſt, meminiſſe hoc loco, celeberrimi, *Beatæ Virginis* Mariae *Cœnobii*, quod *Fratres* S. Pavlli *Primi Eremitæ*, quinque retro ſeculis, ſine vlla conuerſione, incoluerunt; hodieque, magna religionis fama, incolunt. Poſitum id fuiſſe a Lvdovico I. Hungariæ Rege, annales

nales *(a.)* eiusdem *Ordinis*, nos docuerunt, quorum ideo verbis, fas eſt, rem omnem, expromamus. *Diuus Rex* LVDOVICVS, inquiunt, *hoc anno, generalatum, F. Thomæ, e rectione* Thallenſis Eccleſiæ, *nobilitauit, amore ſcilicet, quo in Dei Genitricem, ac Seruitores illius, iugiter ferebatur, vti conſtat ex littera, data Buda, Sabbatho proximo ante Pentecoſtes, anni nati Redemtoris* MCCCLXXVII. Quod nos ſpem & deuotionem noſtram, quam ad Beatiſſimam & Glorioſam Virginem MARIAM habemus, & ad ordinem Fratrum Eremitarum S. PAVLLI primi Eremitæ, gerimus ſpecialem, volentes clauſtra ipſorum Fratrum Eremitarum, numeroſitate & locis, in regno noſtro ampliare, Eccleſiam B. VIRGINIS, in terra *Thall* vocata, ſupra caſtrum *(b.)* Poruſthiam, ab ipſo caſtro & eius iurisdictione, & dominio eximendo, ordini Fratrum Eremitarum, perpetuo dedimus poſſidendam. Hactenus diplomatis verba, ex annalibus depromta. Vnde pronum eſt colligere, iam ante fuiſſe heic, fratrum aliquos, qui eremum, iſta valle colerent; quam a LVDOVICO, vicus, arcis ditione eximeretur.

eius conditor Ludouicus I.

verba diplomatis.

§. II.

FIdem, huic noſtræ coniectationi, laudati annales præſtruunt, dum expromunt *(c.)* origines, ſacræ illius ſtatuæ, quæ, & celebritatem loco peperit, & famam religionis, prorſus incomparabilem. Sic vero habent: *Originem ſacræ illius ſtatuæ, ſi noſſe deſiderasti, Lector optime! eam tibi, ex aliorum relatis, bona fide recenſeo. Aiunt enim aliqui, latronem quendam, & cædibus famoſum, & annoſum, in Vallenſibus hiſce ſiluarum luſtris, vxorem habuiſſe grauidam, qua adpropinquante partu, bina monſtra, contra naturæ ordinem, in lucem edidit; quamquam monſtra forte non dicenda ſint, quia in ſimilitudinem monſtri generantis, quale ſceleratus ille erat, procedere ſolent. Tam abominanda ſobole exanimatus pater, facile errorem naturæ, ſuis demeritis, lacrymabundus adſcribebat. Quia tamen* DEI *miſericordia, ex lapidibus ſuſcitare potuit filios Abrahæ; hoc eſt, ex infamiſſimis latronibus, Disma, Moyſe, Mutio, confeſſores ſanctiſſimos quondam efformare, nec ille, de noxarum condonatione, animum abiecit. Ergo, vbi peracta apud ſacerdotem pœnitentia, voto ſe DEO, eiusque ſanctiſſimæ* MATRI, *pro chymerico illo fœtu, obligaſſet, & iam alta nox, diem, oculosque hominis, oppreſſiſſet; fertur Miſericordia Mater, in somniantis aures inſtillaſſe, vt, ſi voti particeps eſſe velit; geminos hos, in vicino fonte; qui etiamnum, non longe a Monaſterio, ſaluti plurimorum medetur; decenter abluat: quo dum ille, deter-*

Præcipua Canobio celebritas, a B. V. Mariæ ſtatua:

huius ortus prodigioſus, annalium verbis deſcribitur.

a.) Vide, *Annalium Eremi-Cœnobiticorum* Lib. II. Cap. XIV. p. 156. ſeqq. Prodiit liber, *Viennæ*, A. MDCLXIII. fol. cui titulus: *Fragmen Panis Cerui Prato Eremitici, ſiu Reliquiæ Annalium Eremi-Cœnobiticorum, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Paulli, Primi Eremitæ, &c.*

b.) *Boroſlyán* credo legi oportere, quod poſtea *Boroſlyánkó* cœpit dici.

c.) Loco citato, p. 157. poſt med.

terſis oculis, obſecundando conſilio Virginis, properaret, en tibi ſacram hanc, de qua loquimur, ſtatuam, ſub cryſtallina ſcaturigine ſepultam! quam reuerenter extractam, in proximum oratorium, ob adeptum beneficium, ara a ſe conſtructa, ac nomini virgineo conſecrata, ſuperimpoſuit. Et hoc quidem, vno ſeculo & amplius, *ante* LVDOVICI *tempora, contigiſſe referunt; noſtris iam eo in oratorio, ſub nomine Eremitico, DEO famulantibus; nullo tamen domicilio fundatis; quousque Diui Regis* LVDOVICI *pietas, ad annum MCCCLXXVII. de tali erigendo, proſpexiſſet.* Iſta ex annalibus iuuit retuliſſe.

§. III.

Ad quam ætatem poſſit referri, auctoris opinio:

annalium ſententia:

ARbitramur omnino, ſi integro, & amplius ſeculo, in canam illam ætatem, retro eundum, ſub ANDREA Hieroſolymitano, hoc eſt, ætate S. ELISABETHAE, prodigium accidere potuiſſe. Nam, neque annalium auctor, ſeu tempus definit, ſeu fidem cuiquam, rei geſtæ, obtrudit. *Poſſent hæc omnia*, inquit, *ſine impoſſibilitatis cenſura, fidem ſuam emereri, & tanto quidem maiorem, quanto celebriore fama recitatur, ſtatuam illam ſanctiſſimam, e noſtratium aliquo, eo in loco eremizante, fabricatam eſſe. quam illa latrocinantium impietati illuſurus, ea intentione in fontem occultabat, vt redeunti ſibi ex periculis latronum, priſtinæ deuotioni denuo ſubſeruire poſſit. Quidquid ſit, licet originem illius, temporum antiquitas, & penuria ſufficientis teſtimonii, ita ex certo narrari non patiatur, quin aliquibus, de veritate rei, ſcrupulus ſuboriatur; hoc tamen indubitatum eſt, ab aliquot retro ſeculis, ſub* PAVLLINORVM *cura, plurimos eosque ſtupendos effectus, illius intuitu, cuius figuram repræſentat, cæcis, claudis, ſurdis, mutis, ac morbidis innumeris, impertitos eſſe; vt hac vnica, poſt varias Apoſtolici regni, bellorum tempeſtates, Hungaris ſolatio, miſeris auxilio, remanſerit.* Plura, qui, de prodigiis ſacræ huius ſtatuæ, legere volet, P. FERDINANDVM GRIESKIRCHERVM, eiusdem ordinis Theologum, adeat: quæ is, peculiari libro complexus eſt.

qui, de prodigiis huius ſtatuæ, ſcripſerit.

§. IV.

Ludouici *regis, noua in cœnobium, benignitas:*

AT, LVDOVICO, Regi optimo, non erat ſatis, fundauiſſe cœnobium, atque agrum ei admetiri, ſeruitute arcis *Boroſtyánkó*, exemtum; dedit poſtea operam, ne ii, quocunque obtentu, contemerarentur. Nempe, quod fit, cupido vicinos forte inuaſerat, finium, noui cœnobii, abradendorum. Proinde, biennio poſt, quam laudatum diploma ediderat, ex *Noſtreo* cœnobio, vbi religionis cauſſa, ad diem Cœnæ Dominicæ ſacrum, diuerterat, litteras, ad *Iohannem, Caſtellanum Ovárienſem*, dedit, vti metas terrarum *Thallenſium*, a ſe annis ſuperioribus ei admenſarum, cum *Capitularibus* Piſonienſibus, recognoſcat, atque adcurate definitas, publico eiusdem *Venerabilis Capituli*

pituli teſtimonio, prorſus confirmet. Hanc patris munificentiam; æmulata Maria, quidquid collatum ab eo, in cœnobium fuerat, cum nupera limitum deſignatione, ratum habuit acceptumque. Quin & Sigismvndvm, maritum eius, non vna beniuolentiæ ſignificatione, proſequutum fuiſſe *Fratres Eremitas*, tabulæ eius, quæ adhuc ſuperant, loquuntur. Id vero, qua motus pietate, fecerit, anno MCCCLXXXIV. his verbis profeſſus eſt: *Etſi per quoslibet legitime ordinata, firma debent, & perpetua permanere; ea tamen, quæ pro religioſa conuerſatione diſponuntur, tanto maiori debent ſtabilitate conſiſtere, quanto ſpiritualia, temporalibus anteferuntur.* Hæc, poſt Cœnobii exordia geſta ſunt.

Mariæ; *eius filiæ!*

& Sigismundi *generi, pietas.*

§. V.

POſtea, increbreſcentibus ſacræ ſtatuæ prodigiis, non a regibus modo, ſed primoribus etiam, fouebatur Cœnobium. De *Piſonienſi* domo, quam *Ladislaus de Rozgony*, anno MCCCCLXXI. Thallenſi cœnobio donauit, in vrbis hiſtoria, diximus. Laudati *annales, (d.)* ad annum MDXV. hæc habent: *Dum*, inquiunt, *in Sclauoniæ partibus, binis poſſeſſionibus*, Kamenská & Benkowecz, *ſacer ordo deficeret, diſponente altiſſimo, in Hungaria ſolo, noua terreſtrium bonorum auctione, ſuccreuit. Illuſtris quippe*, Petrus Comes de S. Georgio & Bazinio, Curiæ Regiæ Iudex, *Ob ſinceram*, vt ipſe ſcribit, *ſingularemque animi deuotionem, quam erga Beatiſſimam* V. Mariam, *Domini & Saluatoris noſtri Genitricem, & Aduocatam, promtamque adiutricem, & Regni huius Hungariæ Patronam habuit, habet, & gerit etiam in præſentiarum, tum vero in recompenſam illius teſtamentariæ diſpoſitionis, quam alias Spectabilis ac Magnificus Dominus* Christophorvs, *Comes, frater ſuus carnalis, & chariſſimus, bonæ memoriæ, ſuper certis, & quidem plurimis rebus ſuis mobilibus, Clauſtro & Monaſterio, ſeu Eccleſiæ ipſius B. V. M. ſub caſtro Pallenſtein conſtructo*, Thall *nuncupato, conſequenter Fratribus Eremitis Ord. S. Paulli primi Eremitæ, in eadem Eccleſia, ſeu clauſtro, pro tempore, per ſucceſſionem degentibus, in vltima ſua voluntate fecerat, totalem poſſeſſionem* Bistricza *appellatam, in Comitatu Poſonienſi habitam, alias ad dictum caſtrum Pallenſtein, ſpectantem ac pertinentem; ſed per ſe, ab eodem caſtro ſuo, ratione præuia ſequeſtratam, ſimul cum cunctis ſuis vtilitatibus & pertinentiis quibuslibet, in perpetuam eleemoſinam, dedit & contulit, iure perpetuo & irrefragabiliter tenendam, poſſidendam pariter & habendam.* Inſigne profecto munificæ pietatis documentum! ſed cuius vſura haud diuturna fuit Fratribus. Nam addunt *Annales: Fuit poſſeſſio* Bisztricza, *ſub pacifico dominio Fratrum Eremitarum, quousque refrigeſcente zelo, erga Eccleſiam DEI, eiusque miniſtros, contra diuina & humana, a ſucceſſoribus piiſſimi collatoris, exturbati ſunt.* Fallor! an non id, a *Fuggeris*, pigne-

Primorum, in cœnobium, liberalitas!

item iniuria.

ratori-

d.) Lib. II. Cap. XXXIV. p. 282. ſeqq.

ratoribus, perpetratum ſit. Eſt enim hoc in fœneratorum vitiis, vt, quam late poſſint, graſſentur in aliena iura, auctitandorum prouentuum cauſſa. Nam, hæredes *Comitum*, ſacrilegio iſto, manus contaminauiſſe, vix credi poteſt. Iam, plurium ſeculorum intercurſu, hoc, quantumcunque fuerit iuris, prorſus inueterauit.

§. VI.

Nomen, & ſitus cœnobii:

CEterum, de etymo, & ſitu cœnobii, nemo annalibus, lectorem melius docuerit. *Monaſterium*, inquiunt, *hoc, a ſitu loci, nominis ſui deriuationem accipiens, Germanico idiomate* THAL, *latino* VALLIS, *adpellatur, eo quod montibus vndequaque cinctum, praterquam occidentem verſus, vbi grata planitie, in Auſtriæ vsque metropolim, curioſitati via panditur; pari fere diſtantia, (e.) inter Piſonium, & Baſinium, liberas regiasque ciuitates Pannoniæ ſitum.* Reuera, amœna eſt poſitione, & ſacrorum virorum eremo, apprime idonea. Nam, & impendentes vndique montes, vernante in primis anno, iucundiſſimum, proſpectantibus e cœnobio, præbent obtutum; &, proiecta in occiduum ſolem, campeſtris regio, vicorum oppidorumque perculta varietate, nihil non hilaris, oculis ſubiicit.

amœnitas:

Hoc Helicon, hoc Cyrrha ſitu, Parnaſſia rupes,
Non alio certe debuit eſſe loco.

ſalubritas aeris.

Adde, aeris temperamentum, nusquam ſalubrius. Quia enim, vallis concauum, cœnobium inſedit, ſicuti ſæuis aquilonibus, ita auſtris, multum ſubinde noxæ adſtantibus, propemodum inacceſſum eſt; ſaltem, a neutris extra modum fatigatur. Itaque, viuitur hic, ſalubriter non minus, quam iucunde. Iſtud fuiſſe, in ceteris aiunt, quod *Chriſtianum Auguſtum, Cardinalem de Saxonia, Archiepiſcopum Strigonienſem* iſthuc, ex vrbana ſede proliciebat. In primis enim, & ſeceſſu cœnobii, & Fratrum conuictu, delectabatur. Quin, hic oſſa cubare volebat, ni aliter in fatis fuiſſet: tumulum enim, quem in cœnobio adparauerat, *Piſonii*, in æde *S. Martini* cathedrali, *Ratisbona* huc elatus, occupauit.

§. VII.

Loci celebritas:

IAm, quod ad loci famam adtinet, nihil eo, tota *Hungaria*, celebrius; apud finitimos, exiſtimatio tanta, quam quæ poteſt eſſe, maxima. *Magna illius loci, per finitimas regiones, fama celebratur; quam tamen non a ſitu loci, nec ſtructura adificii; quamuis ea hodie religioſe magnifica ſit; ſed ab icone thaumaturga, Glorioſiſſimæ DEI parentis, Praxitelio artificio elaborata, ſibi vindicat: ægrotorum omnium, caleſte Pharmacopæum, prout vouentium tabulæ, vtrinque, magno numero pendulæ, ſpectatoribus exhibent.* Hæc iterum annales. Accedunt, religioſæ peregrinationes, e circumſita late regione, cum alias, tum in

peregrinationes ſacræ, hac inſtituta:

e.) *Trianguli* ſcilicet poſitione. Nam *Piſonium*, & *Baxinga*, citeriore Carpathi latere inſedere; vlteriore, *Cœnobium Thallenſe.*

in primis, die *Natiuitati B. V. M.* ſacro, iſthuc, tanta ſuſceptæ frequentia, vt quum neque vicus, cœnobio adſitus, neque diuerſoria taberna, multitudinem capiat, ædes ſacra, pernoctaturis adaperiri non raro, debeat. Pergunt annales: *Inde eſt, quod eam*, (ſacram icona) *non tantum plebs ciuica & agreſtis; ſed etiam optimates, Auſtriæ, & Pannoniæ, dum vniuerſalibus regni negotiis, Poſonii pertractandis, conueniunt, magna deuotione, frequentare ſoleant. Sed & Auguſtiſſimi Romanorum Imperatores, vti & Reges Hungariæ, licet in cacumine gloriæ conſtituti, ad hanc tamen* MARIANAM VALLEM, *ex comitiali vrbe, deſcendunt; vti iam iterato, Auguſtiſſimum* LEOPOLDVM *Cæſarem feciſſe, vidimus; qui, peractis in Eccleſia votis, eo etiam humilitatis deuenit, vt cum Fratribus Monaſterii, prandendi gratia, ingreſſus ſit; quod quidem nos indigniſſimi, vt humilitatem; illi tamen, vt iuſtitiam, Magnæ Hungariæ Dominæ debitam, interpretantur.* Hæc, de *Thallenſi Cœnobio*, dicere habuimus. *Cæſarum, & Regum, ſeceſſus.*

SECTIO III.

De

Caſtellis Proceſſus Transmontani.

RE tulimus, in oræ huius laudibus, cultam eſſe *Caſtellis*. Nunc, ea recenſuiſſe, eo magis fas eſt, quod fere ſingula, aut arces habent cognomines, aut oppida; aut certe, ita ſunt poſita, vt commoditatis multum, elegantiæ referant plurimum.

SYNOPSIS.

I. *Stomphenſe* Caſtellum.
II. *Detrekóienſe.*
III. *Malaczkenſe.*
IV. *Lévárdenſe.*
V. *S. Iohannis.*
VI. *Ujfalvenſe.*
VII. *Dévénenſe.*

§. I.

Caſtellum Stompha.

IN oppido eſt cognomine, ædificio quadrangulo, quatuor inſtructo turribus, cubiculis, tota mole circumeuntibus. Multum illud, tumultu nupero fœdauerant *Rákócziani*, cum non modo, quidquid inerat ſupellectilis, diripuerunt; ſed neque pepercerunt parietibus, & horum ornamentis. Durauit clades, quam diu ſeditio. Pace tandem conci- Stomphenſe *Caſtellum.*

liata, nouo habitu, ſed impenſa etiam eximia, inſtaurandum curauit, *Nicolaus Pálffy*. Adiacet oppido, ea parte, qua id arci *Boroſtyánkó* ſubſternitur. Mole tanta eſt, quæ, & hero liberaliter ſufficiat, & hoſpitibus, cum officii teſtandi cauſſa, veniunt. Cornu ſeptentrionale, latere vtroque, a domino colitur, habetque cubicula, multo adparatu ſplendida. Qua in occidentem ſinuatur, & meridiem, aduenarum hic, alibi familiæ ſunt hoſpitia. In medio area, laxo adeo ſpatio protenditur, vt carpenta L. admittere queat. Ab oriente, hortus contingit prætorium, ſpatioſo, areolarum, arborumque & plantarum interordinio, diſcretus. Hunc riuus interfluit, valle proxima delapſus, idemque, ſi opus ſit, caſtelli foſſis, quæ incingunt ædificium, ponteque iunguntur in aditu, nullo negotio ſuffundendus. Nihil temere deſideraueris, in tota ſubſtructione, quod, ſeu ad commoditatem pertineat, ſeu ad vtilitatem. *Caſtellum*, villæ ambiunt ruſticæ, & fructuariæ. Neque diuerſoria taberna deeſt. Pro oppido, piſcina grandis, & locuples nobiliſſimi feminii, ob iter viſitur. Inde prata, & iterum viuaria, ferarum & auium, generis varii. Vidimus in his, lepores candidos, & verſicolores: cuiusmodi capreæ quoque inerrabant. Nam fuit hoc in heri deliciis, vt inuſitatas feras, lubens cogeret, dimiſſasque in viuaria, obſeruaret ſtudioſe. Itaque, venari hic velle, tam eſt vetitum, quam quod maxime. Certe,

Nil iſta regione prius, quà diuite cornu
Præbet Amalthea dona benigna fera.
Heic volucres, lepores, cernes hic gurgite piſces,
Heic reficit tetricas Pálffyus ipſe moras.

§. II.

Caſtellum Detrekö.

Detrekö-ienſe.

ARci eiusdem nominis, ea parte, qua ſub auſtrum flectitur, adfine. quod magno ei eſt tutamini, aduerſus aquilones, & fæuos eos, & frequentes. Par huic quoque fabrica, turriculæ tamen minores in angulis. Sed, quæ lateri adnexa eſt interiori, & monti obuerſa, altius adſurgit, idque turbinatis, ſupra tectum lateritium, faſtigiis. Hæc, & temporis interualla, indice horologio, oſtendit, & ſpeculæ vice eſt, vnde porrecta in occaſum, & meridiem, planities queat proſpici. Recens ædificium, impenſa *Comitis Nicolai Pálffy*, Hungariæ *Palatini*, ſuperioribus annis excitatum; at feneſtris illuſtratum, quam pro ſeculi more, anguſtioribus; quod an architecti errore, vel heri voluntate, ita factum ſit, ignoramus. A ſeptentrione hortum habet, culinæ idoneum; vti aduerſa parte, molam, in ſinum vallis reductam, ibidemque, piſcinarum *Pálffyanarum* ſeminarium. Locus, tacitis feceſſibus, ſi quos cupias, nusquam opportunior: quippe, & a ciuica turba ſubmotus, & minus obuius paraſitis.

Tametſi

Tametſi vero nullo impeditur ſtrepitu; tamen, millenas habet, ad oblectandum, occaſiones. Siue exeas venatum, ſcatent feris omnia; ſiue piſces cupias, ſunt in promtu viuaria. Quam ob rem, lubenter huc, dum viueret, diuertiſſe meminimus, *Comitem Franciſcum Pálffy*, Nicolai filium: quod, & vitæ genus, a ſtrepitu alienum, lubens ſectabatur, & in primis capiebatur amœnitate ſeceſſus. Enim vero:

Sibilat & variis hinc ſilua propinqua columbis,
Illinc viminibus prouida garrit anas.
Elyſios mendax miretur Græcia campos,
Iſte placet noſtris, vſibus ante locus.

§. III.

Caſtellum Malaczka.

COnſedit extra oppidum eius nominis, aditurque via, tiliis viridantibus intermiſſa, ſitu amœno, ædificio pariter quadrangulo, cultu denique, *Pálffyanam* tuente elegantiam dignitatemque. Colitur a procuratore *Detrekóienſis* dominü, & quæ ab eo pendet, familia reliqua. Herum, rarius nunc, quam antea accipit, neque id, niſi forte venatus gratia. Alterum in oppido fuit, quod *Balaſſii*, cum rerum potirentur, ex ætatis more, poſuerant, *Paullus* autem *Pálffy*, prorſus ſubſtruxit, deditque *PP. Franciſcanis* habitandum. Templum, quod coædificatum cœnobio eſt, ſepulchra habet gentis *Pálffyanæ*. Circa caſtellum, hortos, auiaria, & molas, operis magnifici, videas; villas item ruſticas, & fructuarias. In ſeptentrionem, piſcinæ ſunt, tres eæ, ſingulæ, nobiliſſimo refertæ ſeminio. Reliqua circum, nemoroſi ſaltus conueſtiunt, ferarum luſtris, idonei. Quoquo te vertas, plena amœnitatis ſunt omnia. Malaczkenſe.

Heic Ledæa Par in ſoboles, hac ſerius vmbra,
Obſeruat Phrygium mollis Eliſa ducem.

§. IV.

Caſtellum Lévárd.

GEntis *Kollonitſchianæ*, ſedes eximia. Itaque, omni eo adparatu, conclauibus, & id genus, commoditate alia, liberaliter inſtructum fuit, quæ eſt, accipiendis pro dignitate heris, neceſſaria. Nunc *Emerico Sigismundo, e Comitibus Kollonitſch*, Cardinali, & Archiepiſcopo Vindobonenſi paret, ſed diuertenti iſthuc rarius. Sedet in oppido *Nagy-Lévár*, fuitque villa olim exilis, *Boroſtyánkóienſi* dominationi obnoxia; ſed quam, Comitum quidam de *S. Georgio, & Bozin*, procuratori ſuo; vulgo *prouiſorem* dicunt; *Stampher* ei nomen fuit; ære, florenorum DCCC. vendidit. Eo, ſine Lévárdenſe.

hærede vita functo, tranſiit ad familiam *de Lembach*, atque emortua hac, ad Comites *Kollonitſch*, qui villam vrbanam, eo, quo nunc eſt, habitu, ſiue primi induerunt, ſiue ornarunt indutam. Eſt & aliud in *Lévárd* prætorium, quod numeroſioris familiæ cauſſa excitauerunt, iidem *Kollonitſchii*. Huic villæ adiectæ ſunt, pro regionis ingenio, ſic ſatis inſtructæ. Hic iam ſedes poſuit, L. B. *Zay de Kollonitſch*, ditionis hæres.

§. V.

Caſtella S. Iohannis.

S. Iohannis. DVo eorum inſunt oppido cognomini. Alterum erat *Comitum Czobor*, quod iam fœneratores tenent; alterum *Comitum Keglevics*. Vtrumque, operis eſt magnifici, & non rei tantum familiari, ſed & ſedibus *Comitum*, eximie opportunum.

§. VI.

Caſtellum Dévén-Ujfalu.

Vjfalvenſe. VEſtigium eſt, molis, dum exſtaret, amplæ, & poſitionis extra modum hilaris lætæque. Marginem inſidebat *Morauí* amnis, eleuatum, & patentis, in obiacentem *Auſtriam*, proſpectus. Quando in rudus abierit, non habeo dicere. Illud certum eſt, ingentem, toti circum regioni, decorem conciliatum iri, ſi nouo opere, & ad ætatis, quam degimus, elegantiam, excitaretur denuo. Quia enim, bis mille forte paſſibus, *Hoffio*, amœniſſimo, *Principis Eugenii*, ſeceſſu, in orientem, reductum eſt, multum, ex mutuo ſuperbarum ædium obtutu, delectationis, vtrique accederet. Sed hæc ob iter. Viſitur & *curia Sigraiana*, in eodem vico, quæ, etſi a *Sigraiis* inſtructa eſt ædificio; tamen, collata in eam gentem, a *Pálffiis*, ob præclara illius in ſe merita, iure hæreditatis, hodieque, ad *Pálffyos* adtinet.

§. VII.

Caſtellum Dévén.

Dévénenſe. AEdificio eſt exiliore, quam quæ laudauimus hucuſque; ſed ad eum tamen modum educto, vt & herum commode capiat, & familiam. Quia enim, difficilior eſt arcis adſcenſus, quam, vt ſine moleſtia, ad omnem occaſionem adiri poſſit; prætorium, in oppido, voluerunt poſitum *Pálffii*, vt haberent diuerticulum, huc accedentes. Hero abſente, a rei familiaris adminiſtris colitur.

SE-

SECTIO IV.

De *Oppidis, Proceſſus Transmontani, quæ Priuilegia habent.*

POſt *Caſtella*, quæ luſtrauimus hactenus, *Oppida* videamus. Copioſa ea ſunt, & alia cultiora aliis. Certe, *Rákócziana* ſeditionis damna, ſeu herorum indulgentia, ſeu induſtria incolarum, pulchre iam, reparauerunt. Adibimus ea, vt, quo ſint habitu, lectorem doceamus.

SYNOPSIS.

I. Oppidum Dévén.

Dévénii poſitus: ædes: incolæ: nundinæ: ager: vineæ: pomaria: opportunitas oppidi: reliqua.

II. Opidum Stompha.

Oppidi nomen vnde? ſitus: coloni: & horum ingenium: ruris indoles.

III. Oppidum Malaczka.

Malaczka poſitio: peregrinationes, quæ huc inſtituuntur, ſacra: fora: ciues: agri ratio.

IV. Oppidum Gajár.

Gajari ſitus: incolarum natura: mercatus boarii.

V. Oppidum Nagy-Lévárd.

Situs nomenque oppidi: incolæ, & horum laus: ruris ingenium: Anabaptiſtarum *colonia.*

VI. Oppidum S. Iohannis.

Habitus oppidi.

VII. Rudus Maſztenſe.

Vici ſitus. §. I.

Ipſa ruderum moles. §. II.

An ſint Romanorum veſtigia? Ammiani, *in eam coniecturam, locus: & vero ſimilitudo.* §. III.

Alterius ruderis veſtigium: quo caſu, tota moles ſit deleta. §. IV.

I. Oppidum Dévén.

QVemadmodum nomine, ſic & poſitione, arci, quam cum cura deſcripſimus, adſine eſt *Dévénium.* Occupat nimirum, ſpatium illud, quod inter arcem, & obiectum ei montem, intermittitur; vico præcipuo, a *Morauæ* ripa, in latus *Danubii* aquilonare, obliqua valle, deducto. Ita- Dévénii poſitus:

aditus: Itaque, peninſulam diceres, cuius *Iſthmum*, mons inſedit, lenta acclíuitate, in alterum ſurrectus. *Aedificiis* eſt humilibus, qua vici exeunt; cultioribus contra, qua forum inſident. Medio oppido; templum eminet, ſitu paullo erectiore. In huius vicinia, *Curia Sigraiana* viſi-

incolæ: tur, haud ea quidem inculta. Oppidani, *Germani* ſunt, *Slauis* mixti, vtrisque, præcipuus e vineis & hortis, reditus. Priuilegiis gaudent

nundinæ: vetuſtis, nundinis annuis quinis, quas ad *Calendas Ianuarias*, & *Maias*, diebusque *S. Iohannis Baptiſtæ*, *S. Laurentii Martyris*, *S. Lucæ Euangeliſtæ*, qualicunque hominum frequentia, concelebrant. Heic quoque

ager: *Iudæorum* ſunt contubernia. Alioqui ager oppidi parcus eſt, idemque montoſus, & damnandæ aſperitatis. Itaque, fraudat colonum, niſi

vineæ: lætamine fœcundetur. Par & vinearum ratio eſt, quæ præcipiti acclíuitate, paſſim horreſcunt. Solo certe macro ſunt, ſabuloſo, & argilla intermiſto, maximam partem ſub fauonio. Itaque, licet fructu adfluant plerumque; generoſitatis tamen laudem, iniquius tuentur. Maior

pomaria: *Pomonæ* commendatio eſt. quæ inter vites, & inſulas minutiores, non vbertate modo fructuum, ſed & præſtantia, ac varietate, luxuriat. In üsdem inſulis, & fœnum colligitur; ſed paſcua, per montis dorſa,

opportunitas oppidi reliqua. apertaque latera, ſectetur pecus, neceſſe eſt. Reliqua oppidi commoditas, vicinitate hinc *Piſonii*, illinc *Haynburgi*, abſoluitur. Huc enim agreſtes merces, venum deferunt incolæ, faciuntque lucelli quidpiam.

II. Oppidum Stompha.

Oppidi nomen vnde? NOmen oppidi, e Slauico, an Germanico, detortum eſt: his enim *Stampffen*, illis *Stupawa*, dicitur: vtrisque a tudibus, quæ ſubigendis pannis, molari opere, hodieque in riuo hu-

ſitus: iate, ſunt inſtructæ. Iacet in radicibus montis *Boroſtyánkő*, vicis, a meridie, in ſeptentrionem porrectis. *Aedes* ſacra, ampla & elegans, turri operis eximii, præfulcitur. Præter *Caſtellum*, de quo, id quod ſatis eſt, ſupra diximus, *curias* quoque, haud ignobilibus

coloni: ædificiis, in oppido obſeruauimus. Oppidani, ſunt *Slaui* plerique, pauci *Germani*. De vtrisque, magna eſt honeſtatis opinio. Gaudent nundinarum priuilegiis, *hebdomadalium* non minus, quam *annuarum*, ſed quarum fructum, *Iudæi* fere intercipiunt. Frequentes enim hic conſedere, idque haud ſine ciuium moleſtia. Ceterum, plebs agit

& horum ingenium: vtbane, & humaniter. Veſte & moribus, multum æmulantur vrbicam munditiem. Intet oppidi calamitates, incendia crebra retuleris. quæ, vti fortuita incidunt, ita multum deterunt de eius cultu. Ager,

ruris indoles. quo circumfunditur, & *Baccho* fauet, & *Cereri*. Ac vitis quidem, in meridiem, ea parte poſita eſt, qua aquilones retunduntur. Cliuus enim, diſtincto colle, decedit in planitiem, atque idem ſeptentrioni obiectus, ſinu quaſi fouet vineas, ſub fauonio & auſtro. Itaque, vinum quod heic' gignitur, & virtutem indipiſcitur, & gratiam. Quæ frumento conferuntur, ſolo vndiquaque pingui ſunt, & reſoluto.

Ru-

Ruris ea portio, planitiem occupat, ab oppido in occaſum, & ſeptentrionem diffuſam. vbi & prata virent, multi fœniſecii, in primis, qua ſunt heri propria.

III. *Oppidum Maluczka.*

EXilius eſt priori, idemque gemino milliari, in occidentem æſtiuum ſubductum. Amœnam inſedit planitiem, eſtque ædificiis copioſis, diuerſa ſerie, ad *Malinam* riuum poſitis: inter quæ templum, & cœnobium *Franciſcanorum* laudauimus, cum *Caſtellum* memoraremus. Inſunt, & nobilium domicilia, vti culte facta, ita, ad oppidi decus pertinentia. Præcipua oppido celebritas eſt, a ſacris peregrinationibus, quæ huc, quater in annos ſingulos, magna accolarum frequentia, inſtitui videas. nempe: ad diem III. Maii, XIII. Iunii, XIV. Septembris, & denique IV. Octobris. Nundinarum etiam, quæ hic aguntur, fama, multum tota ora percrebuit. Incolæ, *Slaui* ſunt, ad rem ruſticam hi, illi ad opificia adtenti. Ager vndiquaque planus, crebris aquis irriguus, ideoque fertilis frumenti non minus, quam pabuli; ſed vitem, poſitus ruris campeſtris refugit. Siluæ in orientem porriguntur, amœna quercus & betulæ luxurie atque opacitate.

Malaczkæ poſitio:

peregrinationes, quæ huc inſtituuntur, ſacræ:

fora:

ciues:

agri ratio.

IV. *Oppidum Gajár.*

ALtius in aquilonem, ac fere milliaris interuallo, *Gajár* recedit, iacetque loco plano, & vbere, prope ad *Rudauæ*, & *Morauæ* confluentem. Itaque, traiectus ei eſt in *Marchionatum Morauiæ*, atque ideo, regium vectigal, quod *Triceſimam* dicimus. Oppidum non contemnendæ, & poſitionis eſt, & frequentiæ. Incolæ, e *Slauo* ſunt genere, ingenium gentis referentes, ſolers illud, & auctitandæ rei intentum. Sunt oppido fora pecuaria, multæ celebritatis. Magna enim boum copia, in hebdomadas ſingulas, eo compellitur. quos *Auſtrii* partim, partim *Moraui*, mercantur. Gemina, & hic piſcina eſt, in ſeptentrionem, ex eodem riuo, quem diximus, collecta. Et hæc quidem, quæ vidimus, *Oppida*, in Comitum *Pálffyorum* ſunt ditione.

Gajári ſitus:

incolarum natura:

mercatus boarii.

V. *Oppidum Nagy-Lévárd.*

ORæ eiusdem; ſed, ab aquilonari prioris ſitu, retractum in orientem. *Slaui*, Hungaros imitati, *Léwáry*, Germani, incerta denominationis ratione, *Groſz-Schützen* adpellant. *Boroſtyánkóienſi* ditioni olim fuiſſe adſcriptum, cum villa eſſet tenuis, ad caſtelli mentionem, diximus. Iam hæredium eſt gentis *Kollonitſchianæ*. Frequens ſane oppidum, & a ſolertiſſimo hominum genere inſeſſum. *Slaui* & hi ſunt, quibus ſe *Germani* admiſcuere. Pars, agrum colunt, accuratione maxima; pars, operis ſellulariis vacant. qui coniungunt vtrumque, næ illi, rei familiaris acceſſione proficiunt.

Situs, nomenque oppidi:

incolæ & horum laus:

vico, numi *Antonini*, *Fauſtinæ*, *Hadriani*, & monumenta antiquitatum alia, non raro erui didicimus. Itaque, *Romanos* heic olim habitauiſſe, nemo, cum ratione, inficiabitur. Quin & id facile eſt coniicere, qui caſus munimentum deleuerit. Defuncto nimirum VALENTINIANO, cum quid ex legatione geſtum ſit, nunciaſſent ſuis, *Quadi*, nihil erat procliuius, quam vt gens mobilis, & rerum nouarum cupida, opus, quod moliti iam fuerant *Romani*, ante delerent, quam prorſus conualeſceret. Vt conuerſiones, quæ eam ætatem exceperunt, taceamus. Iam, inſigne hoc rudus, in vicum abiit, humilibus ædiculis, colonis tenuibus, *Slauis* iuxta & *Germanis*, habitatum. Nos certe, pretium facturos operæ, exiſtimauimus; ſi monumentum iſthoc, a nemine hucusque obſeruatum, tametſi in vicis recenſendum fuerat, oppidis adtexeremus.

SECTIO V.

DE

Vicis Proceſſus Transmontani.

QVi hac regione inſederunt vici, plerique culti ſunt, & copioſi; ſaltem ad æmulationem facti Auſtriacorum. Sed ſunt etiam, qui incultu ſqualent; ſiue id, temporum difficultati adtribueris; ſiue colonorum, aut herorum, culpæ. Ordiemur eos recenſere, ex vrbis *Piſonienſis* vicinia:

1.) *Lamács*, vrbi accenſus *Piſonienſi*, modico milliari, trans montem vitiferum, ad aquilonem retruſus, & ad radices *Carpathi*, qua is occidentem proſpicit, aperto eleuatoque loco poſitus. Germani *Blamenau*, (rectius *Blumenau*) ſua dialecto dicunt, quaſi florum eſſet aruum. Templum ei intra, & extra vicum eſt; iſtud loco edito, *S. Roſaliæ* dedicatum. Huc, die *Diuæ* illi ſacro, religioſa ex vrbe ſit proceſſio. quam ciuici magiſtratus, veterrimo inſtituto, edito epulo, ſolent honeſtare. Ab æde ſacra ineunt vineolæ, quas ruſtici colunt, fructu plerumque auſtero. Agri frumentarii, aduerſa parte iacent, ſolo decliui, & glareoſo; ſiligini tamen, & auenæ amico. Sed nec triticum reformidant, ſi lætamine fœcundentur. *Croatarum* eſt colonia, quæ tamen pridem cœpit degenerare ab ingenio, ob crebra, cum *Slauis*, commercia. Durum prorſus & agreſte genus, cuius ruſticitas nimia, prouerbio locum fecit apud *Piſonienſes*, vt hominem ferum & illiberalium morum, *Blamenauenſem* dicant. Faciunt quæſticuli quidpiam, ex lignatione plerumque furtiua. Deiecta enim, & repoſita in ſtrues,

ciuium ligna, clàm e ſiluis auehere, poſteaque in vrbe venum dare, in lucris deputant.

2.) *Hideg-Kúth*, quomodo & Germani *Kaltenbrunn*, a frigiditate fontis; contra Slaui *Dubrauka*, a querceto, cui ſubiacet, nominauerunt. Opponitur *Lamácso* a meridie, inſeditque cliuum montis, apertum infra, ſupra ſilueſtrem. Eſt ditionis *Dévénienſis*. Par & hic *Croatarum* colonia, haud meliore vitæ inſtituto.

3.) *Dévén-Ujfalu*, adſedit *Morauo* amni, verſus occidentem, in montis eius radicibus, qui intra *Hideg-Kút*, & arcem *Dévén*, celſo iugo porrectus, in planitiem hic deſinit, & latere, pone *Morauum*, abrupto, decliui poſtea, vicum ab oriente veluti obumbrat. Laxe is, domibus, a meridie in ſeptentrionem ſparſis, habitatur. Extrema vici, rudus caſtelli, quod ſupra excuſſimus, occupat. Templum, in orientali latere, loco eminente, poſitum eſt. Incolæ, originem *Croaticam*, lingua & moribus, egregie tuentur. Agrum habent reſolutum & fertilem; ſed neque deficiunt prata, in ripa *Morauí*, & per depreſſos alibi ſitus. Crebris tamen eluuionibus infeſtantur. In amnis ripa, abſciſſo illo montis latere, modico motu arenæ, numos anno MDCCXXIX. aureos offenderunt ruſtici. Vidimus eorum plures, cepimusque inde, *Romani* cultus, haud obſcura indicia.

4.) *Beſztercze*, copioſus *Croatarum* vicus, vnius horæ itinere, a priori, in orientem retractus. Poſitione eſt concaua, quam riuus perluit, celeri adeo lapſu, vt & nomen vico impertiuerit. *Biſtricza* enim, rapiditatem *Slauis* notat. Pertinet ad *Stomphæ* dominium. Olim, *Cœnobii Thallenſis* fuiſſe, ſuo loco meminimus. Ager vbique fertilis eſt, & læti adſpectus, quem nuper ad regulam, & æqua, inter colonos portione, diſtribuendum curauit herus, *Nicolaus Pálffy*. Multa eis cum *Piſonienſibus* commercia, neque modici prouentus, ex quæſtu mercium ruſticarum, quas diebus ſingulis, in vrbem inuehunt.

5.) *Vicus B. M. V.* Slauis *Mariánky*, cœnobio *Thallenſi*, quod ſupra deſcripſimus, ſubſitus. Colitur tenuibus ædiculis, quas *Fratrum Paullinorum* familia, & id genus hominum, habitat. Itaque, fundo eſt libero, neque obnoxio tributis.

6.) *Maſzt*, eius deſignationem, ſupra, ob inſignia rudera, in oppidis dedimus.

7.) *Paiſtun*, Germanis *Pallenſtein*, reflectitur profundius, inter montes, diſtatque a *Maſzt*, horæ vnius itinere, ea valle, quæ, arci ſubiecta eſt cognomini. Colonia *Slauica*, longa domuum ſerie, ad radices montis poſita. Vicum, riuulus præterfluit, e ſpecubus, quos ſupra deſignauimus, continua valle demiſſus, molaque ferraria, & tretarum piſcinulis, nuper admodum factis, cognitus. Pabulo pollent & paſcuis, lignisque; ſed, parca eſt agricolatione, ob aſpera montium.

8.) *Zohor*, diſtat *Stompha*, in ſeptentrionem, plus milliaris dimidio, loco fertili, agris, frumenti feracibus, paſcuis lætis, iisque,

in

Pro vico, piſcina diffunditur, aquis, e *Stomphenſi* amniculo, huc deriuatis. Coercetur ea, vaſto aggere, & ad paſſus CCCC. producto. Itaque, *Maſztum* tendentibus, ſtratæ inſtar viæ eſt. Vltra vicus init, paſſuum plus minus XXX. interiecto ſpatio; tantundem & *Stompha* remota eſt, qua altero fine vicus deſinit. Ab oriente, montes ſe demittunt, decliuitate, pone vicum, interrupta, atque poſtea continuo latere, in meridiem proiecto. Nam illa quidem intercapedo, quæ inter piſcinam, & vicum intereſt, pulchra valle, in ipſo montis latere deprimitur. Hanc riuulus, qui in piſcinam labitur, ita diſtinguit; vt a meridie, pars altera, a ſummo molliter decliuis, vergat ad paludem, ab eadem vero pari accliuitate, collis naſcatur, in ſeptentrionem ſurrectus. Idem hic collis, latere eo, quod ſub auſtro eſt, vitem fouet *Maſztenſium*, dorſo cliui aquilones retundente. Quidquid autem ab iisdem montibus, ſiue in occaſum ſolis vergit, ſiue in ſeptentrionem, in amœnos campos explicatur. qui, qua ſunt vico limitanei, & a riuo perluuntur, primum hortos, deinde veruacta, & iterum prata exhibent, vberrimi fœniſecii. Ipſe vicus, ſic inter montes, & planitiem intermiſſus eſt; vt ſpatium orgyiarum plus minus C. occupet latitudine, longus autem ſit CD. fine altero verſus piſcinam, altero, quod diximus, ad *Stomphan* reſpiciente. *vicifitas.*

§. II.

TOtum autem hoc ſpatium, riuulis cinctum, agger duplex, operis vaſti, atque ætate noſtra inuſitati, gemina item foſſa, circuit, interuallo inuicem diſtincta opportuno. Enim vero, quod tam longa retro ætate, neque viis deteri, neque adobrui ædibus agreſtium, ſed neque obſoleſcere potuit antiquitate, quin hodieque depreſſa hic, illic egeſta alte humo, perduret; id autem, luculentum vaſtæ alicuius munitionis, documentum præbet. Intra vallum, qua vici eſt poſitio, duæ occurrunt ciſternæ, ore in vtraque arcto, & qua deſcendit, ſemper latiori, dum ad ima, amplæ cauitatis, aquarum plenæ, deprimantur. Humus, crebris paſſim perforata eſt cuniculis, quos, ſiue aquæ deducendæ, ſiue alterius rei cauſſa, egere priſci illi homines. Occultos meatus fuiſſe, in propatulo eſt, licet nondum detecti ſint omnes, quo pergant, & quam longe, quantisque ambagibus, huc atque illuc ſinuentur. Id certum eſt, obſeruantque agreſtes frequenti ſonitu terræ, ruſticanis operis motæ, ſolum intus cauatum eſſe. Murus, ſabulo ita eſt ſolidus, vt non corruat ſuffoſſionibus, & tamen leui opera poſſit perforari, quacunque lubet, cæmento, verutis, quæ infixeris, concedente. *Ipſa rudorum moles.*

§. III.

SVnt, qui *Romanorum* aiant veſtigia. Id non diſplicet, cum replicantibus annalium memoriam, certum ſit & exploratum, protuliſſe Romanos, vltra *Danubium*, præſidia, tametſi tempo- *An ſint* Romanorum *veſtigia?*

in occidentem ſilueſtribus, quæ pulchre irrigat riuus, a *Pernek* demiſſus, idemque ad *Zohor*, reſtagnans in locupletem piſcinam, quæ vico a meridie obiacet.

9.) *Hochſtetno*, Germanis *Hochſtetten*, milliari exiguo ſeiunctus a priori. Inſidet ripæ *Moraui*, vbi riuus in eum illabitur. Id, vico nomen impertiuiſſe, certum eſt. quod, *altam ripam* ſignificat. Solo amœno, agrum vtrinque, ſiluis, ab ortu, & ſolis occaſu, intercipientibus, in quo pulchre, & frumentum proficit, & pabulum.

10.) *Laab*, eadem regione poſitus, luco tantum, & veruactis, per dimidii milliaris interuallum, diremtus in orientem. Idemque riuus, qui ad *Hochſtetten* confluit cum *Morauo*, & heic a ſeptentrione circuit, non agros modo loci irrigat, ſed piſcinis etiam duabus colligitur, amplis iis, & nobili refertis ſeminio. Coloni, *Slaui* ſunt omnes, tametſi nomen loci, ab *Hungaris* profectum. Accenſetur *Stomphenſi* ditioni.

11.) *Csötörtök*, eſt parte quadam dominii *Detrekôienſis*, *Slauorum*, vti prior ille, colonia; propius tamen ad eundem riuulum. Nam ripam eius inſidet occidentalem, horæ vnius itinere a *Laab*, in orientem ſepoſitus. Sunt, præterea in poſſeſſoribus *Somogy*, *Piber*, & *Condy*, qui ſua hic habent hæredia. Agri, ferax eſt qualitas, paſcua larga, & ſiluæ nemoroſæ.

12.) *Magyar-Falua*, Slauis *Vherszkâ-Weſz*, Germanis, *Vngersaden*. Hungarica olim colonia, quam tamen, *Slaui* iam inſederunt. Vicus eſt dominii *Detrekô*, exilis quidem; ſed agri fertilis, & fructuoſi. Adiacet, ſiniſtro *Moraui* alueo, inſulam ibidem molientis. Milliaris fere interuallo, a *Csötörtök*, in aquilonem ſubducitur. Huic quoque, parte vtraque ſiluæ adſederunt, a flumine aliæ, aliæ ab oriente, pingui pabulo herbidæ.

13.) *Dimburg*, ſeu *Timburg*, piſcatorum ſedes, in ipſa *Moraui* ripa collocata, capturæ eximiæ. Agri frumentarii pauci, prata vberiora; ſed, obnoxia eluuionibus. Incolæ, tametſi *Slaui* ſint, callent tamen *Germanicam* linguam, ob *Auſtria* vicinitatem. Ager reliquus, lacunis obſidetur; quin & vicus ipſe, ſi contingat exundare amnem, periculum adit. Eſt heic, villa vrbana *Pálffyorum*, non plane nullius reditus.

14.) *Iakabfalua*, a Germanis dicitur *Iakobsdorff*, Slauis *Iakubowâ*, a quibus etiam inhabitatur. Reuertitur a priori, in orientem, relictoque poſt ſe, dimidii milliaris interuallo, quod ſiluis primo, deinde agro frumentario, diſtinctum eſt; occupat inſulam, a *Malina* riuo factam. Diffunditur is, in quatuor piſcinas: vna adiacet a meridie, a ſeptentrione altera; poſt rurſus duæ, exiguo inter ſe ſpatio, diſiunctæ. quæ vna cum vico, ad Dominium *Detrekô* ſpectant.

15.) *Kiripóltz*, in eadem eſt ditione, modico ſpatio, a *Malaczka*, in occidentem, ad amniculum *Malina* ſepoſitus. Illic, & ager ei eſt frumentarius, tritici ferax. Incolitur vicus a *Slauis*, quos per di-

ſte-

cterium, aiunt *ſabellicos*, *ferreis ſoleis*, ſues *præmunire* ſolere. Luſus in vocabulo eſt. Inerat olim vico, faber ferrarius, cui *ſuis* nomen fuit, gentilitium id quidem, neque alicuius opprobrii Is, quod pro opificii ratione, armabat ſoleis equos, amphibolica ea locutione, iocari cœptum.

16.) *Kis-Lévárd*, reiicitur a *Malaczka*, in ſeptentrionem, ad viciniam oppidi *Nagy-Lévárd*, a quo, vti diſcriminetur, *minus Lévárd* dicitur, pertinetque ad ditionem *Stomphenſem*. Solo eſt, fertilitatis eximiæ; ſed incolis paucioribus, iisque *Slauis*. Abundat agro paſcuo, pratisque.

17.) *Szekula*, alias *Székelyſalua*, forte, quod a *Siculis* aliquando, ſeu cultus, ſeu poſſeſſus. Vicus eſt, dominii arcis *Éleskő*, vltra *S. Iohannis* oppidum, modico interuallo, in ſeptentrionem, repreſſus. Incolas, velocitatis incredibilis eſſe accepimus, dignosque, qui ad bellum deligerentur. Eorum maiores, ſi quid trepidi imminebat, nec rogatos concurriſſe aiunt, atque hoſtis impreſſiones, plerumque anteuertiſſe. Si expeditio longius ſuſcipienda fuit, & citatiore gradu pergendum; pedibus, equorum curſum, adæquabant. Interſunt his, nobiles, quos ex nominibus *Rascianis* ſatos eſſe, putant nonnulli. Alioqui, linguam loquuntur *Slauicam*; tametſi, & *Hungaricam* diſcant nobiliores.

18.) *Búr-Szent-György*, Slauis, *Swaty-Iura-Buru*, quod vicum *S. Georgii ad pinetum*, ſignificat. Id nominis, ſitus ei peperit, ſiluis vicinus, pini feracibus; diſcriminandus ideo, a *Szent-György Detrekőienſi*; nam hic quidem, ad *Éleskő* pertinet. Incolæ *Slaui*, agros frumentarios, quin & vitem, cum induſtria colunt, quæ vinum fundit, tantæ virtutis, vt effœtos etiam, proli gignendæ, idoneos reddere poſſe credatur. Cum exundauit vindemia, nihil altero poſt anno, mirerc magis, quam vxorum fœcunditatem. Id quod, vinone feruenti adhuc, an vitæ bacchabundæ, quam tunc vinicolæ iſti degunt, adſcribendum ſit, non habeo definire.

19.) *Kuklό*, Slauis *Kuklow*, eiusdem arcis ditio, in finibus prouinciæ *Nitrienſis*, diſtat paullo longius a priori, quam is a *Szekula*, milliari fere in aquilonem ſepoſitus. Territorio eſt fertili, collinæ hinc illinc, poſitionis, ideoque, paſſim ſilueſtris, & ſcatentis aquæ, guſtus boni, aeris item ſalubris. Itaque, præſtanti corporum robore, & incredibili ad bellum virtute, incolas gignit. quod, eorum exemplo patuit, qui, nupero bello *Gallico*, herum *Czoborium* ſequuti, non exiguam, bellicæ laudis opinionem, ſibi pepererant. Partem vici, iure hæreditario, familia *Török* poſſidet.

20.) *Búr-Szent-Péter*, &

21.) *Búr-Szent-Miklós*, vici, *Comitatui Nitrienſi* finitimi, ditionis *Éleskő*, ſuis ipſis nominibus, diſcriminantur, a *S. Petro*, & *S. Nicolao*, *Detrekőni* adſcriptis. Hi quoque, a pinetis, quibus abundant, adpellati ſunt. *Slaui* eis inſunt, diſtantque a *Kuklό*, milliari vno in orientem: agro ſabuloſo, ſed feraci ſiliginis, triticique,

ſi

ſi lætamine grauidetur. Cannabi in primis ſtudent incolæ, quin & oleo, quod ex ſemine extorquent. Et cannabim quidem, in *vrbes montanas*, eximio reditu deuehunt, ad contorquendos rudentes, quibus metalla & aquæ deſides, ex fodinis protrahantur. Itaque, nuſquam, tota hac prouinciola, recentium nummorum, ex auro argentoue ſignatorum, maior eſt frequentia: quod iſta pecunia, cannabim vendunt metallicis. Oleum, quod proliciunt, cum vicatim circumferunt, tum *Piſonii* in primis.

22.) *Bixád*, vicus laxus, in faucibus montis albi, qua via in *Nádas*, aut *Szomolán* ducit, loco erecto, agro macro, ſed ſi fimo ſubigatur largius, frumenti feraci, in primis, qua recedit verſus pineta; quin & paſcuis proficit, atque fœniſeciis. Incolæ *Slaui* ſunt. Pertinet ad Dominium *Eleskóienſe*. Sed diuerſoria taberna, quæ hic eſt, ad *Kegleuicsios* ſpectat. Eſt hic etiam genti *Tarnowskyanæ*, quæ in *Polonia* floret, ſuus quidam poſſeſſionis modus, quem *portionem polonicam* vocant. Venit in eius partem, nuptiarum iure, cum *Tarnowſzkiorum* aliquis, *Zoborianam* virginem, in matrimonium adſciuerat. Rei geſtæ hiſtoria, prolixior eſt, quam quæ hic poſſit recenſeri.

23.) *Laxar-Vjfalu*, &,

24.) *Závod*, eiusdem ſunt ditionis, media fere ora, intra *Morauum*, & montes, ea parte poſiti, qua vicinior eſt *Nitrienſi* prouinciæ. Agro ſunt, extra modum ſabuloſo, hinc, fœni quam frumenti prouentus, eis potior. Adfluunt & ſalubribus aquis, lignatione autem, quam pineta ſufficiunt, prorſus inexhauſta ſunt.

25.) *Haſzprunka*, corruptum nomen, ex *Hausbrunn*, Germanorum. Ab his enim, poſitum credunt, adpellatumque a fonte, ſeu puteo, quem habebant opportunum. Hungaris *Iſtvánfalua* dicitur. Incolas, nunc *Slauos* alit, receditque a *Závod*, in meridiem, verſus montes, æquali fere interſtitio, inter hunc, & *Detrekó*, cuius dominationi ſubiectus eſt. Præterfluit eum *Rudawa*, quam proximi montes deiiciunt, aqua limpida, & ob perennitatem, molis idonea. Ager heic quoque impeditus ſabulo eſt; fert tamen, ſiliginem & hordeum. Multum hic quoque educatur cannabis, cum reſtium, tum olei cauſſa. Quin & liquandæ pici, operam nauant: quippe, pingui obſeſſi pineto.

26.) *Detrekó-Szent-Miklós*, &

27.) *Detrekó-Szent-Péter*, vici ſunt, in radicibus *montis rubri*, quorum poſterior, horæ vnius itinere, a priori; is autem, milliari vno, ab *Haſzprunka*, in orientem ſecedit, eſtque hac ora, *Piſonienſis* prouinciæ extremus, atque *Nitrienſi* limitaneus. Solum, paſſim argilla mixtum, ideoque, ſi lætamen acceſſerit, frumento haud inimicum. Decliuis agri poſitio eſt, qua in planum ad aquilonem deſinit; ſed aſperior ab *Euro*. Par &

28.) *S. Nicolao*, ſitus obtigit; retractior tamen, in ſinum montis concaui. Itaque, latet intra ſiluas, neque, niſi proxime accedentibus, ex templi obtutu, quod colli inſedit, ſui facit indicium. Vter-

que hic, & qui a *S. Petro*, & qui a *S. Nicolao*, nomen habet, *Detrekőienſis* eſt ditionis. Nam, & *Eleskőienſi* dominationi, vici ſunt cognomines; ſed, quibus a *pinetis* cognomen hæſit, quod ſupra monuimus.

29.) *Detrekő-Várallya*, Slauis *Plawecké Podhradjá*, latine, ima, vel ſuburbanum arcis *Detrekőienſis* dixerimus: nam reuera, arci, in meridiem, ſubiacet, vltra *Caſtellum*, qua ſe vallis, ad ortum ſinuat. Vicus eſt exilis, a *Slauis* cultus, agro tamen pollet, & paſcuis. Piſcina huias, pro trutarum ſeminio eſt poſita. Eodem illo tractu, vitis quoque, optime proficit, gignitque vinum, guſtus grati, & virtutis eximiæ, quod albulum eſt, & perenne.

30.) *Széles-Kút*, Germanis *Breitenbrunn*, a laxo fonte, quem ſupra *(a.)* deſcripſimus. *Slaui*, Hungarorum imitatione, pro *Széles-Kút*, dixerunt *Szolossnicza*. Vicus eſt elegans, & copioſus, aere ſalubri, adſpectu læto, ſolo fertili. Triticum, nusquam obſeruauimus, tanta culmorum altitudine ſuccreſcere. Quod in ſiligine, alibi mirabamur, id heic, in eo frumenti genere, obſeruauimus, profeciſſe ſimirum, ad viri ſtaturam. Ea vero agri fertilitas, eſt vico in occidentem. Nam ab oriente, mons obiacet, cuius aduerſo latere, arx *Vöröskő* inſedit. Itaque, viam illuc transmittit, oppido amœnam. Medio fere itinere, officina vitriaria eſt, non plane nullius fructus. Ad idem iter, antequam id ſiluis immergatur, fons ille ſcatet, venis extra modum exuberantibus. Colunt vicum *Slaui*, ſtudioſum agricolationis genus, & ad rem adtentum. Habitant ædes, multo quam reris, copioſiores. quæ, tametſi humiles ſint, tamen, plurimum referunt agreſtis munditiei. Eccleſia, opere educta ſolido, medio ſedet vico. Totus is, ditioni *Detrekőienſi* adſcriptus eſt.

31.) *Rárboch*, aut ſi mauis accuratius *Rohrbach*, quod riuum notat, arundine obſitum. Bis mille circiter paſſus, *Szélesküto*, in occidentem reducitur, vico, gemina ædium ſerie, in occidentem protenſo. Medium riuus interluit, perennis quidem; ſed non tam aquarum mole memorandus, quam vtilitate. Elapſus enim e vico, in piſcinam colligitur, longe lateque diffuſam. cuius circum margines, multa arundine, cannis, carectisque, non tam obſeſſæ ſunt, quam ſilueſcunt. Id, & perfugio eſt piſcibus, & pabulo. Atque hinc quidem pago ſubnatum nomen arbitramur, quod ex *Rohrbach*, enunciantium vitio, in *Rárboch* degenerauit. Inſunt heic, nobilium virorum ædes, quas illi, titulo, quem vocant *inſcriptionis*, poſſident. In his, præcipuum dixeris, *Franciſcum Verbay*, dum hæc ſcribimus, huius *Proceſſus*, Iudicem Nobilium. Reliqua vici, *Slaui* habitant, ſermonis propemodum *Morauici*; ita eam dialectum æmulantur. Vinum, quod per montis, in orientem recedentis, latera gignitur, menſis idoneum eſt, etiam non vulgaribus. Eiusdem id efficacitatis eſſe credunt,

a.) Tomo. I. Comitat. Poſonien. Parte Generali, Membro I. *Phyſico*, §. VII. Num. IV. p. 22.

dunt, qualem, in *Bár-Szent-György*, memorauimus. Nam & hic, altero, poſt vberem vindemiam, anno, ſcatere omnia liberis, relatum accepimus. Agri, in ſeptentrionem recedunt, & occaſum. Illac ſiluæ etiam, fungorum feraces, & paſcua arua porriguntur, ſolo fertili; tametſi, circa piſcinam, ſabuloſo. Adtinet ad dominationem *Detrekóienſem.*

32.) *Konyha* Hungaris, Germanis *Kuchel*, Slauis *Kuchina*, quomodo ſinguli, *culinam* vocant; ſed penum dicere malumus, culinæ *Detrekóienſis*, ita, & ſegetibus luxuriat, & nobili vino; quin & pomorum varietate, atque copia. Ingens vicus eſt, atque colonis, ſi quis hac ora alius, perquam frequens. De eo, Palatinus, *Nicolaus Pálffyus*, dicere fuit ſolitus: *eſſe ſibi culinam, tantæ amplitudinis, in qua, centeni magiri, ſeu coqui, diuerſis crepantes operis, inuicem non audiantur.* Et, re vera, vaſtum locum occupat, diſſidetque a priori, milliari dimidio, in meridiem, ſub radices montium retruſus. Horum accliuia, vitem fouent, pulchro, in meridiem, obiectu. Proinde, ſoli cælique is eſt habitus, qui optime vino congruit. Ab occidente, & ſeptentrione, agri ſunt frumentarii, vberis probique fructus. Illac, & prata vireſcunt, quæ riuus humectat, ex montibus, per medium vicum transmiſſus, *Malinæ* poſtea inſinuandus. Extra, ſacellum eſt, & ſaxum quoddam, magna, ad ſanandos claudos, exiſtimatione. qua re fit, vt frequentetur ſingulis fere nouiluniorum *Dominicis* diebus, a vicinis, religioſius. Coloni, *Slaui* ſunt omnes, agricolantes ſtrenue. Alioqui, vicus *Modra* aduerſo monte oppoſitus eſt.

33.) *Pernek*, tantundem abeſt a priori, in meridiem, quantum illum ſeiunximus a *Rohrbacho.* Subiacet eiusdem montis radicibus, riuo perlutus, qui in *Malinam* incurrit. Sedet, e regione *Bazinii*, loco fertili, & idoneo ad ruſticandum. In latere vici aquilonari, diuerſorium eſt excitatum, viatorum commodo.

34.) *Huttya*, ſeu *Rovhnya*, Germanis *Hütten*, pagus exilis, inter *Pernek*, & *Bazinium.* Nomen accepit, ab officina *vitriaria*, quam *Glas-Hütten*, Germani vocant. Sed, quod operæ, fundendo flandoque vitro deſtinatæ, plus impenſæ feciſſe viſæ ſunt, quam pro redituum ratione, hoc, quidquid fuit opificii, abrogatum iſto loco eſt: magno, & ſiluarum, & agreſtium circum habitantium, commodo. Quin, & vſtrina, in qua, ſulphur eliquabatur, prorſus fere obliterata eſt. Ceterum, vicus eſt amœnus, multo agro, frumenti & pabuli feraci, per patentiora montium; aqua item ſalubri, præditus.

35.) *Almás*, Germanis *Aepffelsbach*, Slauis *Iablonow*, extrorſum, in radicibus montium, interuallo milliaris dimidii, a *Perneko*, in meridiem poſitus. Ab eadem regione, & ſiluas habet. In occaſum & aquilonem, recedunt agri frumentarii. Prata poſtea ineunt, rus paſcuum, & amœni ſiluoſique luci. Ipſe vicus, riuum transmittit, deiectum ex montibus, atque, eleganter aruis inerrantem. Solo fertili eſt & læto, ditionis *Detrekóienſis.*

36.) *Lozorno*, inter *Almás*, & *Stompham*, æquali ferme interſtitio. Vicus eſt oblongus, ad radices montium, inter ſiluas, ſed loco plano, atque fluuiolo, qui verſus *Zohor* decurrit, irriguo, poſitus. Agro inſedit arenoſo & ſterili, niſi lætamine ſuſtentetur, ſubuertaturque profundius. Hæc enim tota, quam vidimus, regio, mero conſtat ſabulone, & arena, itineribus, tempeſtate ſicca, moleſta nimium. Amœnior ergo vici poſitio eſt, quam fertilior: quippe, denſis ſiluis vmbroſa. Arborem nobis, comites oſtendebant, tanta vaſtitate; vt, ex ſolius eiusdem ramis, integram ſe domum ruſticam, poſſe exſtruere, adfirmarent fabri lignarii. Siluarum hæc opportunitas, rei carbonariæ, cui operantur incolæ, fecit locum. Nullum eſt, *Piſonii*, vulgare forum; quin, atros inſtitores iſtos, cum plauſtris ſuis, notare poſſis, ſuas merces licitantes. Spectat, ad dominium *Stomphenſe*. Vici hi fuere, *Proceſſus Transmontani*.

MEMBRVM VI.

De

Sede Prædialiſtarum Vajkenſi.

SYNOPSIS.

Nomen ſedis: origines. §. I.
Eiusdem incrementa: Regum priuilegia. §. II.
Ordinum ſanctiones. §. III.
Magiſtratus ſedis, qui? Rex: Palatinus: *ceteri.* §. IV.

§. I.

Nomen ſedis:

St peculiaris quædam *Respublica*, quam Comitatus noſter, in inſula Cituorum, ſinu quaſi fouet. *Vajkenſem* vocamus, a loco, quod *Vajka*, velut metropoli, nobiles eo ſpectantes, & coire ad concilia conſueuerunt, & creare, quibus regantur, magiſtratus. At *Sedem*, ideo dictam putamus, quod *Sedi metropolitanæ Strigonienſi*, adſcripta eſt. Hungari *Vajka-Szék*, adpellant; leges autem patriæ, hos, qui illic colunt, *Nobiles Prædialiſtas*. Genus olim fuit militum, quod *Banderii* (a.) *Archiepiſcopalis* nomine, inſignitum, ſtipendia merebatur. Id ergo,

Origines.

a.) Eſt vero *Banderium*, cohors, aut ala militum, quam *Prælati*, & *Optimates*, pro bonorum, & redituum modo, re trepida, ſuis ſub ſignis, ſuoque ſtipendio, mittere cogebantur in bellum. Du Fresne quadringentorum militum cohortem interpretatur. Gloſſarii Tomo 1. p. 971. editionis nouæ Pariſienſis. Auctor indicis, in corpus iuris Hungarici: *Banderia*, inquit, *eſt vox incerta originis, & ſolummodo Hungariæ viſitata, intelligiturque per eam, militia, cuſtodia regis adhibita, quam Germani adpellant*: Leib-Regiment, *oder* Leib-Garde, *conſtans de iure, mille equitibus. quale quidem Banderium, non habet ſolum ipſe Rex, verum etiam alii Prælati, & Barones.* Sed, teſtis eſt laudatus *Gloſſarii* conditor, ab aliis quoque gentibus, vſurpatam fuiſſe vocem.

go, vt in promtu eſſet, quoties in bellum eundum erat, per ſua prædia, quæ ſtipendiorum vice habitarent, diſpertiuere *Archiepiſcopi*. Proinde, poſitis ſedibus, iſthic æſtiuabant, hibernabantque; agrum admenſum, ſi fuit quædam a bellis ceſſatio, omni cura percolentes. Sin autem imminebat res trepida, confluebant moniti ad ſigna, ibantque alacres, ſiue ad inferendum, ſiue ad propulſandum bellum ab *Archiepiſcopis* ducerentur. Miſſione obtenta, redibant iterum, ad *ſedem* hanc ſuam, ad nutum *Antiſtitis* numquam non intenti.

§. II.

CReuit ex his initiis, *res*, quam diximus, *publica*: cum & *Archiepiſcopi*, bellicam ſuorum virtutem, remunerarentur ſubinde; neque deeſſent Reges, qui libertate donarent, militare genus, excitarentque, ad belli & armorum ſtudia. Habemus id genus diploma, a BELA III. *Vajkenſibus*, anno MCLXXXVI. datum. Interceſſerat litis quidpiam, *Iacobo*, Archiepiſcopo Strigonienſi, cum *Marco*, & *Petro*, nobilibus, de terra *Vajka*. qua, coram rege & primoribus, duodecim teſtium ſuffragio, diſcuſſa, dicti *Marcus*, & *Petrus*, non modo nobilitari prærogatiua, quam in dubium vocauerat præſul, non exciderunt; ſed acceperunt etiam, terræ *Vajkenſis* portionem, perenni iure ſibi adſcriptam: eo quod, *militari armatu*, (verba ſunt diplomatis) *in exercitum Domini Regis equitarint, tamquam decet nobiles ſeruientes.* En auctoramentum, quo *Prædialiſtarum* libertas, primitus niti cœpit. Interfuere ei iudicio, vti habent tabulæ: *Makarius*, Quinqueeccleſienſis; *Iohannes*, Veſzprimienſis, *Mikuvini*, Iaurienſis, Epiſcopi: *Thomas*, Palatinus; Comes *Mok*, Curialis Comes; *Dionyſius*, Bácshienſis Comes; *Ezau*, Biharienſis Comes, & alii plures. Digna eſt memoratu, clauſula, quæ ſic habet: *Si quis autem violator huic noſtra diſpoſitioni exſtiterit, anathema ſit, & in Cameram Domini Regis, centum libras auri ſoluere teneatur.* Profectam, his initiis, prærogatiuam, eo adcuratius ſuſtentauerunt ſequuti reges, quo maior *Prædialiſtarum* in bellis, quæ exardeſcebant frequenter, vſus fuit.

Eiusdem incrementa:

Regum priuilegia.

§. III.

NEque id inuitis *Ordinibus* Reges faciebant. Exſtant publicæ regni ſanctiones, quibus libertas, & quas bello pepererant, prærogatiuæ, *Prædialiſtis* iubebantur eſſe intemeratæ. Huc in primis illa pertinet, quam anno MDLXVII. *(b.)* perſcripſere: *Statutum eſt id quoque, ex clementi annuentia Maieſtatis ſua, vt* PRAEDIALES, *quarumcunque Eccleſiarum, qui in Hungaria, & Sclauonia, iisdem fere ſemper prærogatiuis vſi ſunt, quibus alii poſſeſſionati Nobiles; & quorum homa-*

Ordinum ſanctiones.

N n 3

b.) Articulo XIV. proinde non *Archiepiſcopis* ſolum, ſed *Prælatis* etiam aliis, fui fuerunt, ſuntque adhuc *Prædialiſtæ*.

magia, & iuramenta, aequaliter ſemper, cum aliis nobilibus, fuerunt eſtimata, non dicentur: potiſſimum, quando cum iis dominis Prælatis, & Baronibus, in quorum bonis reſident, perſonaliter, ſineque ſumtibus, ſimili cum aliis Nobilibus onere, exercituare teneantur. Videre hinc eſt, prærogatiuas nobilium huius generis, ex eo fluxiſſe capite; quod ſine ſtipendiis militarent, ſub ſignis *Prælatorum*, quorum inſederant prædia. At enim, multum ea libertas, diminuta eſt, cum anno MDCXLVII. *(c.)* iidem *Prædialiſtæ*, in cenſum redacti ſunt: *qui vero*, inquiunt eius anni decreta, *portas (d.) non haberent, vt ſunt Nobiles Armaliſtæ, etiam in confiniis, Liberis Ciuitatibus, & Oppidis priuilegiatis commorantes, item fugitiui*, Prædiales etiam Prælatorum, *aliique ſeruientes, &c. taxentur.* Auaram crederes legem, niſi eam, temporum, qui tunc erat habitus, excuſaret.

§. IV.

Magiſtratus ſedis, qui?

Rex:

DIximus, ſedem hanc, *Rempublicam* conficere *peculiarem.* Id, quomodo accipiendum ſit, explicandum eſt. Nimirum, ſuus illi *Rex* eſt, ſuus *Palatinus*, & qui ſunt in *Comitatibus*, magiſtratus reliqui. Ac regis quidem ſimulacrum quaſi quoddam, *Archiepiſcopus* refert. Hic, non iura modo dicit, nobilium coetui; ſed fiſco etiam accenſet ſuo, ſi quid contingat, poſſeſſore, in prædiis, vacare. Id demum, ſummo iure, aut in rationes vertit priuatas, aut his, dato diplomate, confert, quos putat eſſe omnium digniſſimos. Id vero, regiæ poteſtatis ac munificentiæ, quædam quaſi imitatio eſt. Quandoque, comitiola etiam indicit, quæ *octaualia*, leges patriæ vocant. Hic demum, & lites excutiuntur, coortæ de hæreditis, de finibus, de ſucceſſionibus; & ſtatuitur, quod eſt e republica.

Palatinus:

Palatini nomen dignitatemque, qui tuetur, nobili ſit ortus genere, oportet, & vel lectus e *Prædialiſtis*, vel, ſicuti nunc videre eſt, arceſſitus aliunde: is quoque habet ſimilitudinem, ſummi, poſt regem, magiſtratus, ſiue bello res geratur, ſiue pace. Nam, ſi in hoſtem mouendum eſt, ſummi ducis *Archiepiſcopi*, ſeu ductu, ſeu auſpiciis, munere fungitur. Sin adminiſtrandæ res in comitiolis, præeſt iis cum auctoritate. Reliqui magiſtratus, hi fere ſunt: *Vice-Comes; Iudices Nobilium; Notarius, Quæſtor*, ceteri. Singulis autem, munere ita fungendum eſt, quemadmodum id cum legibus patriæ congruit. Tametſi vero ſuo ipſorum arbitratu, rempublicam, cui præſunt, adminiſtrant; tamen, ſi occurrat quidpiam, momenti maioris, referunt, ad vniuerſam prouinciam *Piſonienſem.* Ideoque, adeunt eius quoque co-

ceteri.

c.) Articulo XXVI.

d.) Nempe, diſtribuntur in Hungaria, tributorum rationes, pro *portarum* numero; vt adeo *porta*, certam tributi portionem, ſignificet. Dicitur autem nobilis *Portas habere*, quando is ei poſſeſſionum, & ruſticorum modus eſt atque numerus, qui definiram publici cenſus ſummam, pendere poſſit. Id, quibus haud eſt, *Portas non habere*, in lege dicuntur: ideoque, *Taxati* vocantur; quod admenſam cenſus partem, quam *Taxam* dicunt, cogantur ſoluere.

comitia, & ne videantur, ſub alieno ſole degere, accipiunt quandoque, ſenatus conſulta, quæ ſiue ad rem communem adtinent, ſiue ad ſuam. Parua licet ſit prouinciola, & e vicis aliquot conflata; tamen in duos diſpertita eſt *Proceſſus:* quorum alterum, *Superiorem* vocant; *Inferiorem* alterum. Vtrumque adibimus.

SECTIO I.

De *Proceſſu Sedis Vajkenſis Superiori.*

DRa eſt, *Vajkæ* circumfuſa, atque vicis habitata, multo quam reris paucioribus. *Superiorem* dixerunt, quod *Inferiorem* alterum, ſitu anteeat. Iam, quid ſit regionis, videamus.

SYNOPSIS.

Oppidi Vajka, *habitus: agri ingenium: incolarum indoles, facete hebes: eius rei exemplum ridiculum: feminis dicta ſcribitur veneficii: quomodo ſceleris nefandi experimenta fiant? nobiles viri, & generoſi ſunt, & decori ſtudioſi.* §. I.

Doborgaz, *alter, hoc Proceſſu vicus: quali ſit agro.* §. II.

Bácsfalva, *tertius: eius a Cœnobio* S. Antonii, *quod* Franciſcani *colunt, celebritas.* §. III.

Keſzôltses, *vltimus.* §. IV.

§. I.

Vajka.

LAxum oppidum, neque tam cultu ædium, quam numero, inſigne. Poſitæ eæ ſunt, ordine gemino, qui ab occidente æſtiuo, in meridiem decurrit: prorſus, ad ruſticationis commoditatem. Nam & areis interſtinguuntur capacibus, & poſt horrea atque ſtabula, hortos a tergo habent, omni arborum genere, conſitos. Circum, ager eſt, ſementi idoneus, atque diues pabuli; niſi euaſtetur *Danubii* eluuionibus, quæ hic frequentes accidunt, damnoſæque. Intra amnis diuortia, inſulæ laxantur, paſſim arbore fructifera ſilueſcentes. Hic & fœnum cogitur, ſed raro ſine iactura, quam affert *Danubius.* *Oppidi Vajka, habitus:* *agri ingenium:*

Incolæ, *Hungari* ſunt omnes; ſed præter morem gentis, ſegniori ingenio. Itaque, patrant quandoque res, extra modum inficetas. quas dicaculi, augent in maius, vertuntque in fabulas conuiuales, ma- *incolarum indoles, facete hebes:*

eius rei exemplum ridiculum:

magna *Vajkenſium* indignatione. Nobis profecto, non poterunt irasci, ſi, quod ne ipſi quidem negarint, retulerimus. Exierat venatum, *Cornelius* quidam, equo vectus, & longiori, ad iaculandum, fiſtula inſtructus. Vt in dumetum venit, atque inutilem ſibi fore equum aduertit, protinus eo delabitur, adligatoque ad truncum, fiſtulam, feris inſidiaturus, auide implet. Id, dum maiori, quam pro re, impetu facit, virga qua infarſit ſclopum, tenaciſſime inhæſit. Diu, in euellenda ea, fruſtra ſudauit miſer, iamque fatigatus, dira quæque, ſolerter, & ſclopo, & virgæ, imprecabatur; dum ſuccurrit, homini ſagaciſſimo; equo admoto, pertinax lignum, reuelli nullo negotio poſſe. Prolnde, virgam quidem, qua prominebat e fiſtula, pluribus nodis, caudæ equinæ, caput autem ſclopi, arbori, ſtrictiſſime adligat. Tum, conſcenſo equo, calcaribus ſubditis, iumentum vrget. Id, dum gradum, cauda hæreſcens, molitur, capite ſclopi, ad ſtipitem forte impacto, fiſtula diſploditur, felici adeo ſucceſſu, vt virga, vna cum glande plumbea, equum, per media viſcera, transuerberaret. Deiectus, fulmine iſto, eques *Cornelius*, cum rem, aliter quam opinabatur, cecidiſſe videret, conſilii eas rationes, ſero damnare cœpit, domumque, ſine iumento & fera, fremebundus rediit. Sexcentos iſtius modi actus queas numerare; nos, vnicum hunc interteximus, vt poſſit ex eo augurari lector, quam ſint lepidi reliqui.

feminis; dica ſcribitur veneficii:

quomodo ſceleris nefandi, experimenta fiant:

Feminis, veneficii dicam, magno loci opprobrio ſcribi, certum eſt. Pauci anni abiere, dum qualicunque indicio, *ſeptuaginta* plus minus, femellas, corripi, raptarique ad aquæ experimentum, iuſſerunt magiſtratus. Qui tragœdiam ſpectauere, ad hunc modum inſtructam fuiſſe, retulerunt. Deductæ ad amnem, qua placidior manat, eſtque altitudinis propemodum inexpertæ, veſtem ſuperiorem ponere, induere contra virilia perizomata, ne quid indecori accideret, cogebantur. Tunc, manibus, pedibusque a tergo, ne poſſent mouere artus, religatis, longa reſte ſuſpenſæ, e naui, in amnem eiiciebantur. Quæ ſuo pondere ſubſidere cœpit, tamquam inſontem, adducta, magna celeritate, reſte, aquis eximebant, dimittebantque liberam. Contra, quæ ritu anatum, innatabant, neque poterant mergi, damnabantur criminis, luculento demum rogo exurendæ. Magnam diei partem, his experimentis extraxerant, cum lictorum incuria, immiſſa, in amnem, muliercula, ita merſa eſt, vt numquam emerſerit amplius. Infremuit ſpectantium multitudo, iamque res ad ſeditionem muliebrem ſpectabat; cum tota ea ſcena, dimiſſo reliquo agmine, funeſto hoc euentu, claudi debuit. Nunc cautius mercari *Vajkenſes*, accepimus.

nobiles viri, & generoſi ſunt, & decoris ſtudioſi.

Alioquin, qui hic colunt, viri nobiles, vti indolem referunt, eximie generoſam; ita, morum elegantia, conuictus item ſuauitate, vix quidquam concedunt vicinis. Plebis ea ruditas eſt, quam retulimus, vmquam forte erudienda in melius. Sunt, qui id aeri *Vajkenſi* tribuant, quaſi ſub eorum hoc ſole, non poſſis, niſi inconcinne agere. Sed non eſt accuſandum cælum, cum æquius ſit, eius rei cauſſas, in pa-

parentibus, natiuitate, educatione, atque inoleſcente conſuetudine, quærere. Seiungitur oppidum *Samaria*, milliari in meridiem.

§. II.

ALter, *Proceſſus* huius, vicus eſt, *Doborgaz*, eadem ripa *Danubii*; ſed altius in occidentem ſepoſitus. Agro eſt fertili, & *Samariæ* obiacente. Prata, inſulæ continent, & vici confinia. Indidem & lignatio ſufficit: ſilueſcunt enim, & cito, & denſis luſtris. Incolæ, eodem fere ſunt numero, quo erant *Vajkenſes*, ſtrenui agricolæ: quippe, rure præditi, quam eſt *Vajkenſium*, laxiore: arctioribus, contra, pratis. Succedit

Dobor-gaz, *alter Proceſſus locus*: *quali ſit agro.*

§. III.

BÁcsfalva. quæ, etſi paucis ædiculis colitur; multum tamen celebritatis habet, a cœnobio S. ANTONII, quod *PP. Franciſcani* obtinent. Frequentatur id ſacris peregrinationibus, magna ſuſceptis religione, Itaque, exundat, non raro, conuenarum multitudine, quos, niſi tabernam diuerſoriam, heri adſtruxiſſent, vix caperet vniuerſus vicus. Hic vnus vicus eſt, tota inſula, in quo vitis colitur, fructumque præſtat nobilem; ſed niſi bibatur, dum hornus eſt, lenteſcentem facile. Denique

Bacsfalua *tertius*: *eius, a Cœnobio* S. Antonii, *quod* Franciſcani *colunt, celebritas.*

§. IV.

KEſzölcses, hoc *Proceſſu*, nominandus eſt, vicus exiguus, agro modico, ſiluis nullis. Incolæ Hungari ſunt. Hæc, de *Superiore*, Sedis Vajkenſis, *Proceſſu.*

Keſzölicſes, *ultimus.*

SECTIO II.

DE

Proceſſu Sedis Vajkenſis Inferiori.

NFERIOREM dixerunt, quod vltra *Vajkam*, in orientem, *Proceſſui Inſulano Inferiori*, ſe inſinuat. Huc accenſentur vici:

Proceſſus Inferioris *vici.*

1.) *Pinke-Kártsa*, qui totus *Vajkenſium* eſt, rure, ex regionis ingenio circumfuſus, mediocris, ad ruſticandum, opportunitatis.

2.) *Mórocz-Kártsa*, parte ſui media;

3.) *Kis-Al-Bar*, prorſus ad *Vajkenſes* adtinet. Vicinus cognomini *Nagy-Al-Bar*, adſedit, agrum nactus, lacunis paſſim interſtinctum; haud tamen incommodum agricolationi; niſi quod pratorum & ſiluarum, prorſus egenus eſt. Aquæ paluſtres flutis abundant, in primis, ſi annus incidat vuidus.

4.) *Péter-Falva*, itidem, totus *Sedi Vajkenſi*, accenſetur. Ineſt ei prætorium elegans.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS POSONIENSIS.

I. In AVSTRIAM.
Danubio, ad Piſonium traiecto, *Farkas-Falvam*, Germanis *Wolffsthal.* - - - - *milliare* 1.

II. In Comitatum *Moſonienſem*, per eundem traiectum, ſiniſtroſum *Carolobargum*, dextrorſum *Gatham*, vtrobique *mill.* 2.

III. In Comitatum *Comaromienſem*, per mediam inſulam Csallóköz, ſuperato amne, ad *Verekmye*, Piſonio, Comaromium, *mill.* 12.

IV. In Comitatu *Nitrienſi*
1.) *Piſonio*, Kajalinum, & vltra, Vago transmiſſo, ad *Nitrienſes*, - - - - - - *mill.* 7.
2.) *Indidem*, Szeredinum, atque ibi ſuperato Vago, ad *Nitrienſes*, - - - - - *mill.* 6.
3.) *Piſonio*, Tyrnauiam, hinc *Galgóczinum*, - *mill.* 8.
4.) *Tyrnauia*, Pöſtényum, - - - *mill.* 4.
5.) Itinere, ad montium radices, Szomolano, *Dobravodam.* - - - - - *mill.* 2.
6.) *Piſonio*, per Stompham & Detrekőnem, *Sándorffum*, *mill.* 7.

V. In AVSTRIAM citeriorem
1.) Piſonio - - - Mareckum, *m.* 4.
2.) Indidem - - - Hoffum. *m.* 2.

FINIS COMITATVS POSONIENSIS.

CO-



COMITATVS THVRÓCZIENSIS,

PARS PRIOR, GENERALIS.

PROOEMIVM.

Oſcebat id ſane, cum totius ordo ſcriptionis, tum ſituum in primis cognatio, vt *Comitatum Poſonienſem* emenſi, ad *Nitrienſem* pedem proferremus: quippe, inde a *Morauiæ* collimitio, vſque ad fines *Comaromienſium*, perpetuo latere prouinciam eam, corniculantis lunæ inſtar, circumſcribentem. Sed, cum neſcio, quo noſtro fato, concinnatam dudum, *Nitrienſis Comitatus* hiſtoriam, ob recognitionis inexſpectatam tarditatem, nequiuerimus hucuſque, curis ſecundis, elaboratiorem reddere; operæ autem typographicæ, nequeant,

ſine exſtanti, & impenſarum, & temporis iactura, feriari: dandum id fuit neceſſitati, vt THÚRÓCZIENSEM hunc, magna & lubenti prouincialium cura, emendatum pridem, locupletatumque, illius loco, ſubſtitueremus. Quod quidem, vti inuiti, immo coacti facimus; ita, nihil ea re volumus detractum *Nitrienſium* prærogatiuæ illi, quam, ſiue in publicis regni conſeſſibus, ſiue occaſionibus aliis, veterrimo iure partam habent adſertamque. Id potius, lectores maiorem in modum, rogamus, vti ſituum hanc traiectionem, nulla noſtra culpa admiſſam, nobiſcum patienter accipiant. Nam, dabit ſe breui opportunitas, vt, cum decore, in locum reponere queamus, luxata.

MEMBRVM PRIVS PHYSICVM.

De

Natura & Opportunitatibus Comitatus Thúróczienſis.

SYNOPSIS.

Comitatus THÚRÓCZ *nomen.* §. I.

Qui ſint fines regionis: eius amœnitas, & ſitus. §. II.

Fertilitatis ratio. §. III.

Montes *Thúróczienſium:* Tlſtá: Borizow: Lifzetz: Ploſzká: Kralou Grun: Moſchouienſes: Wisſehrad: Bohusſowá: Ziare. §. IV.

Sunt Carpathi *propagines: eorum arbores, & vegetabilia cetera: venatus: aucupia: minera.* §. V.

Antra *Thúróczienſium:* Mazárna: Dupná: *reliqua.* §. VI.

Fluuii *prouinciales:* Vagus Thúrócz, *& huius corriuales.* §. VII.

Amnium Thúróczienſium laus. §. VIII.

Thermæ *regionis, quas* Stubnenſes *dicunt: Acidarum fontes: Budiſchenſis: Dubouienſis: Tót-Prónenſis: Zarkóczenſis: Iahodnikenſis: Stiawnitſchkenſis.* §. IX.

§. I.

§. 9.

Comitatus Thúrócz *nomen.*

NOmen Comitatus THVRÓCZ, non eſt, cur anxie inquiramus. Accepit illud, ſi conjecturæ nonnullorum ſit locus, a cognomine fluuio, qui, in *Barſchienſium* finibus, alio nomine, ortus, dein vero regioni huic illapſus, Slauis *Thurecz*, Hungaris, *Thúrócz-Vize*, adpellatur. Nolim equidem huic ſententiæ contraire; ſed neque poſſum, quin promam, quid ipſe ego ſentiam. Nimirum, raro *(a.)* priſci noſtri *Hungari*, a fluuiis *Comitatus* denominauerunt. Arces fuerunt, a quibus illi vocabula iſtiusmodi, mutuabantur. Quod ſane obuium ſit, plerorumque omnium Comitaruum adpellationes, recogitanti. quia enim, quas ſemel occupauerunt, regiones, caſtellis, idoneo loco poſitis, communiebant, vt eſſet vnde, ſiue propulſarent hoſtes, ſiue imperitarent his, quos ſub iugum miſerunt; ab iſtiusmodi caſtellis, vniuerſæ poſtea regioni, quam ei ſunt admenſi, vocabula imponebant. Arcibus autem, varie nomen hærere poterat: plerumque, a conditoribus; a ſitu nonnunquam; aut priſcis incolis; quandoque, a fluuiis etiam, qui oram illam faciunt irriguam. Vltimum iſtud, in noſtri Comitatus adpellatione crediderim, vt, a fluuio *Thúrócz*, arcem ita vocauerint, eam nimirum, quæ hodie *Znio*, olim BONFINIO teſte, *Thúrócz* dicebatur: a qua demum, lingua vernacula, *Thúrócz Vármegye*, hoc eſt *ambitus*, ſeu *limes arcis Thúrócz*, vocitatus ſit. Ad hunc modum, vicinus *Nitrienſis*, *Szaladienſis*, & remotiores, *Vnghenſis*, *Kraſznenſis*, ac *Temeſuarienſis* Comitatus, ſua indepti ſunt nomina. Fluuiorum enim *Nitra*, *Szala*, *Vngh*, *Kraſzna*, *Temes*, antiquiora ſunt vocabula, eaque iam tum domeſtica, cum iſtis locis *Hungari* rerum potirentur: vt adeo, ab his arces, atque inde circumfuſæ eius regiones, ſint cognominatæ. Ita nos, de nomine Comitatus ſentimus. Certe, qui a *Slauicis* voculis, *(b.)* hoc, quidquid eſt denominationis, arceſſunt, blandiuntur illi quidem linguæ ſuæ vernaculæ; ſed nihil adferunt, quod ſpeciem aliquam habeat veroſimilitudinis.

a.) Mihi vnicus *Máramarosienſis* occurrit: nam, quod eum exteri, ab Oppido cognomine, ſic vocatum perhibent, toto cælo errant.

b.) Veterrimæ litteræ Slauicæ, Comitatum Thúróczienſem, *Thurreczky*, adpellant; diplomata *Thurucz*, ſiue *Thurucz. Fluuialem* vel *fluminenem*, aborigines *Slaui*, forte vocitauere, a *Rieka* ſcilicet, quod fluuium, ſiue *Rieczka*, quod fluuiolum, notat; quaſi eſſet: *Tu Rieczka*, hic eſt amniculus. Sic, *Polureczky* amnicola; *Zaturecky*, trans flumen colens, familiarum nomina. Eſt etiam, in *Beniczenſi*, & *Pribocenſi* collimitio, fontium perennium alueus, cannabi macerandæ idoneus, *Stare Tureczisko*, dictus, quem olim corriuatis aquis, fluuius *Thúrócz* permeabat, & BELAE IV. temporibus, molam *Mazura*, verſabat.

§. II.

Qui ſint fines regionis?

FInes regionis, ab ortu *Liptouienſi*, & *Zolienſi*; ab occaſu *Trentſinenſi*; qui & ſeptentrionalem limitem, ſed *Aruenſi* continuatum, quadamtenus pertexit; denique a meridie, *Barſchienſi*, & *Nitrienſi*, Comitatibus, continetur. Terminos, montes aſperrimi poſuere, toti Comitatui, ea ſerie circumducti, vt factam a natura, ſepem crederes. Ingens horum eſt altitudo, quæ tamen, qua interiora regionis proſpicit, molli deuexitate, miteſcentibus iugis, paulatim in plantiem ſubſidet, toto poſtea Comitatu procurrentem. Dici nequit, quantum, iſte regionis poſitus, ad amœnitatem faciat. Nam, & vieis, atque oppidis frequens eſt; & ſparſis paſſim nemoribus, varie diſtinctus. Reliquum ruris, partim agri frumentarii occupant, partim campi herbidi, quibus domeſtica armenta inerrant. Accedit, riuulorum, tortuoſis mæandris, tota vtrinque regione, diſcurrentium, copia. Hos, alibi valles effundunt, alpium latera alibi deiiciunt. Multum præterea iucunditatis, montes habent, quos diximus, continui: facti enim ſunt ad eum modum, vt in conſtituendis iis, merito naturam luſiſſe dixeris. Nunc etenim, præcelſis verticibus adtolluntur præcipites, nunc, articulis humilioribus diſcriminati, ſenſim, in altiſſima iuga, prorepunt. quæ poſtea, vel perpetua latera trahunt, vel certe vallibus inciſa; atque ea quidem, hic pabulis fœcundis luxuriantia, illic ſiluis ſunt opaca, aut rupibus aſpera. Equidem, cum ineunte vere, hic aliquando verſarer, videbar mihi in hortum delatum eſſe, cui ad amœnitatem, non modo nihil natura negauerit; ſed multo etiam iucundiorem fecerit, quam ſunt ſæpe, exquiſita arte poſiti. Cum enim hic adſcitia ſint omnia, ac plerumque peregrina; regio noſtra, domeſticis bonis, & ſitu natiuo, exſultat. Etenim, de noſtro iſto horto cecineris licet, quod COLUMELLA, *(c.)* vniuerſim, ad eorum poſitum requiſiuit:

eius amœnitas, & ſitus.

> *Principio* (inquit) *ſedem numeroſo præbeat horto,*
> *Pinguis ager, putres glebas, reſolutaque terga,*
> *Qui gerit, & foſſus, graciles imitatus arenas.*
> *Atque habilis natura ſoli, qua gramine læto*
> *Parturit, & rutilas ebuli creat vuida baccas.*
> *Nam, neque ſicca placet, nec, quæ ſtagnata palude*
> *Perpetitur querulæ ſemper conuitia rana.*
> *Tum, quæ ſponte ſua frondoſas educat vlmos,*
> *Palmitibusque feris lætatur, & aſpera ſiluis.*
> *Achrados, aut pruni lapidoſis obruta pomis,*
> *Gaudet & iniuſſi conſternitur vbere mali.*

Hæ, noſtri iſtius horti, virtutes ſunt, atque bona; ſed adſpectus, infini-

c.) De Re Ruſtica, Lib. x. verſu 6. pag. 690. curante Io. MATTHIA GESNERO, Lipſiæ. A. MDCCXXXV. for. quadrip.

finitis prope modis, præcellentior. Niſi fortaſſis, in eo, nouercantem naturam velis accuſare, quod ſitus hanc amœnitatem, arctius concluſerit: nam, regio vniuerſa, ſi a *Sklenuo*, metiri incipias, & in *Schutow* viculo, qui faucibus *Fatræ minoris* inſedit, deſinas, ad quinque milliaria procurret; latitudo autem, adiectis vtrinque alpibus, duo, rarius tria explebit milliaria. At enimuero, & iſtud ad regionis noſtræ commendationem pertinet, cum, quæ vaſta ſunt, & diffuſa ſine modo, facile, quam habent iucunditatem, ſua illa nimietate, diminuant; modica, contra ea, & quæ Veneres ſuas Gratiasque, in compendio habent, cum mentem oculosque auertant facilius, tum delectant efficacius, & conſtantius.

§. III.

ISte *Comitatus Thúróczienſis* ſitus fuit. Amœnitati vbertas, quomodocunque, hoc eſt, pro regionis, montibus circumfuſæ, ingenio, reſpondet. Nam, qua proximiores alpibus ſunt agri, trahunt, ex eorum contagio, aſperitatis quidpiam: qui ideo, acceptam ſementem, ægrius, atque, niſi cum fœnore modico, reddunt. Reliquus ager, omnis generis ſegetum, non patiens tantum eſt; ſed etiam, ſuo modulo, ferax. Nam, alibi quidem *Triticum*, lætiſſime prouenit; pluribus locis, *Siligo* gaudet; maxime vero *Hordeum*, & *Auena*: vt *leguminum* varia genera, taceamus. Si annus reſpondeat colono, habet regio noſtra, non modo, quod ſibi ſufficiat; ſed etiam, quod exportet aliorſum: ſin vero cælum ſegetibus fuerit importunius, coemto alibi pane, viuere coguntur incolæ. quod, tametſi rarius eueniat, tamen ſemel iterumque, accidiſſe, nos ipſi meminimus. Inter culinares agrorum fructus, peculiaris, *Rapæ Thúróczienſi*, laus tribuitur, non rotundæ illi; quam rarius ferunt; ſed, quæ in conum abit, & ſole toſta, ad hibernos vſus reponitur. Mira huic dulcitudo ineſt, ſi cum cura excoquatur: quin & hoc in virtutibus eius ponunt, quod pectus, ſordibus leuet, idemque, tuſſi ſauciatum, reficiat. Ego, virtutum optimam, ac forte vnicam, crediderim, quod famen queat profligare, horum potiſſimum, qui diurno labore fatigati, ſtomachum, ad eſcam adferunt, inanem, neque diſputantem, caulem accipiat, an rapam? *Pomaria*, frequentiora hic, quam apud vicinos *Liptouienſes*, reperias, quia clementius arboribus, & cælum eſt, & ſolum. *Prunorum* in primis, copioſus *Thúróczienſibus* prouentus eſſe ſolet; niſi tempeſtatum contrariæ ſint rationes. Quia enim ſubſtratus *Carpatho* ager, aquilonibus perflatur, cum frequentibus, tum frigidis, fit non raro, vt in flore amburantur fructus. Interim, iidem illi venti, regionem, ab aëris vitio immunem præſtant, & reddunt ſalubrem.

Fertilitatis ratio.

§. IV.

§. IV.

Montes Thúróczienſium:

SEd, quia montibus circumſeptam regionem diximus, nunc eos recenſeamus, quorum, cum nomina celebria, tum ſitus ſunt memorabiles. Sunt nimirum:

I.

Tlstá:

TLSTÁ, omnium Comitatus montium, facile editiſſimus. Obiacet is arci *Blatnicenſi*, ab oriente ſole. Slauicum nomen, vaſtitatem montis indicat. TLSTÁ, enim *grandem* notat, *craſſum vaſtum*que. Et talis omnino eſt, non ſua tantum; ſed rupium in primis, quibus vndique horret, mole propemodum inuſitata. Pedem montis, quam late protenditur, opacæ arbores obſident. Inde petrarum incipit aſperitas, varie ſe adtollentium, quæ montem rigidum faciunt, & acceſſu difficilem. Vbi ad ſummum cacumen ventum eſt, perlibrata ſe hic diffundit planities, cum ipſo ſitu, tum præcipue, ideo amœna, quod & nuda eſt arboribus, & multo, ac pingui gramine, conueſtita, vt greges ouium natare in pabulis, non paſci, videantur. Media planitie, fons perennis ſcatet, eximia laticis præſtantia, ad quem diſcumbere ſolent, qui huc, animi cauſſa, accedunt. De *antro* montis, cui *Mazárna* nomen, infra dicemus.

II.

Borizow:

BORIZOW, eodem *Comitatus* latere; ſed in aquilonem altius ſurrigitur, altitudine fere priori æquali. Qua ſeptentrioni dorſa obuertit, inclutæ *Révayorum* gentis eſt; *Iuſthiorum*, qua in meridiem proiicitur. Lætis & ipſe paſcuis memorandus, atque ideo, æſtiuis ouium tuguriis inſeſſus.

III.

Liſzetz:

LISZETZ hinc eſt, a caluitio, quod in cacumine iucundum habet, ac prati inſtar floridum, ita dictus. Si quem alium, hunc profecto montem, affabre natura conformauit. Præterquam enim, quod decliuiorum montium articulis, eleganter, ac varie turbinatis, ſuccingitur; ea eſt proceritate, vt qui in eius ſunt vertice, *Roſenbergam*, inſigne, apud *Liptouienſes*, oppidum, immo ipſam *Aruenſium* arcem, niſi dit, quod oculorum adimat proſpectum, diſcriminatim poſſint cernere. Ouium gregibus, & hic, oppleta ſunt omnia, quos, cum ipſi montis domini, *Ieſzenskii*; tum adſitorum vicorum incolæ, haud ſine fructu, alere conſueuerunt.

IV.

Ploſzká:

PLOSZKÁ, gentis *Révayorum*, ea molis celſitudine, quæ, longiſſime patente proſpectu, totum pene *Comitatum Zolienſem*, ad eum modum oculis ſubiiciat; vt *Neoſolienſium* turres, digito indice, queas deſignare. Si radices montis, quæ dorſis conſtant humilioribus, exceperis, totus is glaber eſt, ſed paſcuis tamen lætis, & pinguibus. Paſſim, & prata habet, ſitu, per decliua montis, longe amœniſſimo, ſuſpenſa, ideoque fœno colligendo perquam idonea. De ouium hinc ſtabula-

bulationibus, frequentibus iis, atque opportunis, coniici poteſt. Certe, caſeus, quem iſtius montis greges præbent, vnctiuſculus, & ſaporis eſt delicatiſſimi.

V.

KRALOU GRVN, montem Regium latine dixeris. Tribuitur ei id nominis, quod MATTHIAS *Coruinus*, cum aliquando apud *Thúróczienſes* diuerſaretur, inter venandum, Kralou Grun:

Iuxta frondifera, cacumen alpis,

diſcubuiſſe, vulgo perhibeatur: cuius rei memoria, inciſis petræ characteribus, hodieque prodatur. Nam ſolebat omnino MATTHIAS, iis locis, quæ venando adiit, ſuæ monumenta præſentiæ relinquere.

V I.

MONTES MOSCHOVIENSES, varie ſpargunt iuga, quæ nunc adtolluntur ſublimius, nunc iterum humilius ſubſident. In his, arcis perantiquæ rudera, viſuntur, *Drienok* dictæ. Cum exſtaret, ſuperba quadam ſitus amœnitate valuit. Mons enim, cui inſedit, celſiſſimus eſt. Hunc, depreſſiores alii, quaſi id arcis honori darent, incingunt. In hos, & opacas eorum conualles, iucundiſſimus patuit deſpectus, arcem incolentibus. Reliqua eius ornamenta, & celebritatem, qua olim fuit, vetuſtas obliterauit. Iſti quos hucusque recenſuimus, montes, *Orientali Comitatus* lateri, prætenſi ſunt. Sed, Moſchowienſes:

V I I.

WISSE-HRAD, ad *Meridiem* proſpicit, ea excelſitate, vt, hinc *Comitatum Thúróczienſem:* illinc, grandem *Nitrienſis* portionem, ex eius cacumine luſtrare poſſint, qui oculorum acie pollent. Totus, ſiluis horret abiegnis, quæ vſibus materiariis cæduntur. Olim, arcem ſummo vertice inædificatam, habuit, quæ a ſitus ſublimitate, Slauo idiomate, *Wiſſe-Hrad*, hoc eſt, *excelſa Arx*, nuncupabatur: quod nomen, toti poſtea monti, communicatum eſt. Superſunt quædam molis iſtius veſtigia. In his via eſt, aditu tortuoſo, in arcem deducens; portarum item, & propugnaculorum parietinæ, atque putei rudus, quæ adhuc exſtare viſuntur. Wiſſe-Hrad:

V I I I.

BOHVSSOWÁ, mons, ſitu non minus, quam pinguibus paſcuis, iucundus. Enim vero, oppido *Tót-Prónenſi* eo poſitu imminet, ex quo vniuerſum, quam late porrigitur, *Comitatum*, poſſis contueri. Quod autem herbidus eſt, non ouibus tantum alendis; ſed ſaginandis etiam armentis, peropportunum habent accolæ. Ad montis radices, fons exſilit, tam vbere latice, vt neque gelu concreſcat vnquam, ob incitatiorem bullitum; neque aquatum modum, & tum diminuat, cum ex ſiccitate nimia, alibi, perennibus etiam fontibus, vndæ ſunt parciores. Longum foret, vaſtique operis, percenſere montium reliquos, poſitionis non minus, quam adpellationis variæ. In his ZIARE ſunt, *Nitrienſi Comitatui* limitanei *reliqui.* Bohuſſowá: Zlare.

§. V.

Sunt Carpathi *propagines:* VNiuerſim, de montibus Thúróczienſibus, & qui his vicini ſunt, tenendum eſt, propagines *Carpathi* eſſe, varie diuagantibus iugis ſparſas, ideoque, ingenium eius, totum hunc montanum tractum, retinere. Nimirum, eædem hic quoque arbores ſuccreſcunt, iidem frutices, herbæ atque fungi, quos apud *Liptouienſes*, & *Scepuſienſes*, expromſimus. Certe, in paranda ex iis medicina, multam operam collocant noſtri homines. In primis, diligentes ſunt olearii, ſcilicet, ex *falcato arboris (d.)* genere, cuius alibi nobis erit *(e.)* mentio; iuniperi baccis; abietum conis; & nucibus pini; oleum, quod *Balſamum Hungaricum* docti; *Krumholtz-Öl* Germani; Slaui, *Koſzodrewinowy Oley*, vocant; ſcite educunt, ac poſtea, venale, paſſim per *Hungariam*, quin & apud exteros circumferunt, quæſtus ſubinde potiorem habentes rationem, quam intemeratarum mercium. Eadem porro, *& Ferarum* ratio eſt, quæ in reliquis Carpathi regionibus; ſed remiſſius venandi ſtudium: forte, quia magis ad rem faciendam adtenti ſunt Thúróczienſes, quam de eorum vicinis dicemus. Neque tamen deſunt viri, e nobilitate in primis, quibus iſta oblectatio, curæ ſit, cum id opportunum eſt. Nam, cum actionibus aliis, ſua, & quaſi natiua ſunt tempora; tum venationi profecto, quæ importune inſtituta, plus maleficii habet, quam iucunditatis. *Aucupia*, ruſticæ plebi permittuntur. quæ fructuoſiſſima eſſe credunt: in *Zábor*, *Dulicz*, *Háy*, *Tót-Próna*, & *Raksa*. Libera ea ſunt, ſed ea tamen lege, vt, quidquid ceperint aucupes, locorum dominis, vbi inſtituta fuit captura, emendum id offerant, pretio, ſicuti æquum eſt, parabiliore. Hi, vbi redemerunt, quod ſibi placuerat, reliquum aucupium totum, agreſtium eſt. Ceterum, & in eo, naturam Carpathi ſequuntur montes noſtri, quod *Baccho* ſunt inhoſpitales. An vero minerarum, æque ſint diuites, ſicuti id de *Carpatho Liptouienſium*, & *Scepuſienſium* docebimus, non auſim adfirmare: quia montes *Thúróczienſium*, rariſſime eos ſitus habent, quos metallorum conſulti requirunt, vbi ſpes eſſe debeat redituum. Haud tamen deſunt veſtigia, cuniculorum, quos aliquando, minerarum ſcrutatores egiſſe, perhibetur. Huc ſubinde intrare aiunt, rerum peritos, peregrinos potiſſimum, & erutis mineris, diſcedere: niſi & iſta, ad inuidiam conficta ſint *Italorum*, qui, cum muſcipulas, & pectendæ cannabi aut lino, facta carmina, circumferunt, vulgo, metalla aucupari creduntur. Sunt interim apud *Thúróczienſes*, qui meminerunt, in monte *Tyſtá*, ancillam, gramen, quod ad tugurium pecori deferret, metentem, virgultum, natiui *ex auro* auri, demeſſuiſſe: vnde illi, capere volunt argumentum, montem eum,

eorum arbores, & vegetabilia cetera:

Venatus:

Aucupia:

Minera.

d.) Serpit nimirum humi, ſuſpenſoque poſitu, falcium inſtar, denſatis ramis, ſibi ipſi innectitur; eſtque piceæ genus arboris; Slauis, *Koſzodrewina.*

e.) In deſcriptione *Carpathi Scepuſienſium.* Interim legere poſſis, PRODROMI noſtri Hung. Nouæ, Lib. II. Hiſt. Comitat. Scepuſien. Parte Generali, Memb. I. Phyſico, §. XI. p. 76.

eum, mineræ eiusmodi diuitem esse oportere: sed quam id faciant præter rem, alibi *(f.)* expromemus.

§. VI.

AD montium nostrorum historiam, & *Antra* pertinent, passim obuia. Princeps horum est, quod *Mazarnam* vocari, supra monuimus. Subit illud, laudatum sæpius montem *Tistá*, eo latere, quod ad arcem *Blatniczam* prospicit. Facilis ei, ac pronus est aditus, idemque, tam laxus, vt pluuia tempestate, ducenris bobus accipiendis par sit. Post hunc, tres aliæ sunt concamerationes, aditibus longe angustissimis, discretæ. In his prima, habet adhuc lucis quidpiam, angusto illo aditu, admissæ. Tota, impendentibus hinc inde, petrarum styriis, horret, ac passim, *Lithogalam* stillat. Hinc, alter se aperit fornix, in eam excauatus altitudinem, quæ templum etiam non mediocre, æmulari possit. Et hic *Lithogala*, totis parietibus exsudat, liquore omnino lacteo, qui illic collectus, dimanat; sed apricо soli expositus, durescit, & pumicis instar, leuis existit. Rusticam ex eo medicinam faciunt incolæ, pecudi in primis: qua de re, suo loco. Perperuus hic ventus spirar, ex tertia concameratione, (quæ inaccessa propemodum est,) magno subinde fremitu erumpens. Vulgo credunt, sedem isthic esse ventorum: quippe, tanta furentium vehementia, vt obuia quæque prosternant, & vltro progredi volentes, retro pellant. Licet autem, a ventis quandoque cessatio quædam sit; sicuti est omnino; interiora tamen antra adiri non queunt. tum, quia multis diuerticulis, in præceps abeuntibus, dubia sunt omnia, & ancipitis plena periculi; tum, quod passim lacus se aperiant, profunditatis immensæ. Nulla ex his aqua dimanar; sed vasto gurgite, & fragore ingenti, quem loci ingenium, multo reddir horribiliorem, in altum resorbetur. Est & in montibus *Rutkayensibus*, qua vallis *Sztreczschnensis* init, specus, *Dupná* vulgo adpellatus, ea longitudine, vt meatuum periti, in *Trentschinienſem* Comitatum, hinc aliquando transiisse, emersisseque in agro oppidi *Rajetz*, perhibeantur. Quin & reliqui Thúróczienſium montes, *Blatniczenſes* puta, *Neczpalenſes*, *Nagy-Ieſſenenſes*, *Mosouienſes*, *Turanenſes*, *Ieszenouienſes*, *Znio-Várallyienſes*, sua habent antra, quæ metallici adeunt quandoque, minerarum eruendarum causſa. quos, si naturæ miraculorum curiosi, sequi vellent, haberemus omnino, cur nobis gratularemur; cum multa illinc protrahi in lucem posse, confidamus, alibi forte frustra inquirenda.

Antra Thúróczienſium, Mazarna: *Dupná*: *reliqua.*

§. VII.

FLVVII *Thúróczienſium* sequuntur. Duo horum sunt: VAOVS, & THÚRÓCZ, vterque alibi natus. Fluuii *pro-uinciola:*

f.) In COMITATVS ZOLIENSIS Historia, *Parte Generali*, Memb. I. Physico, §. IV. Num. XIII.

I.

Vagus: VAGVS nimirum, cuius fontes, in *Comitatu Liptouienſi* deſignauimus, concitatus adeo regioni noſtræ, ab occidente ſole, illabitur, vt ruere potius, quam fluere, videatur. Subintrat is Comitatum hunc, per eas fauces, quas *Kis-Fatra*, ſeu *Fatra minor*, latere meridiano, præcingit. Inde, curſum in occidentem tenet: hinc quidem, vicos *Krpelán*, *Nolſcho*, & oppidum *Sutſchan*; illinc *Sutowo*, *Radko*, oppidulum *Turán*, *Klicſin*, & *Lipótz*, ſubluens: donec acceptо, ad *Alsó-Rutkam*, THÚRÓCZ amne, per vallem *Sztretſchnenſem*, ſaxoſo alueo, in *Trentſchinienſem* Comitatum, fremens ſpumansque, ſeſe exoneret. Piſcium diues eſt; quin & *Salmonum* benigne patiens. quos alibi commendauimus, nunc vero:

Nec te puniceo, rutilantem viſcere SALMO
Tranſierim, latæ cuius vaga verbera caudæ
Gurgite, de medio ſummas referuntur in undas, (g.)

II.

Thúrócz. THÚRÓCZ, fluuiorum alter eſt, multis modis *Vago* exilior. Caput, apud *Barſchienſes* habet, cum quibus, & aquas partitur: quippe, ſingulari arte, ad *Cremnitzienſia* metalla, deriuatas. Reliquus amnis, noſtro Comitatui immittitur, quem is, a meridie in ſeptentrionem procurrens, medium interluit, atque in duas partes, ſed inæquales omnino, diſcriminat. Vicos, quibus, e montium latebris eluctatus, primum adlabitur, cognomines fecit; ſed diminuto, ad indicandam exilitatem, vocabulo. Horum alter, qui propius a fontibus abeſt, *Felsö-Turczek*; alter, qui longius paullo in ſeptentrionem recedit, *Alsó-Turczek* dicitur, pro ſitus diuerſitate. Hinc digreſſus, prono admodum alueo, verſus agrum *Sklenenſem* decurrit, atque riuulis poſtea, e monte *Rowná-Hora*, defluis, amniculo item *Mutná*, factus aquoſior, piſcinis aliquot, laticem communicat, & ſobolem; dum *allodium Pozeha*, præterſluctus, *Dubowam* ſalutet, gemino illic riuo, *Dubowenſi*, & cui *Pieſchta* nomen, adaugendus. Tunc, prata *Csernakow* rigat: mox, flexo quodammodo, in aquilonem curſu, ab oriente quidem, *Ieſzenitzam*, ab occidente vero, *Cseptschinetz* fluuiolos, admittit, pratis vtroque latere amœnus; ſed quæ, riuorum, quos memorauimus, incurſu, factus tumidior, perdit ſubinde, ac limo fœdat. Tandem, orientali margine, vicos *Dworetz*, & *Iwantſinam*, lambit, vbi *Konopotam* torrentem, adſciſcit; ſicuti ad *Láſzlófalvam*, fluuiolum *Polerekenſem*, eius naturæ, quæ intenſiſſimo etiam gelu, adſtringi haud poſſit. E cuius regione, riuulum *Iezernicza*, quaſi ſitiret adhuc, abſorbet. Iſtis acceſſionibus lætior factus copioſiorque, relictis, ad occidentem *Moskótz*, (vbi *Vadzar* amnem auide arripit,) & *St. Georgio*, viculis, torrente iterum gemino increſcit; alter *St. Georgenſis* eſt, *Vritzam* alterum dicunt, frequentibus eluuionibus dam-

g.) AVSONIVS, in Moſella. v. 97.

damnoſum. Variis porro flexibus ludens, *Bodófalvam*, *Mezőházam*, *Balásfalvam*, montem *Kis-Roczócz*, pone quem *Zarnowicza*, Stubnenſis fluuius, pluſculis molis conſpicuus, fluentem *Czernakow* corripiens, ſe inſinuat, vicum *Nagy Szoczócz*, *Laſzkar*, *Bálintfalvam*, *Kis*, & *Nagy-Rakó*, ad orientale latus relinquit. Poſtea, *Benicze* vicum, in occidentali ripa ſedentem, propius ſubterlabitur, vt fluuio *Waltſchenſi*, quem ab occidente deiectum, accipit, occurſare dicere poſſis. Ponte hic commiſſus eſt, ſublicio eo quidem, ſed firmo aduerſus illuuiones. Pone hunc, modicus riuulus *Rakovetz*, amni noſtro ſe inſinuat, quem ad *Pribótz*, *Blatniczenſis* ſequitur, eius & ipſe indolis, vt gelu neſciat concreſcere. Sed nondum hauriendorum riuorum finis, vt de Thúrócz amne dici poſſit, illud poetæ:

Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.

Nam, derelictis *Pribótz*, & *Koſztyán*, vbi *Bikor* torrentem ſuperum, ac *Bella*, riuum inferum, exhauſiſſet, aduerſa ripa, torrentes *St. Petri*, & *Bisztritska*, & paullo poſt, *Iahodnik*, & *St. Martini* oppidum, celeri curſu præterlapſus, ad *Priekopam*, amnem *Hradetsnicza*, in quem & *Iordan* influit, ac denique torrentes, *Felső*, & *Alsó-Rutkenſium*, hiante alueo, recipit: donec aquarum vix dum ſatur, *Vago*, ad *Alsó-Rutkam*, commiſceatur. Hinc, prouerbio locus: *Ozenil ſe Lúpták Wáh, pojal ſobe Orawu, prigali Turecz za Syna: (h.)* quod non nemo, ſequenti epigrammate expreſſit:

Orbam *Liptouius*, *iunxit ſibi patre: quid inde?*
Prole carent! Thúrócz *filius hoſpes erit.*

In vtilitatibus eius, molæ cum primis numerantur, tum frumentariæ, tum materiariæ etiam: quarum plus minus duodecim rotat. Qua laxiore alueo labitur, facile intumeſcit, & ripas ſupergreſſus, magnis ſubinde calamitatibus, prata adfligit, agrosque. Piſcium omnino feraciſſimus, in quibus, *truta ſalmonata*, agmen ducunt, *Thymalli*, *Murænæ*, aliique.

§. VIII.

AMniculos reliquos, propemodum omnes, ſuis locis, vbi *Thúrócz* fluuio corriuantur, meminimus. Præcipua horum laus eſt, quod aquas vehant limpidiſſimas, & *Trutarum* diuites. Nec in his deſunt, qui, *admirandæ* ſint naturæ. *Blatniczenſis* certe, ac *Neczpalenſis*, riui, eo ſunt ingenio, vt æſtate frigidiſſimi ſint; tepeſcant contra, cum hiems rigidiſſima ſæuit. Fit ea re, ne vnquam, glacie contegantur. Vterque, ex montis *Gader* lateribus, ſibi inuicem homi- Amnium *Thúróczenſium* laus.

h.) Senſus prouerbii, huc redit: *Vágus*, Liptouienſi regione ortus, *Arnam*, a ſeptentrione adlapſam, quaſi intra torum recipit; ita vero maritatus *Vagus*, amnem *Thúróczium*, adoptat: *Arna* enim Hungaris, *orbam*, *orphanam*, *viduam* item, ſeu *viduam*, ſignificat.

aduerſis, ſcaturit; ſed, ſi vulgo credimus, eodem ex fonte, quem in montis viſceribus exiſtere perhibent: id quod, anatis indicio, priſcos homines didiciſſe aiunt. quæ riuo immiſſa *Blatniczenſi*, montem *Gader*, per aquarum natiuos meatus ſubierit, atque in fonte riui *Neczpalenſium*, qui inde milliaris ſpatio disiungitur, emerſerit denuo. Huc & *Polerekenſem* torrentem referre poſſis, itidem congelari neſcium. Oritur is proxime ad vicum cognominem, ea laticis, e rimis petræ erumpentis, copia, vt poſt paſſus aliquot, molendinum, iuxta & machinam, ſcindendis aſſeribus inſtructam, alternis poſſit impellere. Nam, hæ ſunt omnino riuorum iſtorum vtilitates, quas præſtant, vt ſine ceſſatione, molas rotare queant; quia, æſtate quidem, perennes habent aquas, hieme vero, a glacie immunes perdurant. Sed, vnde quæſo, hæ aquis ſunt qualitates, ipſi quodammodo rerum naturæ contrariæ? Nos ea de re, alibi, *(i.)* hic alii cogitent.

§. IX.

Thermæ *regionis, quas* Stubnenſes *dicunt*:

AQuarum iſta fuerunt beneficia, ſed nondum omnia. Nam & *Thermæ* ſuperſunt adhuc, & *Acidulæ*. Ac *Thermæ* quidem *Thúróczienſium*, quas *Stubnenſes* dicunt, tametſi in territorio *Hajenſi* ſcaturiant, in magna omnino ſunt celebritate. quam eis, cum eximia ſalubritas peperit, tum ſitus opportunitas. Enim vero, in planitie ſedent, miræ amœnitatis, gelidiſſimo fluuio, ita interlabente, vt lauacrorum parietes ſubluat: iucundo omnino ſpectaculo, quod miratus aliquando, vir *(k.)* quidam doctus, ita cecinit:

Flammantes vndas, bone contemplare viator!
Poſtque tuum latus, carpe refectus iter,
Vndarum Dominum, iuſte mirabere credo,
Ad flumen gelidum, balnea qui poſuit.

Acidarum fontes:

Sed de his, data opera, ſuo loco. *Acidarum*, plures iſta regione fontes numerantur. In his præcipui ſunt:

Budiſchenſis:

I. *Budiſchenſis*, a vico *Budiſch*, Rudnæ vicino, cognominatus. Fons, neſcio, ſpectatune iucundior, an potu ſalubrior? ita ſubſultim ebulliens, & oculos contemplantium aduertit, & aures, leni quodam ſuſurro, demulcet: opinionem certe ſalubritatis, tantam habet, quam quæ poteſt eſſe maxima. Haud facile, ægrum iſta regione repereris, qui non de fonte iſthoc, cum recuperandæ valetudinis ſpe, bibat. Accedit plebeia ſuperſtitio; turbari ſuapte fontem, ſi eius cauſſa hauriatur, qui in Libitinæ rationes conceſſurus proxime eſt; limpidum contra perdurare, vbi ſalubritatis priſtinæ, ſpes haud decollauit. Fit iſta credulitate, vt frequentiſſimi ſint, qui fontem hauriant, & paſſim deferant. Reuera tamen, multo ſalubriorem eſſe, firma fruentibus

i.) *De Admirandis Hung. Aquis.* Interea, conf. GEORG. AGRICOLA Lib. III. de *Nat. eorum, quæ effluunt ex terra.* p. m. 127. ſeqq.

k.) IOHANNEM REZIK fuiſſe, accepimus, Athenæi Eperienſis, olim rectorem.

tibus valetudine, quam qui male ſe habent, noſtro ipſorum exemplo, didicimus.

II. Dvboviensis hinc meretur nominari, nihilo forte *Budiſchenſi* deterior, niſi iſtud ſit, quod ſuperſtitio, non æque iſti hæſerit, ſicuti illi. Certe, ſalubritate & ſapore, valet. Dubouienſis:

III. Tót-Pronensis, e regione *Kelemen-Falua* ſcatet, mediocri laude. Tót-Pronenſis:

IV. Zarkóczensis magis commendatur, dubium, an ob guſtus adprobationem tantum, vel, quod ineſſe ei credant, ſalubritatis quidpiam. Zarkoczenſis:

V. Iahodnikensis certior laus eſt. Gemino hic capite ſcaturit, & paſſim, iſta ora, defertur. Sunt, qui credant, ſoluendæ aluo perquam idoneas eſſe, quod an ratione conſtet, vel ſolo ruſticæ plebis vſu, non habeo dicere. Iahodnikenſis:

VI. Stiawnitschkenses denique, ad molendinum ſuperum, ſilendæ haud ſunt, tametſi non æque frequententur, quam reliquæ. Stiawnitſchkenſes.

Iſta, de *Comitatus Thúróczienſis* natura & opportunitatibus dixiſſe, ſufficiat. Iam, quod eſt reliquum, expromamus.

MEMBRVM II.
POLITICVM.

De

Incolis, Magiſtratibus, atque Familiis Illuſtribus, Comitatus Thúróczienſis.

SYNOPSIS.

Incolæ regionis, Slaui: *horum mores, pro natiuitate, diuerſi: ingenia, eruditioni idonea: familiarum laudabilis vbertas: Nobilium multitudo.* §. I.

Plebeiorum natura, & mores: temperamentum: veſtitus virorum: feminarum habitus: occupatio: olearii, vaferrimum genus: parandi olei Carpathici, ratio. §. II.

Germani *Thúróczienſes, vnde huc delati? ſermo eorum ruſticus: operarum ruſticarum ſunt aſſidui.* §. III.

Catalogus Supremorum Comitum. §. IV.

Vice-Comitum ſeries. §. V.

Comitatus inſignia: horum fata: eorum origo: noua accipit a Iosepho I. §. VI.

Ditiones prouinciolæ. §. VII.

Familiæ Comitatus Thúróczienſis, *illuſtres.* §. VIII.

§. I.

§. I.

Incola regionis Slauii:

LAvos, inde a retruſa ætate, domeſticam *Carpathi* gentem eſſe, tam nobis certum eſt, quam quod certiſſimum. *Thúróczienſes* profecto, multum ſibi hac ſedis antiquitate placent, cuius documentum, non prorſus inane, ab arce *Sklabina (a.)* mutuantur: quippe quæ, *Slauicum* nomen referat, priſcis temporibus, ei moli, a *Slauinis* inditum. Et ita omnino eſt: vt, qui hanc gloriam *Thúróczienſibus* ereptum iuerit, cælo ipſi, bellum facere credendus ſit; cum hodieque, vniuerſus propemodum Comitatus, a *Slauis* inſideatur, acceptis quidem in ciuitatem Hungaricam; ſed auitam nihilominus originem, egregie adhuc referentibus. Mores his, atque ingenium, diſcrepant. Nam, qui loco orti ſunt nobiliore, animos gerunt, dignos natiuitate ſua, & *Hungarica* magnificentiæ æmulos: maxime, ſi opibus adfluant. In primis, litteris melioribus idoneos comperimus. quas, qui conſectantur impenſius, non ſine laude, in iis verſantur, quamcunque demum eruditionis partem, excolendam ſibi propoſuerint: vt non tam a natura deſtitui *Thúróczienſes* certum ſit, quam ab inſtitutione, expedita ea, & digna præclaris ingeniis. Certe, viris doctis, & pro more gentis noſtræ, foro idoneis, nunquam non abundabat *Thúróczium*; hinc illud:

horum mores, pro natiuitate, diuerſi:

ingenia eruditioni idonea:

Parua Thúrócz tellus, ſemper ſed clara viris eſt.

Familiarum, laudabilis vbertas:

Nimirum, multiplicatis familiarum capitibus, & quod inde ſequi neceſſum fuit, diſpertito inter plures patrimonio, hi, quibus mens erecta contigit, vt ſe, poſterosque, quantum eius humana induſtria fieri poteſt, aduerſus paupertatem ſecuros præſtarent, ſubinde, vel ab *Arte*, vel certe a *Marte*, præſidia ſibi conquirebant. Illa vero, honeſtiſſima animorum contentione fiebat, vt, & numerus increſceret virorum clariſſimorum, & familiæ antiquitate, atque gloria maiorum inſignes, ab interitu, & quæ eo deterior eſt, propudioſa paupertate, vindicarentur, propagarenturque, per plures Hungariæ *Comitatus*. Profecto, vix reperias in Hungaria *Comitatum*, qui non hunc illumue, in præcipuis viris habeat, apud *Thúróczienſes* natum, educatumque. Sunt ergo *Thúróczienſes*, eorum diſſimillimi, qui, fumoſis maiorum imaginibus ſuperbientes, indignum ſua ſtirpe exiſtimant, ſi ſuapte virtute conniterentur ad celebritatem: quod malum, difficile dictu eſt, quam multis in *Hungaria* noſtra, familiis, exitium adtulerit. Alioquin, iam tum, priſcorum regum, in primis BELAE IV. temporibus, vehementer, *Nobilium*, noſtro hoc Comitatu, numerus inualuerat. Enim vero,

nobilium multitudo.

a.) Quaſi dicas, *Sclauina*, & molliore enunciatione, *Slawina* ex vtroque autem *Sklabina*; id eſt: Arx *Slauica*. Diplomata *Sklabonya* paſſim ſcribunt.

ro, Rege, poſt cladem, a Tartaris acceptam, in iſtas anguſtias compulſo, procliue erat, vltimæ plebis hominibus, modico beneficio, eius mereri benignitatem. quam cum tempeſtatis illa iniquitate, nequiret aliter teſtatam facere, equeſtri axiomate donabat plerosque omnes, qui ſibi, iſtic agenti diutius, fidem ſtudiaque probabant.

§. II.

HAec vero *Nobilium virorum* indoles fuit. Plebeiorum naturam, & qui vitam ducunr agreſtem, multum a vicinorum ingenio diſcrepare, animaduerſum eſt. Nam, & *Liptouienſibus*, graciliore ſunt corpore, & animo deiectiore, quam *Vetuſolienſes:* tametſi in re facienda, neutris cedant. Sui his ſunt mores inſtitutaque. Et natiuitatem quidem infantum, eodem propemodum ritu proſequuntur, quem apud *Liptouienſes* deſcribemus; præterquam, quod viros hic a commeſſatione illa, excludant feminæ, ad quam, moribus *Liptouienſium*, fas eis eſt accedere. Solemnia nuptiarum, multa & exquiſita pompa, lætisque extra modum commeſſationibus, obeunt, multum habentibus ruſticæ vrbanitatis. Neque minor, in deducendis funeribus, cura ab iis ponitur. Certe, quo nuptias effuſiore lætitia concelebrant, eo triſtius, pompas funerum, proſequuntur. Longum foret, quod eſt, in vtroque officii genere, ſingulare, apud *Thúróczienſes*, ſigillatim exponere. Ad indolem, qua pollent, reliquam, quod adtinet, in eorum claſſe cenſendi ſunt, qui neque aperti ſint nimium, neque doloſi; genio adhæc ſollicitiore, quam hilari; niſi occaſio ſe dedat, vbi ex inſtituto quaſi laſciuiendum ſit. Tunc enim, profuſe ſunt hilares, neque non ita ſui diſſimiles, vt, ad Sybaritarum ingenium enutritos, crederes. Quibus rebus, non minus a vicinis ſe diſcriminant, quam veſtitus, diuerſa multum ratione. Nam, cum *Liptouienſibus*, laxum, ſed breuius ſit gauſape, adſtrictum *Thúróczienſes* gerunt, ac genu tenus defluens. Cingula adhibent rarius, quod & dicterio locum fecit, vt eos vicini *Neopaſany Turczan*, ſiue, *diſtinctos Thúróczienſes*, vocitent. quo eos dicterio, ſæpius ad excandeſcentiam *(b.)* vſque fuiſſe offenſos, adhuc recordor. Sed feminino ſexui, decorus magis corporis habitus obtigit, quem fuſcus faciei color, nigri item, ac vegeti oculi, mirum in modum commendant. In primis, ferunt venuſtatis laudem, *Moſthouienſis* oppidi feminæ, & quæ ditionem *Zniò-Várallyenſem*, colunt. Lintea his veſtis, quæ plerumque ſubecula, & variegato præcinctorio, conſtat. Pectorale rarius, ac fere diebus tantum feſtis, ſibi circumdant. Ceterum, occupatio plebis *Thúróczienſis*, ruſticatione propemodum abſoluitur. Huius demum reditus, ad vicinos *Cremniczenſes*, aut *Neoſolienſes*, deferunt. Sunt etiam, quod ſupra monuimus, multi *olearii*, vaferrimum genus, & ad fraudes natum, quas latis-

Plebeiorum *natura*:

mores:

temperamentum:

veſtitus virorum:

feminarum habitus:

plebis occupatio:

olearii, vaferrimum genus:

b.) Nempe, interminabantur dicaculis: *Opáſem gá teba kyom, tiſze &c.* hoc eſt: *ſuccingam ego te ſude igne præuſto.*

latiſſime per *Hungariam*, ac *Poloniam* in primis, ſerunt. Nimirum, *Oleum* illi *Carpathicum*, quod ſupra, *Balſamum Hungaricum* diximus, *cumini præterea*, *iuniperorum*, ac *petræ*, venale circumferunt, multa, de ſingulorum virtutibus, comminiſcentes: quod tamen rariſſime natiuum habent, ſed plerumque, arte factum haud ingenua. Dederunt quidem operam, prouinciæ magiſtratus, vt pœnis etiam aſperrimis, a fraude illa deducerentur, homines iniqui; ſed parum omnino profeciſſe accepimus: ita illis, ex iſto oleto, ſuauis lucri odor eſt. At, ſi *Oleum* illud *Carpathicum*, bona fide parant, hunc in modum rem faciunt: Vere iam adulto, ſurculos, *falcatæ Arboris*, demetunt quam ſollicitiſſime; hos demum, contundunt in mortario, & aqua macerant, plurium ſpatio dierum; tunc, materiam omnem, aheno immittunt, ad eam rem, haud ſecus facto, quam id moris eſt, vbi *Aquæ deſtillatæ*, ignis beneficio, præparandæ ſunt. Quod hinc aquæ, e vaporibus cogitur, atque educitur per tubulos, ſubiecta amphora excipit. In hac oleum ſubſidet, aqua autem, in vas aliud, nulli præterea vſui futura, emanat.

parandi Olei Carpathici *ratio.*

§. III.

Germani *Thúróczienſes*;

Slauorum hucuſque mores, ingenium, atque occupationes deſcripſimus. *Germanis* certe, dubia ætate, *Comitatui* huic illatis, ſicuti idioma diuerſum, ſic & mores alii ſunt, & ſi rem ruſticam excipias, occupatio etiam alia. Colunt ii vicos: *Thúrtsek*, *Neüſtuben*, *Glaſer-Hay*, *Iaſzenová*, *Hadwiga*, *Brieſztya*, & *Vriczko*. Maxime procliue eſt, originem eorum, ad *Saxones* referre, qui *Montanas Vrbes* condiderunt; tametſi, ne ea quidem opinio dubitatione careat: quod, & lingua a *Saxonibus* differunt, & corporis habitu. Sane, idiomate vtuntur craſſo, neque cum vllo, in *Germania*, facile comparando. Difficile eſt, etiamſi adtentiſſime loquentes audias, intelligere, quid ſibi velint; vt coniectatione opus ſit, his, qui barritus eorum inſueti ſunt, quoties ſermo cum iis conferendus eſt. Accedit, ingens rerum numerus, quas rudi non tantum ore, ſed dictione etiam inuſitata, circumſcribunt. Sic, *cochlear* ipſis eſt; *Schnabl Höltzal*, diſcus, *Freſſbretal*, vt alia taceamus. Dubito ergo, an hæc originem indicent *Saxonicam?* quam tamen, niſi admiſeris, difficile erit conücere, vnde gens, vix digna *Germanico* nomine, huc aduenerit. *Gepidarum* reliquias dicunt aliqui: quod non diſputo. Alii ad *Gothos* originem eorum, ſuis rationibus vſi, referunt. Sunt vero, pro locorum, quæ inſederunt, natura, non negligentes agricolæ. Aliqui eorum, ruſticationi, aurigationem iungunt; vt ceteras artes agreſtes ſileamus. Reliquus vitæ habitus, multum præ ſe fert ſimplicis animi. ſi *Glaſerhayenſes*, & *Stubnenſes*, excipias. inficeti enim ſunt, in omni actionum genere, & cum primis, ad conuerſandum inſuaues. Amant præterea dolos, quibus, ſi accolas *Slauos* queant circumuenire, vehemen-

vnde hos delati:

ſermo eorum rudis:

menter ſibi placent, teſtantes ea re, quam ſint, ab ea natione, animo alieno. Certe linguam Slauicam, raro addiſcunt, aut ſi quid eius apprehenderunt, tam male eam pronunciant, vt murmur edere eos crederes, non loqui. Interim, haud mali ſunt inquilini in *Comitatu*, quod & tributa, quæ in commune conferri oportet, non grauate, & cum opportunum eſt, ſoluunt; neque facile frena mordent, etiam durius habiti: licet adfectent omnino, gloriam originis *Germanicæ*.

operarum ruſticarum ſunt aſſidui.

§. IV.

MAgiſtratus prouinciales ſupremos, longa retro annorum ſerie, incluta *Baronum* de RÉVA gens, ſumma cum laude, geſſit, geritque adhuc feliciter, iis legibus, quas alibi, toties totiesque meminimus. Dabimus autem *Supremorum Comitum*, quæ eruderare potuimus, nomina, vt adpareat, indea retruſa illa ætate, viros, & bello, & pace, clariſſimos, iſta ſubinde prærogatiua fuiſſe gauiſos.

Catalogus Supremorum Comitum:

DETRICVS MYPKOV, *Comes Zolienſis*, quia dominus erat arcis *(c.) Szklabinya*, Comes quoque Thúróczienſis fuiſſe creditur, rerum BELA IV. potiente, hoc eſt, Anno MCCLXIII & qui inde ſequuti ſunt. Eo fatis concedente, arcis *Szklabinyenſis* dominis, axioma *Supremorum Comitum*, fuiſſe adtributum, diplomata loquuntur. In his celebrantur in primis:

Comes THOMAS, *Iudex Curiæ*, Sereniſſimi Principis, Domini LVDOVICI, DEI Gratia, inclyti Regis Hungariæ, Comitatus de Thúrócz, tenens honorem, Anno MCCCL - MCCCLVII.

Magiſter, IOHANNES DE MIKLA, vices gerens, Domini LADISLAI, Ducis Opuliæ, Regni Hungariæ Palatini, *Comes de Thúrócz*, Anno MCCCLXXII.

GEORGIVS BVBEK, Magiſter Tauernicorum Reginalium, Comes Liptouienſis, & de Thúrócz. Anno MCCCLXXXI - MCCCXC. poſtea:

IOHANNES HVNYADI *Coruinus*, MATTHIAE pater, filius ille fortunæ dotatiſſimus, caſtrum *Szklabinya*, cum axiomate *Comitis* de *Thúrócz*, ſingulari SIGISMVNDI regis fauentia, poſſedit.

IOHANNES *(d.)* ERNST, *Budenſis*, indulgentia MATTHIAE *Coruini*, cui a Theſaurorum cura fuit, cum arcis *Szklabinyæ* dominus, tum *Comes Parochialis*, *Comitatus Thúróczienſis*, iure perpetuo, Anno MCCCCLXX. creatus eſt.

Diploma, ne id ſiluiſſe, iure accuſari queamus, iſtiusmodi eſt: „ MATTHIAS, Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa„ tiæ &c. Ad futuram rei memoriam. Maxima in homine illo vir-

c.) Certe, *Prouinciales Thúróczienſes*, durius, quam pro nobilitatis prærogatiua, a DETRICO iſto habitos fuiſſe, in diplomatibus legas. Nimirum, plurium familiarum, priuilegiorum tabulas, auſu longe improbiſſimo, conuulſit.

d.) Decreta Regni recentiora, ERNVST vocant. vid. Anni MDXLII. Art. XLIII. vbi familiæ huius occaſum, legas.

„ tus eſt, qui cum ſyncera fidelitate ſe clarum reddere, ſumma ope ni-
„ titur. Quam virtutem egregius Vir Iohannes Ernst, Theſaurarius
„ & fidelis noſter dilectus, ſectatur, & ſupra ſuas quodammodo vires
„ dirigit, cum ſumma fidelitate, negotia noſtra fidei ſuæ commiſſa;
„ adhæc ſiquidem noctibus diebusque curam gerit, peruigilque eſt,
„ & ita prudenter res noſtras diſpenſat, vt ſtatus noſter, ſiue videlicet
„ exercitum ducamus, ſiue aliud pro vtilitate Regni noſtri exerceamus,
„ cum honore perduret, nec deficiat neceſſariis ſumptibus. In qua
„ quidem re, ipſum curarum & laborum noſtrorum quietem merito
„ nominare poſſumus & vocare. Cuius viri ſolicitudinem, fundamen-
„ tum omnium egregiorum facinorum iudicamus, ſine quo nec ipſa,
„ nec alia negotia commode geri ſiue tractari poſſunt. Nec, quan-
„ tum in eo eſt, negligit etiam fieri propugnator noſter, prout his
„ diebus, vſque ad exterminium quorundam latronum, qui partes
„ ſuperiores Regni noſtri, cauſa nocendi & figendi fortalitia, ſubin-
„ trarunt, perſonaliter cum gentibus ſuis, ire non dubitauit. Pro his
„ itaque & aliis eiusdem meritis, quæ multa & magna ſunt, & vt ipſe
„ viſo noſtro beneficio ſibi collato, feruentior reddatur in rebus no-
„ ſtris, honorem Comitatus de Thúrócz, cum ſua ſolita iurisdi-
„ ctione, ad caſtrum ipſius, Iohannis Ernst, *Szklabinya* voca-
„ tum, in eodem Comitatu habitum, quod etiam nos ei alias prius
„ in pecunia inſcripſimus, tandemque exigentibus eius meritis, perpe-
„ tuo iure donauimus, animo deliberato duximus annectendum.
„ Imo annectimus per præſentes, ea lege, vt ipſe *Iohannes Ernſt*,
„ & hæredes ſui, qui pro tempore caſtro illi præſiderent, ſemper ſint
„ Comites parochiales dicti Comitatus, nec vnquam poſſit honor ipſe
„ ab eodem Caſtro ſeparari; præſertim quum id intelligamus fieri ad
„ vtilitatem Comitatus illius, cuius defenſio maxime de caſtro ipſo
„ pendere dicitur. Ita tamen, vt ipſi mandata noſtra, in illo Comita-
„ tu, fideliter ab omnibus obſeruari faciant: Nobiles, & alios inco-
„ las, in ſuis libertatibus conſeruent, iuſtitiam eis miniſtrent, cauſam-
„ que ab eis in Curiam noſtram prouocantibus non obſtent, neque
„ intromittant ſe propria authoritate de aliquo negotio, præterquam
„ Comitibus Parochialibus expedit. Quocirca vobis quoque fidelibus
„ noſtris vniuerſis & ſingulis Nobilibus, & alterius cuiusuis ſtatus pos-
„ ſeſſionatis, hominibus dicti Comitatus præſentibus & futuris, man-
„ damus, quatenus a modo deinceps præfatum Iohannem Ernst, &
„ poſt ipſum hæredes eius, qui Caſtro ipſi præſiderent, tanquam Co-
„ mites veſtros in omnibus honorare & reuereri, eorumque iudicio &
„ iudicatui adſtare, ac in omnibus licitis & conſuetis, imo in his, quæ
„ vobis noſtro nomine mandauerint, parere, obedire & obtemperare
„ debeatis; præſentesque, quas in æternam memoriam rei, ſecreto
„ ſigillo noſtro impendenti communiri fecimus, poſt earum lecturam
„ ſemper reddatis præſentanti. Datum *Trinchinii*, ſecundo die feſti
„ Reſurrectionis Domini, Anno eiusdem, Milleſimo Quadringenteſimo

„ Se-

„ Septuageſimo; Regnorum noſtrorum anno, *Hungariæ*, &c. trede-
„ cimo, coronationis ſeptimo, *Bohemiæ* vero primo. Hactenus di-
ploma *Erneſto* datum.

Pavllvs Pek, *Comes Comitatus de Thúróczi*, indice diplomate. Anno MCCCCLXXV.

Iohannes de Zápolya, arcis *Szlabinya* dominus. quam poſt fatalem, Lvdovici, ad *Mohács* occaſum, (qui in annum MDXXVI. incidit) Ferdinandvs I. ſummo iure occupat.

Nicolavs Thúróczi, de *Szent Mihály, Comes Comitatus de Thúróczi*, & *Magiſter Curiæ* Ferdinandi Regis, anno MDXXVIII. Tandem, Incluta Révayorvm gens, rebus præeſſe cœpit. Primus in his:

Franciscvs de Réva, Locumtenens Palatinalis fuit, *Ferdinandi I.* fauore, id honoris indeptus, quo anno MDLIII. fatis functo

Michael I. de Réva, filius *Franciſci*, eandem dignitatem in ſe, & germanos ſuos, *Iohannem*, & *Franciſcum*, atque horum poſteros, iure hereditario, optimi regis, *Ferdinandi I.* beneficio transtulit. Anno MDLXI. ſicuti id diploma loquitur, in hunc modum:

„ Nos Ferdinandvs, Diuina fauente clementia, Electus Roma-
„ norum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bo-
„ hemiæ &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Bur-
„ gundiæ, &c. Memoriæ commendamus, tenore præſentium ſignifi-
„ cantes, quibus expedit, vniuerſis. Quod nos, cum ad certorum
„ fidelium noſtrorum humilem ſupplicationem, habita clementi ratio-
„ ne fidelium, conſtantium, & gratorum ſeruitiorum, Magnifici
„ quondam Francisci de Réva, alias Locumtenentis in Regno noſtro
„ Hungariæ Palatinalis, ac filiorum quoque eiusdem, Magnificorum
„ *Michaelis, Iohannis* & *Franciſci de Réva*, quæ iidem Sacræ inprimis
„ Regni noſtri Hungariæ Coronæ, ac deinde Maieſtati noſtræ, pro
„ locorum & temporum varietate, ab initio exhibuerunt & impende-
„ runt, exhibiturosque ſe in poſterum quoque promittunt: Honorem
„ Comitatus de Thúrócz, ſimul cum ſolita ſua iurisdictione, priuile-
„ giis, vtilitatibusque & emolumentis, iisdem Michaeli, Ioanni, &
„ Francisco Révay, ipſorumque hæredibus & poſteritatibus, ex ipſis
„ deſcendentibus, ad Caſtrum videlicet eorum Szklabinya vocatum,
„ in eodem Comitatu exiſtens, habitum, dandum & conferendum,
„ eidemque Caſtro Szklabinya applicandum & annectendum, duxi-
„ mus. Ita & ea conditione; vt ipſi, & eorum hæredes, qui ſcilicet
„ pro tempore Caſtro illi præfederint, ſemper ſint Comites Parochia-
„ les, teneanturque nobis, & ſucceſſoribus noſtris, futuris ſcilicet le-
„ gitimis Hungariæ Regibus, fidelitatis iuramentum ſemper præſtare,
„ iudicium & iuſtitiam, citra perſonarum delectum, omnibus ex æquo
„ adminiſtrare, omnes Status & Ordines, qui in prædicto Comitatu
„ ſunt, in iuribus & libertatibus eorum conſeruare. Attendantque &
„ inuigilent, vt omnes & ſinguli prouentus Cameræ noſtræ, de eo-
„ dem Comitatu prouenire debentes, nobis, & ad eandem Cameram

„ noſtram, fideliter adminiſtrentur. Et quod mandata noſtra, tam „ ipſi obſeruent, quam per alios in eodem Comitatu exiſtentes, obſer- „ uari faciant; inimicis noſtris reſiſtere, & cum amicis amicitiam ſer- „ uare, ac omnia denique, quæ ad ipſos ratione honoris talis Comita- „ tus, de iure & conſuetudine, pertinent, fideliter & obedienter ſem- „ per exſequi debeant & teneantur. Imo damus & conferimus, an- „ nectimusque præſentium per vigorem. Quocirca vobis vniuerſis, „ Egregiis & Nobilibus, ac alterius cuiusuis Status & conditionis „ poſſeſſionatis hominibus, in prædicto Comitatu Thúróciensi com- „ morantibus, modernis & futuris, harum ſerie, firmiter committi- „ mus & mandamus, vt a modo deinceps præfatos *Michaelem*, *Io- „ hannem* & *Franciſcum Révay*, ipſorumque hæredes & ſucceſſores, „ qui ſcilicet prædicto Caſtro Sklabinya pro tempore præſederint, pro „ Veſtris legitimis & indubitatis Comitibus tenere & recognoſcere, eo- „ rum iurisdictioni parere, iudicioque adſtare, ac in omnibus licitis „ & honeſtis, conſuetisque rebus, nec non his etiam, quæ noſtro „ nomine vobis faciendum commiſerint, iisdem parere & obtempe- „ rare debeatis & teneamini. Secus non facturi. Præſentibus, quas „ ſecreto ſigillo noſtro, quo vt rex Hungariæ vtimur, impendenti, „ communiri fecimus, exhibenti ſemper reſtitutis. Datum die deci- „ mo ſeptimo menſis Februarii. Anno Domini Milleſimo Quingen- „ teſimo ſexageſimo primo. Ferdinandvs. *Nicolaus Oláhus*, Ar- „ chiepiſcopus Strigonienſis. *Iohannes Liſthius*. Hæc tunc *Révaiis* facta eſt acceſſio.

Franciscvs II. de Réva, Michaelis frater vterinus, A. MDLXXXIV. Supremi Comitis axiomate, inſignitus.

Gabriel de Réva. Obiit Anno MDXCVIII. quo anno:

Petrvs I. de Réva, *Michaelis I.* filius, Coronæ duumuir, idemque eruditionis laude clarus, ſucceſſit. In viuis eſſe deſiit, Anno MDCXXII. poſteaquam Coronam, a *Gabriele Bethlen*, *Etſedini* captiuam, *Threntſchinium*, inita iam pace, deduxiſſet, *Sempronium* inde tranſportandam.

Franciscvs III. de Réva, *Petri*, quem diximus, patruus, idemque *Franciſci II.* filius, rebus ad annum vsque MDCLVI. ſumma cum æquitatis laude, præfuit.

Daniel de Réva, fratre maiorenni poſthabito, *Supremus Comes* factus, rebus licentius præeſt. Fungitur fato iniquiore *Poſonii*, MDCLXXVI.

Emericvs de Réva, altero poſt anno ſucceſſit, valedixitque rebus humanis, Anno MDCLXXXVIII.

Franciscvs IV. de Réva, *Stephani* filius, iſthoc axiomate potitus, pluribus id luſtris, non ſine bonorum omnium adprobatione, geſſit, eo infelix, quod Anno MDCCVII. tumultu *Rákótziano*, ex *Onodienſis* conuenticuli ſententia, in vincula coniectus, *Agriæ*, vitam cum morte commutauerit. Nutabat inde, & quaſi vaga eſſe cœperat, *Supremi Comitis*, dignitas, donec, profligata *Rákótziana* factione,

Pe-

V A.


IACOBVS.
Tribol.
GEORGIVS, Conſ. Iuſtina Berenyi.
CASPARVS, Conſ. Sara Iuſth.
SIGISMVNDVS.
ALEXIVS Conſ. Emerentia Révay.
NICOLAVS.
Duo filii PAVELVS & IOHANNES.
SIGISMVNDVS, Conſ. Suſanna Mednyánſzky.
CARO. LVS.
ALEXANDER Conſ. Catharina Okalitsá-ny.
PETRVS Conſ. Suſanna Benicky.
CASPARVS, Conſ. Suſanna Akay.
NICOLAVS, Conſ. Clara Stilvay.
LVDOVICVS.
MICHAEL.
FRANCISCVS.
LADISLAVS.
PAVLLVS.
IOHANNES
EMERICVS.
IOHANNES Conſ. Anna Bánffi.
NICOLAVS.
FRANCISCVS.
EMERICVS.
STEPHANVS, Sacerdos.
NICOLAVS. Conſ. N.
IOSEPHVS.
CHAEL, Comitatuum Thúróczienſis perpetuus, oogradienſis Supremus Comes, S. C. Regiæ. e Maieſtatis Conſiliarius, & Excelſæ Tabulæ Se. temuiralis Aſſeſſor. Conſ. Suſanna Okolitsányi.
PAVLLVS Conſ. Iuliana
IOSEPHVS.
MOYSES.
IOHANNES.
SIMON.
ANTONIVS.
ANTONIVS.

TABVLA
GENEALOGICA
INCLVTAE FAMILLIAE
DE
RÉVA,
COMPENDIO EXHIBITA.

Tom. II. ad pag. 310.

Petrvs II. de Réva, dignus, ab optimo Rege Carolo VI. iudicatus fuiſſet, qui eo munere, ornaretur, vir, Cæſaris profecto ſtudioſiſſimus. Præterquam enim, quod, inde a primo ætatis flore, caſtra Cæſarea, ſumma fide ſequutus eſt; bellica profecto virtute, ita breui emicuit, vt idoneus haberetur, cui caſtrenſes honores, nouis ſubinde acceſſionibus locupletati, deferrentur. Et primo quidem, in legione *Forgáchiana*, cui conſcribendæ, egregiam nauauerat operam, ſumma cum laude, vnius turmæ ductoris, *Capitaneum* vocant, munere defunctus eſt. Inde, *Lehotzkiana* legioni accenſus, & *Supremi Vigiliarum* præfecti honore auctus, pluribus præliis, eo bello, quod poſt initia ſeculi XVIII. aduerſus Gallos gerebatur, quid conſilio, quidque manu valeret, magna, ducum & commilitonum adprobatione, teſtatus eſt. Proinde, meruit hoc, præclaris facinoribus, vt *Babotschiano Regimini*, qua *ſummi Ducis Legatus, Vice Colonellum* dicimus, præficeretur. quo is quidem loco, non opibus, non valetudini ſuæ, pepercit, quin muneris partibus, & inter confertiſſima pericula, ſumma virium contentione, perfungeretur: id ſolum præmii ſibi proponens, vt fidem Cæſari intemeratam, numquam non adprobare poſſet. Memini, in ſermone familiari, iocabundum dixiſſe aliquando, ſe ignorare, quo vultu, quoque corporis habitu, tumultuantes Hungari, *Kurutz* dicti, fuerint? quippe qui, toto ciuilis huius diſſidii tempore, apud exteros, Cæſari militauerit, neque, *Rákóczianorum* pollicitationibus, paſſus ſe fuerit, a Cæſare, Rege ſuo indulgentiſſimo, abalienari. Hinc vero coniici poteſt, non hæreditario iure tantum, quod genti *Révayana*, priſca regum indulgentia, vti eſt in diplomate, tribuit; ſed etiam ſuis ipſius meritis, cum *Supremi Comitis* dignitatem, tum in primis, *Axioma Comitum (e.)* quo donatus eſt, indeptum eum eſſe; futurus iam, nouæ, *Comitum Révay* (nam gens reliqua, *Baronum* nomine, inſignis eſt,) propaginis pater. *Feliciter!*

§. V.

De reliquis Magiſtratibus, non eſt quod moneamus. *Vice Comitum* tamen nomina, quæ nobis ex *Comitatus* tabulario poterant innoteſcere, addemus, ne optimorum virorum memoria, intercidat penitus. Nempe, ex quo inclyta *Révayorum* gens, ſumma rerum, apud *Thúróczienſes*, potiri cœpit, hoc eſt, inde ab Anno MDLVIII. gauiſi ſunt ea dignitate: *Vice Comitum ſerius*

Daniel Ieſzensky. A. MDLVIII. & DLIX.
Valentinus Lehotsky. A. MDLX.
Ladislaus Révay (f.) A. MDLXI.
Franciſcus Iuſth. A. MDLXII.

Da-

e.) Inſigne Diploma eſt, quo ea dignitas, Petro adfirmatur, quodque nos ipſi legimus.

f.) Eſt hæc nobilis *Révayorum* familia, *Baronum* illi genti, de qua ſuperius, conſobrina.

Daniel Ieſzensky. A. MDLXIII. & DLXIV.
Iohannes Rakovsky. A. MDLXV.
Caſparus Beniczky. A. MDLXVI.
Petrus Nyári. A. MDLXVII. vsque ad DLXIX.
Ladislaus Révay. A. MDLXX.
Andreas Iuſth. A. MDLXXI. & DLXXII.
Iohannes Ördögh. A. MDLXXIII.
M. Martinus Rakovsky. A. MDLXXIV. *(g.)*
Andreas Iuſth. A. MDLXXV.
Iohannes Kewiczky. A. MDLXXVI.
Benedictus Beniczky. A. MDLXXVII.
Georgius Ieſzensky. A. MDLXXVIII. ad LXXXII.
Andreas Iuſth. A. MDLXXXIII. ad LXXXV.
Georgius Ieſzensky. A. MDLXXXVI.
Andreas Iuſth. A. MDLXXXVII. & LXXXVIII.
Iohannes Keviczky. A. MDLXXXIX. ad XCI.
M. Martinus Rakovsky. A. MDXCII. vsque ad XCV.
Martinus Beniczky. A. MDXCVI.
Martinus Révay. A. MDXCVII.
Petrus Huſzár. A. MDXCVIII. vsque ad MDCIV.
Iohannes Rutkay. A. MDCV. vsque ad MDCXVII.
Nicolaus Tornovsky. qui Anno MCCXVIII. in ea dignitate e viuis exceſſit. d. 16. Decembr.
Martinus Révay. A. MDCXIX.
Petrus Huſzár. A. MDCXX. vsque ad MDCXXV,
Georgius Feja. A. MDCXXVI. & XXVII.
Franciſcus Iuſth. A. MDCXXVIII. & XXIX.
Andreas Iuſth. A. MDCXXX.
Michael Plathy. A. MDCXXXI.
Franciſcus Iuſth. A. MDCXXXII. & XXXIII.
Georgius Tarnóczy. A. MDCXXXIV. ad XXXVI.
Iohannes Beniczky. A. MDCXXXVII. ad XLI.
Gabriel Beniczky. A. MDCXLII. ad XLIV.
Andreas Iuſth. A. MDCXLV. vsque ad XLVII.
Michael Plathy. A. MDCXLVIII.
Franciſcus Iuſth. A. MDCXLIX.
Gabriel Beniczky. A. MDCL. ad LII.
Iohannes Záturecky. A. MDCLIII. ad LIX.
Gabriel Dáuid. A. MDCLX. vsque ad LXX.
Emericus Huſzár. A. MDCLXXI.

Ga-

g.) Vir, oppido doctus, idemque, non inuenuſtus Poeta, quod vtrumque teſtatus eſt, edito tractatu, de *Partibus Reipubl. & cauſſis mutationum, Regnorum, Imperiorumque*, quem in pleriſque, ad imitationem *Ariſtotelis*, carmine Elegiaco, conſcripſit, ad Sereniſſimum Principem, Dominum, MAXIMILIANVM &c. Prodiit Viennæ Auſtriæ, Anno MDLX. vbi ſe tamen nunc *Rákóczium*, nunc iterum *Rakovskium* de *Rakó*, ſimulque, *ſcribam Comeræ Hung.* vocitat.

Gabriel Zorkovsky. A. MDCLXXII.
Michael Szeleſſeny. A. MDCLXXIII. ad LXXVII. quo anno, exauctoratus legitur, forte, quod Supremo Comiti *Danieli de Réva*, obſecundauerit.
Emericus Huſzár. A. MDCLXXVIII. d. 6. Dec. ei ſucceſſor datus, vsque ad A. MDCLXXXIV.
Gabriel Prónay. A. MDCLXXXV. & MDCLXXXVII.
Georgius Rutkay. A. MDCLXXXVIII. & LXXXIX.
Nicolaus Prónay. A. MDCLXXXX. & MDCXCI.
Franciſcus Deſsöffy. A. MDCXCII. & XCIII.
Gabriel Beniczky. A. MDCXCIV. & XCV.
Georgius Lehotsky. A. MDCXCVI. & XCVIII.
Nicolaus Prónay. A. MDCXCIX.
Georgius Rutkay. A. MDCC. & MDCCI.
Ioſephus Huſzár. A. MDCCII. & MDCCIV.
Georgius Lehotsky. A. MDCCV.
Chriſtophorus Okolitsány. A. MDCCVI. & VII. quo etiam, d. 5. Iun. in campo *Sajó-Köröm*, *ad Onod*, a factionis *Rákótzianæ* primoribus, crudeliter conciſus, & quinto poſt die, capite plexus eſt.
Stephanus Beniczky. A. MDCCVIII.
Franciſcus Iuſth. A. MDCCIX.
Stephanus Beniczky. A. MDCCX.
Ioſephus Huſzár. A. MDCCXI. & XV.
Stephanus Beniczky. A. MDCCXVI. & XXV.
Thomas Beniczky. A. MDCCXXVI. & dum hæc ſcribimus, MDCCXXVIII. *Feliciter!*

§. VI.

INSIGNIA olim, nulla *Comitatui Thúróczienſi* fuere, ſed neque ſigillum, quo publice, ſi id opus eſſet, vteretur: ſin vero vſu veniebat, vt publica fide firmari oporteret quidpiam, *Vice Comes* id, & *Iudices Nobilium*, præſtabant, ſigillis, ſibi peculiaribus, actus eiusmodi, præmunientes, hoc modo: *Comitatus inſignia:*

Quatuor ſcilicet, *Iudices Nobilium*, in quadrangulo, alba, ſed *Vice Comes*, in medio, nigra cera adhibita. Qui mos, FERDINANDI adhuc ætate, perdurabat. Poſtea, cum FRANCISCVS I. de RÉVA, Supremi, *eorum ordo:*

Georgius autem *Rakovsky*, Vice Comitis munere fungerentur, Regis permiſſu, adunata ſua inſignia, in commune contulerunt. Quod eo facere poterant procliuius, quod ille quidem *Locumtenens Palatinalis*, iſte autem, *Vice Palatinus* fuerit. Verum enim vero, inſignia iſta, diu vſurpata haud fuere, ſubinde, magiſtratuum ſigillis adhibitis: donec, Anno MDCXXXIX. vnanimi conſenſu vniuerſitatis, publice recepta, viridi ceræ, imprimi cœperunt. Atque iſtis quidem inſignibus, ad annum vsque MDCCVII. vtebantur noſtri. Tunc vero, triſti ac nefando *Rákóczianorum* facinore, cum ſigillo perdita, & conuulſa, Anno MDCCIX. Indulgentiſſimus Imperator, & Rex, Iosephvs I. reſtituit, atque noua locupletauit acceſſione. Non poſſumus, ſine dolore, immanitatem illam reminiſci, qua, magno gentis dedecore, in ſua ipſorum viſcera, deſæuierunt noſtri homines.

horum fata:

Excidat illa dies æuo, ne poſtera credant
Secula, nos certe taceamus, & obruta multa
Nocte tegi, propria patiamur crimina gentis. (i.)

nova accipit, a Iosepho I.

Priora nimirum inſignia, *Révayana*, & *Rakovskyana* familiæ ſymbolis conſtabant, quibus Iosephi munificentia, *Okolitsaniorum* addidit, vt exſtanti, ad poſteritatem documento eſſet, quanta fide & conſtantia, idque loco iniquiſſimo, publicam Comitatus ſalutem, tutatus ſit *Chriſtophorus Okolicsány*, Pavlli, celeberrimi per Hungariam ICti, vnicus filius. Iuuat, ipſa diplomatis *(k.)* verba, hue adſcribere: *Scutum*, inquit, *militare erectum, aurea redimitum corona, bifariam perpendiculariter diuiſum, & a ſummitate coni, ſeu galea, vsque ad imas vtrinque partes, laciniis, ſeu lemniſcis, hinc flauis, & caruleis, illinc vero candidis, & rubris, venuſte exornatum, in cuius meditullio, aliud minus, purpurei ſeu rubri coloris ſcutum, prout & ipſi principali ſcuto incumbens, corona militaris glariata, ſeu aperta galea, binos naturaliter adumbratos lupos, & hac quidem maiorem, illud vero minorem, ex aurea corona, viridi campo ſuperimpoſita, inguinetenus exurgentem, atque inter lunam, & ſtellam erecte ſtantem, ambos vero anteriorum pedum vnguibus, virentes ternarum roſarum ramuſculos, ſtringentes, prafatæ familiæ* Révay: *pars autem eiusdem principalis ſcuti dextra, roſei coloris, in binas laminas diuiſa, in cuius inferiore, candidi coloris, niger naturaliter expreſſus cancer, in ſuperiori vero omnino roſei coloris, prout & e ſummitate, a dextris locatarum laciniarum, ſeu lemniſcorum, bini viri militares cataphracti, & inferior quidem, inter lunam, & ſtellam locatus, ex aurea corona, ambo autem inter binos flores, tulipas quippe naturales, lumbotenus prodeuntes, & manuum ſuarum dextris nudos pugiones, ſiniſtris autem virentes lauros, in altum tenentes; antelata* Rakovskyanae; *ſiniſtra tandem, omnino principalis eiusdem ſcuti pars, purpurei coloris, in cuius*

i.) Papinivs Stativs, Lib. v. Silu. Carm. 2.

k.) Perſcriptum eſt diploma, *Vienna*, anno MDCCIX. die XXVII. Septemb. quod poſſidemus. Inſignia autem, ad frontem *Comitatus*, ære expreſſa, dedimus.

ruius fundo, viridis tricollis exſurgere, atque medius duobus aliis, notabiliter eminentior, aurea corona redimitus eſſe, ac tam hæc, quam & ſiniſtra dictarum laciniarum ſummitas, bina cataphracta brachia humana, evaginatas frameas, cum infixis iisdem cruentatis ſanguineque madentibus Turcicis capitibus, & inferius quidem lunam inter & ſtellam, vobis ſtringentia viſuntur, prælibatæ Okolitsányanae, *Nobilium familiarum, omnium trium, omnino antiqua, & gentilitia, quibus hactenus vſæ fuerunt, arma exprimens, & deſignans.* Illa inſignium *Comitatus Thúróczienſis* hodie facies eſt, augulla oppido, & ob atrocem, ad *Onód*, lanienam, memorabilis.

§. VII.

TAmetſi autem arctus eſt *Comitatus Thúróczienſis*; tamen locum, pluribus ditionibus, priſca regum indulgentia, præbuit. In his præcipue ſunt: Ditiones pronincio-la:

I. Ditio, *Arcis* Sklabinya. Accenſentur ei, *Sz. Mirton*, & *Thurán*, Oppida; *Priekopa*, *Stiawnitska*, *Szklabinyka*, *Diakowa*, *Klatschani*, *Radkowo*, *Sutowo*, vici.

II. Ditio, *Arcis* Blatnicza. Huc pertinent, *Moſchótz* Oppidum; *Blatnicza*, *Szebeſzlawcze*, prædium arci ſubſitum, *Bella Dianova*, *Laſzkar*, *Malá-Wjeska*, vici. Vtraque hæc dominatio, etſi diſtinctis adpelletur nominibus, varie tamen permiſta, & inde, a duobus propemodum ſeculis, *Révayorum* familiæ, gemina propagine inuicem diſcretæ, adtributa eſt.

III. Ditio, *Arcis* Znió, cuius ambitu continetur, *Kláſtor* oppidum, *Lazany*, *Szlowany*, *Leziachow*, *Valtſtha*, *Nagy-Szoczócz*, *Moſzkócz*, *Andrásfalva*, *Polerieka*, & *Vreczkierieka*.

IV. Ditio Szvtschanensis: referuntur huc, *Szutschan* Oppidum; vici item, *Podhradia*, *Noleschowo*, ſucceſſorum familiæ *Nyári*, & *Huſzár*; porro, *Kreplan*, & *Konské*, iuribus *Huſzarorum* priuis accenſæ.

V. Dominium Hayense, quorſum pertinet, *Hay*, cum *Thermis*, quas *Stubnenſes* vulgo dicimus, licet in *Hayenſi* agro ſcateant; *Felsö-Stubnya*, *Alsó-Stubnya*, *Cseremoſsno*, *Sklenó*, ſeu *Glaſer-Hay*, *Felsö-Thurcsek*, *Alsó-Thurcseck*. Subeſt perenni iure, *Liberæ*, *Regiæ*, *Montanaque Metropoli Cremnitzenſi*.

Reliquæ Comitatus ditiones, inter nobiles familias ſunt diſpertitæ, & *Curiarum* nomine cognitæ. quas ſuis locis indicabimus. Curiæ.

§. VIII.

SVpra, Nobiles *Comitatus* familias *(l.)* laudauimus, quas nunc fas eſſet recenſere, vt adpareret, quam læto traduce, paſſim per *Hungariam* ſint propagatæ. Sed, cum ea diligentia locum ſibi poſcat Familiæ Comitatus Thúróczienſis illuſtres:

l.) Habemus earum catalogum, multis diplomatibus, delineatis ſingularum inſignibus, & genealogiis deſignatis, inſtructum. quem, ſi Deus voluerit, & vixerimus, in Prodromo Theatri Nobilitatis Hvngaricae, edemus.

poſcat peculiarem, ſuffecerit iam, illuſtres familias, memorauiſſe. In
priſcæ illæ: his, plures olim rerum apud *Thúróczienſes* potiebantur: quarum nomina, ex *Supremorum Comitum* catalogo recognoſci poterunt. His,
Révayorum *hodierna.* prouti ſunt res humanæ, exſtinctis, RÉVAYORVM gens, oppido antiqua, atque rebus, bello, & pace, præclare geſtis, iam dudum illuſtris, poſt amiſſum, ſuperiore ſeculo *Belgradum*, ac *Temesuarinum*, & quæ his vicina fuit, vniuerſam oram, hoſpitatum huc acceſſit, opibus poſtea, & non vna prærogatiua, a Regibus Hungariæ, munificentiſſime donata. Ampliſſimæ illi, cum in ſuis adhuc ſedibus degeret, non poſſeſſiones tantum fuere, ſed & dignitatum tituli. Iſtos, Diploma LVDOVICI II. recenſet, non ſine clariſſimorum facinorum commemoratione; ditionum aurem, quas ſibi adſcriptas, iam tum anno MCC. habuere, ſequentem, ex eorum tabulario, catalogum, non nemo, ad nos dedit, quem non exhibuiſſe iniquum putarim. Ita vero habet: RÉVÁHOZ *való Faluk*, in anno 1200. hoc eſt; *Vici ad* RÉVAM *pertinentes:*

1. RÉVA.
2. *Falkus Szombatja.*
3. *Mithalinch.*
4. *Pentechalo*, nomine *Porpoládfalva.*
5. *Draget-falva.*
6. *Beſznek-falva.*
7. *Torbachil.*
8. *Zenger-vegh.*
9. *Radmel-falva.*
10. *Hagymás.*
11. *Illyesóltz.*
12. *Vjfalu.*
13. *Turceh.*
14. *Somogy.*
15. *Kövesd.*
16. *Herkalch.*
17. *Milesoch.*
18. *Doskóch.*
19. *Laksmich.*
20. *Vitalch.*
21. *Stakaróch.*
22. *Kereknej.*
23. *Richách.*
24. *Serdócz.*
25. *Daús.*
26. *Szegen.*
27. *Máſik Szegen.*
28. *Tiharócz.*
29. *Bihard.*
30. *Baksa-falva.*
31. *Linkas.*
32. *Bika.*
33. *Barhka.*
34. *Tauſz*, in Comitatu *Sirmienſi.*
35. *Torczok-teleke*, in Comitatu *Báchienſi.*

Nunc diploma LVDOVICI II. relatu digniſſimum, audiamus. „ LVDOVICVS, DEI Gratia, Rex Hungariæ & Bohemiæ &c. Fidelibus „ noſtris, Egregiis STEPHANO DE RÉWA Bano Caſtri Vjlak, & FRANCI„ sco *de eadem*, ſecretario Palatinali, ſalutem, gratiam noſtram Re„ giam, & continui fauoris incrementum. Duabus potiſſimum rebus, „ respublicæ & regna rite adminiſtrari conſueuerunt, arte militari, & „ domeſticis diſciplinis; quæ duo, adeo videntur eſſe coniuncta inter „ ſe, & conglutinata, vt ſeparari non poſſint, & vnum alterius ad„ miniculo ſummopere indigeat, ſunt tamen longe inter ſe diuerſa: „ aliud enim eſt, patriam foris ab hoſte tutam præſtare, aliud domi con-

„ ſiliis,

„ filiis, & artibus domeſticis, rempublicam regere: aliud arma in ho-
„ ſtem ferre, aliud ius æquabile inter ciues adminiſtrare; certumque eſt,
„ hæc ita inter ſe eſſe diuerſa; vt rari fuerint, illis etiam antiquis, &
„ florentibus ſæculis, quæ tota illa præclara lumina protulerunt, qui
„ in vtroque genere excelluerint; rari, qui & toga & armis, domi &
„ foris claruerint. Quæ quidem gloria, ſi quibus contigit, contigit
„ autem pauciſſimis, non illos homines, ſed veluti magnos Heroas,
„ & quaſi quosdam ſemi-deos, mirata eſt priſca illa vetuſtas, exiſti-
„ matumque eſt ſemper, abunde pulchrum, ac magnificum, ſi vna
„ eademque domus protuliſſet fratres, vtraque hac laude inſignes, qua-
„ les & apud Græcos, & apud Romanos, non multæ familiæ nume-
„ rantur. Quod quidem cum noſtra memoria, in veſtra *Révaiana*
„ præclaræ nobilitatis domo, contigerit, vt ex tribus germanis fratri-
„ bus, duo militari virtute præcelluerint, tu vero FRANCISCE, domeſti-
„ ca laude ſis inſignis; illi ſanguine ſuo patriam defenderint, tu ei do-
„ tibus ingenii inſeruiueris: Conueniens nobis viſum eſt, vos, quos
„ eadem tulit domus, licet diuerſa inſignes laude, eodem litterarum
„ noſtrarum præmio, atque nunquam morituro monumento, ventu-
„ ræ poſteritati facere notos, atque illuſtres. Et te quidem, non lit-
„ teris ſolum, ac varia & multiplici ingenii dote, ſed & ſingulari fide,
„ modeſtia, integritate, ita præſtantem, vt huiusmodi tuis virtutibus
„ permotus, fidelis noſter, Spectabilis & Magnificus STEPHANVS de BA-
„ THOR, Regni noſtri Hungariæ Palatinus & Comes Temeſienſis &c. te
„ iam pridem in ſuum intimum Secretarium delegerit, teque, in eo
„ apud ſe gradu, & honore habeat, vt tecum non dubitet omnia
„ ſua arcana communicare, omnia ſua grauiora negotia, tuæ induſtriæ,
„ tuæ fidei committere, tuisque prudentibus conſiliis, ſæpe acquie-
„ ſcere: Tu vero ita illi obſecundas, ita nutus heri ſedula aure, ac vi-
„ gilanti pectore excipis, vt prope vnicum ſis inter Pannoniæ noſtræ
„ Secretarios ſpecimen, & exemplum. Iam vero, quid de tuis fra-
„ tribus loquamur? quo præconio eorum facinora attollamus? Quo-
„ rum alter *Ioannes*, dum viueret, pro huius regni & fidei Catholicæ
„ defenſione, ea geſſit, quæ nomen eius, vita etiam iam functi, &
„ apud ſuos venerabile, & apud hoſtes formidoloſum effecerint.
„ Alter vero STEPHANVS RÉVAY, nunc inſigni arcis Vilakinæ præfectura
„ fungens, multa & ipſe in dies, virtutis ſuæ militaris, decora oſten-
„ tat, inter quæ illud nequaquam ſilentio prætereundum, quod is,
„ cum in exercitu fidelis noſtri, Illuſtris Comitis Laurentii de Vjlak,
„ Ducis Boſnæ, & Iudicis Curiæ noſtræ Regiæ, Præfectum copiarum
„ ageret, finesque arcis hoſtilis, quam Zwornik vocant, inuaderet,
„ & Præfectus eiusdem arcis, Huſembegh dictus, vir rei bellicæ glo-
„ ria memorabilis, & qui ante annos plurimos, tum videlicet, cum
„ Rex inclytus, & omnium ſæculorum memoria dignus, MATTHIAS,
„ nouam ciuitatem, non ignobilem Pannoniæ ſuperioris, quam
„ nunc Auſtriam vocant, vrbem, obſidione premeret, apud eum

„ ipſum Regem, in rebus magnis, ac grauiſſimis, oratorem egit,
„ & poſtea Turcarum arces, in Chriſtianis finibus poſitas, præſidio
„ tenens, cum alias ſæpe multis prœliis, fortiter ac ſtrenue confectis,
„ magnum virtutis ſuæ ſpecimen præbuit; tum vero eo potiſſimum
„ tempore, quo eius virtute, & induſtria, noſtri præcipui ductores,
„ magna vi quadam hoſtium, arcem oppugnari aggreſſi, non ſolum
„ ab huiusmodi oppugnatione ſunt repulſi, ſed inſignem ibi, ac me-
„ morabilem cladem, acceperunt, & illi cladi, quam Romanos olim
„ ab Hannibale Pœnorum Duce, apud vicum Cannenſem accepiſſe,
„ veteres produnt biſtoriæ, prope comparabilem. Is igitur tantus vir,
„ & tantum rei militaris virtute præſtans, quum STEPHANO, expeditum
„ agmen, in agrum hoſtilem Zwornik verſus ducenti, & iam penes
„ riuulum Tannya vocatum, late omnia populanti, cum magna ſuo-
„ rum multitudine occurriſſet, ita eius virtute fuſus, fugatus, profli-
„ gatusque eſt, idque parua admodum noſtrorum manu, vt in eo
„ prœlio, magna edita ſtrage, multisque hoſtium cæſis, & ipſe hoſtilis
„ agminis ductor Huſumbegh ceciderit. Quo facto, eam apud nos
„ eſt gloriam conſequutus, vt poſt hanc tam memorabilem pugnam,
„ & plenam laude victoriam, *Stephanus*, inter eos, qui corporibus
„ & ſanguine ſuo, limites Chriſtianos impigre tutantur, vel primi no-
„ minis habeatur. Cum itaque hæc ita ſint, & familia veſtra tam
„ honeſta trium fratrum laude præfulgeat, nullo pacto voluimus, quæ
„ noſtra eſt in ſubditos propenſitas, & clementia, vos debita laude
„ fraudari. Vt igitur, non his ſolum, qui nunc viuunt, ſed quos
„ olim ventura profert ætas, virtutes veſtræ, teſtimonio litterarum
„ noſtrarum innoteſcant, & præmia vobis, ſi non ea quæ debentur,
„ at certe, quæ pro præſenti rerum ſtatu tribui poſſunt, reddantur,
„ vobis & hæredibus, poſteritatibusque veſtris vniuerſis, quorum alio-
„ quin familia hucusque etiam inſignibus, eidem per Sereniſſimos
„ Hungariæ Reges, prædeceſſores noſtros, conceſſis, minime caruit,
„ de plenitudine noſtræ Regiæ poteſtatis, ex gratia noſtra ſpeciali, de
„ nouo hæc arma, ſeu nobilitatis inſignia, ſcutum videlicet cœleſtini
„ coloris, in cuius baſi, ſiue ima parte, corona iacet, gemmis ni-
„ tentibus, & aliis id genus ornamentis exornata, ex cuius medio,
„ lupi effigies emergit; res præterquam quod ex inſignibus præfati *Ste-*
„ *phani de Báthor*, Palatini noſtri, Domini alterius veſtrum, decerpta,
„ & longis obſequiis apud eum merita, idque deſignans, vos, maio-
„ resque veſtros, perinde ſemper fuiſſe gloriæ auidos, ac ſitibundos,
„ ſicut lupum animal voraciſſimum, cibi eſſe appetentiſſimum, & inſa-
„ tiabile, nemo ignorat. Qui quidem lupus, prioribus pedibus,
„ quos in ſublime protendit, ramum roſaceum comprehenſum tenet,
„ tres roſas, vnam candidi, duas purpurei coloris, geſtantem. Ne-
„ que id tamen ſine certa ratione; Roſæ enim geminæ, quæ rubent,
„ fratres tuos deſignant, FRANCISCE, qui purpureo ſanguine, ſæpe-
„ numero pro patria fuſo, immortalem ſibi gloriam peperere: Roſa

„ vero,

„ vero, quæ candido nitet colore, quid aliud, quam te, cœlibe ad-
„ huc vita insignem, & manus nullo adhuc sanguine inquinatas ha-
„ bentem, significat? Supra quod quidem scutum, galea est, suo
„ colore depicta, ex ea laciniæ hinc inde effunduntur, extremumque
„ scuti exornant. Prout hæc, in capite & principio præsentium lit-
„ terarum nostrarum, suis appropriatis coloribus, manu pictoris, cla-
„ rius sunt denotata, ac depicta. Animo deliberato, & ex certa ani-
„ mi nostri scientia, dedimus, donauimus, & contulimus: Immo
„ damus, donamus & conferimus, ac elargimur, decernentes, vt
„ a modo in posterum, vos vestrique hæredes, & omnis posteritas,
„ prætacta arma, seu Nobilitatis insignia, vbique in prœliis, hastilu-
„ diis, torneamentis, duellis, ac aliis exercitiis Nobilitaribus, & mi-
„ litaribus, nec non sigillis, velis, cortinis, aulæis, papilionibus &
„ generaliter in quarumlibet rerum, & expeditionum generibus,
„ sub meræ & sinceræ Nobilitatis titulo, ferre & gestare, omnibusque
„ & singulis honoribus, gratiis, priuilegiis, indultis, libertatibus,
„ immunitatibus, & prærogatiuis, quibus cæteri regni nostri Nobi-
„ les, armis vtentes, quomodolibet, de iure, vel de consuetudine,
„ vtuntur, & gaudent; vti, frui, & gaudere, libere possitis & valea-
„ tis. Et nihilominus, vt meritis vestris in nos, sacramque nostram,
„ & Regni nostri coronam, vberius a nobis respondeatur, vtque in
„ posterum magis magisque vestra accendantur studia, ad nostra Re-
„ gnique nostri seruitia, quo ampliori a nobis ornati fueritis munifi-
„ centia, ac liberalitate, id insuper vobis, vniuersæque vestræ poste-
„ ritati, de præmissæ nostræ Regiæ potestatis plenitudine, & gratia
„ speciali, annuendum duximus, & concedendum, plenamque &
„ omnimodam auctoritatem, potestatemque nostram, in eo dan-
„ dam, & concedendam, vt vos, hæredesque vestri, & omnis po-
„ steritas, vbique in territorio bonorum & possessionum vestrarum,
„ vbicunque & in quibuscunque Comitatibus huius Regni nostri, exi-
„ stentium, & habitarum, patibulum, rotas, palos, & alia tormen-
„ torum genera, libere erigere, vniuersosque fures, latrones, homi-
„ cidas, vespillones, incendiarios, incantatrices, intoxicatores, ac
„ alios malefactores quoscunque, vbicunque in territorio bonorum,
„ possessionumque vestrarum prædictarum, publice & manifeste in lo-
„ cis sceleratis deprehensos, in personis detinere, detentosque & de-
„ prehensos, prout iuri videbitur expediri, laqueis suspendere, rota-
„ re, decollare, ac incinerare, & iuxta maleficii ac delicti exigen-
„ tiam, aliis meritis pœnis extinguere, ac necare, omniaque & sin-
„ gula, quæ in præmissis, iuxta Regni nostri consuetudinem & legem,
„ fieri consueuerunt, facere, & expedire, valeatis, atque possitis,
„ ex præsenti nostra concessione & gratia speciali; iure tamen, & æqui-
„ tate ac iustitia mediante. In quorum omnium memoriam, firmi-
„ tatemque perpetuam, præsentes litteras nostras, secreto sigillo no-
„ stro, quo vtimur, impendenti communitas, vobis duximus conce-

„ den-

„ dendas. Datum *Budæ*, in feſto beati Vrbani Papæ, Anno Domini „ M. D. XXI. Regnorum noſtrorum Hungariæ, & Bohemiæ prædi- „ ctorum, anno ſexto. Hactenus Lvdovici diplôma, quod, auro contra carius, merito habere poſſunt Révai. Iam porro pergamus.

COMITATVS THVRÓCZIENSIS. PARS SPECIALIS.

De

Quatuor Proceſſibus, & horum Arcibus, Oppidis & Vicis.

PROOEMIVM.

DIſpeſcitur Comitatvs Thvrócziensis in Processvs quatuor, portione propemodum æqua, definitos. *Szklabinyenſis* primus eſt; *Blatniczenſis* alter; tertius *Moſchovienſis*; denique quartus *Znio-Clauſtrenſis*. Nullæ hic, *Liberæ Regiæque Vrbes*, quæ celebritatem *Comitatui* conciliarent. Arces tamen habet, & Oppida, non plane obſcura. Proinde, noſtrum erit, id dare operam, vt ſingulis *Proceſſibus*, ſuas, ſi quæ ſunt, *Arces*, poſtea *Oppida*, & *Vicos*, adſcribamus.

MEMBRVM PRIMVM

De

Proceſſu Szklabinyenſi.

Omplectitur Processvs Szklabinyensis, oram Comitatus ſeptentrionalem, & occidentalem, qua ſe *Vagus* regioni infundit, & in meridem procurrens, *Thúrócz* amnem, recipit; reliquorum, ſi vaſtitatem ſpectes, facile ſpatioſiſſimus.

SE-


MAPPA
COMITATVS
THVROTZI
ENSIS.
Geometrice — concinnata
opera S. Mikoviny N. Hung.
Lexap. de Parigenses
Milliare geometricum
Prasinetz
Zadan
Bessane
Lony

SECTIO I.

De

Arce Proceſſus Szklabinyenſis.

SYNOPSIS.

Arcis Szklabinyenſis *ſitus & moles : opus eſt* Slauorum. §. I.

Diuiditur trifariam, in ſuperiorem, mediam, & inferiorem. §. II.

Regum olim fuit hoſpitium : arcis domini priſci illi : recentiores Révaii. §. III.

Arx Szklabinya.

§. I.

SZKLABINYA, quæ *Proceſſui* nomen communicauit, arx eſt, vetuſti operis, & molis ampliſſimæ, quam ſitus opportunitas multum commendat. Enim vero, in monte conſedit, altitudinis eximiæ, eoque ad orientem ita poſito, vt totam propemodum regionem, quaqua verſum deſpiciat. Fruſtra, primam eius originem eruderare connitebamur: cum & hiſtoriæ ſileant; neque in tabulariis, quæ iſtis locis intemerata manſiſſe decuiſſet, eius rei veſtigia, notari potuerint. Non tamen contraimus iis, qui ad *Slauos*, originem molis, referunt. Nam id quidem, vt credamus, cum ipſa regio, *Slauis* olim habitata, tum denominatio arcis, ſuadent. *Sklabina, (a.)* enim aliquibus *Sclauinia* dicitur, quod ipſiſſimum *Sclabinorum*, ſeu *Sclauinorum* nomen eſt. Quidquid de origine ſtatuas, non vno tempore, ad eam molem, qua hodie eſt, perductam, facile crediderimus.

Arcis Szklabinyenſis ſitus & moles:

opus eſt Slauorum.

§. II.

TRifariam enim diſterminatur, vt, quæ montis ſummitatem occupat, *Superior; Media*, quæ decliuiorem eius articulum; *Inferior*, quæ imum, nuncupetur. Hanc, & *Nouam* dicunt, ob ædificii ætatem, ceteris recentiorem. Arcis prætorium, in quatuor contignationes ſubſtructum, hypocauſta haberet, niſi ſolitudinem ruinæ minarentur, habitatu haud incommoda. Proſpectu certe lætatur patentiſſimo, auraque limpidiſſima, quam venti, a *Carpatho* demiſſi, & tunc ſalubrem efficiunt, cum alibi aeris eſt contagio. Murus prætorio circumdatus, geminus ille, ea eſt, cum altitudine, tum craſſitie, quæ ferendis tormentorum ictibus, ſufficere poſſe videatur. Subinde perſu-

Diuiditur trifariam, in Superiorem; mediam; & inferiorem:

eius munimenta:

a.) Neſcio, ſaltem, haud ſine cauſſa, dubito, an Iornandis illa *Sclauinia*, cuius, de *Rebus Geticis*, Cap. v. p. m. 16. meminit, in iſto terrarum angulo, ſit quærenda. Certe, hiſtorici narratio, intimius nos videtur abducere: quidquid, regionis fautores, iidemque amici noſtri, dicant. In Diplomatibus paſſim *Sklabonya*, lego.

gio fuit, nobilitati non minus, quàm agreſti, quæ circum habitat, multitudini, cum belli impendebant pericula. Hinc & iis rebus, quæ tolerandæ obſidioni ſunt neceſſariæ, non plane inanem accepimus. Habet enim puteos, aquarum petennium diuites; in ſuperiori arce alterum, alterum in media; molam item manuariam, & tormentorum adparatum, haud facile, iſto loco, quærendum. Sileo aſperitatem ſitus, ita a natura factam, vt ſubrui cuniculis nequeat. quod, quantum ad firmitatem momenti habeat, nemo non videt. *Superior* iſta arx fuit, egregio interuallo, a *Media* ſecreta. Vtraque gradibus, longa ſerie poſitis, connectitur. Infima habitatu maxime opportuna eſt; tum ob ſitus decliuitatem, tum, quod ædes habeat, magis, ex more hodierno, factas.

putei.

§. III.

Regum olim fuit hoſpitium:

OLim, euenit ſæpius, vt reges, iſta regione diuertentes, hoſpitio acciperet, puta, LVDOVICVM I. & SIGISMVNDVM; quin & FERDINANDVM I. iſthic aliquamdiu commoratum fuiſſe, quædam diplomata, *(b.)* quæ hic conſcripta, & ab eo ſunt ſignata, loquuntur. Arcis poſſeſſores, mirum, quam multi fuerint, quamque varii. BELAE IV. temporibus, in poteſtate *Dieterici Mypkou*, Comitis Zolienſis fuit. In huius iura POP, primum; poſtea COROM, inde CECE; hinc BVBEK; deinde IOHANNES CORVINVS, ſucceſſere, qui arcem, coniunctam cum dignitate *Supremi Comitis*, a SIGISMVNDO rege, dono acceperat. Is vero, vti arcium muniendarum ſtudioſus fuit, latus molis orientale, turri, *qua hic non fortior*, conſolidauit, fanumque, in eius medio, & infra iſtud, portam, triplici limine diſcriminatam, conſtituit. Loquuntur eius rei memoriam *Inſignia Coruiniana*, eidem huic portæ inædificata, cum ἐπιγραφῇ Anni MCCCCVIII. Sed MATTHIAS, Iohannis filius, arcem hanc *Iohanni Ernſt* Budenſi, theſaurum ſuorum præfecto, ea lege *(c.)* donauit, ne ab iſto caſtro: quippe, ad defenſandum Comitatum, maxime opportuno; prærogatiua ſupremorum Comitum, auelleretur in poſterum. Verum, ERNESTIANA gente, nondum exſtincta penitus, arx igni exuſta, in poteſtatem IOHANNIS de *Zápolya*, venit, magna, vniuerſæ nobilitatis, pernicie, eo quod *Tabularium Comitatus*, iisdemflammis exuſtum eſt. Poſtea, ad FERDINANDVM, pace cum *Iohanne* inita, arcis poſſeſſio, rediit, qua is *Révayorum* virtutem, anno MDLXI. ad eum modum remuneratus eſt, vt cum arcis dominatione, munus *Supremorum Comitum* perpetuum iis eſſet, atque proprium. quo quidem axiomate, adhuc florere gentem inclutam, ſæpius memorauimus, neque iam poterimus, quin cum felicitatis voto, commemoremus:

Arcis dominii, priſci illi:

recentiores, RÉVAII.

InCLVta reVaIDæ, ſtIrps antIqVIſsIMa, ſaLVe!

Cete-

b.) Certe diploma Nobilium vici *Lubotka*, prope ad *Tento Prénam*, heic a FERDINANDO I. editum eſt.

c.) Relege Diploma CORVINI, ſupra a nobis expromtum.

Ceterum, in augendo ornandoque caſtro, nihil, a dominationis ſuæ exordio, ſumtibus pepercit, *Révayorum* familia. Ingens nempe, & munimentorum moles, & conclauium ordo, anno MDLXIII. arci acceſſit. quam, noua & non ineleganti ſubſtructione, anno MDCX. Petrvs de Réva, cum coniuge Maria Forgách, ſic enim habet marmor, adauxit. Atque vnica hæc *Proceſſus* iſtius arx fuit.

SECTIO II.

De

Oppidis Proceſſus Sklabinyenſis.

SYNOPSIS.

I. Oppidum, Szent-Márton.
Sz. Martoni habitus: eius antiqua iura. §. I.

Celebritas oppidi hodierna: eccleſia, ſepulchris Revaiorum *inſignis*: Franciſci I. *epitaphium: Laudes ei debitæ.* §. II.

Monumentum Petri I. *Coronæ duumuiri: eius filii Paulli: filiæ Iudithæ nuptiæ & poſteri.* §. III.

Emerici Révaii *inſcriptio emortualis.* §. IV.

II. Oppidum Sutſchan: *Alterum Proceſſus oppidum.* §. I.

Amplum illud, ſed a vetere habitu alienum. §. II.

Dedit excelſæ genti Eſzterhaziorum *genus maternum, per nuptias* Nicolai, *cum* Chriſtina Nyári: *eſt patria* Eliæ Vanyeczii. §. III.

III. Oppidum Turán: *eſt amæno ſitu: ditionis Révaianæ: colonis ruſticis.*

I. Oppidum Szent-Márton.

§. I.

Zent Márton, Latine, *Martinopolis*, Slauice, *Swaty-Martin*, non huius modo regionis; ſed vniuerſi etiam *Comitatus* metropolis. Laxum eſt oppidum, neque infrequens, ac propemodum in medio Comitatus, ad occidentalem amnis *Thúrócz* marginem, peropportune poſitum. Ab arce *Sklabinya* milliari, ſed modico eo, in Occidentem recedit. Priſcis temporibus, iisdem cum Carpona, libera regiaque vrbe, priuilegiis potiebatur: id quod nos *Regiſtrum Thúróczienſe*, ab Emerico Bubek, *Iudice Curiæ Regiæ, iuſſu* Si-

Szent-Mártoni *habitus:*

eius antiqua iura:

gismundi *regis, ad refellendas* Iohannis Litterati, fraudes, concinnatum, condocuit: *Iudex*, inquit, paragrapho, ex partitione noſtra, XXXIII. *& Iurati ciues de* Zent-Márthon, *exhibuerunt nobis, quasdam tres litteras; vnam olim Domini* Caruli *Regis, ſuper donatione libertatis ciuitatis* Korpona *vocatæ, eidem Ciuitati de* Zenth-Márthon, *per ipſum Dominum* Carulum *Regem facta, in* Zolio, *feria tertia proxima, poſt feſtum beati Michaelis Archangeli, A. Domini MCCCXL. emanatam. Et aliam, Domini* Lodouici, *pridem felicis regis Hungariæ, ſuper collatione cuiusdam terræ* Modle *vocatæ, per ipſum Dominum* Lodouicum *Regem, eidem Ciuitati* Zenth-Márthon *factæ, feria ſexta proxima poſt feſtum Corporis Chriſti Anni eiusdem MCCCLI. patenter confectam. Tertiam vero eiusdem Domini* Lodouici *Regis, ſuper exemtione ſolutionis tributi ad caſtrum* Zklabonya *vocatum, in eadem Ciuitate exigi conſueti, per ipſum Dominum* Lodouicum *Regem ciuibus & hoſpitibus de dicta* Zenth-Márthon *facta, in feſto beatorum Simonis & Iudæ Apoſtolorum Anno Domini MCCCLXIV. patenter exortam. Præterea, idem Iudex & Iurati, præſentarunt nobis quasdam litteras eiusdem Domini* Lodouici *Regis, ſuper collatione cuiusdam villæ* Ambus *vocatæ, a caſtro* Zklabonya *vocato ablatæ, & ipſi Ciuitati* Zenth-Márthon, *ad cenſum annualem duodecim florenorum auri data,* Zolii *feria ſexta proxima ante Feſtum omnium Sanctorum, A. Domini MCCCLXXVII. patenter editam: veras & iuſtas. Aſſerentes, adhuc plures habere.* Sed hæc emortua ſunt dudum, neque vnquam in vitam reditura.

§. II.

Celebritas oppidi hodierna:

Svnt tamen hodieque plura, quæ oppido celebritatem conciliant. Nam, & publicos Nobilitatis conuentus, & ſolemnia prouinciæ iudicia, iſthic agere, moris eſt. Accedit, nundinarum frequentia, quæ pro regionis ingenio, copioſæ ſueuerunt eſſe, fructuoſæque. Harum annuæ, die *S. Matthiæ* feſto; *Quadrageſimæ* tempore; *Dominica Exaudi; Die S. Laurentii*; *S. Bartholomæi*, & *S. Martini*, celebrantur; ſicuti *hebdomadariæ*, ſingulis *Iouis* diebus. Incolarum mores, multum habent humanitatis, tametſi vitam degant ruſticam. Magna præterea cereuiſiæ *Martinopolitanæ*, apud ſuos eſt exiſtimatio; cum alias potus iſtud genus, negligentius, paſſim apud *Thúróczienſes*, coquatur. Subeſt oppidum dominationi *Révayanæ*, ſi viculum excipias, cui *Riadek* nomen. hic enim *Parochia*, iam tum *(e.)* anno MCCCXV. adſcriptus, Sacrorum Antiſtiti, paret ea lege, vt magiſtratus ei dare poſſit, ab oppidanis diſcretos: cum quibus, nihil commune habet, quam ſiluas cæduas, & agrum compaſcuum. nam reliquum vici territorium, ſuis finibus deſcriptum eſt; fert tamen tributorum oppidi, partem duodecimam. In primis, ad loci commendationem pertinet, Ec-

e.) Exſtant adhuc litteræ, *Magiſtri Danch*, donationem iſtam, Anno MCCCXV. factam, loquentes. Conſer. *Append. Monumentorum*, & in his, *Regeſtum de Thúrócz.*, §. XLIX.

Eccleſia, elegans ac perampla, quam monumenta *Révayana* & ſuſpenſa, pro more, vexilla emortualia, illuſtrant. In his ſunt, clariſſima gentis eius lumina, FRANCISCVS I. de RÉVA, Locumtenens Palatinalis, & PETRVS I. de RÉVA, Coronæ Regni Hungariæ Cuſtos, atque encomiaſtes, quorum epitaphia, conſulto exhibemus: *Eccleſia ſepulchris Révayorum inſignis:*

D. O. M.

FRANCISCO DE RÉVA COMITI COMITATVS THVROCZIENSIS, AC LOCVMTENENTI OFFICII PALATINALIS REONI HVNGAR. VIRO PIETATE, ET INTEGRITATE, AC LEGVM SCIENTIA, CLARISSIMO, QVI A CLADE MOHÁCHIEN. QVA LVDOVICVS HVNGAR. REX, PROH DOLOR! INTERIIT, PARTES FERDINANDI IMPERATORIS, ET REGIS, SECVTVS, MVLTA, TAM IN RECVPERANDIS, NISI FATA OBSTITISSENT, BVDA ET ALBA, QVAM ALIIS GRAVISSIMIS, NON SOLVM HVNGARIAE, SED TOTIVS REIPVBL. CHRISTIANAE, NEGOTIIS, EIDEM REGI, PRAECLARA FACINORA PRAESTITIT. MICHAEL, ET FRANCISCVS DE RÉVA, FILII, ET VIRTVTIS ET FORTVNARVM HEREDES, PATRI PIENTISSIMO P. C. VIXIT ANNIS LXIV. OBIIT ANNO CHRISTI MDLIII. DIE 1. NOVEMBRIS. *Franciſci I. epitaphium:*

Iſtud FRANCISCI, quem I. ſupra diximus, vt a reliquis diſtingueremus, monumentum eſt. *Viſitur ibidem*, verba ſunt eruditorum Tyrnauienſium *(f.) exciſa rubro e marmore, eiusdem* FRANCISCI *ſtatua. Coniux ei fuit* Clara Drugeth, *ex illuſtri* Comitum de Homonna *familia. Filios quaternos reliquit*, Franciſcum *nempe*, Michaelem, Laurentium *&* Iohannem: *omnes paternis virtutibus inſiſtentes, & fidelitate erga Auguſt. Domum Auſtriacam clariſſimos. Quorum duo primi illuſtre* Regalium Ianitorum Magiſterium *tenuere. vnaque a conſiliis* Maximiliani *&* Rudolphi *Cæſarum, multis patriam ſibi meritis deuinxerunt.* Franciſcus, *tertium eiusdem nominis*, Iohannem *item &* Laurentium; Michael *vero* Franciſcum *quartum*, Laurentium, Petrum, Andream *&* Stephanum *progenuit. Ex quibus* Andreas, *eximiæ fortitudinis & induſtriæ iuuenis, a* MATTHIA *Archiduce, Supremo* Rudolphi *Cæſaris copiarum ductore, recepto nuper a Turcis præſidio* Neogradienſi, *plena cum poteſtate impoſitus, non diu præfecturam tenuit: eodem ſiquidem adhuc anno, in commiſſo, cum Turcis ad Laurinum a* Matthia, *prælio, fortiter pugnans, occubuit.* Hæc illi, iſthic haud tacenda. Erat FRANCISCVS, vir omni laude digniſſimus, & rebus, pace in primis geſtis, clarus. Prima dignitatis fundamenta, apud *Stephanum Báthory* poſuit: quippe cui, a ſecretioribus conſiliis, & epiſtolis fuit, ea fide, vt meruerit LVDOVICI II. adprobationem, ſingulari diplomate, quod ſupra dedimus, perſcriptam. Poſt cladem Moháchianam, cum fratre STEPHANO, partibus FERDINANDI I. adhæſit, quas, ſicuti fide ſumma ſequutus eſt; ita, multum ea re, cum ſibi conſuluit, tum poſteris. Præterquam enim, quod *Supremi Comitis* prærogatiua, cum arce *Szklabinya*, donatus ab eo eſt, mortuo A. MDXLIII. *Alexio Thurzone*, dignus *Coniux & poſteri:* *laudes ei habitæ.*

f.) In Proœmio edit. nouæ Commentarii PETRI de REWA.

gnus iudicatus fuit, qui ei ſuccederet, eſſetque *Locumtenens Palatinalis Regni Hungariæ*. quo quidem munere, toto decennio, ita functus eſt, vt bene de ſe merita, optimi viri, & poſt fata, nouis honorum acceſſionibus, filiis, MICHAELI & FRANCISCO, indulgentiſſime collatis, proſequi, pulchrum putauerit FERDINANDVS I.

§. III.

Monumentum Petri I. *Corona donauiri:*

ALterum, quod adſcripſiſſe iuuat, monumentum eſt, PETRI I. de RÉVA, *Comitis Thúróczienſis*, quod emortuali vexillo inſctiptum, ita habet:

SPECTABILIS ET MAGNIFICVS DNVS, DNVS PETRVS DE RÉVA, SVPREMVS, ET PERPETVVS COMES COMITATVS THVRÓCZIEN. DIVOR. QVOND. IMPP. RVDOLPHI, MATTHIAE, ET MODERNI FERDINANDI II. CONSILIARIVS, TVNCQ. AVLAE, IAM VERO DAPIFERORVM MAGISTER, CONTINVIS XIV. ANNIS, CORONAE REGNI HVNG. CONSERVATOR. PIETATE ERGA DEVM, FIDE ERGA PRINCIPES, AMORE ERGA PATRIAM, PRVDENTIA IN OFFICIIS, BELLO PACEQVE, REBVS GESTIS, CLARISS. IN IPSO SACRAE CORONAE CONSPECTV, TRINCINII HOSPITANTIS, PIE, VITAM MATVRAM, CVM MORTE IMMATVRA, COMMVTAVIT. SVMMO TOTIVS REGNI, SVORVMQVE DESIDERIO. V. IVNII ANNO MDCXXII. ANNO AETATIS SVAE LV.

Poſt hæc, infra ſcutum gentilitium, leguntur verba Pſalmi XL. *Dominus ſollicitus eſt pro me.* Parte autem vexilli aduerſa, hi exſtant verſus:

PETRVS *de Réva, buſtum depoſtus in iſtud*
Cæſaris, & Patriæ, penſa deditque DEI.
Obſequium Cæſar voluit, Petrus dedit: hoc eſt:
Non tactam turpi mobilitate fidem.
Auſtriacus ſanguis, ſacrum genus, vndique Petrum
Nouit ab ore, animo, dexteritate, manu.
Cedit amor Patriæ, Petrus dedit huncce, loquatur,
Diua Corona, Forum, Sacra, focusque probent.
Aſt animam Chriſtus voluit, dedit hanc quoque Petrus,
Sic tria perſoluit, debita Magnificus.

PETRVS hic, FRANCISCI I. ex MICHAELE *(g.)* nepos, multis præclaris facinoribus innotuit, quæ iam memorare, non eſt inſtituti noſtri. Deducta ex *Etſedienſi* captiuitate, Trentſchinium, Corona Regni Hungariæ, moritur illic, cum in eiusdem adhuc comitatu verſaretur. De eius poſteris, laudati *(h.)* Tyrnauienſes: *Habuit* PETRVS *filium* Paullum, *qui improlis deceſſit, in quem ſupputatis temporum rationibus, ea quadra-*

eius filii Pauli:

re

g.) Natus fuit Anno MDLXVIII. die 2. Febr. in arce *Holitſch*, patre, quod diximus, *Michaele de Réva*, matre autem, *Anna Bakith*, Magnif. *Petri Bakith* de *Líth*, filia.

h.) Loco nunc citato.

re videntur, quæ in memorato S. Martini oppido Comitatus Thúróczienſis, ſuper nigro vexillo, templi parietibus affixo, ſcripta leguntur, his verbis:

SPECTABILIS AC MAGNIFICVS DOMINVS DOMINVS PAVLLVS, RÉWAY, DE RÉWA, COMES PERPETVVS DE THVRÓCZ, SACRAE REGIAEQVE MAIESTATIS, SVB SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO DOMINO FERDINANDO III. HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGE, EXERCITVS IN GERMANIA GENERALISSIMO, COLONELLVS, IN LOTHARINGIA OCCVBVIT, ANNO CHRISTI M. DC. XXXV. DIE VII. NOVEMBRIS. AETATIS SVAE ANNO XXXVII.

Erat quoque PETRO *filia vnica*, pergunt Tyrnauienſes, IVDITHA, *Comitis* Paulli de Nádasd *coniux*, Comitis Thomæ de Nádasd, *nuper S. Coronæ duumuiri*, *felix auia*, *quæ a fatis* Paulli *coniugis*, *Comiti* Adamo Forgách de Gymes, *Iudici Curiæ Regiæ*, *matrimonio iunctæ eſt*. *Gemina vero hæ proles*, *ex* Maria, Emerici III. Forgách de Gymes *filia a* Petro *ſuſceptæ fuere*. Laudes PETRI, cumulatiores profecto ſunt, quam quibus recenſendis, propoſiti noſtri præſentes rationes ſufficiant. *filia* Iuditha, *nuptiæ & poſteri.*

§. IV.

QVartum monumentum, EMERICO de RÉVA poſitum eſt, adpenſo labaro, ad hunc modum inſcriptum. Parte altera *Emerici Révay, inſcriptio emortualis.*

ILLVSTRIS STEMMATE
SPECTABILIS VIRTVTE,
MAGNIFICVS DIGNITATE,
EMERICVS RÉVAI,
INCLYTI COMITATVS T.
SVPREMVS COMES.
SAPIENTIA CELEBRIS,
CONSILIIS SALVBRIS,
EXITV DESIDERABILIS,
EX SPINIS MORTIS,
IMMORTALES NOMINIS,
REPORTAVIT ROSAS.

Vixit Annis LXIII. Defunctus A. MDCLXXXVIII.
Hic poſitus eſt:

Mortuus vt viuat, tumulatus vt ipſe reſurgat,
Aeternaturus cum immortali
PETRO RÉVAI.

Parte auerſa, hæc legas:

Natus ſub FERDINANDO, RÉVAI EMERICVS,
Cuius in Auguſta, creuit & altus erat,
Vixit hic inuicto LEOPOLDO *ſceptra gerente,*
Supremi Comitis, munia cuius obit.
Occidit at Magno IOSEPHO *ſceptra gerente,*
Cælis emeritus, nunc Emericus onat.
Sic EMERICVS *onat*, IOSEPHO *ſceptra gerente,*
Iam felix regnet REX: EMERICVS *onet!*

Deni-

Deniquc, infra Seruatoris, cruci affixi, icona:

Siſtitur en CHRISTVS, *vitæ Dux atque Redemtor,*
Cuius mors, vitæ eſt ianua certa piis. (i.)

Hæc ad Templi *Martinopolitani* mentionem, interſerenda erant, ne ignoretur, vbi ſummorum virorum oſſa, mollis tegat humus.

II. Oppidum Szutſan.

§. I.

Alterum Proceſſus Oppidum.

ALterum, iſto *Proceſſu*, Oppidum eſt, SZVTSCHAN, milliari *Martinopolio*, in meridionali Vagi ripa, ſepoſitum: quod, cum ad loci opportunitatem multum facit; tum in primis, eam aliquando habuit commoditatem, vt ſalis, ratibus huc aduecti, quædam quaſi ἐμπόριον, Slauis *Sklad*, diceretur. Hanc oppido libertatem, a *Ludouico*, tum etiam *Eliſabetha*, & *Maria*, Reginis, adtributam fuiſſe, diplomatibus doceri poſſe, aiunt. Tunc vero, arci *Sklabinyenſi* paruiſſe accepimus, ea lege, vt ſi Rex iſthic diuerſaretur, rem eius culinariam procuraret; vnde *Culinam Regiam*, vulgo *Kralowá Kuchina*, tunc adpellabant; ſin vero abeſſet, arcis ædificia, ſuis, ſiue operis, ſiue ſumtibus, tenebantur ſuſtentare, ne ruinam facerent. Poſtea, lege permiſſum fuit, vt aduentitio, ex Polonia ſalc, vti liceret *Thuróczienſibus*; non ſecus, quam id de *Liptouienſibus*, adnotauimus. Ager Oppidi vaſtus, & hinc in campos deiectus, illinc montibus exaſperatus eſt. Medium *Vagus* ſecat, qui hic riuulum, a ſeptentrionibus delapſum, admittit, gemina mola, frumentaria altera, altera materiaria, vtilem.

§. II.

Amplum illud, ſed a vetere habitu alienum.

AMplum hodieque oppidum, & ſparſis ædibus, longe porrectum, vix, priſtinæ celebritatis, vmbram refert. Arx, monti ad meridiem vergenti, quem *Skála* vulgo dicunt, inædificata, *Templariorum* ordini, ſedem creditur tribuiſſe, cuius rudera, ædificium, dum florebat, & amplum fuiſſe loquuntur, & pro ordinis illius opibus, egregie factum. Supereſt hodie ex molis clade, inſigne cellarium, quod adhuc frequentatur. Huic, aliud quoddam rudus vicinum eſt, parietinas, cum rimoſis fornicibus, oſtentans, quondam *Nyarianæ* familiæ, cuius id cauſſa nominauimus, domicilium. Sed prætorium, quod in oppido viſitur, recentius eſt, ab *Emerico Huſzár*, haud inculte excitatum, iam familiæ *Török* hæreditolum. Olim, oppidum fere vniuerſum, *Nyarianæ* fuit ditionis: quod nunc inter eius gentis ſucceſſores, varie diſpertitum eſt.

§. III.

i.) Sunt & Nobilium virorum, vexilla, iſthic ſuſpenſa, puta, *Nicolai Koſſuth de Vdoard*, Vice Capitanei Comitatus Thuróczienſis; *Georgii Druskóczy* de *Druskócz*, denique *Paulli Szelem*, de Felso Szele. quæ iam adſcribere breuitatis ſtudio, prohibemur.

§. III.

HAbet præterea id quoque in laudibus ſuis oppidum noſtrum, quod Illuſtriſſimus Comes, *Nicolaus Eſzterházy* de *Galantha*, prognatam iſthic *Chriſtinam Nyáry*, viduam *Emerici Thurzonis*, XVI. Calendas Maii, Anno MDCXXIV. *Szutſanini*, dato acceptoque annulo pronubo, ſibi deſponſauerit: *(k.)* nuptiis poſtea, XII. Calendas Auguſti, exquiſitiſſima pompa, concelebratis. Vt proinde Excelſæ gentis *Eſzterházyanæ* propago, quam *Nicolaus*, ex *Nyáriana*, numeroſam procreauit, maternum genus, *Szutſanino* debeat. Id certum eſt, viros ſæpius dediſſe oppidum, ingenio doctrinaque præſtantes. In quibus hodie ſuo merito, numeramus, *Eliam Vanyéczium*, Caroli VI. Auguſtiſſimi Cæſaris, Regisque Conſiliarium, & Regiæ Hungaro Aulicæ Cancellariæ primarium Secretarium. Eſt in eo, ſingularis eruditio, mira conuictus ſuauitas, atque mirum quoddam poetices ſtudium: vt mereatur omnino, venuſtiſſimis Hungariæ noſtræ poetis, adnumerari. Tametſi namque, magnarum rerum procuratione, diſtrictus ſubinde eſt; ſicuti euenit profecto, in iſtorum munerum ſollicita adminiſtratione; tamen, ſcribit ſæpe verſus, *Calliope* dictante, atque impetrata a grauiſſimis curis vacatione, animum, iſtis blanditiis recreat. Habet enim hoc poeſis, caſta illa, & philoſophiæ alumna, vt cum ſtudia reliqua, mentem quaſi adtonitam detineant, ſublimarum quarumuis rerum contemplatione; ipſa, deiectam ſeuerioribus curis, eneruatamque, ad ſe reuocet, atque nouis inſtinctam ſpiritibus, vegetam reddat, & agendis rebus idoneam. Itaque, hanc nos, eius laudem, eo magis ſuſpicimus, quo rariores hodie in gente noſtra ſunt, *Iani Pannonii*, *Thurii*, *Sommeri*, *Fileczkii*, *Sambuci*, *Boccatii*, & id genus, præclari quondam. Ceteroquin, inter opportunitates oppidi nundinas merito cenſueris, quas *Dominica II. poſt Epiphaniae*, diebus *S. Georgio*, *S. Sophiæ*, *S. Iacobo*, & Natiuitati *B. Virginis Mariæ* ſacris, celebrat.

Dedit, excelſæ gentili Eſzterhàzianæ, genui maternum, per Nicolai, cum Chriſtina Nyári, nuptias.

eſt patria Eliæ Vanyéczii.

III. Oppidum Turán.

TVRÁN, aduerſa *Vagi* ripa, oppidum, ſub altiſſimis montibus, eo poſitu conſedit, quo nihil dici poteſt lætius, ſiue vbertatem agri ſpectes, ſiue vaſtitatem, parte altera, in iucundam planitiem proiectam; altera in montes excelſos, adſurgentem, qui *Comitatum* hunc, ab *Aruenſi* diſterminant. Præter *Vagum*, riuum ex iſtis, quos diximus montibus, accipit, *Studenecz*, ab aquarum gelida natura, ſic vocatum. Geminam is molam verſat. Ceterum, oppidum genti *Révayanæ*, iure hereditario accenſetur. Incolas habet, ſicuti ruſticationis ſtudioſiſſimos; ita præter morem, comes humanosque. Iſta de *Proceſſus Sklabinyenſis* oppidis.

Eſt amoeno ſitu:

ditionis Révaianæ; colonis ruſticis.

k) In Diario *Závodkii* rerum memorabilium, ad hunc Annum.

SECTIO III.

De

Vicis Proceſſus Sklabinyenſis.

Vicos *Proceſſus* iſtius, ea dabimus ſerie, qua ſe mutuo contingunt. Incipiemus autem a meridionali, ora in vicinia *Martinopoleos*, conquieturi.

1.) *Benicz*, olim *Benefalua*. Quæ ex ſcriniis familiæ accepimus, iſta ſunt. Nimirum *(a.)* Bela IV. Anno MCCLXIX. *Thomæ*, *Benedicto*, & *Martino*, filiis *Emerici de Thúrócz*, terram hanc *Bene*, ob eximiam ſingulorum virtutem, non tam donauit, quam multo ante, a patre *Emerico* poſſeſſam, noua indulgentia, confirmauit. Eadem munificentia Sigismvndvs, *Martino*, filio *Iohannis* de *Benicz*, vici hæreditatem adſcripſiſſe, in diplomate legitur, quod is anno MCCCCXIII. in caſtris Foroiulenſibus, edidit. Ferdinandvs I. poſtea, *Nicolao Beniczky* de *Benicz*, inſignia, temporum iniuria perdita, anno MDLXII. renouauit, bellica viri permotus virtute: quippe quam, in limitaneis *Hungariæ* arcibus, *Nándor Alba*, & *Temesuár*, ſemel atque iterum, haud ſine vitæ diſcrimine, teſtatam fecerat. Iſti vetuſtiſſimæ *Beniczkyorum* gentis natales ſunt. Ipſe vici ager, vltra mediocritatem, fertilis eſt.

2.) *Tarnó*, vicus *curialis*, neque tam agris frumentariis, quam pratorum, & montium bonitate, memorandus. Situm habet e longinquo adſpectantibus, iucundum, atque ita eleuatum, vt loca circumiecta, quaſi e ſpecula diſpiciat. In diplomatibus *Terra Tarnuch* vocatur, quam Bela IV. anno MCCLXII. Regni autem ſui XXVII. *Rutheno Mladik*, triginta marcis auri, hæreditario iure adſcriptam, anno MCCLXVI. denuo *(b.)* confirmauit. Eius poſſeſſio, hodiedum, ad vtriusque ſexus hæredes, pertinet: qua re fit, vt multi, *Tarnouienſium* virginum nuptias adfectent, ſuis, ad eum modum, rationibus cupientes conſulere. Hodie familiarum, quæ hic florent, præcipuæ ſunt: *Buocz*, *Goschecz*, *Koſtyál*, *Rovoſz*, *Valovicz*, & *Czemanka*, cuius decus, ſingulari ſua eruditione, præclare nunc tutatur, Andreas Czemanka, ſtudiis noſtris optime addictus. Abſoluitur locus *curiis* quatuor. In montibus, petra exſtat, in altum porrecta, quam vulgo *Saxum Diaboli*, vocitant; quod aduerſum ſit, hos, qui eam animi cauſſa adſcendunt, ſubito horrore corripi, ſicuti fit, ex ſpectrorum obtutu: quam ego rem, nolim cacodemonis adflatui, ſicuti vulgus facit, adſcribere. Poteſt id, cum loci aſperitas, tum in primis, concepta de eius infamia, opinio efficere.

3.)

a.) Regestvm de Thúrócz. §. xxvii. | *b.)* Videſis, *Regeſtum* de Thúrócz, §. xxiii.

3.) *Treboſzto*, proxime hinc abeſt. Bipartito olim diuidebatur. Ea enim pars, quæ hodie caſtella habet, *Treboſzto*, κατ' ἐξοχὴν vocabatur. Hanc SIGISMVNDVS Rex, ditione caſtri ſui *Sklabinya* exemtam, *Iohanni* cuidam, & *Martino*, *Aegidii de Cholko*, *(c.)* filiis, anno MCCCLXXXIX. diplomate, in villa *Liptsche* ſignato, iure perenni donauit. Partem vero alteram, *Kis-Treboſzto (d.)* dictam, MARIA Regina, anno MCCCLXXXIII. *Iohanne*, filio *Szeraphil*, improle vita functo, *Martino*, memorati nunc *Aegidii* de *Cholko* filio, iure itidem hereditario, contulit. Iam inclutæ *Révayorum* ſtirpi, *Baronum* iuxta, & *Nobilium* adtributum eſt. quorum hic, geminum prætorium viſitur. Horum alterum, magnifice ſubſtructum, *Ladislaum* de *Réva*, lineæ *Treboſztouienſis*, conditorem habuit, in cuius ſucceſſorum poteſtate eſt hodieque. Exilius alterum, ſedem præbet nobilibus *Révay de Treboſzto*. Interluitur vicus riuulo limpido gelidoque, qui inde ſiniſtrorſum declinans, *S. Petrum* ſubluit, poſteaque in amnem *Thúrócz*, aduerſo *Koſtyanenſibus* margine, incurrit. Alpes agri *Treboſztouienſis*, ſummo cacumine, lacum habent, *Oſztré* dictum, perennem, & profunditatis inexpertæ; eius vero indolis, vt pluuias, exhalatis nebulis, prænunciet: quod & prouerbio locum dedit.

4.) *Szent-Péter*, vicus, & ipſe, *curialis*. Ab anno MCCCXXIII. vetuſtiſſimæ genti *(e.) Dáuid* adſcriptus, & in curiam geminam diſpertitus. Adſedit fluuio *Thúrócz*, occidentali eius latere, ſitu eleuatiore, & cum ex ſe, tum ex nemoris, quod ei vicinum a ſeptentrione eſt, obtutu, longe iucundiſſimo. Agrorum vbertas, vix mediocritatem excedit, quam ſiluoſi montes, late, in occidentem, procurrentes, quomodocunque compenſant. Præbet hodie ſedem, præter familiam *Dáuid*, *Inſthiis* quoque, & *Desóffiis*.

5.) *Biſztricska*, in occidentem æſtiuum profundius abit. Fuit olim poſſeſſio *(f.) Iohannis*, filii *Beke*, nobilis de *Biſztricze*, quod diploma CAROLI Regis, anno MCCCXXIV. ſuper confirmatione *Magiſtri Danch*, genti illi datum, adhuc loquitur. Nunc in poteſtate plurium eſt, in primis, *Révayorum Treboſztouienſium*, *Beniczkyorum*, *Lehotzkyorum*, & *Tomka*. Agri laus eximia eſt, cum primis montium: quippe, ouium pabulis & tuguriis inſignium. Vicum riuulus intercurrit, eximiæ celeritatis, a quo communicatum loco nomen crediderim. Et in huius alpibus, lacus eſt, eiusdem naturæ, qualem ad *Treboſzto* meminimus.

6.) *Iabodnik*, ante hac *Kis-Biſztricska*, aduerſo amnis *Thúrócz* latere ſedens, agro laxo, & in late porrectos campos excurrente. Vici laus præcipua, ab acidularum fonte gemino, ducitur. LADISLAVS *Cumanus*, Anno MCCLXXXIV. *Comiti (g.)* cuidam *Laurentio*, filio

c.) Ibidem, §. XXX.
d.) Ibidem, §. XXIX.
e.) Ibid. §. XXXI. & XIV.
f.) Ibid. §. XXIII.
g.) Ibid. §. XLVIII.

Cosmæ, hærediolum iſtud adtribuit. Hodie, in iura inclutæ familiæ, *Révayorum de Trebofzto*, conceſſit.

7.) *Felſö-Záturtschá*,

8.) *Alsó-Záturtschá*, geminus vicus, a ſitu id nominis accepit; quod his, qui *Martinopoli* degunt, trans amnem obiectus ſit. Anno MCCLV. Bela IV. vicum vtrumque *(h.) Michk*, *Ztremen*, *Merchon*, & *Drachmel*, filiis *Vzda*, donauerat, quam poſtea donationem, anno MCCLXIII. ratam, denuo iterumque habuit. Vniuerſa hæc ditiuncula, in quatuor *curias* antiquitus diſpertita fuit: quarum vnam, *Felsö-Záturtſchá*, nunc familia *Zátureczky*; reliquas tres, *Alsó-Záturtschá*, ita diuiſas habet, vt earum vna genti *Dávid*, *de Thúrócz Sz. Péter*; duæ contra ea, eidem familiæ *Zátureczky*, cui & nomen dedit, & *Vajvoda*, iure hæreditario pareat.

Nobile tergeminum fratrum ſtemma Uzda *vocatum:*
Arma eadem huic: differt nomine ſtemma vetus.

Situs locorum perquam amœnus eſt; ſed eo forte importunus, quod agros frumentarios, trans amnem *Thúrócz* habeat, medios inter *Martinopolim*, & *Koſſchút*. Iſtos olim *Vendég (i.)* ſiue *Hoſztyan* dictos fuiſſe, diploma condocet, quo Bela IV. agrum illum, *Uzda*, homini e vulgo piſcatorum, ad equeſtrem dignitatem euecto, A. MCCXLV. adſcripſit. Habent *Záturtschenſes*, pomaria, nullis, toto Comitatu, facile conferenda: quod ſub iſtis montium iugis, dignum admiratione eſt.

9.) *Koſſchúth*, *(k.)* antiquitus *Udvarecz* dicebatur, vicus totus quantus, a Nobilibus, quibus commune cum vico nomen, inſeſſus. Multi hinc olim prodiere viri, cum manu fortes, tum conſilio promti. Ager vici, non tam ſe commendat amplitudine, quam vbertate, pro ingenio ſoli, haud omnino poſtrema.

10.) *Priekopa*, iam tum anno MDLXIII. id nominis obtinuiſſe, in diplomatibus eius temporis legas. Ea eſt agri, non vaſtitate tantum; ſed fertilitate etiam, vt pauci, toto *Comitatu*, pares putentur. Medium fluuius *Thúrócz* intercurrit, cuius orientale latus in campos; occidentale contra, in montes abit, cum ouium ſtabulis, tum paſcuis armentorum, opportunos. Riui *Hradecznitza*, ex *Sklabinyenſium* montium conuallibus, deiecti, & vicum *Priekopenſem* interlabentis, ſupra nobis fuit mentio. Paret, inclutæ familiæ *Révayanæ*, cuius hic elegans prætorium exſtat. Olim, in eo colle, qui inter agros frumentarios adtollitur, fanum aliquod ſediſſe, ruderum veſtigia produnt, foſſas hic, alibi portarum ſitus, oſtendentia: vt locus ſit coniecturæ, an non inde Slavonicum nomen loco ſit enatum. *Priekopa* enim, *foſſus*, aut his munitum locum, ſignificat. Iam, veſtigium id, ſepulturæ dicatum eſt.

11.) *Felsö-Rutka*,

12.)

h.) Ibid. §. XI.
i.) Regestvm *de Thúrócz*, §. XII. & LIX.
k.) Ibid. §. XXVIII.

12.) *Alsó-Rutka*, *(l.)* vulgo *Wrútky*, communi nomine vterque dictus. Ladislavs *Cumanus*, anno MCCLXXXV. in *octaua Feſti B. Iacobi Apoſtoli*, terram hanc *Ruthk*, his, quos iam dicemus, reſtituit puta: *Stark*, *Paullo*, & *Nicolao*, *Ruthk*, *Bogomel*, *Hano*, *Iacobo*, *Iwan*, *Miko*, *Thomæ*, *Malicha*, *Wichk*, *Benjch*, *Nemechlen*, *Liptou*, & *Dink*. quam reſtitutionem, Carolvs Rex, A. MCCCXL. *Lorando*, *Ottoni*, & *Iohanni*, fratribus, adfirmauit; denique Lvdovicvs I. A. MCCCLXIX. confirmauit prorſus: quorum omnium nomina, iam pridem vetuſtas oblitterauit. Hodie, rerum, in *curialibus* iſtis vicis, potiuntur: *Rutkay*, *Miklen*, *Nedeczky*, *Matuſſovicz*, *Dawko*, *Csech*, alii. Inter maxima agri *Rutkenſis* incommoda, confluentem *Vagi* & *Thúrócz* amnium, iure cenſueris. quorum vterque, magnam ſubinde eluuionibus ſuis vaſtitatem, pratis non minus, quam ſementi, inducit. Multo mitiores ſunt riui, qui ex occidentalibus montibus defluunt; molas enim circumagunt, & frumentarias, & materiarias. Antri, quod eſt in montibus *Rutkenſibus*, *Dupna* dicti, ſupra mentionem habuimus. Nunc carbonum foſſilium, meminiſſe iuuat, qui in iisdem montibus, pingues ſatis, & alendo igni, perquam idonei, eruuntur; neglecti tamen, quod ligna ſufficiant incolis.

13.) *Lipótz*, trans *Vagum* poſitus, anguſto admodum agro; ſed ſiluis eo amplioribus, quas incolæ, ratibus contignandis, haud ſine fructu, cædunt. Piſcatio, quæ iſthic inſtituitur, *Salmonum* prouentu, inſignis eſſe perhibetur; ſed ſtatis tantum anni temporibus. Tota hæc poſſeſſio, *Curiam* explere dicitur *mediam*.

14.) *Kletſin*, vulgo *Klatſani*, eandem, quam prior, *Vagi* ripam inſedit, ſitu altius paullo ſubducto; at opportunitate haud diſpari. Paret *Révayis*, & hoc ſingulare habet, quod ſatellites (*Hajdúk* dictos) *Comitatui* ſuppeditet, quoties id vſus ferat.

15.) *Radkowo*,

16.) *Sutowo*, exiles vici, & in aquilonem, qua *Aruenſis Comitatus* incipit, reiecti. Ditio vtrobique *Révayorum*. Incolæ *ſatellitio* Comitatui inſeruiunt.

17.) *Kreplán*, meridionali *Vagi* ripa, *Liptouienſibus*, ea regione limitaneus, vbi ſe *Fatra maior*, adtollit. Hunc, & *Konſzké*, nonnullos præterea in *Szutſchan* fundos, cum telonio, *Laurentius Nyári*, ob ſe, ex captiuitate Turcica, in libertatem vindicatum, *Stephano Huſzár de Regőcz*, homini, Chriſtianis quidem fato parentibus; ſed pro illorum temporum ingenio, a Turcis ſurrepto, atque impietate illa imbuto, dono dedit. Egregio enim facinore, & libertati *Nyarii* conſuluit, & ſuæ ipſius ſaluti: cum illum quidem vinculis ſolutum, reduxit ad ſuos; ipſe vero, eiurata ſuperſtitione Turcica, Christi fidem profeſſus eſt: parens poſtea præclaræ *Huſzáriorum* familiæ futurus. Iſta ille donatione, vico potitus eſt, quem filio, *Petro Huſzár*, viro integerrimo, & anno MDCXX. vsque ad XXV. *Thúróczienſium Vice-Comi-*

l.) In *Regeſto* de Thúrócz, §. x.

ti, hic vero poſteris ſuis, non inuito rege, tranſcripſit. Opportunitates vici, pleræque in montibus, quos vaſtos habent, ponuntur. nam agri frumentarii, anguſti ſunt admodum, & *Vagi* eluuionibus obnoxii.

18.) *Nolcsó*, eodem, quo ſuperior, *Vagi* margine poſitus, illique vicinus. Montibus incingitur, adſcribiturque ditioni *Nyáriana*, eo memorandus, quod vltimam, iſto *Comitatu*, ſtationem habeant veredarii.

19.) *Konſzkó*, modicus viculus, aliquantiſper a *Vago* in orientem, intra decliuiores montes, reductus, ex qua ſitus iniquitate fit, vt vix alibi, toto Comitatu, ager colonum exerceat magis, eique reſpondeat iniquius. Eſt eadem, qua *Kreplan*, donatione, iuris *Huſzáriorum*.

20.) *Podhradia*, Hungaris *Várallja*, quod vtrumque nomen, ſatis innuit, vicinam olim arcem habuiſſe vicum. Certe, hodieque geminum rudus, locis diuerſis viſitur: alterum, in colle amœniſſimo, qui vico ab oriente adſidet; alterum, in iis montibus, qui in meridiem procurrunt: ſed qui horum, ſeu conditores fuerint, ſeu demolitores, vetuſtas oblitterauit. Ager vici, montibus partim, partim apricis collibus, aſperatur, per quos agri frumentarii, paſſim ſparguntur. Recedit a *Vago*, mille propemodum, in orientem paſſibus, diſterminaturque ab eo, monte, qui medius, vicum & amnem inter, conſedit. Abundat calcario lapide, quem incolæ cum induſtria, in calcem exurunt. Eſt & *Acidarum Fons*, ruderibus caſtri meridionalis, vicinus, ſed frequentatus minus, forte ob ſitus iniquitatem. Paret vicus ſucceſſoribus *Nyárianis*. Riuus, ex orientalium montium lateribus deiectus, opportune vicum interluit.

21.) *Stiawnitzschka*, amplo agro, qui illinc montibus adtollitur, campis alibi pratisque lætatur. Multum ad loci amœnitatem momenti habet, mons, ab occidente, vico imminens, quod & celſitate eximia eſt, & abietinis ſiluis, totus conueſtitus, quarum viriditas, iucundum præbet obtutum. Præterea, factum a natura viuarium crederes, ob frequentia, vrſorum, luporum, vulpium, & leporum luſtra: quæ quidem opportunitas montis, ſubinde ad venatoriam oblectationem, *Révayos* inuitat. Tria illis hic ſunt prætoria, pro regionis habitu, facta magnifice: quorum vnum, ab *Supremo Comite*, Petro *de* Réva, nouis operibus ſubſtructum auctumque; alterum a Michaele; tertium a Pavllo, fratribus germanis, inſidetur. Subluit, non vicum modo, ſed caſtella etiam, limpidiſſimus amniculus, ex valle *Kántor*, arci *Szklabinya* vicina, emiſſus, trutarum ferax, & molarum impulſu fructuoſus. quarum tres frumentarias, intra vicum; pone alteram; ſub arce tertiam; materiariam vero vnam, perenne verſat: quippe, rigidiſſima etiam hieme, gelu reſpuens. Eſt hic & *Acidarum Fons*, ſed efficacitatis haud eximiæ.

22.) *Szklabinka*, vicus, arci cognomini ſubſitus, non incolis modo frequens, ſed laxo etiam territorio; cum montibus latiſſime por-

porrectis; tum agris, pratisque luxuriante præditus. Gentis *Révayanæ* hæredium. Fluuius *Hradenicza*, vico medius intercurrit.

23.) *Déakfalva*, vulgo *Diakowa*, vicinus *Szklabinka* viculus, cum quo magiſtratu vtitur communi, eo quod & ipſe iuribus *Révayanis* pareat.

24.) *Buorowa*, pineto inſidens prædium, allodiis gentis *Révayanæ* frequens Cui inſtituto, perquam eſt opportunus. Nam, & pratis agrisque frumentariis, circumſidetur, & ſiluis: in quibus, ſi annus reſpondeat, tuberum ceruinorum, mira obſeruatur fertilitas. Olim piſcinas habuit, capaces eas & fructuoſas; ſed quæ iam deriuatis aquis, in prata abiere.

25.) *Tomtschin* denique nominandus eſt, *Tomtschani* vulgo dictus, vltimus *Proceſſus* huius, idemque *Curialis* vicus. Anguſto eſt territorio, ſed cuius paruitatem, fertilitas egregie compenſat. Illud in vitio referas, quod ſiluis careat; tametſi *Luporum*, & *Vrſorum* domicilium exiſtat: hoc eſt, nobilium virorum, id nominis ferentium. Abſoluitur locus *Curia* vna, ob vicinitatem *Martinopolii*, fructuoſa. Hactenus, de *Proceſſu Primo*, quem *Szklabinyenſem* vocant.

MEMBRVM II.

De

Proceſſu Blatnicenſi, & huius Arce vnica atque Vicis.

NOmen id, ab Arce *Blatnicenſi* accepiſſe *Proceſſum*, apud omnes conſtat. Continet ambitu ſuo, vicos XXIII. orientali amnis *Thúrócz* latere, adeoque, quaſi in ſinu Comitatus, varie ſparſos. Oppida habet nulla: ea propter, arcem prius, deinde vicos ſingulos luſtrabimus.

SECTIO I.

De

Arce Proceſſus vnica Blatnicza.

SYNOPSIS.

Arcis Blatnicza *denominatio: arduæ rupi inſidet: origo eius* Slauica: *Templariorum olim ſedes fuiſſe, vulgo perhibetur: variabat ſubinde heros: moles gemina.*

Blat-

Arcis Blatnicza *denominatio:*

BLATNICZA, Slauicum eſſe vocabulum, non eſt cur moneamus: nam *Blato*, lutum, ſiue *cœnum*, ea dialecto dicitur. Non autem facile coniicias, quam ob rem arcem cœnoſam dixerint, primi eius conditores, cum alieniſſimus eius ſitus ſit, immo, ita ſaxoſus, vt cogitare poſſis, an non κὰτ' ἀντίφρασιν, *Blatniczam* primitus vocauerint. Certe arx ipſa, quanta quanta eſt, rupi inſidet arduæ, & qua ad orientem ſolem proſpicit, nimium præruptæ. Quin & tota circum regio, tum, qua in valles ſubſidet, tum, qua in montes adtollitur, petroſa vbique eſt, & ſaxis impedita. Perinde eſt, vnde denominationi, ſeu cauſa ducta ſit, ſeu occaſio. Nobis, *Slauica* adpellatio, argumentum præbet, originis, ad *Slauos* referendæ. quod & de *Szklabina*, ſupra monuimus. *Templarios*, arcis olim dominos fuiſſe, conſtans traditio eſt: quibus exciſis, regibus fuiſſe peculiarem, memorant. Poſtea heros variabat frequentius, prout eam reges, his decedentibus, aliis aliisque conferebant. In his numerari videmus familias, *Korom; Neczpali; Sárközy:* donec in poteſtatem veniret antiquiſſimæ ſtirpis *Révayorum*, quorum iuribus ſubeſt hodieque. Aedificii ſubſtructio, plus molis habet, quam opportunitatis ad habitandum. Gemina ea eſt, *Superior*, & *Inferior*, vtraque penuria aquarum laborans, ideoque tolerandæ obſidioni, minus idonea. Hodie, ſedes eſt *Michaelis de Réva*, Tabulæ Septemuiralis Adſeſſoris. *reliqua.*

arduæ rupi inſidet:

origo eius Slauica:

Templariorum *olim ſedes fuiſſe vulgo creditur:*

variabat ſubinde heros:

moles genuina.

SECTIO II.

De

Vicis Proceſſus Blatnicenſis.

IAm Proceſſus huius vicos, pro eo, ac decet, expromamus.

1.) *Draſiskótz*, vulgo *Draſkowcze*,

2.) *Iordán-Földe*, gemellus reuera vicus, quorum alter *Draſiskófalva*, alter *Iordán Földe*, vel ſi velis, *Draskótz-Iordán-Földe*, dicitur. Diſtincta vtrique ſunt priuilegia, diſcretus ager, diuerſi ad hæc poſſeſſores, & horum inſignia. Illum *(a.)* enim BELA IV. A. MCCXLII. *Mikola*, & *Drask* contulit, quorum diploma, cum incendio periiſſet, MATTHIAS *Coruinus*, Beatrice regina conſentiente, anno MCCCCLXXXVII. *Georgio*, atque *Elia de Draskowicz*, vicum, nouo diplomate poſſidendum, confirmauit. Sed *Iordán-Föld*, idem BELA IV. anno MCCXLIX. adeoque ſeptiennio poſt, *(b.)* *Thomæ Maſztia*, & *Benæ*, donauit. His fato fortean functis, eundem vicum *Iordán-Földe*, anno MCCLV. *Andreæ de Iordán*, *(c.)* & filio eius, *Achi-*

a.) Confer, ſi licet, REGESTVM *de Thúrócz*, §. LXIX.

b.) Ibidem, §. VIII.

c.) Ibid. §. XXVII.

Achileo; ac denique *(d.) Iuanka*, calui filio, Anno MCCLXII. iure perpetuo adtribuit. Sedem hodie præbet, vetuſtiſſimis ſtirpibus *Kraſſanetz*, *Ilgo*, *Milko*, *Dianis*, *Czeper*, *Iwanka*, & *Bohunka*. Alioquin, ſitus vico vtrique omnium amœniſſimus contigit: quippe, ſpeciem peninſulæ præferens, cum a meridie quidem, amniculo *Iordan*, ab Aquilone autem, fluuio *Hradetſchnitza*, ſubluatur, modico infra vicum interuallo, corriuandis. Ager vicorum amplus eſt, neque infœcundus, at ſiluis nudus.

3.) *Zábor*, ſeu *Zaborja*, vicus *Curialis*, idemque eximiæ vetuſtatis. Diplomata terram *Zábor* vocant, cuius poſſeſſione *(e.)* Bela IV. Anno MCCLXIII. parte gemina *Cóch*, filium *Poiſa*, parte autem tertia, *Koſſuth*, filium *Gad*, & *Vayczlo*, alibi *Voslou*, filium *Vojan*, non tam donauit, quam donatos iam ante, nouis priuilegiis locupletauit, eo quod, priora illa, *Detricus Mipkou*, *Comes Zoliensis*, & arcis *Szklabinya* dominus, dolo malo extorta, conuulſerit penitus. Ager, vico adiectus, laxus eſt, & in eorum ponendis numero, qui neque ſteriles nimium ſunt, neque extra modum fertiles. Hunc colles herboſi, varie ſeſe adtollentes, & vico, in valle poſito, circumſiti, iucundum reddunt, amœnumque. Sunt in iis veſtigia propugnaculorum, adhuc exſtantia, quin & rei metallicæ, rudera quædam: quod locum opinioni facit, agrum hunc, qua montanus eſt, fodinas habuiſſe priſcis temporibus.

4.) *Kis-Ieſzen*, vulgo *Niznè Ieſzeno*, in diplomatibus *Terra Obusk*, ſeu *Abusk*, quam Bela IV. *Preyslo*, *Vélegen*, & *Iacobo*, impertitus eſt, anno MCCLV. Habet locus *curias* tres. Alioquin agri fertilitas, & opportunitates reliquæ, eximiæ ſunt.

5.) *Nágy-Ieſzen*, Slauis *Wiſſnè-Iaſzeno*, vicus, ampliſſimo territorio circumfuſus. De laxitate inde coniicias, quod ad duo protenſum milliaria, *Roſenbergenſi* apud *Liptouienſes*, ditioni, limitaneum ſit. Montes, in primis *fraxinos* alunt, quod ſicuti vico nomen dedit, ita eius poſſeſſoribus, inſignia tribuit. *Fraxinum* enim gerunt, qui *Slauo* idiomate *Ieſzen*, & inde antiquiſſima hæc ſtirps, *Ieſzensky*, dicitur. Qui hos antegreſſus eſt, poſſeſſor, in diplomate *Záborskyorum*, quo eorum metæ definiuntur, *Temèrdek András*, adpellatur. Huius poſtea ſucceſſoribus, nomen *Magya*, denique *Ieſzensky*, adhæſit. Familia vtique præclara, & optimorum virorum perquam fœcunda. In his, neſcio ornamentone potius, an dedecori gentis natus credi debet *Ieſzenius*, ille Doctor Pragenſis, qui partes *Friderici Palatini*, aduerſus Ferdinandvm II. pertinacius ſequutus, facinus illud capite luit. Collis, qui vico ab oriente adſedit, *Hradiſſte* vocatur, ob caſtri rudera, quæ adhuc oſtendit. Fit huius mentio, in diplomate *(f.)* anni MCCLXXIV. quibus metæ *Ieſzenenſes* deſcribuntur, ad eum modum,

d.) Ibid. §. IX.

e.) Ibid. §. II.

f.) Registvm *de Thèrèck*, §. III. Diploma, & Genealogiam familiæ *Ieſzensky*, in adparatibus noſtris habemus.

vt iam tum, *caſtrum illic fuiſſe* olim, *dicatur:* vnde colligas, frequentiũ iſthæc, per colles, munimentorum rudera, ad barbara illa tempora referri oportere, quæ *Hungarorum* aduentum ſunt antegreſſa. Conſtat locus *Curiis* duabus.

6.) *Felsó-Kelnék*,

7.) *Alsó-Kelnék*, iſte *curialis;* ille contra, ſi *curiam* exemeris medĩam, *portalis:* vterque, modico inuicem interuallo diſcretus, ad amniculum *Iordán* conſedit; iuris *Plathyani*, ſi *Curiam*, in *Alsó-Kelnék* demas. quam exſtincta familia, *Parisháza*, Liptouienſes *Rakowskii*, ab indulgentiſſimis Regibus, impetrauerunt. Ager quidem bene laxus eſt; ſed cum ſterilis fere, tum montium, & ſiluarum egenus.

8.) *Dolina*, & ipſe vicus *Curialis*, ſed vtrique ſexui, meliore ſui parte, ex æquo communis. Qua re fit, vt perfugium ſit eorum, qui, cum ex ſe ſint tenuiorum fortunarum, vxorum iuribus, conſultum eunt rationibus ſuis. Quantus quantus vero eſt, *Curiam* efficit vnam, multifariam diſpertitam. Familiarum, quæ hic florent, præcipua eſt, *Dolinayorum*: ex qua haud ita pridem, *Gabriel Dolinaj* emicuerat. Eſt hic & familiis *Czeper*, *Bohunka*, & *Ivanka*, hærediolum quoddam.

9.) *Bella* hinc, altius in orientem, viſitur, olim, *Liberæ villæ Regiæ (g.)* prærogatiua inſignis, hodieque ita amplus, & incolis copioſus, vt vix toto Comitatu reperias, cum quo eum conferre poſſis. Iuris eſt *Révayorum*, & retinet adhuc priſtinæ libertatis iſtud monumentum, quod diebus ſolis, ſummo mane, & antequam ſacra ineant, fora celebret; inſtituto profecto præpoſtero. Olim, arce, præcelſo monti inædificata, claruit, cuius hodie, rudus tenue ſupereſt. Territorium, cum rei frumentariæ, tum pecuariæ in primis, longe commodiſſimum: hinc enim fertili planitie gaudet, alpibus illinc herboſis, & ouium pabulationi, quin & hibernis ſtabulis, perquam opportunis. Neque feras, venatui, etiam creberrimo ſuffecturas, deſideres; ita fœcundi montes *Bellenſes* ſunt, vrſorum, aprorum, vulpium, & leporum. *Lynces* quandoque, & ceruos, tametſi rarius, deiectos accepimus.

10.) *Gyula-Falua*, Slauis *Dulicza*. Nimirum, Ladislavs *Cumanus*, anno MCCLXXVIII. *(h.) Gyula*, & *Araczk*, filiis *Paulli* Comitis, *Iohannis* filii, cognatis *Maczonka*, vicum donauerat, quem idem *Gyula*, a ſuo nomine adpellatum voluit. Ager loco obtigit anguſtus, neque eius fertilitatis, quæ habitui regiunculæ, quomodocunque reſponderer. *Curiis* duabus abſoluitur, quas familiæ *Bulyowsky*, *Gabrhel*, & *Sluch*, antiquo iure, inſederunt. Poſt rem ruſticam, præcipua incolis occupatio, aucupio abſoluitur, quod hic fructuoſe ſit. Sunt præterea, vtricularii, & fidicines præſtantiſſimi, vt progeniem

g.) Ita priſcæ litteræ: *Nos* Pangratius *de S. Nicolao, reſidens in caſtro Blatnicza vocato, memoria commendantes &c. Quod Prouidi Index, Iurati, & communitas Villa Regalis* Bela *dicta &c. Datum* in prædicto Caſtro A. MCCCCXXXV.

h.) Regestvm *de Thúrócz*, §. XXV.

niem *Iubalis* crederes, fœcundo traduce, huc propagatam. Vix commode, ſaltationes inſtitui poſſe *Thúróczienſes* putant, niſi *Dulcenſis* adſit, qui ex vtre, fiſtula, aut fidibus canat.

11.) *Neczpál*, proxime illinc ſedet, copioſus omnino vicus. Olim dominos habuit cognomines, *(i.) Naczpali:* quibus exſtinctis, familia *Iuſth*, oppido antiqua & celebris, regum indulgentia, ſucceſſit. Ceteroquin, vici ager, amplitudine, nulli ſecundus eſt; ſiue agros frumentarios, & campeſtria paſcua; ſiue montium iuga, longe lateque protenſa, in cenſum voces. Ipſe vicus, tribus caſtellis ſuperbit, quorum inferius *Andreæ Iuſth*, opus nitidum ſatis, & habitatu commodum eſt. Alioquin *locus* eſt *Articularis*, A. C. addictorum.

12.) *Sámbokret*, Slauis *Zabokreky*, itidem *Iuſthianæ* gentis hæredium, in amœna, patenteque planitie; ſed arenoſa ea, atque ideo ſterili. Hinc, ſi frugiferas meſſes habere volunt incolæ, crebro lætamine agros iuuent, neceſſe eſt. *Altera* iſto Comitatu, *publici veredarii ſtatio.*

13.) *Koſtyán*, ager vico obtigit campeſtris, & paſcuis lætus pratisque. Siluis *Neczpalenſium* vtuntur incolæ: quippe, & ipſi ditioni *Iuſthianæ*, ſed iure vtrique ſexui communi, adſcripti. Heic quoque, arcis quoddam rudus exſtat, quam MATTHIAE *Coruini* temporibus, *Koſtyán* quidam, homo ſuæ ſpontis, & regi, vti tunc ingenia fuerunt, refractarius, inſidebat: quare factum, vt depulſis *Huſſitarum* reliquiis, ſolo æquaretur, vici poſſeſſione *Iuſthiis*, qui tunc arcem *Vigleſch*, apud Zolienſes, in poteſtate habebant, adtributa.

14.) *Pribócz*, vel antique *Pribouch*, bipartito olim diuiſum fuiſſe vicum, ex diplomatibus conſtat, quem ANDREAS *Hieroſolymitanus*, *(k.)* anno MCCXXXV. ſibi emortuali, Comiti *Radón*, impertiuit. Poſtea, in *(l.) Hroznowskyorum*, ſexus vtriusque, & *Beniczkyorum*, priſcæ ſtirpis nobilium, poteſtatem conceſſit: a quibus hodieque tenetur, eſtque iam ſedes *Thomæ Beniczky*, *Vice Comitis*, qui heic prætorium, ſeu caſtellum habet, ita poſitum, vt a ſeptentrione quidem amniculo *Blatnitza* ſubluatur, ab oriente vero, amnem *Thúrócz* adlabentem proſpiciat. Ager loci vaſtus eſt, & fertilitatis eximiæ, ſiluis tamen nudus.

15.) *Nagy-Rakó*, alias *Rakowo*, olim *Zaluzan*, ſeu *Terra Zaluzan.* Hanc BELA IV. *Martino* ſacerdoti, fideli ſuo capellano, vti loquitur diploma, & fratri eius *Ladislao*, A. MCCXLII. donauit. Sed ea poſſeſſio, *Ladislao*, & *Martino*, nequiuit eſſe intemerata: quippe quam, *Lorandus*, Frater *Vrin*, violenta occupatione turbauerat; vt debuerit omnino LADISLAI *Cumani*, nouo diplomate, A. MCCLXXXIII. iuſtis poſſeſſoribus vindicari. Poſtea, nomen poſſeſſorum, a vici adpellatione ductum fuit, dicunturque hodie *Rakowskyi*. Circumdatur

i.) Ibid. §. XV.
k.) REGESTVM *de Thúrócz*, §. XVI. vbi plura, huc ſpectantia, diplomata legas.
l.) Diplomata eius gentis in cimeliis noſtris ſunt.

agro, extra regionis modum, fertili, & pratis luxuriante: quod a ſitus clementia arceſſimus; inſidet enim eleuatiori amnis *Thúróczi* ripæ.

16.) *Kis-Rakó*, ſeu *Lehotka*, *(m.)* aliquando agri *Nagy-Rakó* portio fuit, quam *Ladislaus*, cuius nunc habuimus mentionem, cum filio *Iacobo*, nato *Latibor*, anno MCCLXXXVI. *nouem marcis, & vno fertone*, (quadrantem ita vocat diploma) iure hæreditario vendidit. Territorii exilitas, fertilitate penſatur; eodem enim quo prior vicus, ſitu gaudet. Eſt ſedes, & poſſeſſio, eximiæ gentis *Lehotzkyorum*.

17.) *Diánfalva*, vel *Dianowa*, vicus copioſus, cuius agrum frumentarii colles, decorum reddunt amœnumque. Subluitur fluuio *Blatniczæ*, eſtque *Révayorum* hæreditas.

18.) *Folkusfalua*, olim *Zobozló*, altius, verſus montes, in orientem repoſitus. Ferunt, poſſeſſores loci, ampla *(n.)* hodieque priuilegia habere, a priſcis Regibus, puta Stephano III. A. MCLXXI. Andrea Hieroſolymitano, anno MCCXXX. Ladislao Cumano, anno MCCLXXXVI. Sigismvndo, anno MCCCLXXXIX., *aliisque*, accepta. Hodie, *curias* habet *tres: Laczny*, *Gyurgyik*, & *Tomka*: quartam enim, nobiliſſimæ gentis *Beniczkyorum* ruſtici, colunt. Ager, vico obtigit, exilior, quam id vſus poſceret: hinc, æſtiua pecorum pabula, a vicinis, ære coguntur redimere. Huc & *S. Andreæ Eccleſia*, altius in orientem ſecedens, refertur: quippe quam, *Falkusfaluenſes*, antiquo more frequentare adſolent. Ceteroquin, leporum captura excellunt incolæ, quos illi, retibus ſcite norunt intercipere.

19.) *Blatniczæ*, arci cognomini adſitus. Fuit olim *Villa Regia*, cum arx regibus peculiaris eſſet. Iam eius poſſeſſio, penes gentem *Révayanam* eſt; tametſi & aliæ ſint familiæ, quibus ſua hic ſunt hærediola. In his eſt, nobiliſſima *Prónayorum* ſtirps, curiæ mediæ poſſeſtrix, felici traduce, per *Paullum* quidem in *Neogradienſem*, per *Gabrielem* autem in *Peſtienſem Comitatum* propagata. Ceteroquin, non vici tantum, ſed agri etiam, quem nactus eſt, amplitudo, nulli iſta regione facile conceſſerit. Amniculus, e proximis vallibus egreſſus, locum interluit, gemina mola, cum frumentaria, tum materiaria, incolis fructuoſus.

20.) *Károlyfalva*, nunc *Karlowá*, poſitu longe opportuniſſimo, amniculo *Ielschowetz*, qui heic ortus, poſtea in *Blatniczam* influit, adſidens. Subeſt perenni iure *Beniczkyis*, cum agri præſtantia, tum in primis prouentu braſſicæ, quam copioſe educant incolæ, memorandus.

21.) *Bálintfalva*, vulgo *Walentowa*, olim *(o.) Murenfölde*, a poſſeſſore dictus. Nimirum, *Comes Muren*, A. MCCLXXXIII. *Iacobo*, filio *Latibor*, vicum vendidit, qui ſecutis temporibus, ditioni *Nyárianæ* acceſſit. Sedet in ripa *Thúróczii*, ſolem orientem proſpiciente,

m.) Monumenta huc facientia, vna cum Genealogia familiæ *Lehotsky* de eadem ſeu *Kis-Rakó*, communicauerunt nobiſcum, eiusdem gentis viri optimi.

n.) Certe, in Regesto *de Thúróczi*, §. LXV. decem diplomatum habetur mentio.

o.) Ibid. §. LIV.

ente, eaque eleuatiore. Anguſtum, quod ei obtigit, territorium, ſiluarum quidem eget, fertilitatis tamen eximiæ eſt. Eius hodie poſſeſſio, ad ſucceſſores familiæ *Nyáriana*, *Nemes*, & *Pállya*, pertinet.

22.) *Laszkár*, priori, a meridie viciniſſimus, & cum ſitu, tum agri qualitate, ſimillimus. Pertinet ad dominationem *Révayorum* Blatniczenſem. BELA IV. A. MCCLV. *Latibori*, quem ſæpius memorauimus, filio *Porſu*, donauiſſe locum hunc, in diplomatibus legitur.

23.) *Szoczovecz*, *(p.)* alias *Kis-Szoczócz*, vulgo *Stránka*, monti ſubſitus cognomini, cui ædes ſacra *B. Mariæ Virgini* dedicata, inſedit: olim, conuentu inſignis, qui Conuentus *B. Mariæ Virginis de monte Kis-Szoczócz*, dici conſueuit. Vicus ipſe, bipartito poſſidetur; partem enim alteram, BELA IV. A. MCCLVIII. *Benedicto*, & *Petro*, filiis *Czepany*, lapidicidis ſuis; alteram, parochiæ *Martinopolitanæ*, impertitus eſt. Agri anguſtiam, eximia eius fertilitas, compenſat. Hodie, nobilium *Szoczowsky*, ſi colonos quatuor excipias, *Martinopolitanæ Eccleſiæ* adſcriptos, hæredium eſt. Fuit hic *Proceſſus ſecundus*, qui & *Blatnicenſis* dicitur.

MEMBRVM III.

DE

Proceſſu Moſchouienſi.

PRoceſſus hic, oram Comitatus orientalem, cis amnem conficit, ab oppido *Moſchouia*, denominationem ſortitus. Anteit vicorum numero duos priores; arcium tamen inops eſt. Proinde, viſo oppido, vicos eius luſtrabimus; idque eo diligentius, quo plura nobis, genuinæ antiquitatis ſuppetunt monumenta.

SECTIO I.

DE

Vnico huius Proceſſus Oppido Moſchótz.

SYNOPSIS.

Moſchótz, *copioſum olim oppidum: eius adpellatio: coaluit ex tribus vicis.* §. I.

Oppidi celebritas præcipua a nundinis eſt: incolarum ingenium & occupatio. §. II.

p.) REGESTVM *de Thúrócz*, §. XLIV. vbi *Sochuoch* vocatur.

Prætorium in oppido geminum: molæ frumentariæ: | *Cereuiſiæ huiatis vituperium.* §. III.

§. I.

Moſchotz *copioſum olim oppidum:*

MOSCHÓTZ, latine *Moſchouia*, Slauis *Moſchowcze*, copioſum olim & diues oppidum, priſtinæ amplitudinis iam pene oblitum. Quibus ſolenne eſt, in eruendis locorum nominibus argutari, ex idiomate *Slauico*, nomen oppidi arceſſunt, quaſi eſſet, *Moſchewczow*, id eſt, *magna Sutorum vis*, ſeu *numerus*: vnde lapſu, & declinatione ſermonis, *Moſchowcze*, enatum ſit. Ludunt illi quidem; ſed dicunt tamen aliquid: eo quod *Moſchouia*, communis quædam ſutrina ſit *Thúróczienſis Comitatus*. Aliam denominationis rationem, adferunt alii, quæ ſimul originem oppidi prodat quodammodo. Nempe, tres vicos in hanc, quæ hodie exſtat, oppidi molem, caſu, an neceſſitate? coiuiſſe, vt locus inde *Znaſchowtze*, & poſtea innexo vico *Majuſch*, *Moſchowtze*, *(a.)* dictus ſit. Nam vbi nunc forum oppidi eſt, olim *Aduocatio Villæ Majuſch*, ſeu, *Libera Villa Regia Majuſch*, ſedebat; qua vero platea inferior procurrit, *(b.) Tsernakow*, viculus conſpiciebatur; nomen ab amne, qui oppidum, ſeptentrionali latere adluit, indeptus. Vltimus, hodiedum tuetur antiquitatem, diciturque *Stary-Rad*, hoc eſt, *ordo*, ſeu, *adium ſeries antiqua*; cum primitus *Majuſch* ſimpliciter diceretur. Eum vicum *(c.)* ANDREAS *Hieroſolymitanus* A. MCCXXXIII. *Porſon*, *Laurentio*, & *Sopyr*, donauit: quam demum eius munificentiam, filius ſuus BELA IV. A. MCCLV. nouo diplomate, ratam habuit.

eius adpellatio:

coaluit ex tribus vicis.

§. II.

Oppidi celebritas præcipua a nundinis eſt:

PRæcipua oppido, a nundinis, frequentia eſt. quæ hic, diebus *Fabiani* & *Sebaſtiani*; *Stanislai*; *Dominica Trinitatis*; atque diebus *Transfigurationis Domini*; *Matthei*; & *Omnium Sanctorum*; ſicuti fora hebdomadaria, ſingulis *diebus Mercurii*, magna celebritate aguntur. Incolæ, ruſticatione potiſſimum viuunt, plerique opificiis, atque hi fere, qui ſutrinæ ſeruiunt. Morum hinc ratio exiſtimari poteſt, ſimplex omnino, & multum agreſtis vrbanitatis referens. Et, cum *Thúróczienſes* diſcinctos, per dicterium vocitari, ſupra memineri-mus; *præcinctos* Moſchouienſes, iure poſſis dicere. cingula enim gerunt, e corio facta, latitudinis palmaris, quibus hieme gauſape, æſtate ſubeculam ſubcingunt. Agri tanta eſt vaſtitas, vt montes, *Neoſolienſibus* habeant limitaneos. In his arcis *Drienok* veſtigia notauimus, cum montes regionis memoraremus.

incolarum ingenium & occupatio.

§. III.

a.) Hæc, a prouinciæ Thúróczienſis inquilinis, accepimus. Nobis tamen ita videtur, quidquid ſit nominis, ex vocabulo *Majuſch*, enatum id eſſe; vt primum *Majuſſowcze*, ac poſtea, *Moſſowcze* locum adpellarint, *Slaui* incolæ.

b.) REGESTO *de Thúrócz*, §. XLVII.

c.) Ibid. §. XXXVI.

§. III.

HOdie, duo prætoria habet oppidum: quorum recentius, *Emericus de Réva*, opere eleganti ac ſolido, ſuperiore ætate condidit. Vtrumque, cum oppido vniuerſo, *Révayanæ* ditionis eſt; tametſi haud deſint, qui hypothecario iure, aliquam eius partem teneant: vt *ceſſionem*, *Uhrinowská* dictam, taceamus, quæ *Rakſanianæ* gentis hereditas eſt. Quin & molas frumentarias, quarum tres ſunt, intra oppidi pomœria, varie poſſeſſas accepimus: prima enim ad oppidanos; ad *Parochiam* altera; denique tertia ad *Scholam*, pertinet. Cereuiſia *Moſchouienſium*, quod e parciore polenta, lupulo autem coquatur cumulatiore, ſicuti diluta nimium eſt, atque ſaporis extra modum amari; ita, haud iniuria, vituperationem ſubit.

Prætorium in oppido geminum:

mola frumentaria:

Cereuiſiæ huiatis vituperium.

SECTIO II.

De

Vicis Proceſſus Moſchouienſis.

VIdimus, vnicum *Proceſſus* oppidum. Iam, quos habeat vicos, fas eſt cognouiſſe.

1.) *Blaſchótz*, Slauis *Blazowcze*, olim familiæ cognominis, vetuſta hæreditas, qua exſtincta, ex donatione *Alexii Thurzonis*, *Iudicis Curiæ Regiæ*, & *Locumtenentis* FERDINANDI I. in poteſtatem *Georgii Rakowsky*, *Vice Palatini*, iuxta ac *Vice Comitis Thúróczienſis*, A. MDXXXIII. d. XVI. Calend. Aprilis conceſſit. Sed cum idem *Rakowsky*, *Chriſtophori Seraphin*, hominis licentioſiſſimi, atque notæ infidelitatis rei, bona *Tót Pronenſia*, vna cum vico *Mezőház*, impetrauiſſet, occupaſſetque, fruſtra contradicentibus, ad quos, *Seraphino* iam fatis functo, eius ditionis poſſeſſio, iure optimo, pertinebat, *actus maioris potentiæ* accuſatus, damnatusque fuiſſet, non aliter abſolui potuit, quam vico *Blaſchótz*, hæredibus *Seraphini*, cum diplomatibus, perenni iure, traditis. Atque eum in modum *Rakowskyi*, poſſeſſione vici exciderunt, qui hodieque *Curiæ Tót Pronenſi*, cui *Seraphin* nomen eſt, accenſetur. Loci ſitus, & amœnus eſt, & opportunus: nam hinc *Moſchouienſes*, illinc amnem *Thúrócz*, vicinitate contingit.

2.) *Mezőház*, *(d.)* exiguo agro, inter *Blaſchótz*, & *Bodófalvam*, interſito, fœcundo tamen, præditus; ſed ſiluarum egeno. Adſcribitur eidem *Curiæ Tót-Pronenſi*, quam *Seraphin* vocant.

3.) *Bodófalva*, vulgo *Bodowicze*, primitus *(e.)* *Othmár* dictus: quippe quem, BELA IV. *Paullo Othmár*, filio *Banana*, & *Ladislao*, filio *Wahud*, A. MCCLVIII. donauerat. Viciniſſimus ei eſt

4.)

d.) In REGESTO *de Thúrócz.* §. LII. *e.)* In eodem §. VI.

4.) *Wachotfalva*, olim, priori adunatus, ſed hodie ab eo diſcretus: modicus is, & *media curia* conſtans. Nomen, a *Vahud*, cuius nunc habuimus mentionem, accepit; eo quod vna cum *Othmár*, in vici poſſeſſionem venerat.

5.) *Iezernitze*, a lacu, gelu etiam intenſiſſimum reſpuente, ita dictus. Subluitur amniculo *Iezernitza*. Ager in iis cenſendus eſt, qui neque extra modum fertilis eſt, neque ſterilis nimium. Habet *Curias* duas, *Iezerniczkianam* alteram, alteram *Tarnoczianam*. Hinc inſignis *Iezerniczkiorum* familia prodiit.

6.) *Markowicz*, viculus *Carialis*, trium ædicularum, priori a meridie vicinus, eademque ſoli qualitate, quam illic deſcripſimus, præditus. Ditio *curiæ mediæ*.

7.) *Borczfalva*, Slauis *Borczowa*. Antea ad ditionem *Tót-Pronenſem* pertinuit; hinc communia ei hodieque, cum *Tót-Pronenſibus*, iura: quæ vt teſtata faciant *Borczfaluenſes*, pontem quendam, agri *Tót-Pronenſis*, quoties opus eſt, inſtaurare ſueuerunt. Ager, *Moſchouienſem*, ab occidente contingit, egregiæ is quidem fertilitatis, ſed anguſtior tamen, quam pro vici copia.

8.) *Kewitz*, alias *Kevehája*, quaſi a domicilio *Keve*, ducis Hungarorum, nomen accepiſſet. Claret natalibus gentis *Kewitzkyanæ*, *(f.)* eſtque locus *Curialis*, agro obſeſſus, ſicuti fœcundo minus, ita ſiluis deſtituto. Abſoluitur *Curia* vna.

9.) *Paraſzka*, ſeu *Paraſchtina*, olim, pars *Vidaſóld*: tenuiſſimus viculus, ex agro *Bodoróſaluenſi* aliquando decerptus. Aiunt enim, herum ditionis *Bodoróſaluenſis*, vni, e famulis ſuis, bene de ſe merito, tantum agri donauiſſe, quantum baltei iactu, in latitudinem poſſet emetiri; quo factum ſit, vt ager iſte anguſtus nimium euaſerit, longitudine autem ea manſerit, qua eſt *Bodoróſaluenſis*. Poſſeſſores vico ſunt cognomines.

10.) *Bodor-falva*, vulgo *Bodorowa*, primitus *(g.)* *Vidaſóld*, a poſſeſſore *Vida* nuncupata. quo ſine prole fatis functo, Bela IV. A. MCCLXVI. *Gyugye*, & *Láſzló*, perenni eum iure donauit. Eſt hodie ſucceſſorum *Nyárianorum*. Ager eximie fertilis, ſiluas, cum *Dubouienſibus*, easdem cædens.

11.) *Zorkócz*, antique *Zorkfalva*, vulgo *Zorkowtze*. Adſidet agro *Moſchouienſi* ab aquilone, *Rakſenſi* ab oriente vicinus. Sedes natiua perantiquæ *Zorkowskyorum (h.)* familiæ, eo forte incommoda, quod ad viam regiam poſita ſit; ceteroquin ager, qui vico obtigit, commodus eſt, & querceto, quaſi ex induſtria conſito, amœnus.

12.) *Rakscha*, inſignis vicus, antiquæ *Raksányorum* genti, iam tum a Ladislao *Cumano*, A. MCCLXXX. *(i.)* adſcriptus. Certe diploma, *Mikſche* cuidam, filio *Rekſe*, & cognatis eius *Drachen*, *Nicolaum*

f.) Diploma eius, cum adnexa Genealogia, inter adparatus noſtros eſt.
g.) Regesto §. xxiv.
h.) *Genealogiam* familiæ, & *diplomata*, itidem poſſidemus.
i.) Regestvm *de Thúrócz.* §. lxi.

colaum Herch, *Ruten*, & *Vrban*, donatum fuiſſe perhibet. Cumque ſequutis temporibus, depulſi ab eius poſſeſſione fuiſſent, quos nunc memorauimus, CAROLVS I. A. MCCCXL. *Michaeli*, filio *Drachen*, & *Damiano*, filio *Galli*, & horum cognatis, nouo eam diplomate adſeruit. Geminam olim *Superiorem*, & *Inferiorem Rakſtham* fuiſſe memorant, quarum altera campis caruerit, montibus & ſiluis altera. qua re factum ſit, vt in vnum coaluerit, vicus diſpertitus. In montibus, quos pinis, & abietibus veſtitos habet, eximius quidam collis, loco perquam opportuno, prominet, cui caſtrum vallidiſſimi operis inſediſſe, ruderum veſtigia condocent. *Hrádek* ideo, hodieque monti illi nomen; ſicuti campo, qui arci ab occidente, in amœna quadam valle obiicitur, *Táboriſchte*: illud *arcem* ſignificat; iſtud *caſtrorum veſtigium* eſt. Et ſunt omnino operum militarium exſtantia hodieque, circa eum collem monumenta, ex quibus, cum de robore arcis, tum de operoſa obſidione, queas coniicere. Sed qua ætate, & a quibus, aut contra quos ſuſcepta ea fuerit, nemo facile definiuerit. Equidem, ad *Huſſiticas* illas graſſationes, quæ SIGISMVNDI temporibus, & poſtea euenerunt, rem omnem retulerim. Præterea, & metalla aliquando erui oportuit in *Rakſchenſium* montibus, id quod ex ſcoriarum, quæ exſtant, cumulis partim, partim ex *Slauico* nomine, *Baniſchte*, quo certam montium regionem adpellant, quodque fodinarum locum notat, haud obſcure colligas. *Curia* loci adhuc gemina eſt, *Superior*, & *Inferior*, quæ tanta accuratione dimenſum habent agrum, vt & *Macza*, riuuli vicum interſecantis, alueolum, bipartito diuiſum teneant.

13.) *Nedozer*, *(k.)* vicus *Rakſcha*, ita vicinus, vt niſi riuulum haberet diſterminatorem, idem credi poſſet. Accenſetur *Nyáriana* ditioni; ſed nunc in ære eſt *Ladislai Iánoky*. Territorium, ſi eius vbertatem ſpectes, nil quidquam *Rakſchenſi* concedit.

14.) *Sz. Mihály*, vulgo *Swaty Michal*. Primitus *Terra Nimſchir* dicebatur, & ita omnino diploma habet, LADISLAI *Cumani*, qui locum hunc, anno MCCLXXXVIII. *Matthiæ* cuidam, filio *Andreæ*, loco alterius, qui *Cheremle* apud Liptouienſes dicitur, *cambii*, quod vocant, *iure* dederat. Vicum, in primis amœnum facit, collis, cui inſedit, molli tubere adſurgens. Cetera, ager, *Nedozerenſi* quam ſimillimus eſt. Caſtellum heic inædificatum, eosdem cum vico heros habuit hucuſque.

15.) *Dévik*, Slauis *Diwiaky*, iuris *Plathyorum*, vetuſtæ nobilitatis familiæ, *Comitatu Liptouienſi* ſatæ. Ager vici, & laxus eſt, & non prorſus ſterilis. Magnum ei decus caſtellum conciliauiſſet, ſi molem, quam cœperat ſubſtruere, *Alexander Plathy*, vir, longiore vita dignissimus, conſummare potuiſſet. Adſedit amniculo *Zarnocza*.

16.) *Kis-Cscheptschin*, Slauis *Maly Cscheptschin*, cum antiquis, *(l.) Kis-Majusch*, diceretur. Agro gaudet ſiticuloſo, & vnico admo-

k.) Exſtat eius mentio in REGISTO de *Thúrócz*, §. LI.

l.) Ibid. §. XLV.

dum fonte prædito, frugum tamen, potiſſimum auctumnalium, feraci. Secat vicum, amnis *Iezernitza*, piſcium, toto Comitatu, facile ditiſſimus, idemque eius naturæ, vt ſi gelu incidat rigidius, ante lapides, quos alueus habet, glacie inducantur, quam aquarum ſuperficies queat concreſcere. BELA IV. *Namzalom*, & *Dobotz*, filium *Szokowa*, A. MCCL. vico iſthoc donauiſſe, in diplomatibus legitur. Hodie, tres familiæ rerum hic potiuntur. Sunt autem: *Cseptsány*; item alii *Cseptsány*, alias *Hlawaty*; denique *Batiſz*.

17.) *Deák-Falva*, vulgo *Deákowá*, olim *(m.) Albert-Földe*. Hodie nihil niſi veſtigium eſt vici, aliquando copioſi & laxi. Solum *Cscheptschinenſi* conſimile. Eius poſſeſſio bipartito diuiditur, cuius partem alteram, familia *Csernansky*, alteram *Plathy*, & *Zorkowsky*, ſibi vendicant.

18.) *Iwanka-Falva*, Slauorum dialecto *Iwanczina*, orientali amnis *Thúrócz* ripæ inſidens, viculus, ex ſe tenuis, & ſparſo varie agro, habitatu incommodus. Alter hic apud *Thúróczienſes* locus eſt, quem *Articularem*, vocant noſtri, eo, quod publica lege, exercitio religionis Aug. Confeſſionis addictis, permiſſus ſit, ad quam rem opportunus ſane eſt: quippe qui, frequentibus vicis, & nobilium virorum prætoriis, circumſideatur, vnde, ad faciendam rem diuinam, feſtis diebus numeroſi huc coeunt. Aedes ſacra, e materia, eleganti opere contignata eſt, quam liberalitas cum aliorum, tum in primis *Suſannæ Rakschány*, viduæ PAVLLI OKOLITSÁNY, celeberrimi apud Hungaros, dum viueret, ICti. A. MDCCXVIII. excitauit, ſimul mariti deſideratiſſimi emortualem cryptam, cui A. MDCCXV. illatus eſt, honoratura. Eius epitaphium huiusmodi eſt:

OKOLITSANY PAVLLVS *iacet hicce ſepultus*,
Hungarici quondam portio magna ſoli.
Virtutum ſpecimen, docta fiſcusque Minervæ.
Patria Legiſtam, raro habitura parem.
Sobrius in vita, manſues, Regique fidelis;
Qui coluit veteres, non ſine laude ſophos.
Mortuus ille quidem, ſed fama manebit in æuum
Aſtor donec erit, donec in orbe reus.

Ditio ſucceſſorum eſt *Nyáriana* gentis, carptim diuiſa.

19.) *Dworecz*, familiæ *Kontſek* hæreditolum, priori illi prorſus vicinum, modico quidem agro, ſed idoneo ruſticationi. Hoſpitio accipit *Paſtores Iwanka-Falvenſes*.

20. *Nagy-Cscheptschin*, Slauice *Welky Cseptzjn*, vicus latiſſime diffuſo territorio, inſignis olim; ſed quod iam pridem extra modum diminutum eſt, poſſeſſorum culpa. Enimuero, quidquid agri & montium, toto illo tractu, vbi *Czernakowo*, duæ *Mutna*, *Neo-Stubna*, *Sklenno*, & vterque *Turtschek*, viſitur, vſque ad limen *adis S. Ioannis*

m.) Ibid. §. XVIII.

ni ſacræ, aureo *Cremnitzienſium* monti inædificatæ, id omne limitibus *Nagy-Cscheptschinenſium* continebatur. quæ quidem agri laxitas, nomen *Magni Cscheptschin* conciliaſſe vico, haud iniuria credi poteſt. Pars, tantæ molis territorii, iuribus *Cremnitzenſium* accenſa iam eſt, pars inter alios poſſeſſores diſſipata. LVDOVICVS I. diuitem agri, & montium locum, A. MCCCXLIII. *(n.) Blaſio*, filio *Paulli*; *Endre*, filio *Boda*; *Iohanni*, filio *Petri*; *Nicolao*, filio *Paulli*; *Abrahæ*, filio Abrahæ & *Batiſz*, filio *Zalek*, non tam dedit poſſidendum, quam confirmauit. Horum ſucceſſores hodie, *Wladár*, *Sándor*, *Caſparides*, dicuntur.

21.) *Kis-Falu*, Slauis, *Malá Wieſzka*, ad occidentale *Thermarum Stubnenſium* latus conſedit. Adſcribitur iuribus *Révayorum* perpetuis. Rus, vico circumſitum, amplum non modo eſt, ſed fertile etiam, & cum primis pratis, atque paſcuis lætum. Sed ſiluas in Moſchouienſium agro cædunt, cum eas propiores fere habeant, quam ipſi oppidani.

22.) *Háy*, altera *Thermarum Stubnenſium* parte viſitur. Laxus copioſusque vicus, cuius fortunas egregie ſuſtentat, agri, quem indeptus eſt, præſtantia. Habet caſtellum, haud importune ſubſtructum, villico tamen, quam hero, magis idoneum. Accenſetur ditioni *Cremnitzienſium.*

23.) *Cseremoſſnuo*, ſupra *Háy*, in montium radicibus, eo itinere poſitum, quod, monte *Hermanetz* traiecto, *Neoſolium* ducit. Ad eandem *Cremnitzienſium* ditionem pertinet.

24.) *Alsó-Stubnya*, Germanis, *Alt-Stuben*, Slauis *Dolná Stubna*, grandis admodum vicus, & non tam agri præſtantia: quippe qui, ſterilis admodum, & ſiluis inſeſſus eſt; quam incolarum copia, & in re ruſtica facienda, ſingulari induſtria, memorandus. Paret iuribus *Cremnitzienſium*, ſubluiturque amne *Zarnowicza*, ex montium, qui ad orientem vergunt, valle cognomine, delapſo.

25.) *Felsö-Stubnya*, Germanis *Neu Stuben*. Slauice *Horná Stubna*. colitur ab incondita *Germanorum* plebe, ſed induſtria tamen, & rerum ſuarum ſatagente. Ex vitio ſitus, nam monti, quem *magnum* vocant, quique *Neoſolienſibus* limitaneus eſt, ſubiicitur, agrum nactus eſt ſteriliorem. Præter rem ruſticam, difficilem illam, & multi laboris, incolarum plerique materiarii ſunt, & vario lignationis genere, *Cremnitzenſium* metallorum adminiſtri. quorum ditioni, antiquo iure, vicum adſcriptum eſſe, apud omnes conſtat.

26.) *Alsó-Turcsek*,

27.) *Felsö-Turcsek*, a profluente *Turcsek*, id nominis ſortiti. Iniquo vterque ſitu, & rei ruſticæ importuno. Hinc opera incolarum omnis, iis rebus occupatur, quæ ſunt rei metallicæ, neceſſariæ. Certe, exurendis carbonibus, cædendis vallis, ad fulciendos cuniculos & puteos neceſſariis, & id genus materiæ parandæ, cum cura vacant.

n.) Ibid. §. XLI.

28.) *Sklenuo*, Germanis, *Glaſer-Hay*, credo primitus ab officina, flando vitro facta, ſic dictus. Vicus copioſus, ac toto Comitatu, nulli ſecundus. Inquilini *Germani* ſunt omnes; ſed oris, & cultus, nihil fere originis Germanicæ, referentis. Et horum labor, præter rem ruſticam, cui agrum nacti ſunt minus idoneum, potiſſimum in iuuandis metallorum operis, ponitur, prouentu eo fructuoſiore, quo procliuius ipſis eſt, in proximam vrbem *Cremnitzienſium*, quotidie, ruſticæ mercis quidpiam importare. Iuris itidem *Cremnitzienſium* eſt.

29.) *Poſeha*, vulgo *Pozehy*, poſſeſſio, inclutæ *Révayorum Trebofztouienſium* familiæ, *allodialis*, cuius partem aliquam, & *Alexandri Plathy* ſucceſſores capiunt. Ager, vico adſcriptus, ea eſt amplitudine, quæ loco, etiam copioſiſſimo, idonea eſſe poſſit. Præter ſiluas enim, quas latiſſime porrectas habet, pratis non minus, quam campis herbidis, & agris frumentariis luxuriat.

30.) *Dubowá*, vaſtus omnino vicus, & cum ruris, tum ſiluarum in primis diues, quarum cædendarum, vicini ius conductitium habent. Loci poſſeſſio, trifariam diſpertita eſt, ex quibus duæ partes, *Nyárianis* ſucceſſoribus, tertia *Curiæ Tót-Pronenſi*, *Seraphin*, accenſetur. Ad loci commoditatem, *Acidulas* retuleris, quarum nobis ſupra fuit mentio. Incolæ, rei in primis pecuariæ ſunt ſtudioſi, & quod nemorum eos opportunitas inuitat, haud incurioſi venationis. Diſſidet *Moſthouia*, vno, in meridiem, milliari, quo quidem itinere, quercetum non ita pridem enaſci cœpit, iucundum illud, & quaſi ex arte ſatum. Iſta, ad *Proceſſum Moſchouienſem* pertinuere.

MEMBRVM IV.

De Proceſſu Znió-Clauſtrenſi.

QRam Comitatus reſiduam Processvs Znió-Clavstrensis, continet, quæ, trans flumen *Thúrócz*, montibus, ſolem proſpicientibus occiduum, ſubeſt, atque aduerſo amne in meridiem, ad *Nitrienſium* fines procurrit. Nomen ab arce Znió, quam daturi iam ſumus, indipiſcitur, habetque *vicos*, quam *Proceſſus* reliqui, pauciores; *oppida* duo. quæ ſingula adibimus.

SE-

SECTIO I.

De Arce Znió.

SYNOPSIS.

Arx Znio, *olim Thúrócz: fuit* Belæ IV. *perfugium:* Iwanka *eius conditor*, Forgáchianæ *gentis parens:* Belæ IV. *in eam rem diploma: Iwanka laudes, a rege recognitæ.* §. I.

Quando ad vaſtitatem redacta: adificii hodierni habitus. §. II.

Fit ſedes Præpoſituræ: Belae IV. *eam in rem, aurea bulla.* §. III.

Præpoſitorum catalogus: quando in ſecularium poteſtatem venerit. §. IV.

Redit poſtliminio ad Clerum a Rudolpho II. *Collegio S. I. Tyrnauienſi, deſtinatur: diploma in eam rem editum.* §. V.

Excidunt eius poſſeſſione Socii, tumultu Botskaiano, *& pace Viennenſi: datur a* Matthia II. *certis legibus* Cardinali Forgách: *eius tabula:* Forgáchii *reuerſales.* §. VI.

Ferdinandi II. *ad Pázmányum de tradenda* Ieſuitis *Præpoſitura, littera.* §. VII.

Ferdinandi III. *diploma, quo res omnis conficitur.* §. VIII.

Quæ ſit hodie Conuentus *ratio:* Conuentus *ſigillum.* §. IX.

§. I.

HAec illa eſt arx, cuius initio noſtræ, de *Comitatu Thuróczienſi*, commentationis, meminimus. *Thurócz* antea fuiſſe adpellatam, non eſt, vt moneamus denuo; tametſi moles illa, altius, quam hæc noſtra, olim conſederit, neque præter rudera eius, late proſtantia, quidquam obſeruetur hodie. Meminit vtroque nomine, vetuſtiſſimæ Arcis, Petrvs de Réva *(a.)* dum victum a Tartaris Belam, & in iſta montium luſtra profugum, memorauiſſet. *In eo*, inquit, *prælio, clariſſimi principes, quorum nomina non ſunt in annalibus poſita, perierunt, Rege interim, peregrino habitu, circum fines Polonia, in Comitatu Thúróczienſi præcipue latitante, vbi caſtrum* Thúrócz, *apud veteres illius ætatis, eo quoque nomine clarum habebatur, quod tum regi, tum plerisque, eo bello profugis, & fuga, & ſalutis certiſſimum præbuiſſet aſylum, cuius in hunc vsque diem veſtigia, & rudera ſuperſunt, ædificium nempe quoddam, turris inſtar, in loco excelſo,* Znió *adpellatum, quod virtutis* Forgáchia-

Arx Znió, *olim* Thúrócz:

fuit Belæ IV. *perfugium:*

a.) Coronar *Hung.* Centur. III. p. 15.

Iwanka, *conditor*, Forgáchianæ *gentis parens*:

gáchianæ *memoriam conſeruat.* IWANKA *namque fundamenta munimenti illius iecerat.* Hæc ille, domeſticus ſcriptor, idemque *Comitatus Thúróczienſis Supremus Comes.* Recte omnino, arcis fundamenta, ad *Iwankam* refert, *Illuſtriſſimæ Forgáchiorum* gentis ſatorem: nam ita habet diploma *(b.)* BELAE IV. quo is ANDREAE, IWANKAE filio, præclaro iſto facinore, egregie de ſe merito, terram *Gymes* tranſcribit.

Belæ IV. *in eam rem, diploma:*

Ad vniuerſorum, inquit, *notitiam harum ſerie volumus peruenire, quod accedens ad noſtram præſentiam*, Magiſter Andreas, Filius Iwanka, *fidelis noſter, nobis humiliter ſupplicauit, vt terram quandam* Gymes *nomine, prope terram ipſius emtitiam, quæ* Gym *dicitur, vbi caſtrum fieri curauit, exiſtentem ſibi conferre, ex plenitudine gratiæ noſtræ, ſolita clementia, dignaremur. Nos itaque, qui geſtis digna rependimus, qui fidelium morum merita, iuſtis præmiis compenſamus,* Eiusdem Magiſtri Andreæ *ſeruitia, vt aliis exemplum fierent, in animum duximus reuocanda:* Poſtea, bene de ſe merita, ſic collaudat: *Cum enim in foro, nobis & noſtris, vt credimus, ex diuina vltione grauis inſtaret perſecutio Tartarorum, & equus noſter, cui inſidebamus, ilia traheret, quaſi feſſus; Idem* Andreas *ex ſpeciali fidelitatis ardore, quantum in ipſo erat, Noſtram, ſua præponens, ſalutem, equum, quem habebat agilem, & velocem, nobis tradidit, libera voluntate, ipſo & fratre (c.) ſuo peditibus derelictis, in quo caſu, frater eius, per Tartaros exſtitit interemtus. Ad hæc idem* Magiſter Andreas, *iugi laborum inſtantia, & ſollicitudine diuturna,* CASTRVM THÚRÓCZ MVNITISSIMVM FECIT CONSTRVI, *in noſtro dominio ſemper permanſurum, vbi ſe quam plurimi noſtrorum, ad tuitionem propriam, poterant collocare, quod ſibi ſimiliter, ad maxima fidelitatis indicia reputamus. Hæc igitur & alia fidelitatis ipſius merita &c.* Iſti arcis ſunt natales, quod ex diplomatis fide adſerere placuit, vt extra dubitationem poneremus, quæ PETRVS de RÉVA, paucis memoriæ prodidit.

Iwankæ *laudes, a rege recognita.*

§. II.

Quando ad vaſtitatem redacta:

SEd, poſt tam illuſtria incunabula, & acceptum hoſpitio regem, quomodo ad eam vaſtitatem ſit redacta, variæ ſunt, cum auctorum ſententiæ, tum incolarum traditiones. Auctor, *Breuis Commentarii*, rerum, in Hungaria geſtarum, ad FERDINANDI I. tempora, ruinæ cauſſas refert, dum, *(d.) Arx*, inquit, *Thúróczienſis, quam Znioyenſem dicunt, funditus prius euerti debuit, quam ſubigi potuerit*, *a* FERDINANDI I. militibus. Nempe, IOHANNIS partes, arcem tutari oportuit, quod tanta vi, ad officium reuocari, debuerit. Iſta habent omnino, ex eius temporis ingenio, fidem; ſed, quæ in ſynopſi nouæ

b.) Habemus illud, cum vniuerſa, inclutæ *Forgáchiorum* gentis, genealogia, *a Comite* IOH. ADAMO FORGACH, *Comitatus Neogradienſis Supremo Comite, & Sua Maieſtatis Camerario*, nuper ſatis functo, nobiſcum communicatum, atque, ſuo loco, integrum producendum.

c.) Hunc, Genealogica *Gentis Forgáchianæ*, tabula, *Iohannem*, adeoque patri, *Iohanni Iwanka*, ſynonymum, adpellat.

d.) Pag. 10.

nouæ Chronologiæ Hungaricæ leguntur, dubia ſunt: *Arx*, inquit, *Thúróczienſis, (e.) in pœnam cuiusdam rebellionis, diruta eſt, excepta quadam turri eminentiore.* niſi credas, easdem bellorum viciſſitudines, quæ temporibus FERDINANDI exſtiterunt, auctorem in animo habuiſſe, dum iſta ſcriberet. Vulgo credunt, tunc arcem ſolo fuiſſe adæquatam, cum auſpiciis *Coruinianis*, Huſſitæ, ex montium iſtorum inſeſſu, deiicerentur. Quidquid eius ſit, late nunc rudera oſtentant. Sed neque conſtat, vnde hodiernum caſtro nomen adhæſerit. *(f.)* Illud extra dubium eſt, fuiſſe id vnum ex iis propugnaculis, quæ arci illi, præmuniendæ adiecta fuerunt. Nam ad modum turris exædificatum eſt, neque aditum habet alium, quam, qua admota ſcala adſcenditur. Hanc, cum lubet, aut neceſſe eſt, ſubducunt, qui arcem incolunt. Hypocauſta pauciora habet, quam pro arcis fama, credo, quia non tam facta ſit ad habitandum, qvam vt perfugium eſſet incolis, ſi belli, vel latrociniorum metus, immineret.

adificii hodierni habitus.

§. III.

BELA IV. anno dein MCCLII. PRAEPOISTVRAM, B. V. MARIAE DE THÚRÓCZ, perfugii, quod hic ſibi, rebus adeo trepidis, ſors obtulerat, memor, conſtituit, ditione, quæ alendo *Conuentui* ſufficeret, eidem accenſa. Aureæ bullæ, qua fundationem hanc perſcripſit BELA, initium eſt iſtiusmodi: *In Nomine Sanctæ Trinitatis & Indiuiduæ Vnitatis, Amen.* BELA, *DEI Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæque Rex, ſucceſſiuæ Poſteritati ad perpetuæ rei memoriam. Salutem in Domino ſempiternam. Quanto propenſiori cura Diuinæ dignationis multiplicata circa nos inſignia recenſemus, & beneficiorum* IESV CHRISTI *ac præcelſæ Genitricis eiusdem glorioſiſſimæ Virginis* MARIAE *& Regni noſtri Aduocatæ, magnitudinem, deuota mentis libramine ponderamus; tanto flagrantioris affectus ſtudio circa ea intendimus exequenda, per quæ Domini noſtri* IESV CHRISTI *gloria, extrinſecus in ſe, noſtro indigens adminiculo, apud homines ſublimetur; Sancta Religio, quam & plantare, & plantatam fauoris regii dignum eſt confoueri amplitudine, dilatetur; & per preces virorum religioſæ Conuerſationis, excellentibus meritis ornatorum, Nobis & ſucceſſoribus noſtris propitiatio proueniat exoptata, deſiderantibus gaudere & gloriari in virtutum Domino, ex fide operibus redimita; cum non ignoremus, potius regni gubernacula orationibus Sanctorum, & Religionum Clypeis, quam ſudoribus bellicis defenſari. Sane conſiderantes, dilectos nobis in Dei filio Fratres* ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS, *tanto potiori antidoto fauoris regii proſequendos; quanto ſpecialiori deuotione eosdem Numinis obſequiis, & reuerentiæ Beatiſſimæ Virginis, quæ noſtra, & Regni noſtri*

Fit ſedes Præpoſituræ:

Belæ IV. *eam in rem, aurea bulla.*

e.) Parte I. p. 86.

f.) Si coniecturæ locus ſit, forte *Echo*, in cauſſa fuit, vt *Znic* diceretur: quod vocem acceptam ſubinde redderet, vti fere ſolent turres huiusmodi & parietinæ: hoc enim *Slani*, *ſubſtantiue* dicunt, *Znenj*.

noſtri eſt Domina & Patrona, obligatos, ac vberioribus charitatis : - - operibus ipſos abundare, volentes pro nobis apud Deum ponere interceſſores; Monaſterium pro iisdem Fratribus, ſub caſtro noſtro de Thurucz in Honore ipſius Glorioſæ Virginis, & domos ac officinas religioſæ conuerſationis, quieti congruentes, diſpoſuimus premiſſa deliberatione Regia ordinare. *Et quia religioſam vitam ducentibus paterna beneuolentia, quoslibet Catholicos, & maxime, perſonas regali dignitate præditas conuenit ſubuenire, ne alicuius neceſſitatis occaſio, eos in Diuinis deſides aut negligentes efficiat, vel robur, quod abſit, Sancta Conuerſationis, ſubtracto ſubſidio vitæ vtriusque, infringat:* Monaſterium prædictum & religioſam Domum, ſupradicto Caſtro de Thurucz, voluimus & volumus filiationis iure, ſoli ſubeſſe Eccleſiæ Præmonſtratenſium; *dotantes idem Monaſterium, datis, conceſſis & collatis eidem pleno iure.* reliqua. Longo hinc ordine, dotem, qua Cœnobium honeſtauit Bela, diploma expromit, dum in hunc modum deſinat. *Vt igitur, tam ſalubris ordinationis, & donationis per Nos factarum ſeries ſalua, illibata & irreuocabilis, præſertim contemplatione Dominæ noſtræ Virginis Glorioſæ, qua ſupra dicti Monaſterii eſt Patrona, inpoſterum perſeueret; præſentes, Præpoſito & Fratribus in ipſo monaſterio Domino famulantibus, ad perpetuam rei memoriam conceſſimus Literas,* Bvllae Nostrae Avreae *caractere inſignitas. Datum & actum per manus Reuerendi Patris* Benedicti *Archiepiſcopi Colocenſis, Aulæ Noſtræ Cancellarii; Venerabili Patre* Stephano, *Archiepiſcopo Strigonienſi;* Bartholomæo *Quinqueeccleſienſi;* Zlando *Veſzprimienſi;* Artholpho *Laurienſi;* Philippo *Zágrábienſi;* Hieronymo, *Váczienſi;* Lamberto *Agrienſi;* Gallo *Transyluano;* Pouſa *Bosnenſi;* Olymirio *Sirmienſi;* Vincentio *Váradienſi;* Adam *Nitrienſi Epiſcopis*, qui in Regno Noſtro Eccleſiis Dei præfuerunt. Dionyſio *Palatino*; Stephano *Bano totius Sclauoniæ;* Csák *ſummo Camerarum & Comite Sopruienſi;* Vorando, *Senaſcalo noſtro, tenentibus Regni Noſtri Baronatus & etiam Magiſtratus. Anno Domini MCCLII. Regni autem noſtri anno XVII.* Atque hæc quidem ne præteriremus, facile a nobis antiquitatis veneratio impetrauit.

§. IV.

Præpoſitorum *Catalogus.*

PRæfuerunt demum Cœnobio, annis propemodum CCLXXVI. Præpoſiti. quorum Catalogum, qualem amica manus, ex ſuis ipſorum diplomatibus, eruit, & nobiſcum communicauit, exhibuiſſe placet. Sunt vero:

Iwanka, Anno Chriſti MCCLXXXIII. - MCCXCIV.
Valentinvs, - - MCCCXIII. - MCCCXXV.

Ni-

Nicolavs, Anno Chriſti	MCCCVI.	
Pavllvs, - - -	MCCCLI. -	MCCCLVIII.
Aegidivs, - - -	MCCCLXII. -	MCCCLXXII.
Dominicvs, - -	MCCCLXXVII.	
Ladislavs, - -	MCCCLXXXVI. -	MCCCXCIX.
Bernhardvs, - -	MCCCCIX.	
Stephanvs, - -	MCCCCXXXIX.	
Andreas, - -	MCCCCXLVII.	
Vriel, - - -	MDXI. -	MDXXVIII.

In *Decretis Regni*, primam Præpoſituræ huius mentionem, ſub Rvdolpho, ad Annum MDLXXVIII. reperio. Tunc enim, *Articulo XXI.* ſtatutum eſt, vt *Protocollum Conuentus Eccleſiæ B. Mariæ Virginis de Thúrócz, quod tunc apud manus Dominorum Révay habebatur, vna cum ſigillo eiusdem Conuentus, ad Capitulum Strigonienſe Tyrnauiam transferretur*, ſicuti verba ſanctionis illius ſonant. Nimirum, Ferdinandi I. indultu, cum ciuilibus bellis arderet patria, & *Conuentus* iſte, temporum illorum iniuria, diſſiparetur penitus, tabularii eius procuratio, *Franciſco I. Révay, Locumtenenti Palatinali*, permiſſa fuit, ne monumentis litterariis, quæ illic adſeruabantur, diſiectis perditisque, damnum fieret, haud facile reparandum. Quin & ipſa *Præpoſitura*, & huius reditus, in poteſtatem *Franciſci Révay* venerant. Iterum auctor, breuis commentarii, rerum in Hungaria geſtarum *(b.) Neſcio*, inquit, *qui Præpoſitura Thuroczienſis, Anno MDXXXVIII. in pactionem venerit.* Franciſcus *enim* Nyárius, *aulæ regiæ familiaris, vendidit* Franciſco Révayo, *biennio poſt, Baroni creato, Caſtrum Znióyenſe, cum Præpoſitura, quingentis, ſupra tria millia, florenis, eo iure, quo ipſe poſſedit. Pecuniam non numerauit Révayus; ſed pro ea ſumma dedit Nyário, Caſtrum Caſizenſe, in Comitatu Trentſchinenſi, quod fuit patrimonium* Paulli Petróczy. *Pactioni interfuere, Baro* Paullus Bakitſius, de Lák, *tribunus, ac ductor Huſzarorum, &* Iohannes Szalaius, de Kerechen, *vnde Keretſchényius nuncupabatur:* Alexius *autem* Thurczo, *Iudex Curiæ Regiæ, & Locumtenens Regius, cui a ſecretis erat* Michael Mereius, *conuentorum teſtimonium dedit; qua temere ſtare, vti non debuerunt, ita non potuerunt. Verum, ſubſequente anno,* Vriel Majtenius, *Franciſco Révayo, cuncta Præpoſitura bona, vtenda tradidit, feſto D. Georgii M. ea conditione, vt ſibi quotannis trecentos florenos, moneta iuſta, atque vſualis, in oppido Privigyenſi, coram Prætore loci, ſolueret. Hinc grauiſſimæ, in recipienda Præpoſitura, difficultates ortæ ſunt.* Iſta illic, de Arcis *Znió* vſurpatione legas.

quando ea ſecularium poteſtatem venerit?

§. V.

Poſtea, Rvdolpho imperante, *Stephanus Radetius*, Epiſcopus Agrienſis, idemque *Locumtenens Palatinalis*, rerum, in iſto Conuentu, potiebatur. Eo mortuo, ditionem vniuerſam, Rvdolphvs

Redit poſtliminio ad Clerum:

b.) Pag. 38.

a Rudolpho II. *Collegio Societ. Iesu Tyrnauien. fi, deſtinatur:*

diploma in eam rem editum.

PHVS precibus *(i.) Cardinalis Draskovitz, Epiſcopi Iaurienſis*, inductus, Anno MDLXXXVI. *Collegio* S. I. Tyrnauienſi, iure perenni donauit. Diploma, quod in eam rem perſcriptum eſt, ad hunc modum habet: „ Nos RVDOLPHVS &c. Memoriæ commendamus tenore „ præſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis. Cum ab eo tem„ pore quo hæreſes, Deo ita permittente, paſſim pullulare & ſerpere, „ ac incrementum habere inceperunt, non ſine dicti Regni noſtri „ Hungariæ, eiusdemque Eccleſiarum damno, factum ſit, quod Sa„ cerdotum Catholicorum numerus diminutus eſſe, & per hoc, ipſe „ verus & antiquus Dei cultus, decreuiſſe conſpiciatur; idque ideo „ potiſſimum accidiſſe comperiamus, quod Scholæ catholicæ, in „ quibus ipſa iuuentus erudiri, ac ad ſacerdotium, verumque & anti„ quum Dei cultum commode inſtrui potuiſſet, vel raræ admodum, „ vel propter defectum bonorum & doctorum præceptorum, ac ipſo„ rum ſcholarium ſuſtentationem parum, frequentatæ & celebratæ fue„ rint. Vt itaque ipſa catholica Iuuentus deinceps, per Dei gratiam, „ accreſcat, & maior habeatur commoditas, cum ipſam veram & „ catholicam Religionem, ab omnibus palam profitendi, tum etiam „ honeſta litterarum ſtudia amplectendi, & per hoc ad ſacrum ſacer„ dotii ordinem, rite aſpirandi: Decreuimus benigne, cum pro no„ ſtro in ipſam Catholicam & antiquam religionem, pio zelo, tum „ etiam ex conſilio Dominorum Prælatorum & Baronum, aliorum„ que Conſiliariorum noſtrorum, in dictum Regnum noſtrum Hun„ gariæ, (ſicut id ipſum in cæteris quoque Regnis noſtris, non ſine „ magna vtilitate & propagatione ipſius Catholicæ Religionis factum „ eſt) Religioſos Clericos, *Societatis* IESV, introducere, Collegiumque „ pro iis inſtituere & fundare; in quo, dicta iuuentus erudiatur, & „ ex qua, velut ex quodam ſeminario, Catholici ſacerdotes prodire, „ atque adeo antiquus verus Dei cultus, incrementum & propagationem „ habere poſſit. Qua propter, vt dicto *Collegio Societatis* IESV & per„ ſonis DEO iugiter famulantibus, atque erudiendæ iuuentuti, conti„ nuam operam nauantibus, nec non ipſis etiam Iuuenibus, quos in „ eum finem, vt præmiſſum eſt, ad ſuſcipiendum ſcilicet ſacros Or„ dines, alere, & inſtruere tenebuntur, de vitæ, aliarumque rerum „ neceſſariis queat eſſe proſpectum, *Præpoſituram Conuentus Eccleſia „ Beatiſſimæ Virginis* MARIAE, in Comitatu Thúróczienſi exiſtentem, „ per mortem & deceſſum, Reuerendi quondam *Stephani Radetii*, Epi„ ſcopi Agrienſis, & Locumtenentis olim noſtri, eiusdem Præpoſi„ turæ vltimi, veri & legitimi poſſeſſoris, de iure & de facto vacan„ tem, authoritate Iuris patronatus Noſtri Regii, quo in omnibus „ prædicti Regni Noſtri Hungariæ Eccleſiis, more diuorum quondam „ Hungariæ Regum, Prædeceſſorum noſtrorum bonæ memoriæ, opti„ mo iure vtimur, ſimul cum omnibus eiusdem Præpoſituræ bonis „ tem-

b) Vid. P. SZENTIVANY *Diſſert. Paralipom. Catalogo LXXXI.* p. 200. & *Declaratione Iurium Societatis* IESV, in Regno Hungariæ, &c. p. 3.

„ temporalibus, vtpote, totalibus *Caſtro Znio;* nec non oppidis, „ villis, Teloniis, Poſſeſſionibus, Prædiis, Curiis, Portionibus & „ quibuslibet Iuribus poſſeſſionariis, tam in dicto Thúróczienſi, quam „ vero in aliis quibuscunque eiusdem Regni Noſtri Hungariæ Comi„ tatibus, exiſtentibus & habitis, ad eandem Præpoſituram Thuro„ czienſem, de iure & ab antiquo ſpectantibus & pertinere debenti„ bus, memorato Collegio Ieſuitarum, applicauimus, dedimus, do„ nauimus, & contulimus, ita & tali conditione, vt ſufficientes il„ lius Societatis viri religioſi, in eodem Collegio, iuxta temporis con„ ditionem, continue reſideant, certusque numerus iuuenum, vt com„ mode fieri poterit, ad ſacerdotium promouendorum, ex dictæ „ Præpoſituræ prouentibus, per ipſos Patres de Societate Ieſu interte„ neatur, & alia quoque, quæ ad peragendum rite cultum Diuinum, „ docendumque ipſum populum, ac erudiendam in pietate & hone„ ſtis litteris iuuentutem pertinent, diligenter & ſolicite, iuxta pium „ ipſorum inſtitutum, peragantur. Imo applicamus, damus, dona„ mus, & conferimus Iure perpetuo & irreuocabiliter tenendam, pos„ ſidendam, pariter & habendam. Harum noſtrarum ſecreto ſigillo „ noſtro, quo vt Rex Hungariæ vtimur, inpendenti communitarum „ vigore & teſtimonio literarum. Datum, in arce noſtra regia Pragen„ ſi, *decima nona die Menſis Maii. Anno Domini, Milleſimo Quingen„ teſimo octoageſimo ſexto:* Regnorum noſtrorum, Romani vndeci„ mo, Hungariæ & aliorum decimo quarto, Bohemiæ vero Anno „ ſimiliter vndecimo. Iſta Rvdolphvs.

§. VI.

AC perfruebatur omnino *Collegium*, tanti beneficii vſura, vsque ad tumultus *Bocskayani*, qui in annum MDCIV. incidit, exordia. Tunc enim, rebus, vti fit, fluctuantibus, deiecta ab eius poſſeſſione fuit *Societas* Iesv, pace autem Viennenſi excluſa *(k.)* penitus; donec Matthias II. monitu ſummi Pontificis, Pavlli V. eam, adminiſtrandæ ditionis, (conuentu priſtinis *(l.)* iuribus prius reſtituto) iniit rationem, vt Præpoſituram quidem *Franciſco Cardinali e Comitibus Forgách, Archi-Epiſcopo Strigonienſi*, concederet; ipſe tamen reditus eius, fructusque omnes, *Societati* Iesv, impertiri teneretur. Optime rem omnem, ex tabulis, quas edidit *Matthias*, Lector condiſcet: quas ideo interteximus. „ Nos Matthias &c. Memoriæ commendamus, „ tenore præſentium quibus expedit vniuerſis. Quod cum Nos, ad „ demiſſam fidelium noſtrorum vniuerſorum Statuum & Ordinum Re„ gni Noſtri Hungariæ ſupplicationem, tunc in generali Diæta conſti„ tutorum, ſuperioribus, non ita diu præteritis temporibus, *Præpoſitu„ ram B.* Mariae *Virginis de Thúrócz* reſtituerimus, eandem ſimul cum

Excidunt eius poſſeſſione Socii, tumultu Botskaiano, *& pace Vien. menſi:*

datur, a Matthia II. *certis legibus* Cardinali Forgách.

vius tabula.

Yy 2 omni-

k.) Artic. Pacif. VIII. & A. MDCVIII. itid. Art. VIII. Ante Coronationem.

l.) Decreto Anni MDCIX. Art. I.

„ omnibus Caſtris, Oppidis, Villis, Poſſeſſionibus, Prædiis, & aliis
„ cunctis pertinentiis & Iuribus poſſeſſionariis, vbiuis, & in quibus-
„ cunque Regni iſtius noſtri Hungariæ Comitatibus exiſtentibus, ha-
„ bitis, ad eandem Præpoſituram, de iure & ab antiquo ſpectantibus,
„ & pertinere debentibus, pariter cum omnibus eiusdem iuribus, Li-
„ bertatibus, Prærogatiuis, Prouentibus, & aliis quibuscunque emo-
„ lumentis, quouis nominis vocabulo vocitatis, fideli noſtro, No-
„ bis ſincere dilecto, Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, *Domino Fran-*
„ *ciſco Forgách de Ghymes, S. R. E. Presbytero Cardinali & Archiepiſcopo*
„ *Strigonienſi, Locique eiusdem Comiti perpetuo, Primati Hungariæ,*
„ *Legato nato, Summo & Secretario Cancellario, Conſiliarioque Noſtro,*
„ dederimus ac contulerimus. Atque huiusmodi benignam Noſtram
„ collationem, ea lege & conditione valere, vimque ac robur habe-
„ re voluerimus, ſecundum quod & ad quæ, ipſe quoque Cardinalis
„ Strigonienſis, tempore conſecutionis dictæ Præpoſituræ, in datis per
„ eundem literis Reuerſalibus, præſtanda ſe obtulit & obligauit. Qua
„ in re, vt firmitas benignæ noſtræ diſpoſitionis, futuris perpetuis tem-
„ poribus, conſtare poſſit, roburque ſuum habeat, præſentibus literis
„ Noſtris aſſecuratoriis, cautionem facimus; quod dum prædictam
„ Præpoſituram denuo vacare contigerit, nemini collationem impoſte-
„ rum per Nos, vel etiam ſucceſſores noſtros, legitimos Hungariæ Re-
„ ges, aliter, quam iuxta *Reuerſales* memorati Cardinalis & Archi-
„ epiſcopi Strigonienſis de eiusdem Præpoſituræ redituum adminiſtra-
„ tione, Maieſtati noſtræ datas, fieri volumus. Quando porro per de-
„ ceſſum prædicti Domini Cardinalis & Archiepiſcopi Strigonienſis,
„ moderni videlicet, præfatæ Præpoſituræ Poſſeſſoris, aut aliorum de-
„ inceps, quibus a nobis & ſucceſſoribus Noſtris Præpoſituræ admini-
„ ſtratio committetur, vacare eam Præpoſituram contigerit, Bona
„ omnia oeconomica, quæuis item mobilia, æque ac immobilia *Præ-*
„ *poſituræ Thúróczienſis*, tam Noſtro, quam præfatorum ſucceſſorum
„ noſtrorum legitimorum Regum Hungariæ tempore, integra conſer-
„ uari, & Prouiſorem ac officiales ſeu adminiſtratores dictæ Præpoſi-
„ turæ, Bonorum & pertinentiarum, iuxta prætitulatas literas Reuer-
„ ſales Nobis datas, adminiſtrari clementer volumus, defectu & difficul-
„ tate absque omni. Ac licet tempore huiusmodi vacantiæ Camera
„ noſtra Hungarica, vel cui ex benigna Noſtra, vel ſucceſſorum No-
„ ſtrorum voluntate & commiſſione, id mandatum fuerit, protectio-
„ nem & aſſiſtentiam iisdem adminiſtratoribus & Prouiſoribus præfatæ
„ Præpoſituræ præſtare debebit, nullo tamen modo in reditus, Bona-
„ que Oeconomica, mobilia item & immobilia dictæ Præpoſituræ ſe-
„ ſe ingerere, atque contra formam & tenorem dictarum reuerſalium,
„ in quosuis alios vſus, percipere, aut auertere poſſint, aut valeant.
„ In quorum omnium fidem & teſtimonium, has noſtras literas, ma-
„ nus noſtræ ſubſcriptione, ſigillique noſtri, quo vt Rex Hungariæ
„ vtimur, impreſſione munitas, dandas duximus & concedendas. Da-

„ tum

„ tum in Ciuitate noſtra Vienna. *Die Vigeſima ſexta Menſis Maii. An-*
„ *no Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimo Tertio.* Regnorum noſtro-
„ rum, Romani Primo, Hungariæ & reliquorum quinto, Bohemiæ
„ vero Anno ſecundo. Hæc tunc MATTHIAE prouidentia fuit. Ac reſpondit omnino regis voluntati *Forgáchius:* cuius *Reuerſales*, vti vocat diploma, iſtiusmodi fuere: *Nos* Franciſcus Forgách de Ghymes S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis &c. *Memoria commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit vniuerſis. Quod cum Reuerendi Patres* Societatis IESV, *per Bochkaianam rebellionem abſque iuris ordine, in ſolum odium Catholica fidei, Præpoſitura Thúróczienſi priuati fuerint, idcirco, iuxta collationem eiusdem Præpoſitura a ſacra Cæſarea Regiaque Maieſtate ante Patribus factam & diuturno vſu roboratam, nunc quoque de iure ad eosdem Patres, dicta* Præpoſitura *ſpectare dignoſcitur. Quam ob rem eius beneficii adminiſtrationem a Sacratiſs. Cæſ. Regiaque Maieſtate eousque nobis commiſſam, donec firmior aliqua ratio Societatis reſtituendæ iniri poſſit, ea ratione ac expreſſa obligatione nos accepiſſe fatemur, vt vniuerſos eiusdem Præpoſitura prouentus, ac vtilitates omnis generis, Patribus Societatis adminiſtrari curemus, per officialem ab eisdem Patribus approbandum, eisdemque obſtrictum ac in ratione reddenda, ab ipſis dependentem. Quandocunque autem Sua Sacratiß. Maieſtati aut Succeſſoribus Sua Maieſtatis viſum fuerit, vt Patribus dicta Præpoſitura reſignetur, absque vlla mora ac renitentia, ſponte eam reſignabimus, inſuper iuxta benignam Sua Maieſtatis voluntatem, Conuentum Thúróczienſem ſtatim ac de facto poſt adeptam poſſeſſionem Præpoſitura reſtituemus. In quorum fidem haſce ſigillo & manus noſtra ſubſcriptione roboratas literas, Sacratiß. Maieſtati Cæſarea & Regia offerimus. Actum Tyrnauiæ die 1. Menſis Maii, Anno MDCXIII.*

Forgáchii Reuerſales.

Cardinalis Strigonienſis.

§. VII.

ITa ſe habebant res arcis, & *Præpoſituræ de Thúrócz*, MATTHIAE temporibus. At, FERDINANDVS II. ratus, nihil iſtis ambagibus opus eſſe, PETRVM PÁZMÁNY, ſucceſſorem FORGÁCHII, datis litteris commonuit, vt *Præpoſituram*, cum reditibus, *Collegio Tyrnauienſi*, ex mente fundatoris RVDOLPHI, ſine mora, reſtitueret. Audiamus *Ferdinandum* ipſum: „ FERDINANDVS II. &c. &c. Reuerendiſſime in Chriſto
„ Pater, Fidelis, Nobis ſincere dilecte. Poſteaquam quondam Sacra-
„ tiſſima Cæſarea Regiaque Maieſtas RVDOLPHVS Imperator & Rex Hun-
„ gariæ, Patruelis & Prædeceſſor noſter obſeruandiſſimus piæ remini-
„ ſcentiæ, pro pio & zeloſo affectu, quo erga nationem quoque
„ Hungaricam ferebatur; cupiens etiam pacis temporibus Regni ſta-
„ tum effloreſcere, & Nationis famam eatenus quoque celebrem red-
„ di, bonarum artium ſtudia & diſciplinarum ſcholaſticarum exerci-
„ tia, iuuentutis erudiendæ cauſa, erigenda eſſe conſtituerat. Ad

Ferdinandi II. *ad* Pázmanyum, *de tradenda* Ieſuitis *Præpoſitura, littera.*

„ quam quidem prouinciam peragendam religioſos viros *Patres Societatis* Iesv, vtpote, quorum peculiare hoc inſtitutum eſt, adhibuerat, „ quorum labores, ac in cultu diuino, & liberalibus diſciplinis promouendis, ſolicitudinem atque diligentiam fructu non caruiſſe, palam eſt. Et quidem pro ſuſtentatione eorum, quo inſtituto ipſorum tanto expeditius inuigilare, incumbereque valerent, *Præpoſituram Thúróczienſem* contulerat, in cuius quieta ac pacifica poſſeſſione, compluribus annis permanſerunt; donec ſuperioribus annis in diſturbiis *Bochkaianis*, per factioſos, ipſa Præpoſitura & bonis ad eam pertinentibus exuerentur, legeque ſtatuta cauiſſent, ne Societas præfata, bona ſtabilia, in Hungaria, (prout in Viennenſibus conſtitutionibus exſtat) haberet. Ne tamen per huiusmodi conſtitutiones, ea in parte præiudicium, præfatis religioſis Patribus fieri annueret, eadem Sua Maieſtas, Iuribus ſuis nihilominus ſeſe inſiſtere declarauerat. Nos proinde, antiquis Prædeceſſorum Noſtrorum fundationibus & conceſſionibus nihil derogari permittentes, cum & alioquin, Bona deſolatorum Monaſteriorum, ad vſus erigendarum ſcholarum, ex conſtitutionibus Regni, Regibus conuertere integrum ſit, eandem fundationem, tanquam legitimam, ſaluam, integram, & ſuis iuribus reſtitutam eſſe volentes, etiam apprehenſioni, vſui, & poſſeſſioni præfatæ *Præpoſituræ* in vniuerſorum Bonorum ad eam ſpectantium, præfatæ *Societati*, licentiam & facultatem fecimus. Quoniam autem eadem *Præpoſitura* hactenus præ manibus fidelitatis veſtræ, ex annuentia, & conceſſione quondam Matthiae Romanorum itidem Imperatoris & Regis Hungariæ, Prædeceſſoris noſtri, immediate habeatur, benigne vos requiſitos & monitos eſſe voluimus, vt cum dictam *Præpoſituram* ad reſidentiam *Tyrnauienſem* reuerti debere, benigne ordinauerimus, & ſimul iuribus ſuis reſtitutam velimus; prædictam *Præpoſituram* e manibus veſtris emittere, ac manibus Commiſſariorum noſtrorum ſpecialium, quibus id commiſimus, pleno cum iure tradere & conſignare velitis & debeatis. Benignæ & omnimodæ voluntati Noſtræ eatenus ſatisfacturi. Cui in reliquo gratia & clementia Noſtra Cæſarea & Regia benigne propenſi manemus. Datum in ciuitate noſtra Vienna, *die* 24. *Menſis Maii. Anno. Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Primo.*

§. VIII.

Ferdinandi III. *diploma, quo res omnis conficitur.*

ITa is quidem tunc voluit, pro ſua, erga ſocios, benignitate; at enimuero, tumultu, quem Gabriel Bethlen dederat, iterum iterumque deſtinatio illa, ſufflaminata eſt. Tandem, Ferdinandvs III. anno MDCXXXVII. inſtitutum Rvdolphi penitus confirmauit. Dabimus eius tabulas: „ Nos Ferdinandvs Tertivs &c. Me„ moriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit „ vniuerſis. Quod cum ſuperiorum temporum & annorum decurſi-

„ bus,

„ bus, obortis paſſim in Chriſtianitate, potiſſimum in hoc regno Hun-
„ gariæ, opinionum circa religionem perturbationibus & erroribus,
„ e quibus inter alia incommoda, illud quoque non poſtremum emer-
„ ſit, vt *Societas* IESV, quæ in vniuerſa Eccleſia Dei, tanta pietatis,
„ doctrinæ, ſanctitatis religioſæ laude & gloria elucet, fructusque
„ ampliſſimos, tum in exſtirpandis erroribus & hæreſibus, tum in inſti-
„ tuenda & ad omnem Chriſtianam pietatem efformanda iuuentute,
„ toto orbe producere dignoſcitur, etiam abſque alio iuris proceſſu,
„ a poſſeſſione bonorum ſtabilium, ſignanter autem *Præpoſitura Thú-*
„ *róczienſis*, ſuſpendi & priuari, temporum incommoditate ita feren-
„ te, debuerit: quam nihilominus Societati factam incommoditatem,
„ ita glorioſæ reminiſcentiæ Prædeceſſores Noſtri, pro ſua erga Deum
„ pietate, Societatemque inclinatione, ſemper temperatam voluerunt,
„ vt donationes eiusdem Præpoſituræ applicationesque, ab iisdem Præ-
„ deceſſoribus Noſtris Societati datas & conceſſas, reuocatas & extin-
„ ctas aut caſſatas, nullatenus vellent; quin potius, tametſi in poſſeſſi-
„ one actuali Præpoſituræ conſeruare Societatem non poſſent, eius
„ tamen fructibus & emolumentis carere, non ſunt paſſi: ſed & iis,
„ quibus medio tempore dictam *Præpoſituram* conferre oportuit, eo
„ pacto collatam fuiſſe, vt *Societati* ſua iura ſeruarentur integra, fru-
„ ctusque Præpoſituræ pro rata, vſibus eiusdem ſocietatis adminiſtra-
„ rentur. Cum itaque, eandem Societatem, per donationes & collatio-
„ nes conſenſusque Regios, annuentiam inſuper & confirmationem
„ dictæ *Præpoſituræ Thúróczienſis*, a Sede Apoſtolica obtentam, pos-
„ ſediſſe, in eiusque pacifica poſſeſſione compluribus annis perſtitiſſe,
„ neque niſi eorum temporum ratione ſic ferente, modo ſupra fato,
„ ab eorum actuali quidem adminiſtratione ſuſpenſam, iure nihilomi-
„ nus & fructibus eiusdem gauiſam fuiſſe, in recognitionem iuris &
„ poſſeſſionis eiusdem animaduerterimus. Exigente id a Maieſtate No-
„ ſtra, Iuſtitiæ in primis ratione, deinde etiam ſingulari Noſtra clemen-
„ tia & propenſione erga prædictam Societatem, quam in omnibus
„ pietatis ſtudiis, in Religione Catholica, imbuendisque fide & virtu-
„ tibus Chriſtianis populorum animis, cumulatiſſimos vbique fructus
„ producere conſpicimus, ſublatis etiam DEI beneficio, temporum
„ difficultatibus, quibus *Societas* prædictæ Præpoſituræ actuali & inte-
„ gro vſu gaudere prohibita fuit; eidem Societati ſæpedictam *Præ-*
„ *poſituram Thúróczienſem Conuentus Beatiſſimæ Virginis de Thúrócz*, in
„ Comitatu Thúróczienſi exiſtentem, hactenus præ manibus fidelis no-
„ ſtri, quondam Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, Domini *Petri S. R.*
„ *E. Cardinalis Pázmány*, Archiepiſcopi Strigonienſis &c. habitam,
„ ab eoque tentam & poſſeſſam, quamue olim Rudolphus Imperator
„ & Rex felicis reminiſcentiæ, in anno adhuc milleſimo quingenteſimo
„ octuageſimo ſexto, per mortem & deceſſum, Reuerendi quondam
„ *Stephani Radetii*, Epiſcopi Agrienſis &c. pro tunc eiusdem Præpoſitu-
„ ræ vltimi, veri & legitimi poſſeſſoris, de iure & facto vacantem, au-

„ ctori-

„ ctoritate Iuris patronatus Noſtri Regii, quo in omnibus prædicti Re-
„ gni Noſtri Hungariæ Eccleſiis, more Diuorum quondam Hungariæ
„ Regum, Prædeceſſorum Noſtrorum, bonæ memoriæ, optimo Iure
„ vtimur, ſimul cum omnibus eiusdem Præpoſituræ Bonis temporali-
„ bus, vtpote, totalibus *Caſtro Znió*, nec non Oppidis, Villis, Telo-
„ niis, Poſſeſſionibus, Prædiis, Curiis, portionibus, & quibuslibet Iu-
„ ribus poſſeſſionariis, tam in dicto Thúróczienſi, quam vero in aliis
„ quibuscunque eiusdem Regni Comitatibus exiſtentibus & habitis, ad
„ eandem Præpoſituram Thúróczienſem, de iure & ab antiquo ſpectan-
„ tibus & pertinere debentibus, modis & conditionibus, in prædictis
„ literis *Rudolphi* Imperatoris & Regis ſpecificatis; ſignanter autem
„ quæ de *Conuentu Thúróczienſi*, & alumnorum intertentione expreſſa
„ habentur, conceſſiſſe & dediſſe, donaſſeque & contuliſſe dignoſcebatur.
„ Nos quoque, poſt deceſſum præmemorati Cardinalis *Pázmány* hacte-
„ nus poſſidentis, in forma per antedictum Rudolphum Imperatorem
„ facta, rurſum dictæ Societati reſignatam, reſtitutamque eſſe volumus
„ & declaramus, auctoritateque Noſtra Regia, denuo Societati Colle-
„ gioque eiusdem Tyrnauienſi, applicamus, donamus, damus & con-
„ firmamus, iure perpetuo & irreuocabiliter tenendam, poſſidendam, pa-
„ riter & habendam pleno iure, & cum effectu, harum noſtrarum pen-
„ dentis & authentici ſigilli Noſtri, quo vt Rex Hungariæ vtimur,
„ munimine roboratarum literarum. Saluo iure alieno. Datum per
„ manus fidelis noſtri Nobis dilecti, Reuerendi Georgii Lippay de Zom-
„ bor, Epiſcopi Eccleſiæ Agrienſis, perpetui Comitis Heueſienſis,
„ Conſiliarii Noſtri, & Aulæ Noſtræ, per Regnum noſtrum Hunga-
„ riæ Cancellarii, in ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, *die* 1. *Menſis Maii*,
„ *Anno Domini, Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Septimo.* Regnorum
„ noſtrorum, Romani primo, Hungariæ & reliquorum Vndecimo,
„ Bohemiæ vero Anno Nono. FERDINANDVS. *Georgius Lippay*, Epi-
„ ſcopus Agrienſis. *Laurentius Ferenczffy*. Proinde, mandata ſimul
Cameræ Hungaricæ data fuere, vti *Societatem*, in vetera illa iura repo-
neret. quod & ita euenit.

§. IX.

Quæ ſit hodie Conuentus eius ratio:

Iſta ſunt *Societatis* IESV, in Præpoſituram Thúróczienſem iura, quibus illi, ſuperata, nuperi belli *Rákócziani*, difficultate, imperturbate iam vtuntur. Quæ autem *Conuentus* ſit ratio, ex anni MDXCIX. Articulo XXXV. diſcas, qui hunc in modum habet: *Ad ſupplicationem Comitatus* Thúrócz, *& ceterorum vicinorum Comitatuum, ea de re, ſæpius ſuæ Maieſtati, tum ipſis etiam Statibus & Ordinibus factam, decretum eſt, vt* Conuentus B. Mariæ Virginis de Thúrócz, *reſtauretur, ac reformetur; ac Patres Societatis* IESV, *qui eam Præpoſituram nunc poſſident, quatuor ſeculares ſacerdotes, cum Notario, ibidem teneant, qui exſecutionum & expeditionum litterarum curam habeant, non autem ipſi Patres Ieſui-*

Ieſuitæ: erunt tamen præfati Comitatus, adiumento ipſis Patribus, in inſtauratione, ac reædificatione clauſtri, & conſeruatorii illius, quantum poterunt. Nimirum; ad huius legis inſtitutum, *Conuentuales* ordinarii ſunt, *Præpoſitus Baymoczenſis*; nec non *Znió-Varalljenſis*, *St. Georgii*, *Eccleſiæ B. Mariæ Virginis*, *de monte Szoczócz*; denique *Trium-Szliatch in Liptó*, Plebani, iidemque *Sacerdotes ſeculares.* Sigillum, quo vtuntur, in expediendis negotiis, iſtiusmodi eſt.

Conuentus ſigillum.

Simulacrum nempe, *B. Virginis Mariæ*, præfert. Vetuſtum illud eſt, & pro illorum temporum ingenio, haud ineleganter ſculptum, quod albæ ceræ imprimere, priſci moris eſt.

SECTIO II.

De

Oppidis Proceſſus Znió-Clauſtrenſis.

SYNOPSIS.

I. Oppidum Znió-Várallja: *exili eſt cultu: eius celebritas a Conuentu & Cœnobio* Soc. Ieſu.

II. Tót-Próna: *eius poſſeſſores priſci.* §. I.

Conſtat hodie tribus Curiis, *diſpertitis varie.* §. II.

Incolarum ingenium: ruris ratio: nundinæ. §. III.

I. Oppidum Znió-Várallja.

ARci, oppidum ſubiacet, a ſitu ZNIÓ-VÁRALLJA, Hungaris dictum, Slaui, ob Cœnobium Conuentus, quod *RR. PP. Ieſuita* habitant, *Klάſtztor*, hoc eſt, *Clauſtrum*, vocant. Pertinet id ad arcis ditionem, iisdem illis, quæ nunc deſcripſimus, iuribus. Nihil in eo reperias, quod decus referat oppidanum: quippe quum, a plebe ruſtica colatur. Celebritatem omnem *Conuentui* debet, & *Cœnobio* S. I. quod ſeptentrionali oppidi latere conſedit, eleganti, commodoque ad habitandum opere, ſubſtructum. Alluitur amniculo *Vricza.*

Oppidum Znió-Várallja:

exili eſt cultu: eius celebritas a Conuentu & Cœnobio S. I.

II. *Oppidum Tót-Próna.*

§. I.

Tót Próna:

TÓT-PRÓNA, magis ad meridiem recedit, copioſum aliquando oppidum, & cum a *Germanis*, tum a *Slauis*, habitatum; ſed ab his tamen denominatio hæſit, vt diſcrimen haberet, a *Nitrienſium* illo, quod *Teuto-Prónam*, vocant, quia a Teutonibus adhuc colitur. *Slauis* eſt, *Slowenské Prawno*, eadem adpellationis ratione. *Germani* ſæpius *Windiſch Proben*, rarius *Ungriſch-Proben*, dicunt. Diplomata *Terram Prouna* nominauerunt. Eam LADISLAVS *Cumanus*, Comiti *Rechk*, dono dederat, poſteą ab ANDREA III. A. MCCXCIII. cum is ad viſitanda prædia ſua, *Thúrócz*, *Liptó*, & *Zólyom*, veniſſet, filiis memorati Comitis *Rechk*, ob virtutem bellicam, nouo diplomate, confirmatam. Fuere ii, *Paullus*, & *Seraphin*, germani fratres, quorum illum, tam inpauidi fuiſſe animi, diploma perhibet, vt bello Auſtriaco, quod anno ſuperiore MCCXCII. ANDREAS haud infeliciter geſſerat, militem Auſtrium, ad ipſas vrbis Viennenſis portas inſequi, atque illic, adacta per dorſum haſta, equo præcipitare ſuſtinuerit: in qua illi ſingulari pugna, tametſi, & oculus dexter eliſus fuerit, & ſuffoſſus equus, tamen ad caſtra regis, victor ouansque rediit. Proinde, hanc eius virtutem, oppido inſignem, ita remuneratus eſt ANDREAS, vt non donationem modo LADISLAI, ratam haberet, ſed etiam multis modis, redderet locupletiorem.

eius poſſeſſores priſci.

§. II.

Conſtat hodie tribus Curiis, *diſperſiis vaſtis.*

DIſpeſcitur hodie oppidum *(a.)* in tres *Curias*. Harum prima, *Curia Seraphin*, mutuata a Seraphino, *Comitis Rechki* filio, adpellatione, dicitur. Quod eius hæreditas, vtrique ſexui communis ex æquo eſt, in plurium abiit poteſtatem. In his ſunt, cum *Comites Berény*, *Uiſaluſſii*, & *Baro Caliſius*; tum in primis *Paulli Okolicsány* ſucceſſores; familiæ item, *Eördögh*, *Záborsky*, *Rakſsány*, *Velitsch*, *Gáffor de Paár*, alii. Alteram *Curiam*, *Dóczy* vocant, quod aliquando ad illuſtrem illam gentem pertinuerit, qua exſtincta, vxorum iure, ad *Tökölyos*, *Oſztrozitschios*, *Veſſelinios*, & *Csákyos*, deuolutam nouimus. Hodie, partim ex pignore, partim hæreditario iure, in *Paulli Okolitsány* hæredum poteſtatem, venit. Tertia denique, *Curia Amade*, dicitur, credo, ab illuſtri illa veterique ſtirpe. Poſt mutatos ſæpe dominos, a *Catharina Lipay*, *Stephani Bologh de Neboyſa*, vidua, *Caſparo Horváth de Vegla*, & *Georgio Hathalmy*, poſſidebatur antea; nunc parte præcipua, hæredum *Okolitſanyanorum*, parte autem reliqua, in ære eſt *Franciſci Desöffy*. Habet prætorium, & hero commodum, & idoneum villico.

§. III.

a.) Confer. REGESTVM *de Thúrócz*, §. LII.

§. III.

INcolæ oppidi, multum humani moris referunt, ſuntque ruſticationis ſtudioſiſſimi. cum qua eorum diligentia, egregie concordat, agri opportunitas, vaſti illius, & fœcundi. De monte *Wiſſehrad*, & arce ei incubante, ſupra diximus, cum montes recenſeremus; nunc monuiſſe ſufficiat, *Tót-Pronenſium* agro eum contineri. A ſeptentrione, collis oppido obiicitur, *Belehrad* dictus, a caſtro olim, aut cœnobio *Templariorum*, quod uolunt aliqui, inſeſſus. Et pronius omnino eſt credere, cœnobium iſthic fuiſſe, cum aduerſum collem, quem profunda vallis diuidit, ponte, columnis, e cæmento ſubſtructis, inſtrato, coniunctum habuerit, quo facellum, ſacris faciendis deſtinatum, adibatur. Ceterum, mercatus oppidi, *Dominica Palmarum*; & *Exaudi*; die item *Aſſumtionis Mariæ*; denique *Simoni*, & *Iudæ* feſto, celebrantur.

Incolarum ingenium:

rusticatio:

nundinæ.

SECTIO III.

De

Vicis Proceſſus Znió-Clauſtrenſis.

SVpereſt vt vicos iam peragremus, quos primi illi metatores, vltimo huic *Proceſſui*, admenſi ſunt:

Vici, Proceſſus Znió-Clauſtrenſis, numero XIX.

1.) *Kelemenfalva*, olim *Terra Laſzkowetz*, nam ita diplomata nuncupant. Anno MCCXL. Bela IV. *Sitinæ*, filio *Dersluk*, hoc, quantumcunque eſt, agri donauiſſe legitur, in quorum iura, incluta gens *Rakowskyorum*, ante duo, & quod excurrit, ſecula, ſucceſſit. Ager loci, qua in montes adtollitur, limitis vice, aduerſus *Comitatum Nitrienſem*, fungitur, fertilior multo, quam ea parte, quæ campeſtris eſt. At ora illa, quam *Newolno* dicunt, egregie nomini reſpondet. reuera enim auſtera eſt, ac ſegetum propemodum impatiens: *Newolny* enim, *male adfectum* Slauis ſignificat.

2.) *Budisch*, priori connexus, ſed gleba præditus fertiliore. Vicus itidem hæreditatis *Rakowskyana*, quem *Fons Acidarum* ſupra memoratus, inſignem facit.

3.) *Ljeschno*, vicinus *Kelemenfalva*, idemque *Tót-Prónenſi* adſcriptus ditioni. Nactus eſt territorium, non quidem anguſtum, ſed a fertilitate deſtitutum. Eſt ditio *Gétzyorum de Garamſzeg*, ſucceſſoribus *Paulli Okolitsány*, in pignus data.

4.) *Rudno*, *(a.)* vicus monti *Ziari* ſubſitus, & ſtatione publici curſoris, quæ iſto Comitatu prima eſt, nobilis. Ager iniquior ei obtigit, quia ſabuloſus, & montibus horridus. Spectat ad ditionem *Tót-Prónenſem*. Habet *Scultetiam*.

a.) Ibidem §. eodem.

5.) *Ieſzenowa*, Germanis *Käſer-Hay*, iniquiſſimo, inter montes, loco, poſitus, in quibus agros frumentarios paſſim habet ſuſpenſos. Sed rei pecuariæ eo eſt opportunior, quo magis montanis paſcuis abundat. Incolæ *Germani* ſunt, ſed corrupti, craſſique oris. Sunt in iis, qui cædendæ, exaſciandæque omnis generis materiæ, vacant. In medio vico, amniculus *Ieſzenitza*, caput habet, largo adeo fonte ebulliens, vt vicum egreſſus, rotandæ molæ ſufficiat.

6.) *Hadvigha*,

7.) *Brieſztia*, vici, ſitu & incolis, priori ſimillimi, & ditioni *Tót-Prónenſi* accenſi.

8.) *Láslófalva*, Slauis *Láſzlowá*. Cum antiquo loco ſediſſet, *Babownok* adpellabatur. poſtea, mutato ſitu, & nomen mutauit, ab auctore eius inſtituti, *Láſzló*, acceptum. Ladislavs *Cumanus*, *Othmáro* primum, ac deinde filio eius *Piok*, vicum contulit. Huius ſucceſſor *Gyuge* fuit, homo *Ruthenus*, a quo gens *Eördöghiorum*, longa maiorum ſerie propagata, de *Láſzlófalva* cognominatur: videlicet, Ruthenico *Gyuge*, quod diabolum ſignificare aiunt, cum Hungarico *Eördögh*, commutato. Ipſa vici poſſeſſio tribus *Curiis*, definitur, quarum vna ad *Eördögh*; altera ad *Dauid de Thúrócz Sz. Péter*; tertia denique ad familiam *Welics*, perenni iure, adtinet. Ager loci, etſi fertiliſſimis accenſeri nequeat, reddit tamen ſementem, haud ſine fœnore. Qua pagus ad occidentem proſpicit, ædem habet, *Coſmæ* & *Damiano* martyribus ſacram, quæ, quia colli ex ſe amœno impoſita eſt, decorum habet adſpectum.

9.) *Abrahamfalva*, Slauice *Abrahamowá*. Sedet ſupra Láſzlófalvam, ad viam regiam, eo itinere, quod *Tót-Próna*, *Martinopolim* deducit. Vicus *Curiæ* vnius, idemque ſexui vtrique obnoxius, quod, quam ſit opportunum, ad poſſeſſorum numerum augendum, haud adtinet dicere. Agro, nihil ad eximiam bonitatem, præter ſiluas cæduas, deeſt. Incolæ braſſicis colendis, quæ in grandia capita ſueuerunt adoleſcere, vicinos ſuperare dicuntur.

10.) *Polereka, (b.)* ita dictus, ab amniculo, qui hic ex petræ rimis vbertim ſcatet. Situs eſt in valle, a ſole occiduo, altiſſimis montibus clauſa; vnde de glebæ præſtantia coniicias. Eſt ditionis *Caſtri Znió.*

11.) *András-falva*, vulgo *Ondraſchowá*, eiusdem, cum priore, dominationis. Subluitur *Polerekenſi*, quem illic ſcatere diximus, amniculo, molis verſandis idoneo. Si ea præſtantia eſſet ager, qua eſt laxitate, multum laudis mereretur.

12.) *Moschkowetz*, vicus haud obſcurus, eo tamen non omnino felix, quia in via regia poſitus. Hunc, deuolutus ex montibus, torrens *Wadzar* nuncupatus, medium ſecat. Et iſte quoque ditionis eſt *Znioienſis*, diuerſorio & *allodio* inſignis.

13.)

b.) Regestvm *de Thúrócz*, §. L.

13.) *Sancti Georgii* viculus, ab æde *St. Georgio* dicata, id nominis indeptus. agro fertili, & per amœnam planitiem diffuſo. Eſt iuris Eccleſiæ huius loci.

14.) *Lazany*, Cœnobio *Znió-Varalljenſi* vicinus, & montibus, qui illic, fractis varie iugis procurrunt, ſubſitus.

15.) *Writschko*, *Munich Wyſen*, ſeu Monachorum pratum. Germanorum colonia, ſatis quidem ampla, ſed intra montes, ſitu perquam iniquo, repoſita. Ager profecto, ſi auenam, & linum excipias, ſegetum nobiliorum, propemodum impatiens eſt. Sed rei pecuariæ, in primis ouium alendarum cura, eo hic eſt expeditior, quo ad eam rem, opportuniora, in montibus ſunt paſcua. Incolæ interim, loci hanc incommoditatem, pertinaci laborum aſſiduitate, vincunt omnino; tametſi rudiſſimi habeantur, & ſi id in vitio ponendum ſit, ad furandum, ſicuti relatum accepimus, ineptiſſimi. Amniculus cognominis, præcipiti lapſu, ex montibus deiectus, vicum lambit, poſteaque *Znió-Váralljam* interluens, *Thúróczio* mergitur, Aedicula ſacra *Writſchkenſis*, filiola eſt Eccleſiæ *Znió-Varalljenſis*.

16.) *Szlowany*, amplus omnino vicus, ſiue colonos ſpectes, ſiue agri vaſtitatem. Proximus eſt oppido, *Znió-Varallja*.

17.) *Nagy-Szoczócz*, vulgo *Szoczowcze*, vnicus, toto *Proceſſu*, vicus, qui orientale amnis *Thúrócz* latus, occupet. Gaudet territorio, ſegetum omnis generis feraci.

18.) *Leziachow*, ſedet in patentiſſimis campis, quos *Thúrócz* amnis, ad orientem defluens, fœcundat. Fontem pone vicum habet, ita copioſum & tepidum, vt æſtate, iuxta & hieme, inædificatam molam verſare poſſit.

19.) *Waltſcha*, vltimus, iſta regione, vicus, agris frumentariis diues, & montibus, ab occidente prætenſis, clauſus. Riuum hi emittunt copioſum, & limpidum, qui poſtquam vicum interluiſſet, *Benitzam* præteruectus, in *Thúrócz* amnem, incurrit. Incolæ *Olearii* ſunt plerique, ſicuti ſuo loco memorauimus. quod non parant modo, ſed paſſim etiam venale circumferunt. Pertinet ad ditionem *Znió-Varalljenſem*. Atque iſta de COMITATV THÚRÓCZIENSI, dicenda erant.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS THVRÓCZIENSIS.

I. In Comitatum Barſſienſem.

1.) Ex oppido *Mosótz*, per *Stubnam*, & *Turtſchek*, CREMNITZIVM. *mill.* 2.

2.) Indidem, per *Sklenuo*, ſiue *Glaſerhay*. *mill.* 1.

II. In Comitatum Zolienſem.

1.) *Mosótz*, *Stubnam*, & hinc trans

trans montem *Hohwald*, moleſto itinere, per *Tajowo*, NEOSOLIVM. *mill.* 4.

2.) Indidem, equeſtri aut pedeſtri itinere, per *Hay*, *Czeremoſchnuo*, trans montem *Hermanetz*, *Ulmankam*, & inde NEOSOLIVM. *mill.* 4.

III. In Comitatum Liptouienſem.

Via curſoris publici, ex Oppido *Sz. Márton*, *Nóltsvam*, & hinc, ſuperato monte *Tatra*, ROSENBERGAM. *mill.* 4.

IV. In Comitatum Aruenſem.

Vel Liptouienſi, quod dedimus, itinere; vel ſuperatis montibus oppidi *Turán.* *mill.* 1.

V. In Comitatum Trentſchinenſem.

Ex Oppido *Sz. Márton* per *Wrutkam*, atque hino per vallem *Sztretsnenſem*, *Warinum.* 4.

VI. In Comitatum Nitrienſem.

Via curſoris publici, ex *Rudno*, *Bajmótz.* *mill.* 2.

FINIS COMITATVS THÚRÓCZIENSIS.

CO-

COMITATVS ZOLIENSIS,

PARS GENERALIS.

PROOEMIVM.

Vcusque, in THVRÓCZIENSI prouinciola verſabamur; inuitamur nunc, vt ſuperatis, quæ interſunt, alpibus, in ZOLIENSEM nos COMITATVM immergamus. Vicinus is, atque ab oriente, ita conuexus eſt *Thúróczienſi*, vt nequeamus, niſi luxatis ſitibus, eius nunc deſignationem præterire. Enim vero, iterum iterumque profitemur, non nos, in toto hoc, quantum quantum eſt, ſcriptionis genere, tam ſingulorum *Comitatuum* prærogatiuas, quam poſitionum, qua ſunt, naturam, ſequi conſtituiſſe. Quod vt moneamus, denuo, & noſtra multum intereſt, & lectorum.

MEM-

MEMBRVM PRIVS PHYSICVM.

De *Situ, Natura & Opportunitatibus Comitatus Zolienſis.*

SYNOPSIS.

Nomen Comitatus, ab arce Zólyom: *male* Biſztritzenſis, *&* Neo-Zolienſis, *adpellatur: etymon vocabuli* Zólyom, *an ſit latinum? eius origo* Slauica, *ſeu* Sarmatica: *inde* Hungaricum *nomen, & ex hoc* Latinum. §. I.

Regio montibus incincta: hinc montanus eius ſitus: planities rara: mira amœnitas: aeris ſalubritas: prouinciola longitudo, & latitudo. §. II.

Montes Zolienſium limitanei: Alpes *ſeptentrionales, & harum varii ſitus, atque ingenium:* Suchá: *montium propagines alia: in primis* Nuptiæ Diaboli: *montes* Briznenſium *ſeptentrionales, & horum commoditates: eorundem ſeries orientalior:* Ponikenſes *&* Hrochotenſes: Otſchouienſes, *&* Detuenſes: Oſztrosky: *olim præſidio muniti, aduerſus Turcarum & plagiariorum impreſſiones: latrociniis fiunt infames:* Lopaty: Hermanecz: Nagy-Hegy: *Montes* Cremnitzienſes: Regii: *reliqui.* §. III.

Montes inteſtini, plerique omnes, metallici: Neoſolienſes: Baran: Vallis dominorum: Alt-Gebürg: Richtergrund: Sandberg: Halljahr: Ielenska *&* Gutsmann: Hronetz: Ieſzená: *montes* Libethenſes: Ponikenſes: Iarabá: Borová-Hora: *eius laus e* Marsiglio: *e* Iacobo Tollio, *ob aurum vegetabile: auctoris, de eius natalibus, ſententia.* §. IV.

Præcipua regionis opes, metalla ſunt, & minera: æs cyprium: aurum: argentum: ferrum: auripigmentum: argentum viuum: chryſocolla: terra ſigillata. §. V.

Montium opes ſuperne: arborum ſpecies: vegetabilia reliqua. §. VI.

Ferarum genera: vrſi: lynces: cerui: lupi: Λυκανθρώπων *fabula:* apri: capreæ: lepores: *venationis libido nimia.* §. VII.

Aues ſilueſtres: tetraones: perdices & attagines: turdi: horum prodigioſa propemodum,

ad

ad Lukowo, *captura: cristatum quoddam auis genus.* §. VIII.

Zolienſium fluuii: Granus, *vbi oriatur, & qua curſum teneat? quos accipiat riuos? cataracta & roſtra* Neoſolienſia: *eius aqua, & piſces: amphibia: nauigatio, contra leges patriæ, impedita: damnoſa* Zolienſibus. Biſztritza: *eius fontes:* Babotha *cataractæ:* Szalatna: Carpona. §. IX.

Aquarum fontes alii aciduli: & in his Oſztroskenſes: Vigleſienſes: Szalatnenſes: Vetuſolienſes: *alii, ad ripam Grani:* Ribarienſes: Tsatſinenſes: Baczuchenſes: Neoſolienſes: *alii intra pomaria.* §. X.

Thermæ regionis: Neoſolienſes *vbi fuerint olim: aliud balnei, apud Neoſolienſes, genus:* Ribarienſes, *& eorum indoles: aqua admiranda alia: Vallis Dominorum aqua, ferrum erodens: de ea,* Tollii *verba: as, in corroſi ferri locum, deponit, præſtantiſſimum: ſupellex, quæ ex eo fit: in eam* epigrammata. §. XI.

Aliud aquæ genus, chryſocollam deponens: Agricolae *de ea verba:* Tollii *relatio: ſtrobs* Ribarienſis, *halitus eructans ſuffocantes:* Agricolae *de iis iudicium, examinatur: auctoris ſententia.* §. XII.

Fertilitas regiunculæ, qualis? variat, proſituum ratione. §. XIII.

Res pecuaria Zolienſium: *ouium greges, & horum alendi ratio: opilionum ſocietas, mores & occupatio:* Batsa, *eorum præfectus, & huius muneris partes: pecudum reliqua genera.* §. XIV.

Vinearum, apud Zolienſes, *cultus: vini* Carponenſis *indoles atidula: eius rei cauſſa:* Králóczenſis, *&* Domanikenſis *laus: quomodo apud* Neoſolienſes *profecerit vitis: horum pomaria.* §. XV.

§. I.

OMITATVS ZOLIENSIS, arci nomen debet, quæ Hungaris eſt *Zólyom*, regio vero ipſa *Zólyom Vármegye*, hoc eſt: *limes*, ſeu *ambitus* Zolienſis. Hæc de *Comitatus* nomine certa ſunt: vt fallantur adeo, qui eum, ſiue *Biſtritzienſem*, quod vulgus Geographorum facere videas; ſiue *Neoſolienſem*, adpellant. quorſum auctor *Topographiæ Magni Regni Hungariæ* inclinat. Præterquam enim, quod nuſpiam id nominis, vel in rerum Hungaricarum ſcriptoribus, vel in de-

Nomen Comitatus ab arce Zólyom:

male Biſtritzienſis, *&* Neoſolienſis, *adpellatur:*

cretis regum, reperio; palam eſt, ſicuti *Zólyom*, initia vrbis Neoſolienſis, longa annorum ſerie antecedere; ita non hanc, ſed illam, regioni impertiuiſſe denominationem. Proinde, nolim, ſeu *Neoſolienſem* dici, ſeu *Biſtritzienſem*: cum hic, apud Tranſiluanos, vbi ſedes huius nominis *Saxonum* eſt, quærendus ſit; ille autem exſtet nuſquam gentium. Sed vero, vnde arcis & vrbis *Zólyom* nomen? Qui latinæ blandiuntur origini, a *ſólio* dictam volunt, eo, quod ſolium, ſaltem ſedem illic temporariam, ſubinde habuerit MATTHIAS *Coruinus*. At enim, quis neſcit, longe ante Coruinorum tempora, arcem, id nominis obtinuiſſe? Ergo, alibi quærenda eſt vocabuli origo, nimirum, apud *Slauos*, *(a.)* vel ſi mauis, *Sarmatas*, quibus arx, & vrbs noſtra, *Zwolen* dicitur, eleganti nomenclatura: quippe quæ, *locum electum* denotat. Quod indicio eſt, a *Sarmatis*, antiquis horum montium inquilinis, *Slauum* idioma loquentibus, nomen illud arceſſendum eſſe. qui, cum paſſim loca, caſtellis idonea, munirent, vna omnium conſenſione, hunc noſtrum, ei fini elegiſſe, atque ab hac demum electione mutua, *Zwolen* adpellauiſſe, cenſendi ſunt. Conſulto ad Sarmatas vocis natales refero, vt eorum elidam opinionem, qui *Huſſitis* eos, nihil dubitant adtribuere; rati, tunc iſtud nominis, arci inditum fuiſſe, cum *Huſſitarum*, iniquiſſimæ cohortes, iſtis locis tumultuarentur: poſteaquam, ELISABETHA, ALBERTI *Auſtriaci* vidua, LADISLAI poſthumi iura, Bohemorum armis, tutari occiperet. Hoc enim, quidquid bellorum erat, ſeculo decimo quinto, geſtum confectumque eſt: vocabulum autem *Zólyom*, *(b.)* & huius primitiuum *Zwolen*, antegreſſis ſeculis, atque, iam tum cognitum vſurpatumque fuit, cum primum, Hungaria, in Comitatus diſcriminaretur: id quod BELAE III. temporibus, quæ exitum ſeculi duodecimi præceſſerunt, eueniſſe, ſcriptorum teſtimoniis, alibi docuimus: tametſi, iam ante, in *Parochias*, & *Conuentus*, diſpertitam fuiſſe Hungariam, legamus. Atque ex *Slauico* illo, ſeu Sarmatico *Zwolen*, Hungaricum *Zólyom*, & ex hoc, parua declinatione, latinum *Solium*, vel ſicuti ſcribere malunt, *Zolium*, prodiit. Iſta ſilenda haud erant, vt celebre arcis, iuxta & *Comitatus* nomen, in luce collocaretur.

etymon vocabuli Zólyom, an ſit latinum?

eius origo Slauica, ſeu Sarmatica:

inde Hungaricum nomen, & ex hoc, Latinum.

§. II.

Regio montibus incingitur:

hinc montanus eius ſitus:

REgio ipſa, perpetuis montium iugis incingitur. Et ab oriente quidem ſole, *Gömörienſem*, & *Kis-Hontenſem*, *Comitatus*, prætextos habet: *Thiróczienſem*, & *Barſienſem*, ab occaſu. Septentrionem *Liptouienſis*, horrendis alpibus terminat; ſicuti meridiem *Neogradienſis*, & *Nagy-Hontenſis*, ſed dorſis decliuioribus. Quin & interiora regionis, vt plurimum montibus adtolluntur, varie diſcurrentibus, & in amœnas paſſim conualles depreſſis. quas, ſuis iterum

a.) Dicunt hodieque *Slaui*: Woljm, Zwolugem, Wywolugem, eligendi & conſentiendi ſignificatu: vnde participia: *Wolen*, *Zwolen*, *Wywolen*.

b.) In diplomatibus CAROLI I. & huius filii LVDOVICI, quin & SIGISMVNDI, ſæpius legas: *Datum in* ZOLIO.

rum locis, nemora, atque ſaltus, interſtinguunt. In planitiem certe rarius diffunditur, neque alibi fere, quam ad *Grani* margines, qui ſubinde, atque in primis, intra *Neoſolium*, & *Vetuſolium*, in virentia prata, cultosque agros, protenduntur, dum iterum in colles adſurgant, montibus propagatos. Atque, hic quidem ſitus efficit, vt regio, ex ſe quidem aſpera, amœna tamen ſit, & ad omnem facta iucunditatem; cum, neque ſole torreatur nimio, neque diutinas adeo hiemes patiatur, quam vicini *Liptouienſes*, & *Thúróczienſes*. Vtrumque, ſalubritatis argumentum eſt ſingulare. Enimuero, quod aer Hungaricus, tamquam valetudini, vitæque, maxime peregrinorum, noxius accuſetur, id fere ad nimios æſtus, & intempeſtiua noctium frigora, referunt: quorum, quia æqua, apud *Zolienſes*, viciſſitudo eſt; nihil vitii, aeri ipſorum, temere imputaueris. Accedunt crebri aquilones, qui a *Carpatho* deiecti, totam, qua patet, regionem, perflant, neque non ita perpurgant, vt, ſi hærere etiam, intra hos montium receſſus, aliquid auræ inſalubrioris, potiſſimum ex metallis *Neoſolienſibus*, contingat, id omne, mature disiiciatur, expellaturque. Illud fortaſſis ad vitia aeris retuleris, quod montium edita iuga, quibus niues ſolito inſident diutius, procellas frequentes cieant, inque ſubiectam late regionem, importunius effundant. Nam, quod alias montanis regionibus familiare eſt, vt tempeſtatibus vrgeantur, & crebris, & grauibus; id *Zolienſes* potiſſimum, experiri coguntur: non tam ſua ipſorum, quam communi eorum calamitate, quibus impedita montibus regio, ad habitandum obtigit. Ceterum, iſto, quem deſcripſimus, ſitu, ad decem fere milliaria, in longitudinem protruditur, *Comitatus* noſter: latitudine, laxius alibi, puta, ad quatuor, aut quinque milliaria, excurrente; alibi multo coeunte arctius. Et longitudinem quidem, ab extremis agri *Briznenſium* terminis, exorſi, ad *Domanyik* vicum, vltra *Carponam*, vrbem liberam regiamque, poſitum, hoc eſt, ſecundo fere *Grano*, ab oriente, verſus occidentem, progreſſi, flexo in meridiem tractu, metimur. Sed, quod ad latitudinem adtinet, extrema regionis, maxime contrahuntur, cum in medio, latiſſime ſe porrigant. Cornu quaſi quoddam diceres, quod tenui e radice exſurgens, flexo in curuum proceſſu, tumidius increſcit, ac tandem in acutum deſinit.

planities rara:

mira amœnitas:

aeris ſalubritas:

prouinciola longitudo, & latitudo.

§. III.

DIximus, regionem, non circumſeptam modo, ſed & inſeſſam eſſe montibus: quos proinde luſtrabimus; limitaneos primum, poſtea inteſtinos, memoraturi: ſunt autem in illis:

Montes Zoliensium limitanei:

I. ALPES ſeptentrioni obiectæ. Hungaris, a diutinis niuibus, *Hauaſok;* Slauis, quod deraſo ac ſiticuloſo ſunt vertice, *Hole*, hoc eſt, *caluæ*, dicuntur; ſtupenda altitudinis mole, a finibus *Comitatus Thúróczienſis*, per *Liptouienſium* limites, vſque in *Gömörienſium* regionem, varie fractis, atque iterum continuatis iugis, protruſæ. Profecto, *Zolienſem Comitatum*, per *Butſchenſes* pylas ingreſſis,

alpes ſeptentrionales, & harum varii ſitus, atque ingenium:

protenſa in longum ſerie, hic in ſcopulos adſurgentes, alibi, deuexa, in camporum ſimilitudinem, altitudine, admirando ſpectaculo, ſe ingerunt: in primis, vbi virente regione vniuerſa, altis inſidentur niuibus. Nomina iis, pro ſitus diuerſitate, varia. Qua agro Neoſolienſi adſcribuntur, *Alpes Neoſolienſes*, *Briznenſes*, in Briznenſium territorio, & ſic porro, dicuntur. Neque ita ſterilibus vbique ſcopulis conſtant; quin, mitigatis paſſim verticibus, paſcuis luxurient, cum lætiſſime germinantibus, tum ſaginandæ pecudi, maxime idoneis. Enimuero, gramina iſtic, adulto iam, & ad ætatem procliui, vere, nata, teneriora ſunt, quam, quæ alibi, ineunte eo, protruduntur, poſteaque aeris iniuriis, quaſi indurantur. Accedit, herbarum hic naſcentia genera, pleraque medicata eſſe, quæ pecudes, atque oues in primis, non modo præmuniunt aduerſus morbos, ſibi familiares; ſed paſcunt etiam, cum ad ſaginam, tum ad lactis copiam ac præſtantiam. Quin & illud obſeruauere, qui iſtis locis, ſæpius ouilia babebant conſtituta, lanam pecudi, teneriorem, in raſis biſce montibus ſuccreſcere, quam quæ depreſſioribus locis, iisque ſiluis conſitis, prouenit; credo, ob auræ non minus, quam paſcuorum, teneritudinem: quod tamen alii, contra ſe habere contendunt, maiorem lanæ campeſtri, quam montanæ, præſtantiam adtribuentes. Quod, num ita ſit, an ſecus, non diſputamus. Ceteroquin, facile hinc colligi poteſt, quid de caſeo, qui iſtic fit, exiſtimandum ſit. Certe, cum *Parmenſi*, vel *Batauo*; nam *Helueticum*, multis modis antecellit; de palma certare poſſe, creditur; ita, & ſapore delicato eſt, & ſubacta pinguedine. Solam in eo perennitatem deſideres; quod tamen, haud quidem lactis, ſed eorum vitio fieri certum eſt, qui premendo caſeo, incurioſius operantur. Iſta paſcuorum, in alpibus, præſtantia, facit, vt frequentes hic, non ouium modo, ſed & boum, ac hædorum ſaginariorum, greges inerrent: quos, ante *ſolſtitium æſtiuale*, vix huc propelli videas; neque facile vltra *æquinoctium auctumnale*, detineri: quod tunc procellis niuoſis infeſta, hic iterum fiunt omnia; magno ſubinde eorum damno, qui ad has anni viciſſitudines, minus aduertunt. Namque, integros aliquando greges, aeris intemperie, profundo iam auctumno, iſtic periclitauiſſe, accepimus. Iſta, de mitioribus alpium noſtrarum verticibus, accipi volumus; nam, quæ ob præruptam altitudinem pecudi ſunt inacceſſa, paſcuis quidem florent; ſed, quæ ſine vſura marceſcunt, aut intempeſtiua niue, conteguntur. Pars alpium depreſſior, ſicuti opacis ſiluis inueſtita eſt; ita, citius brumam exuit, & ſine niuibus perdurat diutius; vix tamen accolarum commodo alio, quam quod e lignatione capi poſſet. quæ tamen, in tanta ſiluarum copia, vſui eſſe nequit, niſi forte regiis metallis.

Suchá: II. Iſtis, quas iam vidimus, alpibus, SUCHÁ interiacet, mons, ſi quis alius, excelſus omnino. Partem eius aduerſam, quæ ad ſeptentriones proſpicit, in Comitatu *Liptouienſi* videbimus. Eſt enim *Zolienſium*, & *Liptouienſium* diſterminator exſtantiſſimus; ſed aditus tamen, no-

noſtra hac ora difficilioris. Haud crediderim, arduum magis, tota *Hungaria*, iter fuiſſe, quam iſtud erat, quod per montem hunc ad *Liptouienſes* ducebat. Nunc, via illa, imbrium eluuionibus, corrupta, planeque deſerta eſt, atque alia, communibus *Zolienſium* & *Liptouienſium*, operis, dextro montium latere, cui *Sturecz*, nomen, aperta, *Reuuczam* & ipſa tendens, priorique multo expeditior.

III. Hic, & præcelſa iuga alia, nominari oportet, longo tractu, per *Liptouienſium* fines, procurrentia, & fere, a ſubſitis vicis, nomina ſortita, vti ſunt: *Koritnitza*, *Mezibrod*, *Swaty Ondrey*, *Ieſſená*, *Lehota*, *Iarabá*, & quæ ob tempeſtates, quibus obnoxia ſunt, longe atrociſſimas, *Nuptiarum Diaboli (c.)* vocabulo, infamia ſunt. Erit horum, etiam apud *Liptouienſes*, mentio, hic tamen ideo præmonenda, quia mons, æqua inter vtrumque Comitatum, parte, diuiſus eſt. Aditur, longa, & imminentibus vtrinque ſiluis, opaca valle. Vbi ad radices ventum eſt, lentus primum adſurgit, inde aliquantum, vltra deuexa conuallium eluctatus, præceps adtolli incipit, dum in verticem deſinat, circumſitis montibus, multis modis eminentiorem. Equidem, anno MDCCIV. iſthac ad *Scepuſios* profectus, poſteaquam in caput montis, egregie feſſus, pedes emerſiſſem, in ſpecula mihi videbar conſtitutus, ex qua montium circumiectorum iuga & valles, iucundo admodum ſpectaculo, deſpiciebam. Erat enim ſudum cælum, adeoque proſpectus quaquauerſum liberrimus. Numquam hic a ventis ceſſatio eſt: & cum alibi *Eteſiæ* regnant, hic *Aquilones* ſæuiunt gelidiſſimi. Cauſſam ego, in eo poſitam credo, quod mons altiſſimus, & *Carpatho*, multo altiori, obiectus, ventorum, qui inde deiiciuntur, impulſus, ex ſe vehementes ac frigidos, refractarius excipiat: qui demum hic illiſi, & quaſi hæreſcentes, tempeſtatibus ciendis, mirum in modum velificantur. Iſte, ſeptentrionalis montium tractus fuit. Ab oriente, *Briznenſium* iuga, *Gömörienſibus* & *Kis-Hontenſibus*, obtenduntur. In his ſunt:

Montium propagines aliæ.

in primis nuptiæ diaboli:

IV. Montes Briznensivm ſeptentrionaliores, per quorum conualles, *Granus*, a *Gömörienſibus*, Comitatui noſtro illabitur. Lignationem ii habent inexhauſtam, vnde ſecundo amne, officinis *Neoſolienſium* metallicis, vis lignorum ingens, quotannis ſubmittitur. Nimirum, quidquid paſſim, per tortuoſos montium ſinus, lignorum, cum maxime opportunum eſt, cæditur, omne id, diffugientibus niuibus, torrentium, qui tunc intumeſcunt, beneficio, in *Granum* corriuatur, atque eo maxime increſcente, *Neoſolium* dimittitur, rei demum carbonariæ illic ſeruiturum. Atque hac quidem via, in ſingulos annos, multa millia orgyiarum, cæſi ligni, *Neoſolium* deferuntur; amne illic, geminis roſtris, intercluſo, vt ligna deflua ſiſti poſſint, atque eximi, quæ vbi huc confluxere, alueum *Grani*, quaſi ponte quodam, longiore tractu, inſternunt; dum ab operis tributariis extracta, & digeſta in ſtrues, futuris vſibus, reponantur. Gemina huic fini officina

Montes Briznenſium *ſeptentrionaliores, & eorum commoditates:*

a.) Germanis *Teufels-Hochzeit*: Hung. *Ordög menyegzöje*; Sluis, *Czertowa Swadba*, dicitur.

eſt, ſuperior altera, ad orientale vrbis latus, altera inferior, ad ſolem occiduum proſpectans. Finduntur autem fruſta ſingula, ad orgyiæ menſuram; ne vero, dum deſluunt, temere diripiantur, grauibus pœnis cautum eſt, quas præuaricatoribus irrogatas, ſemel iterumque vidimus.

eorum ſeries orientalior:

V. Altera, montium *Briznenſium*, ſeries, orientalior ea, ſuccedit, *Comitatum Kis-Hontenſem*, a noſtra regione, dirimens. Vaſti & hi ſunt, ac late diffuſi; ſed prioribus tamen depreſſiores, longo ordine, *Taxouienſium*, & *Klenouienſium* terminis prætenſi, neque re alia, quam ingenti ſolitudine, & ferarum luſtris, inſignes. Certe, lignationi non æque ſunt vtiles, quia a profluente *Grano*, remotiores. Qua raſos habent vertices, aut *(d.)* exſtirpatas deuexitates, pratis diſtinguuntur, optimi fœni prouentu inſignibus. Hic vero, tuguria paſſim excitata videas, *Szalaß* noſtri vocant, ouium ſtabulationi, æſtiuæ non minus, quam hibernæ, deſtinata. Nam, eſt iſta cura, *Briznenſibus* quodammodo propria, vt pecudi huic ſtudeant, regionis montanæ habitu, ad rem vtiliſſimam inuitati. Hinc illa *Briznenſi (e.)* caſeo fama, & pretium, etiam in menſis opiparis, ſingulare. Et eſt omnino tota Hungaria, præcipua eius laus, maior multo futura; ſi in cogendo premendoque eodem, exterorum, ſiue artem adhiberent, ſiue diligentiam. Enimuero, quem vaſis ligneis imprimunt, vix annum durabit, quin, aut acrimoniam contrahat, & rancorem, aut, a vermibus perroſus degeneret ab inſita bonitate, naturamque amittat. Qui autem, in globos, minores maioreſue, *(f.)* cogitur, mutat ſaporem, ſi adſeruatur diutius. Proinde, omnem eius prouentum, intra anni ſpatium, conſumi oportet, niſi damnum facere velis. quod tamen malum, anteuerti omnino poſſet, ſi artem *Heluetarum*, aut *Batauorum*, æmulari vellent noſtri. Sed iſta alio loco monebimus. Extrema horum montium, *Dieli* dicuntur, Slauico vocabulo, quod diſterminatores ſignificat: reuera enim, regionem noſtram, a *Kis-Hontenſi* diſterminant. Hinc,

Ponikenſes, & Hrochotenſes:

VI. PONIKENSES, & HROCHOTENSES, adhuc procliuiores in orientem, ſuccedunt, altis & ipſi faſtigiis, ac ſiluis, propemodum inacceſſis, horridi. *Ponikenſes* maxime: quippe, ad *Briznenſes* fere, protenſi, & quod infra dicemus, mineris alicubi inſignes.

Otſouienſes, & Detuenſes:

VII. Iſtis, quos diximus, montibus, *Otſouienſium* continuantur, quibus iterum *Detuenſes* ſunt connexi; ſed illi, his, & celſiores, & protenſi latius. Eminet in primis, cui *Polana* nomen, glabro vertice, longe lateque conſpicuus. Reliqui *Otſouienſium* montes, tam late porriguntur, vt maxima eorum pars, incolis ipſis, incognita fere ſit, ſaltem frequentata minus. Atque inde fit, vt ſiluæ eorum intemeratæ maneant, & pinis increſcant, inuſitatæ proceritatis ac craſſitiei, ad opa-

d.) *Slani*, pratorum iſtud genus, *Lazy* vocant.
e.) Vulgari vocabulo, *Brinza*, *Broncza* Hungaris dicitur.
f.) Slauice, id genus caſei, *Oſſiepek*, appellant.

opacitatem pene expaueſcendam. Hinc, ſi vel officinarum metallicarum, vel ædificiorum vſus, trabes poſcat robuſtiores, & extra communem modum, longas, nusquam ex cæduntur melius, quam apud *Otſouienſes*; hoc vnico infelices, quod amnem non habeant, cuius beneficio hanc, iſtiusmodi materiam, e montium conuallibus, poſſent educere. Poſt hos, reducto, in meridiem, ſitu,

VIII. Ostrosky ſunt, ab acutis iugis, ſic dicti. *Oſtry* enim, *acutum* ſignificat Slauis. Et ita omnino ſunt facti. Namque, in territorio *Szalatnenſi* adſurgentes, iuga adtollunt, præacutis cacuminibus inſignia. Maxima eorum eſt altitudo, vltra *Vigles* arcem, qua ad *Tiſzounjk*, primum *Neogradienſium* vicum, transcenduntur. Difficile hinc iter, vtrinque commeantibus; viatoribus tamen, poſt diſiectas latronum inſidias, haud infrequens. Cum Turcæ, late regionem infeſtarent, præſidio *centum peditum*, præmuniri montem oportuit, *(g.)* vt, ab impreſſionibus hoſtium, atque in primis transfugarum inſidiis, quos vulgo *Mamoluccos*, noſtri *(h.) Pribék*, Cicero, *plagiarios*, adpellat, regionem tutam redderent. Dici enim nequit, quantum malorum, infidum genus dederit, interceptis paſſim, dolo malo, omnis ætatis ac ſexus, hominibus. In primis, formæ ingenuæ pueros, atque feminas venuſtas, gens iniquiſſima, venabatur. quas, in poteſtatem redactas, pretio, quandoque grandi ſatis, *Turcis* vendebant, ad omnem poſtea turpitudinis patientiam, adigendas. Hanc peſtem, & quos illi ductitabant, *Turcarum* globos, vt a Comitatu arcerent, milites præſidiarii, iſtuc collocati fuere. Poſt reiectos longius *Turcas*, cum tutior eſſe inciperet regio, miles exauctoratus, & antea rapto viuere adſuetus, ad latrocinandum, per hæc montium luſtra, dilapſus eſt. Quod malum, ad noſtram vsque ætatem, perdurauiſſe meminimus, atque, hac iter facientes, noſtro fere damno, experti fuiſſemus; niſi, ſubita procella, furori nos, peſſimorum hominum ſubduxiſſet. Hodie, quæ temporum eſt felicitas, vix latrociniorum auditio ſupereſt. Vltra hæc iuga, profundius in meridiem,

Ostrosky:

olim præſidio muniti, aduerſus Turcarum & plagiariorum impreſſiones:

latrociniis fiunt infames:

IX. Lopaty occurrunt. Nomen Slauicum eſt, quod *palas* ſignificat; nam reuera, eam, quodammodo, referunt ſpeciem. Plurium montium congeries, neque adſurgens extra modum, neque depreſ-

Lopaty:

g.) Vide Ferdinandi III. Decret. IV. Dietæ Poſon. MDCLV. Art. III. & Leopoldi I. Decret. I. anni MDCLIX. Artic. IV.

h.) Infamis hodieque eſt, apud *Zolienſes*, furcifer iſtiusmodi, cui *Meſany* nomen, patria, oppidum *Szalatna*, fuit. Is enim, fide Christi eiurata, eo proceſſit malitiæ, vt neque conſanguineis ſuis parceret; alienos autem, gregatim ad Turcas ſubinde abigeret. An meritas luerit pœnas, neſcio. Nam ſi capi contingat maleficentiſſimum genus, pœnis adficitur longe diriſſimis, vid. Deut. XXIV. v. 7. Conſimilis ei, immo multis modis nequior fuit, *Paullus Dudás*, eadem hac regiuncula ortus; ſed quem nemeſis diuina, poſt innumera plagia, tum vltа eſt, cum nihil tale metueret. Nempe, ebrium, equus, verberibus diu male habitus, tandemque habenis excuſſis, in curſum effuſus, abſtulit, & ſudibus præacutis, quibus vallum *Szétsinienſe* præmuniebatur, ita illiſit, vt eodem ictu, impiam efflauerit animam. Scilicet, palo, quo digniſſimus fuit, ſe ipſum, ſine carnifice, induit.

preſſa nimis, vno tractu cohæſit, mollibus faſtigiis, varie porrecta, & hic pinguibus paſcuis, illinc ſiluis, ac nemoribus, agris frumentariis alibi, læta. Diſcriminant Comitatum noſtrum a *Neogradienſi*, ea regione, qua *Szenohrad* vicus, illuc tranſeuntibus, obiicitur; noſtra autem ora, oppidum *Pelsôtz*, & *Száſz*, conſederunt. *Supereſt, vt eos nunc montes videamus, qui ab occiduo ſole*, Comitatui *prætexuntur, eumque a* Thúróczienſi partim, partim *a Barſienſi*, diſterminant.

Hermanecz: X. Primus hic, idemque ſeptentrionalibus, quas iam vidimus, alpibus, contiguus, HERMANETZ ſeſe offert, *Thúróczienſibus* limitaneus. qui occidua eius dorſa, ſibi, quantum ſcimus, vendicant. Adunatur is, ex decliuioribus aliis; ſed noſtra, quam *Thúróczienſium* parte, præruptior. Certe, iter, quod hac ducit, quadrigis inuium eſt, neque aliis frequentatur, quam qui pedibus, aut equo, iter faciunt. quod & ipſum arduum ſatis eſt, ac paſſim, ad ruinam præceps. Qui hinc recto fere tramite, per occidentalem regionis limitem, in auſtrum procurrit,

Nagy-Hegy: XI. NAGY-HEGY Hungaris, *Hoher-Wald* Germanis, Slauis *Welká-Hora*, dicitur, eo quod, iugis continuatur, ad eandem, vbique adſurgentibus, altitudinem: mons omnino vaſtus, & difficili admodum itinere, his ſuperandus, qui quadrigis, ad *Thúróczienſes* proficiſcuntur. Præterquam enim, quod præceps ab eo latere, adtollitur, quod *Neoſolium* proſpicit; hic quidem ſaxis, alibi cœno impeditas habet vias, tempeſtate etiam impluuia. Hinc, raros videas, qui æſtate iſthac commeent; certe, ſi id facere coguntur, ita partiuntur iter, vt noctem in tabernis carbonariis, medio montis lateri inædificatis, *Krámcze* eis nomen, transmittant, reliquum itineris, ſequente die, confecturi. Sed hieme, vbi altas niues gelu adſtrinxit, atque itinera trahis ſunt trita, expedita fiunt omnia. Equidem, cum anno MDCCXI. medio *Februario*, ex thermis *Stubnenſibus*, rigente bruma, ad Neoſolienſes, vbi tunc fortunarum erat ſedes, redirem, moleſtiſſimum alioquin, ac pene bidui iter, trahis, quatuor horarum ſpatio confeci, quarum tres facile extraxi, donec in montis verticem eluctarer: inde vero, non iam curſu, ſed volatu, per montis latera, delapſus, ante *Neoſolium* adtigi, quam montis faſtigium teneri poſſe, putaram. Adeo, iſtis locis hiberna itinera, ſi anni tempeſtas congruat, æſtiuis ſunt expeditiora.

Montes Cremnitzenſes: XII. Eodem tractu, ſed in auſtrum reducto magis, mons CREMNITZENSIS procurrit, ita dictus, non quod *Cremnitzenſium* ſit totus; nam altera demum parte montis, eorum init ditio; ſed quod iter habeat, ad eam vrbem ducens, oppido arduum ac præruptum. Radices montis, ad *Ráduánium* vsque protenduntur. Inde, per glabros primum colles, & paſſim agris cultos frumentariis, adſurgit lentius, dum pedetentim, iuga decliuiora ſupergreſſus, arrectior ire occipiat, & ad inſignem illam, qua eſt, celſitudinem, adtollatur. Totus ſiluis inueſtitur, abietinis partim, partim pineis, partim faginis. Habet

præ-

præterea iter *Cremnitzium* tendens, a vulgo Slauorum, *Na Skalku* dictum, arduum illud, & niſi iumenta habeas valida, laborioſum moleſtumque.

XIII. Hic & montes Regii, Hungaris *Király Hegye*, Slauis, *Královské Hory*, nominandi ſunt; ita dicti, quod ad regis dominationem, quæ *Vetuſolio* fuit adſcripta, pertinuerint; tametſi *Cremnitzenſium*, iuxta & *Raduanenſium* montibus, ab ea fuerint diſcreti. Ineunt, a *Cremnitzenſi* illo, cuius meminimus, itinere, protenduntur, ad *Thúróczienſium* confinia. Regii:

XIV. Qui ab iſtis cacuminibus, recto tramite, ad duo millia- ria, in *meridiem* protenduntur, ſicuti decliuiores eſſe incipiunt, ita nomina ab iis fere vicis ſortiuntur, quos radicibus habent adſitos. reliqui.

§. IV.

FVere hi montes limitanei, nunc inteſtinos recenſebimus: neque eos omnes; ſed metallicos tantum, & ex quorum commemoratione, vtilitatis aliquid, ad lectorem queat redundare. *Montes inteſtini, plerique omnes, metallici:*

I. Atque heic quidem, inter primos memorandi ſunt, *Neoſolienſibus* vicini: quippe, & venis metallicis, & naturæ prodigiis, inſignes. Generatim de iis Tollivs, *(i.)* & pro more ſuo, eleganter: *Haud procul*, inquit, *ab oppido, ſenſim ſe montium laxant anguſtiæ, & faſtigia ſua, primum demittentes, in colles, mox in mediocrem, ſed in æqualem vallem, deſcendunt, quæ deinde, ſecundum Granæ fluuii ripas ſeſe extendens, hinc ad ipſos fontes fluuii, inde in diuerſam partem, quæ verſus Danubium properat, peramœno vtrinque, frequentium pagorum, cultiſſimique ſoli intuitu, fatigatum montium aſperitatibus, viatorem, recreat. Augent hanc voluptatem, verſus caput quidem fluuii, qua vallem videbatur claudere, altiſſimi montes, perpetua niue, ad occidentem ſolem* (ſeptentrionem rectius dixiſſet) *obſiti, tum & imminens oppido trans flumen, excelſior, ac præceps in ripam, collis.* Iſtum montium, *Neoſolio* circum poſitorum, ex aſpero altoque *Cremnitzenſium* iugo, Tollivs proſpectum habuit, quo nihil omnino, ex præcelſo illo vertice, regionem, eleganti montium varietate interſtinctam, deſpicientibus, obuerſari poteſt amœnius: nam, & ipſi nos, iucundiſſimo iſthoc ſpectaculo, ſemel iterumque, hac profecti, oculos paſcebamus. Neoſolienſes:

II. Neoſolio in aquilonem, mons Baran ſedet, vico *S. Iacobi* imminens, duplici de cauſſa memorandus; nam, & tempeſtatum prænuntius eſt, (nudus quippe, nebulis nubibusque, ſudum prædicit cælum; pluuium, ſi res contra eſt,) & fodinis *Vallis Dominorum*, quaſi limes quidam poſitus. non, quod ſcrutando, progredi porro non liceret; ſed, quod æris cyprii venæ, iſta regione, in tenues ramos abeant. Baran:

III. Vltra hunc, montes Vallis Dominorvm, ſitu, qualem metallici Vallis Dominorum:

i.) Epiſt. Itineraria v. p. 183.

tallici laudant, lento, atque ſinuoſo faſtigio, in præcelſam altitudinem exporrecti viſuntur, diuite æris cyprii prouentu, pluribus retro ſeculis, nobilitati. Hic, & latex ille eſt, qui ferrum, ære permutat. cuius miracula alibi, cum ſcrupuloſiore aquæ examine, data opera, exponemus.

Alt-Gebürg: IV. Altius in ſeptentrionem recedunt: ALT-GEBÜRO, ſive *montes vetuſti*, Slauis: *Staré Hory*, ita credo adpellati, quod fodinæ ante hic coli cœptæ ſint, quam eæ, quas hodie *Vallis Dominorum* habet.

Richtergrund: V. Inde, RICHTERGRVND eſt, gentis *Fiſcheriana*, apud Neoſolienſes patriciæ, fodinis nobilis. quas, poſt ſuperata plurium annorum intertrimenta, cum fructu iam colit *Iohannes Michael Fiſcher*. Feliciter!

Sandberg: VI. SANDBERG, metalla Neoſolienſium habet, remiſſius, quam decuiſſet, hucusque exculta. Nunc, arrectiore diligentia operas vrgeri accepimus, cum omnis, ciuium *Neoſolienſium*, prærogatiua ac libertas, ab iſto capite pendeat: nempe, diligenti metallorum cultu, etiam tunc, cum ſumtibus reditus minus reſpondent, proſequendo.

Hall-Iahr: VII. HALL-IAHR, eodem tractu poſitus, qui iam induſtriam ciuium Neoſolienſium metallicorum exercet, vtinam eo fructu, quem & optarint ipſi, & nos vouerimus. His, *Ielenská*, & *Gutsmann* addi merentur, nouo, vrbis *Neoſolienſis*, & ſumtu, & operis, excoli cœpti: vt iniuria omnino, ſegnitiei, in eruendis metallis, accuſentur ciues, ab his, qui ſuis eos priuilegiis exutos cupiunt. Atque hi quidem montes fuere, *æris cyprii* reditu nobiles. Nunc alios memorabimus.

Ielenská, & Gutsmann:

Hronetz: VIII. HRONETZ, ferri venis abundans, & quatuor milliaribus, *Neoſolio*, verſus *Grani* fontes, cum vico & officinis, flando, cudendoque *ferro*, deſtinatis, reiectus. Gaudet lignatione pene in exhauſta.

Ieſzená: IX. IESZENÁ, *plumbi* mineræ, auro argentoque maritatæ, perdiues. Habet *mineram* quoque *pyritidem*, eamque tractatu difficilem.

Montes Libethenſes: X. LIBETHENSES, olim, *æris* prouentu ditiſſimi, neque hodie exinaniti prorſus, ſi cultus accederet pertinacior, & accuratione inſtitutus maiore. Sane, quod, & dites ſint, & ditare poſſint, egregio id, rei familiaris incremento, didicit noſtra ætate *Ioh. Roth*, *de Királyfalva*. Iam ferro, nobili ei, hic operantur *Neoſolienſium* primotes, quod in variam ſupellectilem funditur procuditurque.

Ponikenſes: XI. PONIKENSES, *plumbi, & ferri mineram* habent. Hanc *Neoſolienſes* percolunt. In eorum priuilegiis, *æris* quoque fit mentio.

Iarabá: XII. IARABÁ, mons maxime ſeptentrionalis, atque illi vicinus, quem, *Nuptias Diaboli*, vocant. Aureis venis olim celebris; ſed quæ, ſeu exinanitæ ſunt, ſeu cultæ imprudentius, ſumtibus haud reſpondebant. Nunc denuo, eximia, boni ſucceſſus, ſpe, coli cœperunt, a ſocietate quadam metallica: cui prouentus vouemus ditiſſimos.

Borowá-Hora: XIII. Iniicienda denique mentio eſt, montis BOROWÁ-HORA, ſeu collis potius, in agro *Vetuſolienſi* protuberantis: non, quod reuera metal-

metallorum diues ſit; ſed quod meruit exterorum admirationem, propter aurum vegetabile, quod aliquando, forte fortuna, cum culmo, hic ſuccreuiſſe, acceperunt. MARSIGLIVS *(k.)* certe, tanti monticulum hunc fecit, vt commentationem de eo peculiarem inſtituere, nihil dubitauerit, adnexa figura montis, ſcito opere, æri inciſa: plane perſuaſus, ſi non annis ſingulis, ſaltem creberrime aurum heic, cum ſatis, germinare: id quod ſemel, atque iterum, eueniſſe accepimus. IACOBVS autem *(l.)* TOLLIVS, elegans peregrinator, idemque, naturæ conſultiſſimus, liberalem prorſus, eiusdem monticuli, & auri illic nati, mentionem habet: *Ipſis*, inquit, *Idibus Iunii, diſceſſi Neoſolio, eodemque die, circa meridiem*, Altſolium, *tenue oppidulum, veni; cuius mihi tamen memoria, ob viſum illic, aptatumque digito annulum, ex auro ἀνίφη, triplici orbe contortum, & particulam iſtius auri, dono datam, longe ſemper erit gratiſſima. Vidi ipſe, in proximo colle, agrum, in quo tritici ſemet radicibus, hoc aurum, inuoluerat. Nobilis domini ſeruus agricola, dum forte terram arando vertit, dum fulgorem eiectæ radicis miratur, tollit ignotum theſaurum, defertque ad dominum, non obſeruato exacte loco, vbi fuerat erutum. Nec vola dehinc, nec veſtigium illius, fodiendo agnitum, licet virgula etiam* Mercuriali, *quæſiti. Diſtributum diuiſumque fuit, per filios, & agnatos, quod repertum fuerat. Nec vllo pretio a nobili vidua, annulum hunc impetrare potui, cauſſante filiorum abſentiam, quibus illum ſeruabat: atque aberat forte domo, alterius partis poſſeſſor, a quo pecunia parare aliquantum licuiſſet; vxor tamen eius, vt pro dato filiolæ tabis remedio, gratum animum teſtaretur, forſice, de ſuo annulo, particulam abſcidit, mihique dono dedit.* Ita TOLLIVS: recte quidem, & ex vero; hinc, maluimus fidem exteri, ac docti ſcriptoris, ſequi. Illud monendum hic eſt, falli eos, qui iis locis, vbi aurum germinare vident, ſubtus, venas auri prædiuites ſibi promittunt. Equidem, ſubductis rationibus, ita exiſtimo, nusquam præſtantiſſimi metalli minus eſſe, quam iſtiusmodi locis. Enimuero, minerales illi halitus, in viſceribus terræ nati, quia & parciores ſunt, & ſubtiliſſimi, neque in venas matureſcere queunt; ſolis calore non minus, quam ſuapte natura, proliciuntur in ſuperficiem terræ, vbi demum condenſati, vegetabilibus, quæcunque ſors obiecerit, hæreſcunt, atque eorum formam, ſi non induunt penitus, certe quodammodo æmulantur. Hinc eſt, vt alibi quidem viti, hoc iſtiusmodi aurum hæreſcat, & nunc foliis inſpergatur, nunc capreolos conſtituat, nunc vuarum grana penetret; alibi corylorum medullæ ſe inſinuet; alibi denique culmis, quod hic euenit, circumfundatur. Eccur vero iis locis, vbi perpetuæ ſunt auri venæ, aurum numquam germinare contingit? Sane de *Cremnitzienſium*, *Schemnitzienſium*, aut *Boczenſium* agro, id relatum haud memini. Nimirum,

eius laus e Marſiglio:

& e Iacobo Tollio *ob aurum vegetabile:*

auctoris, de eius natalibus, ſententia.

k.) Danubial. Operis Prodromo, Tom. III. Part. V. Mem. II. Num. II. ex quo, *Auctor Topogr. Magni R. H.* p. 130. Et iam in ſumtuoſiſſimo opere, Tomo III. Part. VIII. §. IX. Fig. II. p. 132. & Fig. IV. p. 134.

l.) Epiſtola Itiner. V. p. 193. A. 1687. ante diem Nonas Iulias *Vienna* exarata.

principia illic auri, & cumulatiora ſunt, & ita condenſata, vt venas penetrare, & per eorum ramos, ſpargi poſſint figique. Atque hanc-ce ſententiam, vero eſſe quam ſimillimam, inſigni ſuo damno didicit, *Generalis Vitry*, qui, acto ſubter collem hunc cuniculo, ſatis omnino longo, & depreſſo in altum puteo, nullum aliud tulit operæ pretium, quam quod profuſis in operas pecuniis, pauperiei metallicorum conſuluerit. Ceteroquin, collis ipſe, & vicina, in ſeptentrionem, ora, *ſulphuris*, ſed craſſi illius, minusque ſubacti, diues admodum eſt; id quod, & in deſcriptione *Thermarum Ribarienſium*, huic monticulo, ad mille circiter paſſus, adfinium, monuimus conſulto. Hæc iſto loco dicenda erant, ne famæ, paruas ſæpe res, extra veri modum extendentes, velificari videremur.

§. V.

Præcipua regionis opes, metalla ſunt, & minera:

EX his, quæ diximus, hucusque, liquere poteſt, laudem Comitatus Zolienſis præcipuam, in metallorum proventu poſitam eſſe. Neque enim metallum facile dixeris, cuius hic venas haud notârint rerum periti. De *ære cyprio*, eoque nobiliſſimo, non eſt vt laboremus: quippe quod, hodieque, vberrimo reditu, eruitur, atque perpurgatum a flatuariis, & in orbes procuſum, egregio cum fructu, ad exteros deuehitur.

Aes cyprium:

Aurum:

Auri certe, non indicia modo, ſed & venæ, paſſim, iam pridem ſunt obſeruatæ, & apud *Iarabam* cultæ etiam; vt cuniculos *Ieſzenenſes*, *Mezybrodenſes*, & viciniores Neoſolio, *Am geſchaide*, (*m.*) ac *Schrantzenſteinenſes*, taceamus.

Argentum:

Argenti fodinam *Schalkendorffium*, ſuperiori ætate habuit, Cæſaris ſumtu cultam, tametſi minus fructuoſam: ideoque, ob aquarum importunitatem, deſertam. Hanc fodinam, meliori iure *Szenitzenſem* adpellant alii, eo, quod in eius agro agi cœperit, eratque vena, e *Valle Dominorum*, hac vorſum procurrens, atque argento maritata.

Ferrum:

Ferrum hodie etiamnum apud *Hrontzenſes*, *Libethenſes* & *Ponikenſes*, liquari, certum eſt.

Auripigmentum:

Adde his, *Vitrioli* ſpecies varias, ſuo loco recenſendas; *Auripigmentum*, longe elegantiſſimum, e montibus *Tajouienſibus*, ingenti copia, noſtra ætate, erui cœptum; ſed, quod vendi cum fructu nequiret, deſertum.

Argentum viuum:

Argentum viuum, olim, in monte *Cremnitzienſi*, ad *Schrantzenſtein* & *Geſchaid*, cum *Cinnabari*, eruebatur.

Chryſocolla:

Chryſocollam, ex aquis *Vallis Dominorum*, colligi, vel peregrinis notum. Eſt aliquis eius prouentus etiam in fodina *Sandbergenſi*, & *Libethenſi*.

Terra ſigillata.

Sed nec *terram ſigillatam* deſideres, quam vicini *Vlmanka*, iique deſerti cuniculi, ſuppeditant, haud ignobiliorem peregrina quauis; niſi nobis domeſtica bona, præ peregrinis, forderent.

§. VI.

m.) Memorantur TOLLIO l. c. p. 166.

§. VI.

SVnt hæ omnino præclaræ diuitiæ, quas intus habent montes noſtri; ſed neque ſuperficies eorum vacua eſt, aut opum inanis. Huc optimo iure, ſiluas referimus, vario arborum genere, quaſi ex induſtria, conſitas. Paſſim hic *pinus*, atque *pinaſtri*, ad immenſam pene proceritatem, excreſcunt. *Larices* alibi lætiſſime proueniunt, tametſi non æque frequentes: omnium autem frequentiſſimæ *abietes*: vt de reliquis *picearum* generibus, nihil iam dicamus. Atque iſta quidem arborum genera, loca cum primis celſiora amant, ſicuti *fagi*, & *robora*, montibus decliuioribus gaudent; *betulæ* autem, & ceteræ arborum ſpecies, lucis ac nemoribus. Adeo liquandis etiam metallis, egregie a natura apud nos prouiſum eſt, vt ſubterraneæ opes illæ, non erui modo, ſed reddi etiam poſſint vſibus humanis idoneæ. Exhibenda nunc foret, hiſtoria *vegetabilium*, quæ montibus noſtris germinant; quia tamen eam curam in *Liptouienſi Comitatu* occupabimus; atque eo capite recognoſcimus denuo, quod de *Materia Medica Hungariæ* aget; nihil iam addimus: cum facile ſit ad conïiciendum, viciniſſimas regiones, easque ſitu ſimillimas, iisdem etiam vegetabilium generibus, lætari. *Fungos* certe, quos *ceruinos* vocant noſtri, & quorum alibi toties iniecta nobis eſt mentio, paſſim, per dorſa montium, quæ & graminoſa ſunt, & vmbris leuiter opaca, non ſecus, quam apud *Liptouienſes*, naſci in montibus *Zolienſium*, obſeruatum eſt. Quin, & in *Raduauenſium* pratis, erutos memorant, qui viderunt.

Montium opes ſuperna:

arborum ſpecies:

vegetabilia reliqua.

§. VII.

IStis porro, ſiluarum & montium, latebris, frequentes hoſpitari feras, facile exiſtimari poteſt.

Ferarum genera:

Non abſunt iſthic ſaltus ac luſtra ferarum.

Nempe, *Vrſi*, maiores illi, & minores, quorum vno ſubinde venatu, plures fuiſſe deiectos, accepimus; *Lynces*, & horum catuli, non raro, ſed operoſiore, quam credi poſſit, venatu, intercipiuntur. namque, pernices ſunt, & ad minimum, quem ſubito ediderís, ſonitum, fugaces, neque minus ad reſiſtendum acres, ſi periculo defungendum ſit. *Viennam*, anno MDCC. lyncum iſtiusmodi par, ſuſpenſo, de fuſte, conclaui, quod famuli duo baiulabant, ne colliſæ beſtiæ, damnum caperent, delatum fuiſſe meminimus. *Ceruorum*, rariora ſunt hoſpitia, niſi quandoque peregre aduenientium; forte, quod moleſtius hiemes rigidiores, quales in iſtis *Carpathi* radicibus ſunt, tolerent: aut certe, quod procliuius eſt ad exiſtimandum, quia vrſorum & luporum, iisdem in luſtris, contubernia, refugiunt, cum ſint, vt PORTA *(n.)* inquit:

Vrſi:

Lynces:

Cerui:

Cerui, luporum præda rapacium,

n.) HORATIVS, Lib. IV. Od. IV. verſu 50.

Lupi:

Nam & iſtud, *dirum genus*, *cupidumque cruoris*, frequens, ſiluis, in ſaltibusque noſtris, hoſpitatur; forte, creberrimis ouium gregibus, huc illectum:

Namque, rapax, ſtimulante fame cupidusque cruoris
Incuſtoditum captat ouile lupus.

Sicuti habet Ovidivs. *(o.)* Certe, ſi hiems incidat, ſolito rigidior, facto illi agmine, luſtra, iam ante exinanita, deſerunt, deſcenduntque in campos, immo vicos ipſos tentant. Scilicet, hic illud *Statii (p.)* occinas:

rabidi ſic agmine mixto,
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non auſa fames, longo tenuauit hiatu.

λυκανθρωπων fabula:

Qui, ſi damna edant ſtragesque inuſitatiores, vulgus adulto errore, credit λυκανθρωπους eſſe, qui e hominibus, in lupos conuerſi, *Lycaonis* ritu, vindictam de his ſumant, quorum iniuriis ſunt adpetiti. Neque tu facile, errorem longe pernicioſiſſimum, & humano generi, non minus, quam ſummo eius opifici, iniurioſum, e plebis mente eliſeris. Quem autem hac ſuſpicione ſemel notauerunt, ab hoc, multa ſibi circumſpectione cauent; ne nouis prouocatus iniuriis, ad ingenium redeat, dicique de eo poſſit, quod de *Lycaone* ſuo, mutato in lupum, *(q.)* Ovidivs:

ſolitaque cupidine cædis
Vtitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet.

apri:

Tutius *Apri*, in ſaltibus noſtris degunt, quam cerui: quippe feris, de quibus diximus, rapacibus, minus obnoxii, colonis tamen quandoque nociui. hi certe ſub inde, quod Ovidivs *(r.)* cecinit, experiri coguntur:

Is modo creſcentes ſegetes proculcat in herba,
Nunc matura metit fleturi vota coloni.

Haud tamen ita ſunt copioſi, vt crebriores has iſtiusmodi calamitates, agris inferant; ſiue, quod libero venatu, qualis vsque ad nupera comitia obtinuit, facillime, ſi graſſari occipiant, ab ruſtica plebe, intercipiantur; ſiue, quod ſiluis, glandium feracibus, quam abietinis, lubentius hoſpitentur. Iam

caprea & lepores:

Imbelles caprea ſollicitusque lepus. (s.)

venationis libido minuta.

memorandi ſunt. Et *Caprea* quidem, ſeu *dama*, gregatim ante hac montibus noſtris, inerrabant; ſed quas, inſana plebis, ad venandum, libido, multum diminuit. Quo enim quisque, in promiſcua illa, agre-

o.) Lib. I. Triſtium. Eleg. V.
p.) Thebaidos. Lib. X.
q.) Metamorph. Lib. I. Fab. VI. Slauis, *Wilkolak*, id genus dicitur.
r.) Metamorph. Lib. VIII. Fab. IV.
s.) Ovid. Faſtorum Lib. V.

agreſtium, & oppidanorum multitudine, otio magis diffluit, eo plus ſibi, in feras licere, exiſtimabat. Et, metuendum omnino erat, niſi venandi hæc libido coercita fuiſſet, ne regio, natura ferarum diues, prorſus exinaniretur, vixque ſupereſſet amplius, quod honeſtiſſimi quique, relaxandi animi cauſſa, inſectarentur. Tametſi enim nolim, gentis libertati, quidpiam derogatum; bene tamen regioni prouiſum exiſtimarim, quod, licentia hæc, legibus iam circumſcripta eſt. Quid enim ſperes, vbi neque conſociationes, neque geſtationes, aut fœturæ ferarum, obſeruantur; ſed, ruitur in earum perniciem, cum maxime vacatio quædam, & ſaluus quaſi conductus, indulgeri deberet, ne temere genus deficiat; ſed fœcundo traduce propagatum, ſiluas oppleat; maiori demum oblectatione, & venaticos labores prouocaturum, & oneraturum menſas. Sed hæc ob iter. In primis, numeroſas *damas*, in ſaltibus noſtris obſerues, ſi hiemis frigora intenſiora, & niues, ſolito ſunt altiores. Tunc enim, ſiue metu luporum, ſiue frigoris acerbitate, compulſæ, in globos coeunt, & qua poſſunt, proxime, ad vicos deſcendunt; vbi demum fuſtibus, & ſine venabulo, a promiſcua plebe, interimuntur: id quod anno potiſſimum MDCCIX. & MDCCXI. euenisſe, adhuc recordamur, cum plenis ſubinde plauſtris, *Neoſolium* inuectas, vidimus, & vili admodum pretio, *groſſorum* plus minus *quindecim*, emebamus. Non æque *leporum*, inopiæ metuo, quam *damarum*. Δασυποδες γὰρ ἔδιον τοκετόν τε καὶ σπερμολογίαν. *lepus* nempe *animal eſt*, *multi crebrique partus*, ſicuti habet ARISTOTELES. (*t.*) quod noſtros homines vſus docet: quippe, lepores, quotidie infeſtantes, neque tamen facile, eorum queſturos paucitatem. Reliqua ferarum genera, *vulpes*, *martes*, *feles* ſilueſtres, atque *taxos*, enumerare ſuperſedemus, toties alibi obuia.

§. VIII.

AVes ſilueſtres ſuccedant. Et *rapaces* quidem, nihil adtinet recenſere, quod earum largus prouentus eſt, vbicunque prædarum ſunt illecebræ. *Eſculentarum*, potior nobis erit ratio, quæ in *Comitatu* noſtro, & longe ſunt frequentiſſimæ, & ſaporis, quam alibi, delicatioris multo. Sunt in his, *Tetraones*, duum generum, maiores alii, alii minores: vtrique, etiam maxime induſtrios venatores, egregie nouerunt falleré: de quorum captura (*u.*) alibi dicemus. Copioſiores his ſunt *Perdices* & *Attagines*, paſſim per nemora, & retruſiores lucos, nidificantes, fœtura plerumque tam numeroſa; vt agminatim, præſertim ineunte auctumno, volitare obſeruentur, ruantque ſæpe in inſidias, cæcarum inſtar: quod, an libidinis æſtu faciant, perdices in primis, ſicuti vult PLINIVS, (*v.*) vel eſcæ adpetitu, non habeo dicere. Fœcun-

Aues ſilueſtres:

Tetraones:

Perdices & Attagines:

t.) De Generatione Animalium, Lib. IV. c. v. p. 686. Editionis Pariensis, GVILIELMI du WALLI *filii*.

u.) *In Comitatu Liptouienſi*, Parte I. Memb. I. §. IX.

v.) Lib. X. c. 33.

Fœcunditatis cauſſam, in eo ponit ARISTOTELES, *(x.)* quod etiam ſine coitu pariant, & aliæ quidem ſolo marium olfactu, iterum, ſolo auditu aliæ. Ὀσφρώμεναι τὸ ἄῤῥεν, καὶ ἀκούσαι τῆς φωνῆς, αἱ μὲν πλησθῶσι, αἱ δὲ τίκτουσι παραχρῆμα. Hoc eſt: *Cum olfaciunt marem, vocemque eius audiunt, alterae implentur, altera ſtatim pariunt.* Non vacat in rem inquirere ſcrupuloſius; non poſſum tamen, quin fatear, videri mihi ingenium *Ariſtotelis*, auditionum ſequax, prodere adſertionem, propemodum ridiculam. quam, quod ſuam fecit PLINIVS, eo minus habet admirationis, quo magis inter doctos conſtat, ab *Ariſtotele* pleraque ſua, imprudentius mutuatum eſſe. Ita vero ille: *(y.) neque*, inquit, *in alio animali, par opus libidinis. Si contra mares ſteterint feminae, aura ab his flante, praegnantes fiunt. Hiantes autem, exſerta lingua, per id tempus aſtuant, concipiuntque ſuperuolantium olfactu, ſape, voce tantum audita maſculi.* Nempe, haud credebant, boni iſti doctique viri, philoſophorum ſe nomina tutari poſſe, niſi prodigiis opplerent, quae ſcribebant. Sed nos aues noſtras porro proſequamur. Maxima, *Turdorum* Zolienſium, laus eſt, eorum nempe, qui, quod granis iuniperi victitant, germanis *Kronouets-Vögel*, dici conſueuerunt. Fo rte, genus illorum eſt, quos ATHENAEVS, *(z.)* ἐλαιοφάγους, hoc eſt, *oliuarum voraces*, ex *Ariſtophane*, adpellat. Integra enim oliueta, ſic turdorum greges populantur, vt inter agrorum calamitates, non poſtrema iſta cenſeatur. Hinc AVSONIVS:

Turdi:

Qualis Pirenae populator turdus oliuae,
Clunes opimat cereas.

Latini certe, quod ſciam, nuſquam, peculiari nomine, hanc auem inſignieuerunt, *turdi* vocabulo contenti. Captura eius, toto quidem *Comitatu* inſtituitur; ſed vix alibi fructuoſior, quam apud vicum *Lukowo*. Huc enim, procliui in hiemem auctumno, ſtatis diebus, puta ad *IV. Nonas Octobris* aduolantes, aucupium, & copioſum faciunt & longe facillimum. Quid ſit, quod auem opimam, tanta quorannis damna, ex aucupio iſthic accipientem, huc iterum iterumque inuitet, non reperio; niſi iuniperorum frequentes dumos crediderim, Ingenti baccarum copia onuſtos. quos illi auidiſſime depaſcunt, atque eſcæ hoc genere, adeo pingueſcunt, vt ex induſtria, ad ſaginam altos credere's. Nam, ſi deplumes fiant, vix membrorum compages notare poſſis, tam ſunt pinguedine inueſtiti; qui demum luculento aſſati igne, mirifice ſapiunt, in primis, ſi viſcera, teneriore inſeſſa pinguedine, intus habeant. Tunc enim, & ſuaui odore fragrant, & adpetitum egregie cient. Tantam eorum, A. MDCCIX. intenſiſſima illa hieme, copiam; tamque pinguem vidimus, quantam, qui non viderunt, animis haud ſane concipient. Integra tunc dolia, turdis huiusmodi, gelu duratis, impacta, *Viennam* dimittebantur: neque, ex eo tempore, parem alitis huius frequentiam, obſeruatam meminimus. Eſt & criſtatæ auis genus

horum prodigioſa propemodum ad Lukowo, *captura:*

x.) Loco cit. L. III. c. 1. p. 644. D.

y.) Loco, quem nunc citauimus, vbi plura, prodigioſa legas, de perdicibus.

z.) Deipnoſoph. Lib. II. c. XXIV.

genus quoddam, haud vbique obuium, noſtris autem montibus, valde familiare. *Kochlátſch* adpellant *Slaui*, quod criſtam capite gerat. Ipſa auis, tota verſicolor eſt, alarum pinnas luteas habens, ſed maculis tamen rubris non ſecus variegatas, quam ſi eas artificis manus adſperſiſſet. Moles corpuſculi, turdo minutior, ſed obeſior multo alauda eſt; carnis autem præſtantia neutri cedit. Sunt & his certa capturæ tempora, quibus, & pinguiores, & ſolito obſeruantur ſapidiores. Longum foret, ſpecies auium ceteras percenſere, quæ hic aucupia, & iucunda faciunt, & fructuoſa: alibi de iis ex inſtituto. *criſtatum quoddam auis genus.*

§. IX.

Slluis, & earum opportunitatibus, perluſtratis, fluuios nunc videamus. Duum iſti ſunt generum, vel domi nati, vel admiſſi aliunde. In his: *Zolienſium* Fluuii:

I.

Granvs eſt, princeps totius *Comitatus*, amnis, ex *Gömörienſium* finibus, in noſtram demiſſus regionem. Oritur illic, vltra *Telgárd*, rectius *Tiergarth* vicum, e conuexis *montis regii* lateribus, ſuo quidem fonte grandis, ſed incurſu riuorum, vix aliquot ſtadia prouectus, multo dein grandior. Ab ipſo ſtatim capite, rapidus labitur; poſtea vero, imminentibus hinc inde montibus preſſus, quanto anguſtior, tanto magis pernix, magno ſubinde ſtrepitu, per obiectas cautes, frangitur; donec *Polunkam* præteruectus, agrum *Briznenſium* placidior, adhuc tamen citus, ſubit, atque facto in meridiem flexu, vrbi adlabitur. Hinc in auſtrum, oblique curſum dirigit, frequentes vtrinque amniculos recipiens. Primus, *Valaſzkenſis* eſt; alter, longa, & præcipiti valle, inde e radicibus montis, cui *Nuptiarum Diaboli* nomen, a ſeptentrione admiſſus, vulgo *Stiawnitza* dictus. Streperus ſane, & ex modicis etiam imbribus, vltra, quam reris, intumeſcens; trutis tamen, & ſaxatili piſcium alii generi, ſic ſatis hoſpitalis. Hunc, in aduerſa ripa, ſed inferius paullo, *Hronetz* fluuiolus excipit, non tam aquarum mole, quam præcipiti curſu, memorandus. Demittitur is ex montibus, ad orientem ſolem, grandi faſtigio, adſurgentibus, eo peropportunus, quod ligna carbonariæ de ſtinata, *Grano* inuehat. Inde, *Lehotenſis* riuus, & poſt hunc, *Predajnenſium* amnis eſt, vterque ab aquilone *Grano* adfuſus; ſed vterque etiam inſigni trutarum copia, inclutus. Variis hinc gyris ludens, ac ſeptentrionali potiſſimum margine, plurimis vicis inſeſſus, *Libetenſium* prius riuum accipit, poſteaque *Tót-Liptſcham*, oppidum tenue, ſalutat: dum hinc quoque emergens, placido, laxioreque iam alueo, quaſi vrbem honoraturus, *Neoſolium* adproperet. Hic vero demum, roſtratis caueis, quas ingeſtis ſaxis onerauerunt, interceptus, varie finditur. Pars enim, altera, quæ roſtra, longo ordine defixa, ingenti cum ſonitu, transfluit, vrbi, ab oriente, adlabitur; altera, in alueum col-

Granus, *vbi oriatur, & qua curſum teneat:*

quos accipiat riuos:

cataracta & roſtra Neoſolienſia:

collecta, officinam carbonariam interluit, ligna ſubuehens, in carbones exurenda. Poſteaquam ex his diuortiis, ad eam vrbis portam, quæ *Camera* dicitur, ſeſe recollegit, hinc mœnia, illinc radices prærupti montis *Vrpin*, lentiore aquarum tractu, ſubluit, dum *Biſtritzam*, vrbe egreſſam, recipiat, iterumque in caueas, prioribus ſimiles, impellatur. Nempe, quidquid e ſuperioribus cataractis lignorum dimiſſum eſt, hic recolligitur, in altera hac officina, reponendum. Atque, hæ illæ ſunt remoræ, non vitio aluei, ſed arte inductæ flumini, quæ nauigationem, multi reditus futuram, adhuc ſuffl aminant. Sed *Granus* relicto *Neoſolio*,

vt celer Eleo carcere miſſus equus (a.)

lætior iam, & aquarum mole tumidior multo, per amœnam inde planitiem, *Vetuſolium* decurrit, vtroque latere, vicis, agris frumentariis, pratisque, egregie cultus. Vrbi propior factus, alta, ab ortu ſolis, crepidine coercetur, qua concluſus, mœnia vrbis, præteruehitur. Hic ei *Szalatna* amnis, ab oriente incurrit. Tunc, reclinato aliquantiſper, in hibernum occidentem, alueo, per mediam vallem, a *Butsa*, exili vico, denominatam, præceps fertur; dum ſupra arcem *Saskö*, fines *Comitatus* noſtri, quem ad nouem milliaria totidem plus minus, pontibus inſtratus, medius ſecuerat, derelinquat prorſus, *Barſienſem* poſtea regionem, irrigaturus. Ad aquas amnis, quod adtinet, limpidæ eæ ſunt, ac multum ſalubres *(b.)* niſi torrentium limo inquinentur. Hinc eorum *piſcium*, in primis patiens eſt, qui *ſaxatiles* vocantur, *Trutarum* puta, *gobiorum*, *fundulorum*; &, qua profundior manat, ac limoſior, *luciorum*, *murænarum*, *tincarum*, *mullorum*, *alburnorum*, & *thymallorum*: vt recenſione ignobiliorum, ſuperſedeamus. *Cancri*, quos alit, non mole tantum valent; ſed ſapore etiam exquiſitiſſimo. Aliquando, intra *Neoſolium*, & *Garamſzeginum*, interceptum *caſtora (c.)* fuiſſe, meminimus, molis haud omnino exiguæ, quem apud pharmacopolam Neoſolienſem, *Andream Schnee*, antiquæ fidei morisque virum, ſpectauimus, carnes autem, epulis adhibitas, etiam comedimus. Redemerat ille animal ἀμφίβιον teſticulorum cauſſa, pretio minore, quam, vel *vncia*, huius medicamenti, emi poſſit. *Lutrarum* frequentius genus eſt, quæ paſſim in radicibus arborum, ripis increſcentium, hoſpitantur, tantæ ſagacitatis, *(d.)* vt piſcium odores, aliquot procul milliaria excipiant, poſteaque amne aduerſo, ad eorum properent lanienam. Exuuias beſtiæ, manicis adhibent *Zolienſes*, pellibus ouinis vulpinisue, ſuffultas, quibus manus, aduerſus frigora egregie muniunt. Iſta, de *Grano*, dicenda erant, amne, & copioſo, &

eius aqua & piſces:

amphibia:

a.) Ouid. Epiſt. XVIII. 166.

b.) Male ergo, COBERVS, Obſeruat. Med. Dec. I. Obſ. VII. p. 40. GRANVM, *parum ſalubre ſpirantem, nedum aquationi commodiori ſeruaturum*, increpat.

c.) *Caſtora*, & *Caſtorida*, toto cœlo differre, lege apud BOCHARTVM Hierozoico, Part. I. Lib. IV. c. II. p. 1068. Edit. 1712. Lugd. *fol.*

d.) Vide SCALIGERVM de Subtil. Exercit. CCX. 3.

& multarum vtilitatum. quæ, quin ampliores futuræ eſſent, ſi, ex præſcripto legum patriarum, nauigationis redderetur patiens, non eſt, cur ambigamus. Tunc enim, præter omnis generis materiam, trabes puta, aſſeres, ſcandulas, ridicasque; ceteræ opes *Comitatus*, in *Danubium* prouehi, atque hinc, pro re nata, paſſim poſſent diſpenſari. Hoc ſibi voluit ſanctio RVDOLPHI, *(e.)* qua ille, conſentientibus ordinibus regni, quidquid nauigationem *Grani* remorari poterat, amoliendum ſtatuit. *Et quia*, inquit, *in fluuio Granenſi, multa habentur molendina, aditum ad ciuitatem Strigonienſem, impedientia, vel ſaltem, difficilem ac periculoſum nauigiorum tranſitum reddentia, id quod, ſicuti experientia docuit, munitioni Strigonienſi, magno hactenus obſtaculo fuit: Igitur ſtatutum eſt, vt omnes Domini Prælati, Barones, ac alii cuiuscuis conditionis homines, easdem molas, cum ſuis attinentiis, ita accommodent, vt omnis generis nauigia, & rates, pro aduehenda calce, roboribus, & lignis, ac victualibus, aliisque rebus neceſſariis, ſurſum ac deorſum, citra periculum Strigonium deduci, & reduci poſſint. Alioquin, Comites, aut Vice-Comites, aut illis nolentibus, aut inſufficientibus, Supremus Capitaneus, eiusmodi molendina, & obſtacula, ſtatim, & de facto, diſtrahenda curet.* Ita ſanctio habet, qua, an tunc profectum aliquid fuerit, neſcio. Certe anno MDCLIX. renouatam fuiſſe lego: *(f.) Deſcenſus, ſecundo Grani fluuio, ratium & aſſerum, ſcandularumque, ac quarumuis lignearum materiarum, in traiectu Nouizolienſi, per Camera Officiales, & miniſtros, priuati lucri cauſſa, iuxta conditos, & renouatos ſuperinde articulos, ita & deſcenſus, per fluuium Vagum, ſub pœna violentia, nullo modo impediatur.* Hodie ſane, damno eſt *Zolienſibus*, quod amnis iſto beneficio, vti nequeant.

nauigatio, contra leges patriæ, impedita:

damnoſa Zolienſibus.

I I.

Inter fluuios, qui *Grano* ſe miſcent, præcipuus fere eſt BISTRICZA, vrbe, cui nomen, apud Hungaros, & Slauos, impertiuit, non minus, quam latice, indutus. Corriuatur e pluribus fontibus. Caput horum eſt, *fons regius*, Slauis *Králowá Studna*, in conuallibus montium *Hole*, ſcatens. Inde, ſuas admodum aquas, diu vehit: mox, per vallem deiectus profundius, variis riuulis, ad amnis molem qualemcunque, increſcit. In primis, fluuio *Hermanecz*, redditur validior. Atque hic ille fons eſt, qui cataracte, cui *Babota* nomen, deiicitur. Nempe, quia in monte ſcaturit, ſcopulis præciſo, neque habente deuexitatem aliam, neceſſe eſt, vt ingenti aquarum fragore deiiciatur, atque ex vno cautium vertice eliſus, retundatur ſubtus in altero, tanto fremens vehementius, quanto altius cecidit, vt non iam fluere, ſed ruere, inter occurſantes ſcopulos, & multo cum murmure frangi, iterumque ſuſpenſis quaſi gurgitibus, rotari videatur: donec, plus iugeri ſpatio, iſtis obicibus laceratus, in ſubiectum alueum, ſonans ſpumansque, deuoluatur, atque poſtea confractis aquis, domitaque violentia, lenis manare incipiat. *Catadupas* Nili diceres, ſi aquarum

Biſtricza:

Babota, *cataracte:*

e.) Anno MDCVI. Art. LII. *f.)* Articulo LVIII.

rum moles, ſitus aſperitati, reſponderet. Nobis, Lvcani *(g.)* verſus, cataractas Nili deſcribentis, dum hæc memoramus, in mentem veniunt:

Quis te tam lente fluentem,
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile (riue) *putet? nam cum lapſus abrupta viarum,*
Excepere tuos, & præcipites cataractæ.
Ac nusquam vetitis vllas obſiſtere cautes.
Indignaris aquis, ſpuma tunc aſtra laceſſit.

Hoc in iſto, tam vehementi, ac ſtrepero aquarum deiectu, iucundum ſpectaculum, ſimul & admirationem, habet; quod *truta*, quæ hic copioſius proueniunt, aduerſus ruentes, & lapſu aliquantiſper ſuſpenſas aquas, natando luctentur, atque enatent ſubinde in eximiam altitudinem, breui poſt, ſine noxa, deiiciendæ. Accipit amnem hunc *Biſtricza*, modico, vltra *Vlmankam*, interuallo, cum iam ſupra, & riuum *Starohorenſem*, & torrentem, ex *Vallis Dominorum* cuniculis, defluum, admiſiſſet. Totus hic, ex liuido, albus eſt, quem colorem, limus ei fodinarum, inducit. Proinde, iſtis ſordibus commixtus amnis integer, liueſcit poſtea, fitque inhoſpitalis, cum piſcibus reliquis, tum maxime trutis; eo tamen perquam vtilis, quod molas frumentarias non minus, quam metallicas, plurimis locis, circumagat. *Koſtvilla*, officinam conſtituerant, ineunte hoc ſeculo, *Neozolienſes*, cudendis falcibus deſtinatam, operis, rotarum adminicula, inſigni artificio, ſubſtituentes. Sed tunc, inſtitutum ſine fructu manſit; ſiue, quod operarum magiſter, homo *Syrius*, artem, & cum ea gentis ſuæ commoda, propagare ad *Hungaros*, noluerit; ſiue, quod ille cauſſabatur, quia ferrum *Hungaricum*, minus tunc fuerit ductile, ideoque iſtis vſibus, refractarium. Iam, in rem ſuam denuo officinam hanc *Neoſolienſes* occipiunt conuertere. Ferrum enim, apud *Libethenſes*, noua arte fuſum, exterorum ritu, in omnis generis ſupellectilem, procudere parant. Quod, quia melius vertit, quam prior illa deſtinatio, impenſe, & nobis gaudemus, & gratulamur *Neoſolienſibus*. Infra eundem hunc vicum, in geminum alueum, *Biſtricza* finditur, natiuum alterum, alterum, qui occidentalis eſt, & montis radici ſubductus, manu factum, vt ærarias machinas, in officina *Neoſolienſi*, impelleret. Perdurat, in iſto diuortio, vsque dum ſuburbiis *Neoſolienſium* illabatur. Iſthic enim, in priuati hominis officinam ferrariam, rotis circumagendis, deriuatus, tandem in eundem alueum redit, geminæ vaſtæque molæ rotandæ, inductus. Altera harum, intra vrbis eſt moenia, quæ amnem, cancellatis cataractis admiſſum, & in proximam molam deiectum, paullo poſt, ad portam, quæ a ſitu, *inferior* dicitur, in *Granum* euomit. Iſte curſus *Biſtriczæ* fuit, tertio, quam a fonte digreſſus eſt, milliari, *Grano* abſorptæ.

quas præſtet vtilitatem.

III.

g.) Lvcanvs x. v. 315. *ſeqq.*

III.

Szalatna: SZALATNA iam memoranda eſt, grandior ea quidem, procurſu vero haud longior. Oritur in montibus *Detuenſium*, ſub eo vertice, cui *Wrch-Detuy*, nomen. Inde, riuo, quam flumini, ſimilior, celebrem vicum *Detua*, interluit; mox arcem *Wigles* præterlapſus, oppido, *Szalatna*, nomen communicat, & vndas. Lentiore hinc curſu, verſus *Lieskótz*, fertur, accepto, ea regione, gemino fluuiolo, iam ante, in vnum corriuato alueum. Alter, *Otſouienſium* eſt, *Zolmenſium* alter. ille, ab oriente, hic a ſeptentrione demiſſus, & pluribus vicis, ad quartum milliare, præcinctus. Breuis hinc amni lapſus ſupereſt: nam, poſt paſſus circiter bis mille, admiſſo a meridie, *Dobronenſium* riuo quem fauces *Nereſznitza* egerunt, atque mœnibus arcis *Vetuſolienſium* ſubuectus, vbi, & ponte iungitur, modico poſt interuallo, in *Granum* ſe exonerat. Piſcium minutorum, & cancrorum, ſi quis alius, per quam diues.

IV.

Carpona: Supereſt, ne CARPONAM, vulgo *Krupenicza*, clam nobis diffluere patiamur. Debet ea originem, montibus *Pelsótzienſibus*, atque in his vni, cui *Riman*, quod *Romanum* ſignificat, nomen eſt. Iſthic, in amœno prato ſaliens, modicus primum manat, donec varie flexus, augeſcat, tenuiorum riuorum adfluxu. Digreſſus inde, & per conualles præcipitatus, tandem *Carponam* ſubluit, incertum, an hinc acceperit, vel ei dederit vocabulum; tametſi illud credere malim, ob vrbis antiquitatem, & priſcum *Carporum*, hic olim colentium, nomen. Prono iſthinc alueo, per *Nagy-Hontenſium* agrum, vehitur, rigatque vicos, *Meznevelő*, *Felsö*, & *Alsö-Rakontza*, atque *Paláſt*, donec ad pagum *Szob*, Ipolæ miſceatur.

Iſta, fluuiorum *Zolienſium*, capita, iſti aluei, atque exitus fuere. Procliue eſt ad coniiciendum, intra montium hæc iuga, & perennes illis aquas eſſe, & ad exundandum faciles: quippe, tot vndiquaque riuorum, ac torrentium incurſibus obnoxiis.

§. X.

Aquarum fontes: NVnc, aquas alias, fontesque videamus. De dulcibus nihil adtinet dicere, in tanta eorum, & ſalubritate, & frequentia. Tametſi enim, tota regio metallica eſt, haud tamen aquarum vitio laborat; præterquam iis locis, vbi, vel mineralium halitibus, venæ fontium turgeſcunt, vel, ex ſordibus fodinarum, limi quidpiam adtrahunt. Strumoſos certe rariores hic obſerues, ac fere hos tantum, qui metallis, dies noctesque, operantur. quales e *Valle Dominorum*, & vicinis locis, quin & *Libetha*, prodeunt non nunquam. De Acidis ergo fontibus, & qui admirationis quidpiam habent, non nihil dicemus, pleniore, ſingulorum tractatione, alii loco, adſeruata.

I.

Acidali, & in his Oſztroskenſes.

Atque inter illos, principe loco nominandus eſt fons, iugis *Oſztroskenſibus*, medio, vltra arcem *Vigles*, milliari, loco amœniſſimo, ſubſitus. A rufo aquarum colore, *rubrum* vulgo adpellant. Et omnino talis adparet, fontem intuentibus; ſed quem limus, qui in fundo, & lateribus fontis adhæſit, mentitur. Nam vola, aut vitro hauſtus, limpidiſſimus eſt, & cryſtallo quouis illuſtrior. Cum alias ſæpe, tum maxime ex Germania, anno MDCCVIII. redux, earum experimentum, ſed ſola, ad ſatietatem potatione, feci. Nondum fontem, hac regione maxime inclutum, amicus quidam, in paucis cariſſimus, ſeu viderat, ſeu potauerat. Proinde, e thermis *Ribarienſibus* vbi tunc, curandi corporis cauſſa, diuerſabamur, huc mecum equo, vectus, conceſſit. Ipſo fere meridie eo delati, vti erat iucundiſſimum anni tempus, iam enim inierat *Iunius*, ad fontis marginem, diſcubuimus, liberali mox hauſtu, concitatam equitatione ſitim, impranſi adhuc, reſtinguentes. Atque iſta exorbitatio, adeo non diminuit cibi adpetitum, vt exacuerit etiam. Aquæ enim ſapor, non modo ſolito acidior eſt, ſed ita etiam acris, vt potanti naſum terebret, proliciatque lacrumas. Sumto prandio, miſcere eum, duplicis notæ vino, tentauimus. *Miskoltzienſe* erat alterum, alterum *Tokayenſe*, atque iſtud paſſum. Vtrique, penitus ſe intimauit, atque potum reddidit, mire ſuauem: vt equidem optarim, ita mihi prandenti, pocula identidem, atque æſtate in primis, miſceri. Sed iſta nobis voluptas, acerba paullo poſt reddita fuit. Subita enim procella, tantum effudit imbrem, quanto quidem arcendo, vix ſuffeciſſent

lacernæ pingues,
Munimenta togæ, duri craſſique coloris.

Ceterum, fons ipſe, in valle ſitus, riuulum a ſiniſtra habet, ſtreperum, neque niſi gemino forte paſſu, diſiunctum. Huic diffluentes e fonte acidulæ, e veſtigio illabuntur, tanta ſcaturientes copia, vt rotandæ fere molæ, ſufficerent, accuratius in canalem collectæ. Damnaui ego, reiectum, ab hominum celebritate, optimi fontis ſitum, quodque intra montes diffluat inaniter, adhuc ingemiſco; dignum ratus, qui Romani aquilegis induſtria, ſumtuque, in medias vrbes, deduceretur, Bacchi, & Cereris faſtidia leuaturus, aut temperaturus certamina. At enim vero, ſicuti

Non omnis fert omnia tellus;

ita, ſingulari naturæ factum eſt prouidentia, vt & ſolitudinibus ſuæ eſſent deliciæ, nulla humana induſtria, in celebritatem vindicandæ.

II.

Vigleſienſes.

Eſt & alter, hac regione, acidarum fons, in pratis, arci *Vigleſienſi* ſubiectis, eximiæ is quidem ſalubritatis, ſed inundationibus *Szalatna* expoſitus, ideoque, ea cum primis anni tempeſtate, propemodum inuti-

inutilis, cum ex medicorum præſcripto, acidulis, ad ſalubritatem vti, moris eſt. Virtus eius præcipua in aluo cienda, adeoque abſtergenda bile, ab his ponitur, quos id experientia docuit. Adfirmatum mihi a pluribus eſt, vſum earum medicum, eiusdem, ſi non maioris efficacitatis eſſe, qualem *Rojtſenſi*, & *Egrienſi*, fontibus adſcribunt, eorum præcones immodici: quod ego ita accipi velim, vt ſua, cuiusque temperamenti, atque ea exacta ſatis, ratio habeatur. Mihi, in arce aliquando accumbenti, cum vino dilutæ, tum, ſicuti erant ex fonte hauſtæ, ſaliuam mouerunt. Poſt Vigloſienſes, acidarum *Szalatnenſium* meminiſſe iuuat; non quod illis æquiparari poſſe putes, ſed ne ſilentio præteritæ videantur. Szalatnenſes.

III.

Præcipua acidulis *Vetuſolienſibus* laus eſt. Plures earum fontes iſthic ſcatent; ſed efficaciæ ac ſaporis diuerſi. Maxime autem eæ frequentantur, quæ ſunt extra portam, ad *Szalatnam* ducentem. Simul enim dies illuxit, puerorum puellarumque greges, amphoris onuſti, hauſtum exeunt, quas domum delatas, in cellis reponunt, ſtudioſe cauentes, ne humi collocentur, ſed in ligneis thecis, ſaltem aſſerculis, humi proiectis: id enim niſi facerent, inſipidas futuras perhibent. Cauſſam eius rei ſciſcitanti, hanc reddiderunt, quod terra, eosdem illos ſpiritus, qui acidulum aquis ſaporem conciliarunt, reſorbeat. Hinc, & teſtaceis vaſis, quam ligneis haurire malunt, quod credant, vim earum diutius integram adſeruari poſſe. Regio, circa fontem, excauata arbore, negligentius, quam deceret, concluſum, paluſtris fere eſt, & aquis ſubtus ſcatentibus ſuſpenſa. quod tamen ſapori acidarum, oppido egregio, nihil nocere vidimus. Vetuſolienſes.

IV.

Alter hunc excipit, vltra *Grani*, & *Szalatnæ*, confluentes, ſicuti iucundiore naturæ factus opificio, ita laticis præſtantia, multis modis excellentior. Elegantiſſimo is ſpectaculo, ob iter, quod *Oſtroluckam* ducit, in orientali *Grani* ripa, e petra ſcatet. Scrobiculum in ea excauarunt, pateræ profundioris inſtar. In huius margine, rimula ſe aperit, ex qua acidulæ, perenni, ſed parca tamen ſcaturigine, ſtillant, ſubtus, ſcrobiculo, quem diximus, exceptæ. Quod is non capit, inutiliter, ſed pro modulo ſcaturiginis, modice dimanat. Ceterum, fonticulus ipſe, bibere volentibus, poculi vicem præſtat, vt ſtantes etiam, capite aliquantum inclinato; nam eleuatiore ſitu eſt; potare queant, niſi cortex, arborum gibbis detractus, adſit, vulgare ad iſtiusmodi fontes, poculi genus. quo & vaſa, ſi hauriri oporteat, e ſcrobiculo iſto, impleri neceſſe eſt; eo, quod non habet eam profunditatem, vt merſa amphora, ſuapte haurire queat. Cum anno MDCCIV. ex pedeſtri itinere feſſus, apud fonticulum hunc diſcubuiſſem, exili merendæ, pane ſecundario litaturus, dici nequit, quantopere aciduli fontis hauſtu recreatus fuerim. Sitim certe bibendo, non modo non reſtinxi; ſed accendi etiam, ita hic verum erat Poetæ illud: *alia, ad ripam* Grani

Quo

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Atque ex eo quidem tempore, fons iſte viſus mihi haud eſt, ſemper tamen corona dignus iudicatus. Scrobem poſtea capaciorem factam accepi; ſed iniquiore ſucceſſu, aquæ enim languidiores inde redditæ, minus iam durant, ſi vaſis hauſtæ, domeſticis vſibus, reponantur.

V.

Ribarienſes. Sunt & ad *Thermas Ribarienſes* acidulæ, non ea quidem vulgares, ſed neque omnibus, ex æquo, ſalubres. Cauſſam fortaſſis dixeris, indolem aquarum, pro tempeſtatis viciſſitudinibus, variam. Nam, ſi cælum ſudum ſit, neque pluuiæ metuuntur, limpidæ ſunt, probique ſaporis; quod vtrumque contra eſt, ſi procella, vel immineat, vel perduret: turbantur enim non tantum, ſed ſaporem etiam referunt, ſulphuroſum nimis, minusque gratum. Si maxime tamen natiuum habeant temperamentum, his quidem aluum ſoluunt, acuuntque cibi adpetitum; illis, deiectiones reddunt difficiles, & veſcendi deſiderium languidius. Vino certe inique miſcentur, credo, ob ſulphur, quo turgent, copioſum craſſumque.

VI.

Tsatſinenſes. Meliore loco habendæ ſunt *Tsatſinenſes*, ſiue ſaporem ſpectes, ſiue ſalubritatem. Vicus eſt, duobus fere milliaribus, *Neoſolio*, ad ortum ſolis, reductus. In huius agro, vltra geminum globi iactum, remotus a vico, in orientem, fons acidarum, intra dumos ſalit, fundo & lateribus ſaxeis, e quorum rimis, largiore vena, tantum prorumpit aquarum, quantum implendis capaciſſimis vaſis, ſufficiat: perennis ideo riuulus, e fonte dimanat. Ob ſaporis, qua ſunt, præſtantiam, & medicam earum vim, ægris ſubinde commendari videas, in iis morbis, vbi vini vſus pernicioſus erat futurus, aluum autem bene ſuccedere neceſſum eſt. Nouimus inter *Neoſolienſes*, quibus fontis latex, generoſiore permixtus vino, in deliciis eſt.

VII.

Baczuchenſes. Neque ſilere decet *Baczuchenſem* fontem, *Gömörienſibus* limitaneum, & alpibus ſubſitum. Qui eum potauerunt, laticis præſtantia, nulli, toto *Comitatu*, ſecundum credunt; ſolo iterum ſitu damnandum, quod in iſta ſolitudine, propemodum inaniter defluat. Scatet is, e prærupto ſaxo, deponitque ſedimentum, cinnabaris inſtar, rubrum, idemque bene copioſum. Illud peculiare habet, quod bibentibus frequentes proliciat ſternutationes, & aluum, extemplo, laxam reddat.

VIII.

Neoſolienſes. Plures, & in *Neoſolienſi* agro, fontes acidos reperias, tametſi haud adeo exquiſiti ſaporis; quantiuis tamen apud plebem pretii, & feſtiuis exſpatiationibus frequentes. In his ſunt *Stiavnitskenſes*, ad amniculum cognominem, turriculato tecto, noſtro tempore, ab aeris iniuriis defenſæ. Tota hæc ora, acidulis ſcatet, paſſim eo calore prorumpentibus, vt *Thermarum* vice haberi poſſint. Quas hic olim in-

inſtructas fuiſſe, a ſenibus relatum accepimus, eius rei memoriam recolentibus. Hodie, ſcaturigines illæ, in lacus ſunt conuerſæ, cannabi macerandæ excauatos. Propius ad vrbem, inter pomaria, mœnibus ab occidente adſita, alter acidarum fons erat, iam pridem, quod ſciam, intra hortos concluſus, quia ad deprædandos eos, occaſionem præbuit, haurienti eum pubeculæ. Sed qui extra *ſuperiorem portam*, ſub tectulo ſcaret, ſicuti ſapore horum, quos diximus, diſſimilis, ita minus frequens, ſemper viſus eſt. iam forte neglectus penitus. *alia intra pomaria.*

§. XI.

ACidarum hi fontes erant, forte nondum omnes: plures certe conſectari non vacat. *Thermarum* nunc & *admirandarum* aquarum, iniücienda mentio eſt. Diximus, ea *Neoſolienſis* agri regione, cui *Stiavnitska* nomen, thermas olim ſediſſe, ſed quas vetuſtas, iam pridem ſepelierit. Poſſent eæ, nullo negotio, reædificari, niſi nimios ſumtus, & incommoda alia, quæ publica iſtiusmodi ædificia, ſecum trahunt, ciues reformidarent. Memini ego, tenſis heic papilionibus, lauationem, pluribus hebdomadibus, adulto iam vere, inſtituiſſe, quibus aquarum cognita efficacitas fuit. Atque hac quidem mentione, *Thermarum Neoſolienſium* memoriam, ab interitu cenſuimus vindicandam. Eſt & aliud balnei genus, apud *Neoſolienſes*, quod illi thermis, haud inepte, ſubſtituunt. Nimirum, in ea officina, vbi æris inſtituitur flatura, quadratos cados fecerunt, humi defoſſos, quibus immitti aqua poteſt, ac ſubduci. Hos, flaturarii, frigida impletos, æris liquefacti ſcoriis, candentibus adhuc, percalefaciunt, eaque re ad lauandum parant. Aqua certe, æs tota reſipit, atque ideo eandem lauantibus præſtat vtilitatem, quam calidæ aliæ, multo vitriolo turgentes. Qui honeſtius lauare cupiunt, conclaui ſe abdunt, ad eum finem facto: cum cadi, quos diximus, in propatulo ſint, & fornacibus ærariis proximi: quod, ſicuti teneriorum caput tentat; ita nequit eſſe ſine decori offenſa. Hodie, non plane nulla *Ribarienſium* eſt celebritas, ex quo eas ad lauandum commodas fecerunt, *Neoſolienſium* aliqui primores; atque in primis *Paulli Rakontzay*, feſtiui hominis, ſedulitas. Mira earum eſt natura, & haud facile explicanda. Calidæ enim cum ſint, lauantes tamen, quaſi concitata febri, tremore, niſi compacto ſolidoque ſint corpore, poſt aliquam moram, concutiunt: qua re tamen, multum proficiunt ad ſalubritatem. At enim vero, quia in naturam earum, *(b.)* prolixiore diligentia inquiſiuimus alibi, nihil eius rei hic recognoſcimus. Inter *Admirandas* aquas, plures ſunt apud *Zolienſes*, toto orbe cognitæ. Primo loco, eam nominare lubet, quæ in fodina *Vallis Dominorum* eſt, atque eroſo ferro, æs cyprium relinquit nobiliſſimum. *Germani*, ſuo nomine, *Ziment-Waſſer*; & Thermæ *regionis:* Neoſolienſes, *vbi fuerint olim:* *aliud balnei genus apud* Neoſolienſes: Ribarienſes, *& earum indoles:* *Aquæ admirandæ aliæ:* *Vallis Dominorum aqua, ferrum erodens:*

b.) Vide, Caput, de *Thermis Hungaria*, ſuo tempore, bono cum Deo, in Notitia Hvngariae Physicae, edendum.

& emerſum inde æs cyprium, *Ziment-Kupfer*, vocitant. Laticem ipſus ego, anno MDCCXVI. ineunte *Octobri*, ſpectaui, vt de eo certiora memoriæ poſſim prodere: quod & feci omnino, ſed eo loco, vbi, de *admirandis Hungariæ aquis*, ex inſtituto, commentatus ſum. Nunc Tollii, *(i.)* hominis doctiſſimi, & αὐτόπτου, verba adſcribam, ne ſolius domeſtici hominis fide, nitatur relatio: *Sed & aliud*, inquit, *erat naturæ miraculum, quod huic fodinæ, nomen & famam ingentem, conciliauit. In profundiore cuniculo eſt fons, perenni ſcaturigine, aquam mineralem fundens, clariſſimam, quæ alueis excepta ligneis, ferrum iniectum, conſumit, formaque eius eſſentiali corrupta, materiei reliquæ, ita ſe circumfundit, vt ſex, ſeptem hebdomadis, pro ferro, as exhibeat, eadem figura & forma. Data mihi dono, ſolea equina, patella, crux, in qua ferrum conſumtum omne, natura luſum, gratiſſimo ſpectaculo, oculis ſubiicit, aliaque nonnulla e ferro effecta, & in cuprum immutata. Conſideraui autem rem ipſam, quam attentiſſime, quæ ita ſe habet: Ferrum impoſitum huic aquæ, corrumpitur, ſeu exeditur potius, in luti, ſeu limi ſpeciem, & tum pinguedo quædam, aquæ huic minerali, in alueis ligneis iam conſiſtenti, innatans, ferro ſeſe, immo & ipſis alueis, adglutinat, inque cuprum concreſcit. Accepi etiam huius, ita ſimpliciter alueis adhærentis pinguedinis, quam, quaſi eliquatum quoddam ſulphur eſſe exiſtimo; inque cuprum condenſatæ manipulum, vt popularibus, & amicis meis, illud oſtentarem.* Hactenus ille, & recte quidem omnia. Atque præſtitit omnino pretium operæ, cum eorum errorem eliſit, qui ferri quandam, in æs, μεταμόρφωσιν, heic ſibi imaginantur. *Errant*, inquit, *grauiter, qui hic ferrum, in æs commutari, putant; eſt enim ferri eroſio potius, & ſulphuris æri adglutinatio ad terram, vt ita loquar, ferream, arripiente hac ſulphur æreum, proprio amiſſo.* Qua de re, noſtram ſententiam, ſuo loco, promſimus. Aes interim iſtud cyprium, quo vulgari illo purius eſt, nitidiusque, eo maiori cura, a Neoſolienſibus, in variam ſupellectilem, procuditur, quæ ad exteros delata, oſtenti loco eſt. In primis amant noſtri homines, pateras, ex iſto ære factas, & inauratas largius. In harum medio, metallicum homuncionem, ex argento fuſum, collocant, fragmentum aliquod ditioris mineræ, porrecta manu, gerentem, adſculptis rudibus verſiculis:

æs, in corroſi ferri locum, deponit præſentiſſimum:

ſupellex, quæ ex eo fit:

Eiſen war ich, Kupfer bin ich,
Silber trag ich, Gold bedekt mich.

Ex quibus demum pateris, vbi lautius conuiuantur, liberaliter bibunt, longioribus formulis vſi, largos, e metallis, reditus, inuicem ſibi adprecantes: quæ temulenta pietas, an non opes iſtarum vrbium, vel prodegerit, vel vetuerit, ne ex metallorum reditibus porro adfluerent, aliis diſputandum relinquo. Interim, in hæc iſtiusmodi vaſa, doctio-

i.) Epiſt. Itin. v. p. 191.

doctiore Minerua, *(k.)* amicorum non nemo, luſit, quæ, vt lectorem eruditum delectent, heic adſcripſiſſe iuuabit: *in eam epigrammata.*

Martis *eram duri quondam veriſſima proles,*
Iam vocitat gnatum, me Venus *alma ſuum.*

Aliud:

Ferrum erat, as cyprium nunc eſt, meliusque metallum
Fiet, vbi veniet (l.) Villanouana manus.

Porro, in cyathum, ex hoc ære factum, & deauratum:

Hanc Marti *cypriam veſtem*, Neptune! *dediſti,*
Pollentesque Deos, treis tenet vna manus.

Aliud:

Mars, Venus & Phœbus, *iunguntur fœdere amico,*
Hungaria tales, terra miniſtrat opes.

Atque iterum:

Mars *Pater eſt cyatho, mater rubicunda Cytheris,*
A Phœbo *color eſt, animam dat dulce* Falernum.

Porro:

Mars *rutilam duxit* Venerem: *Paranymphus* Apollo
Teſtis ades: miſce dulcis Iacche *merum!*

Denique:

Aere bibis cyprio, ferrumque fuiſſe memento:
Epota veniat, multa ſalute, ſalus!

Iam vero, præter cyathos, & pixidum illud genus, fabricari ex ære hoc noſtro videas, quo Nicotianæ pulueres, ſecum gerunt homines, ad ſeculi mores facti. quibus, cum neſcio, quæ friuola inſculpi ſoleant dicteria, eiusdem amici Muſa, ſequentia ſubſtituit,

Ferrea maſſa fui, cupreo mox lympha colore
Finxit: hic quid aquis fortius eſſe queat?

Aliud:

Ferrum informe fui, cyprium dedit eſſe metallum,
Vnda potens: Veneris iam mihi forma placet.

Aliud:

Aes cyprium nunc eſt, ferrum quod terra fouebat,
Sic Martem *in* Venerem *vertere lympha poteſt.*

Denique:

In Venerem *corroſus aquis*, Mars *fortior iuit;*
Res eſt mira, Deum, *ſuccubuiſſe* Deæ.

k.) Eſt is, Cl. IACOBVS ZABLERVS, vir apprime doctus, & fortuna meliore longe digniſſimus.

l.) Adludit ad priſcum vrbis *Neoſolienſis* nomen, dicebatur enim Slauo idiomate, *Nowa Wes*, id eſt, *Villa noua*, de quo infra.

Placuit iſta adieciſſe, haud ingrata, credo, lectori futura, ſi contingat, non modo hæc noſtra legere, ſed naturæ etiam luſus hoſce, oculis vſurpare.

§. XII.

Aliud aquæ genus Chryſocollam deponens:

ADfine huic eſt, alterum aquæ genus, ex eadem iſta fodina, promanans, quod *Chryſocollam*, egregio prouentu, deponit. Meminit aquæ huius GEORGIVS AGRICOLA, *(m.)* quem in iſtis ſtudiis, merito, *Plinium Germaniæ*, dixeris. *Neuſolæ*, inquit, *in Carpatho monte, aqua viridis, ex antiquo cuniculo effluens, qua amplius triginta caſtellis excepta, ſubſidit, ſingulisque annis deraſa, colligitur, atque diuenditur.* Res eſt iſtiusmodi: aqua, per venas æris cyprii, pertranſiens, lambendo mineram, aliquid eius abradit, atque minutiſſimæ ſpecie arenæ, in alueis ligneis, deiicit. Longo *(n.)* hi ordine ſe excipiunt, ita facti, vt alter altero, ſitu ſi depreſſior, & aquam, ex alio acceptam, aliquantiſper quaſi ſtagnantem, in alterum, leniore caſu, emittat: qua re fit, vt quod viridis coloris, in primo cado, haud ſubſedit, in ſecundo, tertio, atque ita porro, tandem ſubſidat. Obſeruauit aquam hanc diligentiſſimus TOLLIVS: *Hinc, (o.)* de aqua ferrum erodente, locutus fuerat, *per canales, aqua, ære ſuo, quod vehebat, ſpoliata, in alios, extra cuniculos, ſeu fodinam, alueos ducitur, vbi virorem dimittit, ſeu terram viridem, quæ pictoribus inſeruitura, non contemnendo lucro, diuenditur.* Hæc iſtic monuiſſe ſufficiat. Reſtat, vt de ſcrobe *Ribarienſi* dicamus nonnihil. Hanc ſcriptores exteri, iam dudum infamem fecere, quod funeſta ſit auibus, atque iumentis; non ſatis gnari, quibus id de cauſſis, & quomodo accidat. Nempe, ad eundem vicum, quem thermæ nobilitarunt, ſe aperit cheroneum, eadem, qua thermæ, ſcaturiunt, regione, ſed ſitu tamen depreſſiore, & reducto ad meridiem. Hoc, ſi aues temere ſuperuolent, aut accedant quadrupedes, exanimes concidunt, ſed neque ſemper, neque pernicie, æque ſubitanea; prout nempe plus minuſue halituum, ſpiritus intercludentium, eructauerit. De ea, laudatus AGRICOLA. *(p.)* *Nec pars*, inquit, *Vngariæ, quondam Dacia dicta, libera eſt a peſtilentibus ſpiraculis: qua a* Neuſola *oppido, æris metallis claro, abſunt circiter ſex millia paſſuum. Hæc interdum aues, quæ adnolarint, & reliquas animantes, qua acceſſerint, ſolent necare.* Obiter moneo, male *Neoſolienſem* regionem, *Daciæ* terminis includi, quum ii priſca ætate, *Tibiſco* amne, definiti fuerint. Regionem reliquam, quæ *Patiſſo*, *Danubio*, atque *Grano*, ſeu *Granua*; nam iſtud eſt nomen

Tollii relatio:

Scrobs Ribarienſis, halitus cruciatus ſuffocantes:

Agricolæ, de iis iudicium, examinatur:

m.) De *Natura Foſſilium*, Lib. III. p. 221. Edit. Baſil. Frobenianæ, 1546.

n.) Aquæ huius deſcriptionem, habes apud MARSIGLIVM, *Operis Danub.* Tom. III. Parte VI. p. 113. alueorum autem figuram, ibidem Tab. XXVII. & XXVIII.

o.) Errat TOLLIVS, aquæ iſtud genus, ex ſcaturiginibus, *Aqua Ciment*, deriuans, cum ex antiquis cuniculis, alterius regionis, ſcateat.

p.) De *Natura eorum, quæ effluunt ex terra.* Lib. IV. p. m. 149.

men fluuii antiquum; interſitum fuit, *Iazyges Metanaſtæ* tenuerunt, *Quadis*, vltra *Granuam*, & *Vagum*, vsque ad *Morauam* amnem colentibus, limitanei. Sed nec illud recte ſatis dictum, quod halitus ſcrobis huius, peſtilentibus accenſeat. Reuera enim, non ideo enecant, ſeu aues, ſeu pecudes, quod peſtilens quoddam virus ſecum vehant; laticem enim, non extremis tantum labris guſtauimus; ſed liberaliore etiam hauſtu, atque id ſine noxa, nos ipſi hauſimus: verum, quod nimia ſubtilitate ſua, reſpirandi facultatem ſubito, & ictu quaſi oculi, intercipiant: quomodo & *Plinium* ſeniorem, *Aethna* incendia rimantem incautius, ſuffocatum eſſe, AGRICOLA, *(q.)* non ſine ratione adfirmat: quod, quia in *Admirandis Hungariæ aquis* docuimus, lectorem eo remittimus conſulto. Illud doleo, elegantiſſimum TOLLIVM, huc non deflexiſſe *Neoſolio*, iſto plane itinere, *Vetuſolium* profectum; ſpero enim, diſceſſurum haud fuiſſe, niſi loci naturam egregie rimatum. Eſt *Comitatui* noſtro, lacus quoque, inexpertæ profunditatis, infra *Gelenetz*, vaſtiſſimis montibus, concluſus, Slauis, *Iezero* dictus, atque piſcium copia inſignis. Hæc de aquarum miraculis. *auctoris ſententia.*

§. XIII.

VLtimum eſt, vt de *Comitatus* fertilitate, non nihil dicamus. Regionem omnem, montibus, & circumſeptam, & inſeſſam intus, ſupra, abunde, vt opinor, demonſtrauimus. Pronum inde fuerit iudicare, qualis ſoli ratio, ſeu poſſit eſſe, ſeu debeat. In vniuerſum, regio metallifera, ſegeti ſolet eſſe iniquior, quod, an venis, ſubtus varie diſcurrentibus, & noxii quidpiam exhalantibus, adſcribendum, vel ſoli locorum tribuendum ſit aſperitati, aliis diſputandum relinquo: vtrumque, multum ad ſterilitatem momenti habere, non diffiteor. Noſtra interim regio, media eſt, inter fertiles, ſterilesque. Nam, qua metalla ſubſunt, raros illic, ſiue hortos reperias, ſiue agros frumentarios, ita omnia ſiluis ac montibus horrent; qua autem in valles campoſue, altiores illos, vel humiliores, regio ſubſidet, Cereri, Floræ, Pomonæque, prorſus hoſpitalis eſt; niſi per colonorum deſeratur pigritiam. Nempe; *Fertilitas regiunculæ qualis?*

Quis neget in ſiluis, Cererem regnare iugoſis?

Tenendum tamen eſt ſituum diſcrimen. Nam, ea regionis ora, quæ vltra *Neoſolium*, aduerſo *Grano*, in ſeptentrionem adſurgit, quo alpibus fit vicinior, eo ſterilior euadit. Vix vllibi, tanto labore, agrum ſubigi neceſſum eſt, ſi colono, quomodocunque reſpondere debeat. Sed rus, vbi *Neoſolienſi* circumfuſum, quemadmodum ſitu miteſcit, ita multo eſſe incipit fertilius; tametſi & hic, larga & frequenti ſtercoratione prouocandum. quod, qui negligunt facere, ſuam ipſorum meſſem oderunt. Sunt, qui perhibent, natum iſta regione frumentum, & farinam, ſi molatur, dare copioſiorem, & panem ſapidiorem. *variat, pro ſituum ratione.*

4.) Ibid. p. 159.

rem. Quæ hinc ad meridiem vergunt, planiora ſunt, ideoque amiciora frugibus. Laudantur in primis *Vetuſolienſes*, *Otſouienſes*, & *Szalatnenſes* agri, frumenti, omnis generis, feraces. quod ego, præter ſoli qualitatem, quæ egregia eſt, & colono idonea, ſitus benignitati, haud temere adſcripſerim: quippe qui, & ab alpibus, niuoſis illis, ſubductus eſt longius, & in amœnam planitiem, ſaltem, collibus impeditam rarioribus, diffuſus. Serunt autem noſtri, omne omnino frumenti, & leguminum, genus; illud tamen ſuo quisque loco lubentiſſime, quod & lætius germinat, & fructum reddit probum magis, magisque ſubactum.

§. XIV.

Res pecuaria Zoliensium:

ISte agrorum apud *Zolienſes*, habitus eſt, quem res pecuaria, neque ampla nimis, neque pauper, præclare ſuſtentat. Ora *Comitatus* ſeptentrionalis, quam maxime ſterilem diximus, ouium gregibus potiſſimum lætatur. quos incolæ, paſſim, per montana, & ſilueſtria ſtabula, æſtate, iuxta & hieme, ſtudioſe alunt; prout eos, vel paſcuorum, vel fœni, quod collegere, opportunitas inuitauerit. Cura hæc, opilionibus mandatur, ſilueſtri hominum generi, quod, ſuis moribus, in luſtris illis degit, raro in vicos deſcendens, ac fere compotationum tantum, & rixarum cauſſa, ſæpe, in cruenta verbera, & mortes, deſinentium. Pro gregis multitudine, plures, paucioreſue, adſciſcit villicus. Vnus in his, toti ordini, cum auctoritate præeſt, quem *Batsa*, quaſi honoris quodam vocabulo, adpellant. Hunc penes eſt, gregis ſæpe recenſendi, lactis cogendi, premendi caſei, inſtituendæ tonſuræ, atque pecudum ægrarum cura. Non ille gregem ſequitur, ſed perpetuus eſt tabernæ caſeariæ cuſtos. Quapropter, non ætate modo, ſed rerum etiam vſu, reliquis antecellere debet. Victus eis ſimplex: quippe qui, lacte, & caſeo conſtat. Lac autem, non crudum illud edunt: nam hoc caſeo cogendo ſeruatur; ſed arte factum. quam iſtiusmodi eſſe meminimus. Serum, a collecto caſeo, reſiduum, aheno infundunt, & igne excoquunt luculento. Hoc, vbi feruere cœpit, & ſpumas agere, ne diffluat, vel aduratur, curate prouident. Tunc, vbi eædem ſpumæ, denſiores eſſe cœperunt, grandi eas cochleari, demunt, & in ligneum vas, transfundunt: quas demum, ne concreſcant penitus, multa agitatione, tam diu concutiunt, dum ad lactis ſpeciem, liqueſcant. Hoc illi poſtea lacte, immo ſerum eſt, lacte tamen craſſius, quod *Zintſchitza*, ſua quadam voce dicunt, totam æſtatem victitant. Cum feruet adhuc, auidiſſime id e poculis ligneis, multa arte, ſed rudi ea, ſculptis, ſorbillant. Poſteaquam tepuit, quod reſiduum eſt, maiori trullæ infundunt, atque aceſcere permittunt, acidulo eo potu, ſitim, egregie leuantes. Ceterum, *Batsa*, labore iſto, ter quotidie defunctus, tuba lignea, ſtentoriæ ſimillima, ſignum dare conſueuit, agreſte quidpiam, ſed tanta virium contentione modulatus, vt remotiſſimæ ſiluæ, ac montium iuga, boatu illo, cir-

ouium greges; & bouum alendi ratio:

opilionum ſocietas, mores, & occupatio:

Batsa, eorum præfectus, & huius muneris partes:

circumſonent. Quod, vbi vicina ſtabula audiuere, ſuum pariter melos occinunt. Certe, ſi inter iſtiusmodi ſiluas, ac montes, ignaros rei, peregrinari contingat, Satyrorum voces rebuntur, modulatione ea, laſciuientium. Maiorem enim, montium ſinus, plerumque reddunt, quam acceperunt, vocem. Dum, a prætereuntibus, quod fit, tuguria iſthæc inuiſuntur, prolixa illi humanitate, ſed ſuo generi propria, hoſpites accipiunt, caſeum adponentes, ſerum autem illud propinantes. Quodſi, vilius ſuas iſtas delicias haberi aduertunt, contemptum, clam, immiſſo potui, coagulo, vlciſcuntur, quod aluum illico reſoluit, neque non ita robuſtiſſimum quemque, deiectionibus creberrimis fatigat, vt vix ſoluendis ligandisque braccis, ſufficiat. Hæc illorum vrbanitas eſt; nos ad propoſitum redeamus. Pecudes reliquæ felicius in *Proceſſu Inferiori*, vbi lautiorem diximus rem agrariam, prodeunt, & campeſtria armenta, quodam æmulantur modo: cum in *Superiori Proceſſu*, quidquid pecoris reperias, minutum id ſit, verſicolor, & male factis cornibus, deforme. Lacte interim bubulo, & quod inde fit, butyro, longe præſtantiſſimo, egeſtatem, atque inediam, agreſtes releuant. Vt iam reliquas pecudes ſilentio prætereamus.

pecudum reliqua genera.

§. XV.

CEterum, ne *Bacchus* quidem montes noſtros adſpernatus eſt, illa *Comitatus* ora, quæ in meridiem proiecta, mollius ſubſidet. *Carpona* heic in primis nominari meretur, vitem benignius quidem alens, ſed quæ vinum fundit acidulum, neque non ita quandoque auſterum, vt aceto diluto, palmam præripere poſſe videatur: neſcio, an non vinitorum potius, quam vitis culpa: quippe, optimum fructum vindemiæ præcerpentium, & paſſim, per vrbes, oppida, & vicos, diuendentium. vnde fieri neceſſe eſt, vt ignobilior botrorum pars, ab iſta calamitate reſidua, vinum præbeat inſuaue. Quid? quod, non omnes promiſcue colles *Carponenſium* vitiferi, iſto, ſi quod tamen eſt, vitio, laborent. Mons profecto, quem *rubrum* vocant, vinum gignit ei non abſimile, quod paſſim apud *Kis-Hontenſes* naſcitur. Nam, & ætatem fert, & menſas, non plane Sybariticas, egregie ornat. Maior, a fructibus, omnis generis, agro *Carponenſi* laus eſt: qui hic, fere præter regionis ingenium, & copioſiſſimi proueniunt, & notæ optimæ, lucro incolarum haud contemnendo, montanæ regionis penuriam, ſua iſta vbertate, ſubinde leuantium. *Carponam* hinc aliqui, ἀπὸ τῶν καρπῶν, hoc eſt, *a fructibus* dictam, ingenioſe augurantur; ſed *Carporum* ignari, qui *Carpatho* nomen olim communicauerunt. Suppar, Carponenſi huic, apud *Králóczenſes*, & *Domanikenſes*, vini eſt prouentus, eo tamen quodam modo melior, quod vuæ, rapinæ illi, non æque ſint expoſitæ. Erant, qui tentarent, vitem, hortis *Neoſolienſibus*, reddere vernaculam: quæ quidem opera, ſucceſſu non plane caruit; neque tamen reſpondit colonorum exſpectationi. Fructus certe iſthic nati, auſteri erant; vitis autem, Car-

Vinearum apud Zolienſes cultus:

vini Carponenſis indoles acidula:

eius rei cauſſa:

Králóczenſis & Domanikenſis laus:

quomodo apud Neoſolienſis profecerit vitis:

horum pomaria.

Carpathici frigoris inſueta prorſus interiit. Lætiora *Neoſolienſibus* pomaria ſunt, vrbi late circumſita. Prunis certe, heic naſcentibus, tanta eſt exiſtimatio, vt optimæ notæ, quaſi iſthic fata eſſent, *Beſztertzei Szilua*, pruna Neoſolienſia, paſſim ſalutentur. Hortos, tum ad voluptatem factos, tum olitorios, memorare ſuperſedemus. Hæc, de *Comitatus* natura dici oportuit.

MEMBRVM POSTERIVS, POLITICVM.

De

Incolis, Magiſtratibus, Dominiis & Familiis, Comitatus Zolienſis.

SYNOPSIS.

Antiqui regionis incolæ. §. I.

Slauorum *ſedes auitæ: quomodo eam ſubierint* Hungari, *& horum indoles.* §. II.

Saxonum, *in iſto Comitatu, origo: incrementa, & decrementa.* §. III.

Mores ſingularum nationum: de Hungarorum *dictum alibi:* Germanorum *ingenia: lautities, & huius cauſſa: ſingularis comitas:* Slauorum, *toto Comitatu, increſcens multitudo: gentis mores: ſaltationis amor.* §. IV.

Incolarum induſtria: corporis habitus. §. V.

Magiſtratus prouinciolæ: catalogus Supremorum Comitum. §. VI.

Vice-Comitum qualiscunque deſignatio. §. VII.

Comitatus inſignia, comitia. §. VIII.

Ditiones *regiuncula tres: Vetuſolienſis; Vigleſienſis, Liptſchenſis.* §. IX.

Familiæ *Comitatus illuſtres.* §. X.

Antiqui regionis incolæ.

§. I.

NTiquos regionis incolas deſignare, haud difficile eſt. *Iazyges Metanaſtas* fuiſſe, ſupra indicauimus. Et ita omnino perſuadent, PTOLEMAEVS, STRABO, ac PLINIVS, quos in Hungaria antiqua, fuſius expromſimus; *Sarmaticum* autem genus fuiſſe, quia docuimus alibi, *(a.)* hic nihil adtinet repetere. Sed *Iazyges*, aut horum reliquias, ATTILA, ſub iugum miſit, quo e viuis ſublato, *Quadorum*, *(b.)*

a.) Vide *Comitatus Liptou. Hiſt.* Part. I. Membr. II. §. I.

(b.) iſta regione, mox & *Slauorum* potentia inualuit. Inde, varie ſe inuicem populi miſcebant, migrandi libidine, auitis ſedibus, prolecti. *Slaui* tamen, ſi non perpetuo, certe vt plurimum, eas *Carpathi* radices coluerunt, quas hinc *Granus*, illinc *Vagus* ſubluit; donec *Hunni* poſtliminio illapſi, eos ditioni ſuæ adiicerent, olim, in ſocietatem bellorum, adſciſcendos. Atque iſta *Slauorum* in Comitatu noſtro, & tota hac regione, origo eſt, oppido antiqua, neque ea ingloria. Proinde, ferendi haud ſunt, qui gentem, priſcis illis temporibus, validiſſimam, furtim huc irrepſiſſe, aut in ſeruitutem abactam, per iſta montium luſtra, ſparſam fuiſſe, clamitant: ignari hiſtoriæ, antiquæ potiſſimum; ſine cuius cognitione, de populorum ſedibus & migrationibus, iudicare velle, hoc vero eſt, inſcitiam ſuam prodere.

§. II.

SLAVIS ergo, omnis hæc ora, tamquam inquilinis, a retruſa illa ætate, hic perpetuo degentibus, adſcribenda eſt. Neque enim, ſeu *Hunni*, ſeu *Abares*, ſeu denique *Hungari*, tertium e Scythia egreſſi, regionem colebant; ſatis habentes, quod eam peruagati, ſuis finibus adieciſſent, ipſi, plana & campos ſequuti. Conſtitutis poſtea dominationibus, & regione, varie inter optimates diſpertita, multis omnino familiis, antiquitate Hungarici generis inclutis, poſſeſſiones iſthic, a regibus, donatæ ſunt: quæ demum propagatæ, quaſi nouas Hungarorum colonias, intra hos montium ſeceſſus, conſtituerunt. Immo, non paucos, in nobilitate videas, linguam, & mores Slauorum, ſuos ſibi feciſſe; quod adeo nihil habet vitii, vt mereatur etiam commendationem. Enimuero, in gentis mores tranſire, Hungarica ciuitate donatæ, is mihi demum improbauerit, qui ſuæ ipſius dignitatis oblitus, contemnat alienam. Interim, hanc moris Hungarici conuerſionem, non omnibus, temere, familiis imputauerim. Profecto, ſuperſunt adhuc, qui & lingua vtantur Hungarica, caſtigatiſſima illa, & auiti moris multo ſint tenaciores, quam qui, vltra *Tibiſcum* colunt. Quod dum ſcribo, non id volo, vt noſtris tribuam, quod in moribus Hungarorum peſſimum; ſed quod optimum eſt: puta, priſcam illam integritatem, expertem adfectatæ humanitatis, & elegantiæ, nuper ab exteris adſcitæ. Nihil a veritate dixerim alieni, ſi adſeruero, morum candore, ſimplicitate, & hoſpitalitate erga peregrinos, haud facile, vlli *Comitatui*, noſtros homines, cedere hodieque: quam ego indolem, ciuilem profecto, & gentibus, etiam cultiſſimis, minus iam familiarem, litterarum ingenuo amori, tribuo. qui hucusque ſingularis emicuit apud plerosque, cum e nobilitate, tum e vulgo etiam. Atque, vtinam ne ab eo remitterent poſteri, non alias facilius ad barbariem relapſuri, quam animis, a meliorum litterarum ſtudiis, abalienatis.

Slauorum fides auitas.

quomodo eam ſubierint Hungari, *& horum indoles.*

b.) Confer. omnino, FRIDERICI WILHELMI a *Summersberg*, viri, nobis amiciſſimi, *Regnum Vannianum*, Cap. IV. p. 24. ſeq.

§. III.

Saxonum, *in iſto Comitatu, origo:*

A Slauis & Hungaris, *Saxones*, gente ac lingua, immo & vitæ ratione, ſeſe diſtinguunt. Neſcio, an eadem *Saxonum* apud *Zolienſes*, quæ apud *Scepuſios*, & horum vicinos, origo ſit dicenda. Vtrobique de ea nonnihil dictum; ſed ex aliorum potius, quam noſtra ſententia. Certiora hic ſuppetunt: quippe, regum diplomatibus, ſubnixa. Conſtat enim, iam tum, ineunte ſeculo XII. ſub STEPHANO II. Saxones metallicos, in iſtis montibus conſediſſe. Poſtea, cum ANDREAS II. filiam ELISABETHAM, Ludouio, Landgrauio Thuringiæ, in matrimonium dare haud dubitaſſet, ſingularis inde animorum conſociatio, inter Hungaros, atque *Saxones*, conſequuta eſt. Exſtat, huius rei indicium, in Decreto ANDREAE *(c.)* Hieroſolymitani, vbi de hoſpitibus iſta legas: *Si hoſpites, videlicet boni homines, ad regnum venerint, ſine conſilio regni, ad dignitates, non promoueantur.* Scio *(d.)* equidem, hoſpitum nomine, exteros promiſcue omnes, intelligi debere, qui tunc fortunarum ſedes, in Hungaria, artium quarumuis experte adhuc, quærebant; in his tamen, *Saxones* potiſſimum cenſendos eſſe, a quibus rei metallicæ, & monetariæ vſum, iam pridem Hungari acceperant, nemo, cum ratione inficiabitur. Qui ANDREAM ſequuti ſunt, reges optimi, & de augendo, ditandoque regno, vnice ſoliciti, nouas ſubinde colonias *Saxonum* acciuerunt, iuribus donatas egregiis; quas familiæ aliæ, opibus pollentes, ſponte ſequebantur, atque nouis iſtis acceſſionibus, populares illos, validiores ſubinde, atque copioſiores, efficiebant. Ceterum, gens laboris patiens, atque rei metallicæ in primis perita, breui, ad eas opes peruenit, vt vrbibus excitandis par exiſteret: quod infra, pluribus expromemus. Ad hunc modum, gens *Saxonum*, vtiliſſima regibus, apud *Zolienſes*, inualuit, effecitque, vt regio, ſiluis horrida, ad eum cultum pedetentim emergeret, qui, ab æquis rerum æſtumatoribus, *Paruæ Saxoniæ* vocabulo, dignus haberetur. Aliter, de *Saxonibus* noſtris, ſentientes, adfectibus a vero abſtrahuntur; aut certe, ignari ſunt antiquitatis domeſticæ. Hodie, ad eam paucitatem redactos videas, vt ægre germanicum nomen, apud *Neoſolienſes*, & *Libethenſes*, tueantur, magno rei metallicæ detrimento. Quia enim *Hungari*, qui hic ſoli ſunt nobiles, ſcrutandis metallis, haud ſe natos credunt; *Slaui* autem, parcius id faciunt; neceſſe eſt, tanto plus metallorum reditibus derogari, quanto eorum numerus exilior eſt, qui hic, & ſumtum faciant, neque operas vrgent. Ac proinde, non male fortaſſis, oræ huic metallicæ conſuleretur, ſi priſcorum regum imitatione, noua *Saxonum* ſupplementa, arceſſerentur denuo; ſed, quæ opes adferrent, iſtis vſibus idoneas, quæque antegreſſos gentis ſuæ homines, operarum aſſiduitate, æmularentur.

incrementa:

& decrementa.

§. IV.

c.) Articulo XI. Anni MCCXXII.

d.) Vide, *Præfat. Grammaticæ meæ Germanicæ.*

§. IV.

AD mores nationum, de quibus diximus, venio. Et de *Hungaris* nihil adtinet dicere: pauci ii ſunt, patrio ritu, & intra montes iſtos, degentes, ac pro opum quidem modulo, alii aliis magnificentius: id quod, non ad decus modo gentis pertinere exiſtimant; ſed tutandam etiam nobilitatis prærogatiuam. Reliqui, fortunis inferiores, ſecum habitare didicerunt, ac ruri, honeſtiſſimas occupationes, ſequuntur. *Germani*, Neoſolienſium fere moenibus concluſi, retinent quidem auiti moris quidpiam; cetera, ſi linguam excipias, *Hungaris*, aut *Slauis*, victu, & veſtitu, ſimillimi. Lautius tamen agunt, quam ſiue *Hungari*, ſiue *Slaui*: non tam forte gentili *Saxonum* more; quorum frugalem conuictum, recordamur adhuc; quam regionis adducti copia, qua plerumque ad luxuriem abripiuntur, iſti etiam, qui natura, ad frugalitatem facti videntur. Adde, diuites olim fodinarum prouentus, fere duplicato reddentes, quod in hebdomadarias operas, inſumtum fuerat. Nunc, quæ eſt temporum, iuxta & metallorum, pauperies, multum eos, ab iſto luxu, remiſiſſe, certum eſt: quod ego, non tam virtutem dixerim, quam legem, neceſſitati parendi. Alioquin, gens ipſa, comis eſt, blanda alloquio, & peregrinis amica; eo forte infelix, quod decreſcat in dies, breui, niſi ſuarum rerum ſatagat, *Slauis* penitus conceſſura. Hi enim, non ruri modo, ſed in vrbibus etiam, atque oppidis, valentiores in dies facti, ſpem de ſe faciunt, vt ex parua, quam diximus Saxonia, *Slauoniam* breui efficiant; niſi iam effeciſſe putandi ſunt. Mores *Slauis*, in vniuerſum, ſimplices ſunt, atque integri, iidem tamen liberi lætique. Vix reperiſſes olim viculum, in quo, diebus feſtis, non inſtituebatur ſaltatio: quod, niſi potuerat facere plebs ruſtica, temporum iniquitatem, non alia re magis, indignabatur. Iam, temporum difficultus, cicadarum hunc ritum, propemodum aboleuit.

Mores ſingularum nationum: de Hungarorum *diuerſis alibi:*

Germanorum *ingenia:*

lautitiæ, & huius cauſſa:

ſingularis comitas:

Slauorum, *toto Comitatu increſcens multitudo:*

gentis mores:

ſaltationum amor.

§. V.

PORro, ſilendum haud eſt, gentem, noſtro hoc *Comitatu*, laboriosam, & agriculturæ longe ſtudioſiſſimam eſſe; ſed neque id ſine diſcrimine. Nam qui *Proceſſum* colunt *Superiorem*, ſicuti ingenium, natura indepti ſunt auſterius; vrbe *Briznenſi* excepta; ita rerum ſuarum, non æque ſatagunt. Contra, qui oram *Comitatus* meridionalem inſederunt, indole ſunt induſtria, atque ad laborum facta patientiam. Præter rem enim ruſticam, hi quidem mercatu, illi aurigatione, aucupio alii, rem ſtudioſe faciunt: id quod eos fora *Neoſolienſia* docuere. quibus illi, hebdomadibus ſingulis, quidquid ruſticæ mercis, ſiue domi haberi poteſt, ſiue aliunde comparari, pro anni tempeſtate, cumulatiſſime inferunt. Accedit, regionis, non vndiquaque optimæ, pauperies, atque pendendorum tributorum neceſſitas perpetua. Vtrumque, incolarum ſolertiam, exacuit, vt, quod ſibi negatum

Incolarum induſtria:

gatum domi eſt, in promtu tamen ſit, magno licet labore atque impendio, alibi paratum. Enim vero, ſi rem frumentariam, & pecuariam, haud ommino diuitem, excipias, vix habet colonus, quod in lucrum vertat: hinc eorum plerique negotiatores ſunt, pecuarii partim, partim frumentarii. Hi demum, late, campeſtrem Hungariam peruagati, boues, equosue, conquirunt, aut frumentum conuehunt, eaque diligentia, & ſuæ rei conſulunt, & mercatus *Neoſolienſes* efficiunt celebriores. Vtinam *Granus*, quod & ſupra optauimus, peruius tandem, & ratibus ferendis idoneus reddatur. Tunc namque, *Liptouienſium* more, cum materia omnis generis, tum caſeus etiam, & butyrum *Zolienſium*, in inferiorem Hungariam, nullo negotio, fructu autem maximo, deuehi poſſent. Quæ priuati hominis vota, ſi quid aliquando ponderis habitura eſſent, meis id equidem lucris adſcribendum putarem. Et profecto, in ſpem non plane inanem venio, fore, vt quæ iam eſt, optimi Regis, in procuranda vtilitate publica, vigilantia, & adcuratio, iſtud quoque accedat, *Zolienſium* opportunitatibus.

corporis habitus. Ceterum, corporis apud *Zolienſes* agreſtes, habitus, ſicuti *Liptouienſibus* liberalior, ita *Thúróczienſibus* ſolidior multo eſt; quin & ad res quasuis obeundas, habilior quodammodo: quod equidem, vrbanis commerciis adtribuerim, quæ indolem agreſtem emolliunt, reddunt-que ſocialitati commodiorem.

§. VI.

Magiſtratus prouinciales: IAm, quod ad *Magiſtratus Comitatus* adtinet, nihil hic, quod non alibi dictum ſit, occurrit. Potiſſima nobis cura fuit, vt *Supremorum Comitum*, (quæ dignitas, vaga hic eſt, ſeu *ambulatoria*,) nomina, & res præclare geſtas, indagaremus; ſed, quam ægre potuerimus proficere, inde coniicias, quod vix aliquot protraxerimus in lucem. In his ſunt:

Detricvs Bitter, floruit temporibus Belae IV. arcis Sklabonya dominus, & Comes Zolienſis. Legimus tabulas, ab eo, anno MCCLXIII. ſignatas. Vetuſtæ, & multis nominibus inclutæ gentis *Balaſſa*, parens. *Proregis* officio functum fuiſſe, Venerabilis Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis; Andreae item Hieroſolymitani, & *Dionyſii* Palatini, tabulæ, anno MCCXXX. perſcriptæ, condocent.

Mico Bitter, Detrici, quem nunc laudauimus, maximus natu filius. Fuiſſe *Comitem de Zolio*, litteræ V. Capituli Budenſis, anno MCCCXXX. iam tum poſt fata *Miconis* editæ, teſtantur.

Michael Comes de Zólyom & de Scepus. Præfuit rebus, poſt Detrici fata, vsque ad annum MCCLXIX.

Dionysivs, filius *Gurk*, prioris ſucceſſor. Reperias eius mentionem, in diplomatibus, anno MCCLIV. & poſtea, perſcriptis. Eſt is, gentis Radvanſzkyanæ non tam parens, quam locupletator. A Ladislao certe *Cumano*, ob rem, aduerſus *Ottocarum*, in Auſtria, & contra *Cumanos*, ad lacum *Hód*, fortiter geſtam, anno MCCLXXXVII. ditione *Radvánii*, quam in poteſtate iam habuit, donatus eſt ad poſteros.

Nico-

Nicolavs, Comes de Zólyom, ſub Ladislao *Cumano*. Legitur eius nomen in diplomatibus *Ponik* oppidi, anno MCCLXXXII.

Mercvlinvs, Comes Cameræ regiæ, & de *Zólium*. Moderabatur prouinciæ, anno MCCXCI. vsque ad ſequuti ſeculi exordia.

Hanzmannvs, legitur in ſcedis eius ætatis, Comes de Zolio fuiſſe anno MCCCXIII.

Magister Danch, Comes de *Zolio (e.)* & Patak, anno MCCCXXXIV.

Magister Thomas, Comes Zolienſis, vti chartæ anni MCCCXXXVIII. condocent.

Magister Vessés, præerat Comitatui, anno MCCCL. id eſt, poſt exordia Lvdovici I.

Iohannes Giskra, Bohemus, ab Eliſabetha, vidua regis Alberti, Zolienſi caſtro, & quod coniectatu procliue eſt, Comitis quoque titulo, poſt annum MCCCLI. donatus. Multa eius in rebus *Coruinorum*, patris & filii, apud Bonfinium mentio eſt.

David, filius *Martini de Albens*, Sigismvndo rerum potiente, anno MCCCC. *Comes Zolienſis*. Reperimus eius nomen in priuilegiis oppidi *Ponik*.

Iohannes Ernvst, *(f.)* Sclauoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ Banus, idemque Zolienſis Comes, ad annum MCCCCLXXV.

Iohannes *Coruinus*, regis Matthiæ filius naturalis, Liptouiæ Dux, & iam tum anno MCCCCLXXXVIII. *Comes Zolienſis*; denique patre mortuo, Illyrici Banus.

Iohannes Balassa, Zolii, & montanarum vrbium præfectus, ſimulque ſupremus Comitatus Zolienſis Comes. Euenit hoc enim, vt poſt cladem Mohácſianam, Budamque a Turcis interceptam, iidem illi, quibus Zolii præfectura, & defenſandarum vrbium montanarum prouincia demandabatur, *Supremorum* etiam *Comitum* axiomate, inſignirentur: ſicuti, ante eam cladem, hæc ipſa dignitas, iis adtribuebatur, qui *Camerarum Montanarum* erant Comites; credo, vt ex vtriusque magiſtratus procuratione, plus exiſtimationis accederet, eadem illa munera adminiſtrantibus. Fuit vero *Iohannes Balaſſa*, vir acris & militaris: quippe cui, vix vlla ab impreſſionibus in hoſticum, erat ceſſatio. Prolixus eſt, in actibus eius deſcribendis, Istvánffivs, *(g.)* quos, quia non vacat iam recognoſcere, illic, ſi volet, lector, ad annum MDLXII. & qui ſequuti ſunt, pernoſcet.

e.) De Comite Danch, ſeu Donch, legeſis, Thvróczivm, Parte II. c. XCVII. p. 87, 14. vbi Comes de *Zolio* & *Liptou*, vocatur; collato Bonfinio Dec. II. Lib. IX. p. 320. 46. Fuit Comes itineris Caroli I. quod in Italiam, filium *Andreæ* ſexennem, ad *Robertum*, deportaturus, Anno MCCCXXXII. ſuſceperat. Vide ibidem *Thróczium* p. 88, 27. & *Bonfinium*, p. 322, 38. Reliquos, partim hiſtoricorum, partim peruetuſta, quæ habet, *Rodovnikyana* gentis monumenta ſuppeditarunt.

f.) Videſis de hac familia, anni MDXLII. Art. XLIII. & quæ da *Ioanne Ernuſt*, in hiſtoria *Comitatus Thróczienſis*, Part. General. Memb. II. §. IV. p. 307. ſupra adnotauimus. An re vera Banus fuerit, diſputat Georgivs Ratkay in Regibus & Banis Croatiæ, Lib. III. p. 102.

g.) Lib. XXI p. 416. Lib. XXIV. p. 507. ſeq.

Barbaritsch, gente Croata, Capitaneus, & ad annum MDLXXXI. Comes Zolienſis, vir magnanimus.

Ladislavs Maytény de *Keſſelökö*, ex Capitaneo *Kis-Komáromienſi* factus *Zolienſis*, ſimul Supremi Comitis dignitate a Rvdolpho II. ornatus eſt. Ita habet Ferdinandi II. diploma, *Georgio Maytény*, anno MDCXXXI. perſcriptum. A Rvdolpho II. inquit, *præclárę virtutum æſtimatore, & patrono, non ſolum Capitaneatum Zolienſem; ſed etiam* Supremi Comitis *titulum, cum tutela ac defenſione aduerſus hoſtes, omnium montanárum ciuitatum, accepit. In quo ſumma officio, ita ſe geſſit, vt & ædificia, pleraque mœnia, ſolus condidiſſet, & in arce, fortiſſima erexiſſet propugnacula; ſed etiam ciuitates illas, ſumma cura ac virtute, ab hoſtium incurſionibus protexiſſet.* Hæc diploma: cuius nobis mentio, ad arcem familiæ Mayténianæ gentilitiam, *Keſſelökö*, recurret.

Nicolavs Eszterházy de *Galantha*, ex Iudice Curiæ Regiæ, Regni Hungariæ Palatinus, atque Comitatuum, Sopronienſis, *Zolienſis* & Bereghienſis Supremus Comes, anno MDCXXV. Laudes viri ſummi, alibi *(b.)* idque ſæpius, commemorauimus.

Ladislavs Csáky, Iudex Curiæ Regiæ, idemque Comaromienſis & *Zolienſis* Comitatus, circa annum MDCXLIX. Supremus Comes.

Thomas de Schmideog, Lib. Baro, moritur, poſt adminiſtratam diutius, prouinciam, anno MDCCXXVI.

Antonivs Eszterházy de *Galantha*, iam rebus præeſt. *Feliciter!*

§. VII.

Vice-Comitum *qualitcumque ſerie.*

Hlat omnino, deſignatio hæc noſtra; maluimus tamen lacunoſam dare; quam nomina ſummorum virorum, quæ poterant in lucem protrahi, ſilentio tegere. Nunc *Vice-Comites*, paucos quidem eos, ſed illuſtres meritis, de rege & patria; videamus. Sunt in his:

Philippus, A. MCCXCI.
Michael, A. MCCCL.
Magiſter Rudolphus, dictus *Kratz*, A. MCCCLX.
Ladislaus Cséſſe, & *Georgius de Martusſalva*, A. MCCCCLXXIV.
Georgius Radvanſzky, A. MDIX.
Georgius Radvanſzky, alter, A. MDLVII.
Petrus Stekel de *Solna*, A. MDLVIII.
Iohannes Soos de *Poltár*, A. MDLXV.
Caſparus Oſztroluczky, A. MDLXIX.
Franciſcus Radvanſzky, A. MDXCVIII.
Benedictus Gyurky de eadem, A. MDCII. vsque ad VI.
Melchior Oſztroluczky, A. MDCVII.
Franciſcus Radvanſzky iterum, A. MDCXV.
Benedictus Gyurky denuo, A. MDCXVI. vsque ad MDCXX.

Stepha-

b.) Lege, ſi ad manus eſt, orationem funebrem, a *Stephano Kereſztes*, S. I. Nicolao habitam.

Stephanus Asguthy, A. MDCXXV. & iterato A. MDCXXXI. vsque ad A. MDCXXXIII.
Caſparus Gyurky, A. MDCL.
Michael Bory de *Borſö*, A. MDCLIV.
Iohannes Ebeczky de eadem, A. MDCLVIII. vsque LII.

Atque noſtra iam ætate:

Thomas Beniczky de Mitſchina.
Iohannes Róth de *Králócz*.
Georgius Gerhard.
Iohannes de Rádváný.
Franciſcus Bohuſs de Petőfalva.
Stephanus Beniczky de Mitſchina.
Adamus Róth de Králócz, qui, dum hæc ſcribimus, inſigni prouincialium adprobatione, eo magiſtratu fungitur. *Feliciter!*

§. VIII.

INSIGNIA Comitatui, ſitus regionis impertiuit. Nimirum, duos montium ordines, vtrinque, iugo triplici, adſurgentes, fluuius, curuato alueo, medius interluit: GRANVS ſcilicet, Comitatum, pene quam longus eſt, ſecans, imminentibus, ab vtroque latere, montium iugis, nunc altioribus tis, nunc iterum miteſcentibus. Scuti iſta facies erat. Huic, corona incubat aperta; latus vtrumque angelorum ſimulacra præmuniunt, manu altera ſcutum, coronam altera, ſuſtentantes. Atque eadem iſta, ſigilli, quo vtuntur *Zolienſes*, forma eſt, ceræ viridi impreſſa, cum [illegible]: SIGILLVM COMITATVS ZOLIENSIS 1683. *(b.)* Comitia prouinciæ, ex *Supremi Comitis*, aut *Vice Comitis*, lubitu, huc illucue, indicuntur; *Neoſolium* rarius; plerumque *Vetuſolium*, vbi & ſedes, quas vocant, *Iudiciarias*, celebrari moris eſt. *Comitatus inſignia:* *comitia.*

§. IX.

CEterum, quantum ad diuerſas, quæ Comitatu iſto continentur, dominationes, *Dominia* noſtri vocant, adtinet, tria horum numeramus: *Dominationes regiuncula:*

I. VETVSOLIENSE, quod decreta regni, ſicuti ad arcem eam dicemus, *Coronæ Bonum*, ideo vocant, quia regis olim peculiare fuit. Hodie, Comitibus *Eſterházy* paret, & iniuria temporum, a priſtina, qua fuit, amplitudine, multum decreuit. Eidem & *Dobronenſe Dominium* ab antiquo, accenſum eſt. Singula eius loca infra indicabimus. Vetuſolienſis:

II. VIGLESCHIENSE, anguſtius *Vetuſolienſi* eſt. Id quoque, tametſi non eadem lege, inter regum poſſeſſiones, antea numerabatur. Dominos, quam ſæpe mutauerit, dicemus ſuo loco. Vigleſchienſis:

III. Lip-

b.) Imaginem eorum, frons exhibet, noſtræ huius, de *Comitatu Zoliensi*, commentationis.

Liptſchenſis. III. LIPTSCHENSE, omnium vaſtiſſimum; maximam enim *Proceſſus Superioris* partem, complectitur; ſed reliquis tamen, vix, ac ne vix quidem, fructuoſius; eo quod agrum habet ſterilem, & ægre colono reſpondentem, etiam tunc, vbi anni tempeſtas, frugibus & pecudi, obtigit clementior. Quibus olim paruerit dominis, cum arcis habebimus rationem, expendemus. Hodie, *Cameræ Neoſolienſi Metallicæ*, accenſum eſt; opportune id quidem, ob tributarias operas, quas coloni, priſco iure, præſtare neceſſe habent. Quod ab his ditionibus eſt reliquum, nobiles, pro ſua quisque portione, obtinent.

§. X.

Familiæ *Comitatus* illuſtres. FAmiliæ illuſtres, pauciores ſunt in Comitatu *Zolienſi*, quam reris. Præcipua in his eſt, COMITVM ESTERHÁZY, eius proſapiæ, quæ ab arce *Zolienſi*, præter conſuetos gentis ſuæ titulos, denominationem trahit: cuius mentio, quia alibi multo recurret opportunior; non eſt, cur hic, in ea recenſenda occupemur. Reliqua decora prouinciæ, *Nobilium Familiæ*, vetuſtæ illæ cum primis; ſed alibi commemorandæ, abſoluunt. Nunc, ad porro pergendum, res ipſa nos inuitat.

PARS SPECIALIS,

DE

Proceſſibus Comitatus Zolienſis.

PROOEMIVM.

Vidimus, *Comitatum Zolienſem*, ſed generatim; tempus eſt, vt ſingula, propius iam conſideremus. Diuiditur is in duos *Proceſſus*, SVPERIOREM, & INFERIOREM. Ille, fontibus *Grani* propior, totus, intra montes ſedet; hic, ſecundo amne planior, vtroque eius latere, diffunditur, ac tandem, vltra montes, in meridiem proiectus, in amœnos colles, deſinit. Ergo *Superiorem* prius, poſtea *Inferiorem*, peragrabimus.

MEM-



dem, a STEPHANO V. La- | CAROLO Roberto : LVDO-

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM I.

DE PROCESSV SVPERIORI.

SECTIO I.

De Liberis Regiisque Vrbibus Proceſſus Superioris.

Iuitates Liberas Regiasque, tres, *Proceſſus* hic *Superior* numerat: omnes, montanarum prærogatiua olim inſignes; ſed quam hodie, NEOSOLIO tantum, & LIBETHAE, tribui videas; *Brizna*, ab eo axiomate, pridem deſtituta: tametſi, *Briznó-Bánya*, hoc eſt, *Briznenſis fodina*, ab *Hungaris* dicatur hodieque. quod indicio nobis eſt, fuiſſe olim oppido fodinas, & in his excolendis, ſtudium. Dabimus iam, ſingularum vrbium hiſtoriam, quam potuerimus, adcuratiſſimam.

I.

HISTORIA LIBERAE REGIAE MONTANAEQVE CIVITATIS NEOSOLIENSIS.

SYNOPSIS.

Vrbes, Proceſſus *huius*, *Regia:* Neoſolium: *Neoſolii denominatio: Germanica: Latina: Slauica.* §. I.

Exordia vrbis, ad aetatem Andreæ Hieroſolymitani *referuntur: prima eius clades.* §. II.

Inſtauratur denuo BELAE IV. *indulgentia: priuilegia ab eo accipit: confirmantur eadem, a* STEPHANO V. LADISLAO Cumano: ANDREA III. §. III.

Vrbis incrementa: aedes Sacra, ad S. Eliſabetham, *excitatur: eius dos: traditur adminiſtranda vrbanis magiſtratibus: quibus legibus.* §. IV.

Baſilica, *quæ in arce eſt, aedificari cœpit: priuilegiorum vrbis, noua acceſſiones: ſub* CAROLO Roberto: LVDOVICO I.

vico I. *eius ætate, qui fuerint agri* Neoſolienſis *termini.* §. V.

Vici, vrbi circumpoſiti: hodierna vrbis dominatio. §. VI.

Fata Neoſolienſium, *bello Huſſitico: ſunt in poteſtate* Giskræ, *Bohemi:* Coruini *in vrbem propenſio:* VLADISLAI *munificentia: qua inde vrbis fuerint incrementa: optimatum, de vrbe merita:* Königsbergii, *in Baſilicam liberalitas: templum, ad arcis modum, quando muniri cœptum? ætas, æris campani, & huius pondus: funeſtum vrbis incendium.* §. VII.

Vrbis reparatio ſubita & felix: inſtaurantur eius priuilegia a LVDOVICO II. *fata ſub* IOHANNE, *&* FERDINANDO: *locuſtarum exercitus: iterata incendia.* §. VIII.

Vrbis calamitas initio ſeculi XVII. peſtilentia: pecorum lues: a Botskayanis, *igne deletur: rei geſtæ hiſtoria.* §. IX.

Reſtauranda vrbis difficultas: Slaui, *in ſupplementum ciuium admiſſi: nata inde controuerſiæ.* §. X.

Moenia vrbi circumducuntur: eius fata, tumultu Bethleniano: Rákócziano *primo: calamitates vrbis aliæ: peſtilentia: incendia: monſtrum* Neoſolii *natum.* §. XI.

Quid ſeditione Tököliana *paſſa ſit vrbs* Neoſolienſium*: rei geſtæ hiſtoria.* §. XII.

Refouetur Neoſolium LEOPOLDI M. *indulgentia: noua vrbis diſpendia ex tumultu* Rákócziano *ſecundo:* Iohannis Raduanskii, *in vrbe ſeruanda, prouidentia: reliqua vrbis, eo tumultu, calamitates.* §. XIII.

Opportunitates vrbis, ex TOLLIO, *deſcribuntur: templa* Neoſolienſium*: turres: vigilum teſſera: mercatus vrbis hebdomadarii: & annui: encomium* Neoſolii. §. XIV.

Cultus adium Saxonicus: aquæ ductus: vici, ſiue plateæ vrbis. §. XV.

A quibus colatur ciuibus: Germanorum *prærogatiuæ: Germanorum & Slauorum diſſidia, & horum fons: Neoſolienſium ingenia, ac mores: lauta cereuiſia: in vitiis* Neoſolienſium *luxus: Magiſtratus vrbis: inſignia.* §. XVI.

Commoditates externæ, & agri circumpoſiti, amœnitas. §. XVII.

NEO-

§. I.

NEOSOLIVM, Germanica dialecto, *Neüſohl*; Hungaris *Beſztertze Bánya*; Slauis *Banskâ Biſtricza*, dicitur: diuerſa vtrinque denominationis ratione. Nam, vocis Germanicæ, & quæ enata inde eſt, latinæ etiam origo, a primo vici nomine repetenda eſt. quem, cum coli primum cœpiſſet, *Nouam villam*, & vocabulo Slauico, *Nowâ-Wes*, adpellatam fuiſſe, diplomata teſtantur: quod demum nomen, cum vico, vrbis axioma communicaretur, a *Saxonibus*, in *Neüſool*, quaſi hodierno ore diceres, *Neüer Saal*, id eſt, *nouum palatium*, transmutatum eſt; ob ædificia, quæ tum magnificentius hic educi cœpta ſunt, quam pro ſeculi ingenio. *Nouum* autem dixere, vt a veteri, quod reges Hungariæ, in arce *Zwolen*, ſiue *Zolio* iam habebant, diſtinguerent: quippe quam, craſſa eius ætatis pronunciatione, *Alt-Sool*, ſeu *Alter-Saal* vocauerunt. Atque hinc coniicere fas eſt, latinam vtriusque loci adpellationem, ex germanica profluxiſſe, vt facta inde ſint: *Neoſolium*, *Vetuſolium*; non vero contra. Neque enim, ante hæc tempora, ſolia hic habuere reges Hungariæ; ſed ſeceſſus, ſiue palatia, *Sool*, ſeu *Saal*, Saxonibus dicta, in quibus hoſpitarentur, quoties huc, ſeu venationis gratia, ſeu alia de cauſſa, diuerterent. Hæc noſtra, de Germanico, iuxta & Latino vrbis nomine, ſententia eſt. Hungaricum, & Slauicum, facilius promſeris. A *Biſtriczio*, agri huius, ante conditam vrbem, domino, deriuant monimenta domeſtica. Neque ego renitor, ſi id mihi concedatur, & ipſi *Biſtriczio*, a fluuio *Biſtricza*, quem ſupra deſcripſimus, nomen inditum fuiſſe, ex eorum temporum more, vbi regiunculæ a fluuiis, ſi quos interlabentes habebant, denominabantur; quarum poſtea domini, eadem illa nomina, adſciſcebant. *Biſtricza* vero, Slauicum, Sarmaticumue vocabulum eſt, a fluuii natura, celere, ac præcipiti, quod *Biſtry* ſignificat, petitum.

Neoſolii *denominatio*:

Germanica:

Latina:

Slauica.

§. II.

VRbis exordia, neque antiqua ſunt nimium, ſed neque nupera. Nos ea, ad ANDREAE Hieroſolymitani, indulgentiſſimi regis ætatem, reponimus, hoc eſt, in annum circiter MCCXXII. Nam ea tempeſtate, *Saxonum* colonias, huc accitas fuiſſe, ſupra docuimus. quæ per montium couualles, paſſim diſperſæ, tuguria, metallicis operis excitata, incolebant: mox, vbi metalla, induſtriæ ſuæ reſpondere viderent, vicos, eosque cultos ac frequentes, habitarunt. In his ego retulerim, *Altgeburg*, *Ulmansdorff*, & *Herren-Grund*, ita poſitos, vt opportunitatem eruendorum non minus, quam liquando-

Exordia vrbis, ad ætatem Andreæ Hieroſolymitani, *reſeruntur*.

rum metallorum, habeant hodieque. Opibus poſtea, & numero colonorum, egregie increſcentibus, laxius commodiusque, pro inſtituto gentis, cupiebant degere. Viſa eſt, eo fini, ora illa, maxime opportuna, vbi ſe *Biſtricza*, *Grano* inſinuat, quam tunc *Biſtriczius*, confluentis huius, quin & ſiluarum circum poſitarum dominus, in poteſtate habebat. Igitur, cum oram hanc ab eo, tributariam accepiſſent, vel quod procliuius eſt exiſtimare, pretio numerato, ſibi prorſus adſeruiſſent, *Nouam Villam*, e montibus huc delapſi, condiderunt. Atque, hæc equidem, ab ANDREAE, ex ſacro bello, cuius dux erat, reditu, vsque ad initia BELAE IV. eueniſſe, non vna ratione ductus, exiſtimo. Vix autem ſurgere cœperat, *Noua* iſta *Villa*, cum Tartari, immaniſſimum genus, inundata Hungaria, & victo, ad fluuium *Sajó*, BELA rege, *Saxonum*, vrbis condendæ deſtinationes, interturbabant. Neſcio equidem, *(a.)* an montium iſtos receſſus tentarit hoſtis populabundus, & campeſtri bello adſuetus. Illud conſtanter adfirmant, qui in vrbis origines inquiſiuerunt, metu hoſtium, dilapſos fuiſſe *Saxones*, *Nouam* hanc *Villam* colentes, ſingulari poſtmodum, BELAE regis, indulgentia, cogendos. quod tamen ita accipi velim, vt non tam repetierint Saxoniam, quam per montium latebras ſparſi, ſaluti conſuluerint ſuæ. Atque hæc prima vrbis *Neoſolienſis* veſtigia fuere. Neque res omine caruit, quod *Noua* hæc *Villa*, prius ab hoſte diſſiparetur, quam vrbiculæ ſpeciem referre poſſet. Nimirum, præluſerunt fata, vrbem, turbulentis ſurgentem exordiis, conuerſionibus aliquando obnoxiam fore, funeſtis non minus, quam frequentibus.

alas prima clades.

§. III.

HOſte, toto regno decedente, atque BELA, ex Dalmatia, *Frangepanum* auxiliis, reduce, *Noua* noſtra *Villa*, hoſpites ſuos, poſtliminio recepit; ſiue ſponte, deſertam ſedem repetentes; ſiue, quod credere malim, indultis priuilegiis, a rege, ex diuerticulis, quo profugerant, conuocatos. Profecto enim, ſollicitiſſime curauit BELA redux, vt lacerum regni corpus, quam optime, celerrimeque, reſarciret, atque hoſpites in primis, per quos opes *Hungariæ* redintegrari, ſaltem iuuari poſſe, prudenter coniiciebat, regia indulgentia, refoueret. Atque iſta quidem regis prouidentia, in primis *Saxonibus* noſtris, nuperas ſedes, cum cura inſtaurantibus, optime ceſſit. Enim vero, re, agri inſeſſi cauſſa, cum *Biſtriczio*, cuius iam meminimus, æquis conditionibus tandem compoſita, MCCLV. BELA rex, ampliſſima Saxonibus priuilegia *(b.)* adtribuit; quorum præcipua capita, huc redire accepimus: *Hoſpitibus Saxonibus, in Noua Villa Beſztercze, ad Liptſcham, excitanda vrbis ius eſto:*

inſtaurator denuo, Belæ IV. indulgentia:

priuilegia ab eo accipit:

a.) Nuper, ab amico docti ſumus, e *Vetuſolienſium* diplomatibus, palam fieri, penetrauiſſe barbaros, in has quoque anguſtias, deleuiſſeque igni & ferro omnia.

b.) Tabulas, ipſe aliquando, vidi legique, ſed iſtarum rerum, minus tunc curioſus. Illud memini, membranam arroſam a muribus, fœdatamque fuiſſe.

eſto: tributi pendendi immunitate fruuntor. Parochum, communi ciuium ſuffragio, eligendi, & Archiepiſcopo præſentandi, facultatem habento: iudicem, e popularibus ſuis, libere eligunto: iura ciuitatis, extra Germanos, genuinos illos, adire, nemini permittuntor: inuicem, ſingulari pugna certaturi, more Saxonum, ſtuto ſe munire, ius habento: venas ſcrutari, puteos, metallorum cauſſa, deprimere, agere cuniculos, ſiluis & fluminibus, ad eam rem vti, licitum eſto. Hæc, & plura huiusmodi, BELA, hoſpitibus, *Noua Villa Biſtriczia*, ſingulari ad poſteros, exemplo, indulſit. Quod, ſequuti poſtea reges, præclare ſunt æmulati. Certe STEPHANVS V. Belæ filius, paternam, in hoſpites noſtros, liberalitatem, & ratam habuit, & ſua indulgentia fecit cumulatiorem. Nihilo ſegnior, LADISLAVS *Cumanus*, Anno MCCLXXVIII. quidquid iurium adtributum habebant *Nououillani*, nouis id tabulis, liberaliſſime confirmauit. In primis, ANDREAE III. in *Saxones* hoſpites, mira exſtitit propenſio; ſiue, vt ipſe aduena, regni habenis admotus, quanti alienigenas faceret, palam teſtaretur; ſiue, vt a clementiæ documentis, reipublicæ adminiſtrationem exorſus, ſpem de ſe faceret, eo ampliorem. Præterquam enim, quod indultam a regibus, quos diximus, libertatem, ſancte haberi voluit; terminos profecto agri *Neoſolienſis*, verſus *Thúrócz*, & *Liptó*, latiſſime prorogauit.

confirmantur eadem a Stephano V.

Ladislao *Cumano* 1

Andrea III.

§. IV.

Vrbis incrementa

PROinde, his incrementis, ad eam, ſeculi dimidio, cum elegantiam ædificiorum, tum celebritatem incolarum, prouecta fuit *Noua Villa*, vt, cum ampliſſimis Hungariæ vrbibus, quas gemina Tartarorum impreſſio, mirum in modum fœdauerat, contendi poſſe videretur. Nimirum, excitandæ vrbis curam, a ſacris, optimo auſpicio, exorſi *Saxones*, non poterant non, ſucceſſibus vndique felicibus, effloreſcere. Primam ergo ædem, S. ELISABETHAE vouerunt, non procul, a *Grani*, & *Biſtriczæ*, confluentibus, depreſſo loco poſitam, & ample ſatis dotatam. quidquid enim molarum *Biſtriczæ* inædificauerant, in huius dotis iura tranſcriptum fuiſſe, perhibent. Adiectum templo *Xenodochium*, his potiſſimum alendis, qui difficili, in metallis, labore fracti, tolerare vitam, niſi beneficio alieno, nequirent. quorum numerus, quum ſubinde maior fieret, agros frumentarios, nuper exciſis ſiluis ſubactos, hortos olitorios, atque prata, noua liberalitate, doti addiderunt; vt, & ſacra eo fierent exquiſitius, & commodius alerentur, quibus pio conſilio, beneficium iſtud, deſtinatum erat. Tam amplæ dotis procurationem, regum poſtea auctoritate, vrbis magiſtratibus, iſtis fere legibus adtributam, accepimus: *Aedem S. Eliſabethæ, Parochiæ, & Xenodochii, ſubſtructiones, ſartas ſemper tectasque haberent; Parochum, ſacra facientem, ex adtributa dote, liberalius alerent; pauperum, quibus beneficium iſtud obtigiſſet, curam, parentum vice, gererent; rationes omnes intemera-*

adest ſacra, ad S. Eliſabetham *excitatur* 1 *eius dos* 1

traditur adminiſtranda, vrbanis magiſtratibus 1 *quibus legibus*

merate haberent; & quod ex annuis reditibus ſuperaret, in difficiliora tempora, prouide reponerent. Atque, iſtis legibus, hodiedum, pientiſſimum inſtitutum, procurari, nos ipſi, cum anno MDCCVIII. & IX. eccleſiaſtes munere, heic fungeremur, experti ſumus. Sub idem tempus, & cum primum vrbicula cœpiſſet conſtitui, arctius, ac fere tantum in vicinia templi, vbi nunc vicus, ſeu *(c.)* platea inferior eſt, domos ſubſtruere cœperant *Saxones;* forte rebus ſuis diffiſi. At enim, vbi, & numero inualuerunt, & opibus, altius protulerunt pomœria. Tunc vero, forum, amplum illud atque elegans, ædibus, opere eductis ſolido, incingi cœptum. Primas in his fuiſſe credunt, quæ nuper, gentis erant *Veiſſiorum.* Has, longo decoroque ordine, plures poſtea excipiebant, elegantiamque vrbi, quin, pro illorum temporum habitu, admirationem etiam conciliabant.

§. V.

Baſilica, *qua in arce eſt, edificari capit:*

INualuerat iam vrbs, cum anno MCCC. de nouo, eoque auguſtiore templo exædificando, cogitare cœperunt *Neoſolienſes.* Stimulabant, aduenarum pietatem, diuites ex metallis reditus, quos optime collocatum iri rebantur, ſi aliquam eorum partem, ſacris iuuandis, impenderent, laudabili anteceſſorum exemplo. Ergo, iactis *Baſilicæ* fundamentis, ſequutis inde annis, operi gnauiter incumbunt, haud morati rerum conuerſiones, quibus, mortuo ANDREA III. Hungaria perturbabatur. Quando conſummata fuerit ædes, nihil reperio. In iis certe monumentis, ex quibus iſta mutuatus ſum, nil quidquam, ea de re legas, præter coniecturam, oppido ancipitem. Profecto, tantæ molis ſubſtructio, & ſumtus ingentes requirebat, & temporis, longiorem intercapedinem; vt non ab re colligas, colophonem operi, paullo ante obitum CAROLI *Roberti*, qui in annum MCCCXLII. incidit, impoſitum fuiſſe, habuiſſeque LVDOVICVM etiam, quod ornandæ ædi, adiiceret. Vtriusque enim regis, exſtant, in vrbem noſtram, regiæ munificentiæ, præclara documenta. Nam, CAROLVS *Robertus*, quidquid ab antegreſſis regibus indultum vrbs acceperat, id omne, ratum eſſe iuſſit, ſola pendendi tributi immunitate, qua hucusque gaudebant *Neoſolienſes*, excepta: credo, non tam conſilio ſuo, quam, ne vrbium reliquarum inuidiam, iſthac, in Neoſolienſes, indulgentia, porro exacueret. Tunc ergo Neoſolienſibus, tributa primum imperari cœpta, quæ fruſtra apud LVDOVICVM I. optimum ceteroquin principem, deprecati ſunt. Tametſi enim, anno MCCCLXIII. non priſca modo iura vrbis, inſigni diplomate, ſtabiliuit; ſed addidit etiam noua; rationem tamen tributorum, quæ iam ad quintum luſtrum ſoluerunt, abrogare noluit: forte, quod conſtaret publice, prouentus metal-

priuilegiorum vrbis, noua acceſſiones: ſub Carolo Roberto:

Ludouico I.

c.) Hinc traditio illa: *Inferiorem plateam*, ædi S. ELISABETHAE, tributariam olim fuiſſe: quod non eſt ita; ſed *Parochia* illi adſcripta erat, antequam templum, quod in arce eſt, excitatum fuiſſet.

metallorum, modicis, ſicuti tunc erant, tributis pendendis, affatim ſufficere. In primis, agrum vrbis, late iam porrectum, CAROLI I. temporibus, adcuratiſſime definitum fuiſſe, ſcriptum anni MCCCIX. (litteras *metales* vocant) in tabulario, noſtra ætate repertum, loquitur. Nempe, ab oſtiis fluuioli *Udurna*, Raduanium, ab agro noſtro, diſterminantis, atque illic *Grano* abſorpti, aduerſo alueo in Corum profectis, *Thúróczienſium* iuga, metarum vice, obiiciebantur. Hinc, flexis per alpes, Liptouienſibus confines, limitibus, ac pedetentim, ad riuum *Szenitze*, e Septentrione in meridiem labentem, retractis, quidquid agri Neoſolienſis cis *Granum* erat, circumſcribebatur. Quæ vero trans *Granum*, vrbi iam illa ætate admenſa fuere, litteris, quas diximus, in hunc modum proditum eſſe accepimus. *Eſt in (d.) Saruſalva fluuius Zahradnjk Potoku, vel Garte: hic fluuius caderet in fluuium Gron, deinde tranſiretur, ſupra eundem fluuium Zahradnjk Potoku, idem fluuius deficeret: ibidem fuiſſet vnus puteus, de quo dicta Zahradnjk Potoku flueret, & ab eodem puteo, in eadem valle, vsque quatuor valles pertranſiret, & flectatur ſupra montem vsque ad verticem, vbi metæ filiorum Mikeſt, ſicque & ibidem terminantur.* Iſti, ea ætate, agri Neoſolienſis limites fuere, ampli profecto, & quos vix tridui ſpatio, eques obire poſſit: quippe qui, ambitu ſuo, præter vrbem ipſam, decem plus minus vicos, varie inuicem diſcretos, complectuntur. Neque anguſtiores ſunt hodie, ſed regiis metallis obnoxii, ac ſiluæ in primis, quarum cædendarum ius, Neoſolienſium licet ſit; ab his tamen pendet, qui rei metallicæ, regis nomine iſthic profecti ſunt: non, vt vrbis iuribus, ea re decedat quidquam, ſed ne ſiluæ, ſi cæderentur promiſcue, magno fodinarum damno, temere exinanirentur.

eius ætate, qui fuerint agri Neoſolienſis, termini.

§. VI.

VRbe, ſub optimis regibus, ad hunc modum conſtituta, vicos circum, ſuperiore ſeculo habitari cœptos, copioſiores iam euaſiſſe, non eſt cur ambigamus. Atque hos plerosque omnes, *Saxones* inſederant, partim rem facientes ruſticam, partim, in metallis operas collocantes. Hinc eorum nomina, Germanicam originem referentia: *Sachſendorff*, *Rudolphsdorff*, *Koſtführerdorff*, *Mayerdorff*, *Deütſchendorff*, hodie *Nemcze*, reliqua. Proinde, rerum ſuarum ſatagentes oppidani, id dedere operam, vt eorum aliquos, ſuis iuribus adſcriberent. In his tunc erant: *Saruſalva*, ſiue *Zámrzlá*, *Szent-Antal*, *Szent-Iacob*, & *Koſtführerdorff*, ita dictus, quod metallicis in *Vallem Dominorum*, & *Altgebürg*, commeatum deueheret, ex vrbe ſubmiſſum. Quia enim ciuium plerique, metallis eruendis vacabant, totas illi hebdomadas, iſtis operis diſtinebantur. Quibus, ne com-

Vici, vrbi circumpoſiti:

d.) Poſtea *Zámrzlá*. Hodie, exſtincto vico, agris frumentariis ora illa, trans *Granum*, deſtinata eſt, non plane effœtis.

commeatus deeſſet, incolarum, huius vici miniſterio, efficiebatur. Atque, hanc omnino, parandarum opum induſtriam, ratam, ſua indulgentia, reges habuerunt: quod viderent, iuuandis metallis, augendorumque redituum publicorum cauſſa, eam ſuſcipi. Acceſſerunt poſtea, vici alii; vt iam vniuerſa *Neoſolienſium* dominatio, vicis, plus minus, ſeptem cenſeatur: augenda, procul dubio, in maius, niſi *(e.)* publica lege cautum fuiſſet poſtea; ne, *liberæ regiæque* vrbes, vicos ac prædia, ſui porro iuris facere, auderent.

hodierna vrbis dominatio.

§. VII.

Fata Neoſolienſium *bello Huſſitico:*

ISti acceſſionibus, ſeculo XIV. creuit NEOSOLIVM, nouis mox auctibus ditandum. Tametſi enim, *Huſſitarum* copiæ, victo ſemel iterumque SIGISMVNDO, in iſtas montium anguſtias illapſæ, magnas paſſim ediderunt ſtrages, muniueruntque loca, caſtellis idonea; *Neoſolium* tamen intemeratum reliquere: forte, quod ciuium robori impares ſe futuros crederent. Certe; *Libetham*, ciuium numero, & opibus, multis modis inferiorem, direptam, ab iniquiſſima genre, ignique vaſtatam fuiſſe, illorum temporum monimenta perhibent. Poſtea *Giſzkra*, *Bohemo*, iuſſu *Eliſabethæ*, viduæ ALBERTI, rerum iſtic potiente, *Neoſolienſes*, licet in eius fuerint poteſtate, incolumes ramen manſere; non tam, credo, hominis beneuolentia; rapinis enim perturbabat omnia; quam, ſeu prudentia ſua, ſeu indulgentia fatorum. Quæ inde ſequebantur tempora, optimum regem, MATTHIAM *Coruinum*, non regno tantum; ſed & vrbi noſtræ, impertiuerunt. Præclaro is diplomate, anno MCCCCLXV. quo Bohemos, duce *Schwehla*, nequiter iſtis locis tumultuantes, compeſcuerat, libertatem *Neoſolienſium*, qua intemerata vtebantur hucusque, confirmauit, adeoque vrbe iſta delectatus eſt, vt nihil dubitarit, anno MCCCCLXXVIII. diutius iſthic *(f.)* diuerſari: cuius rei, hodieque, documentum in vrbis tabulario, reperias. Nimirum, in publico foro, *circulum* vocant, rex, cum aulæ proceribus, hoſpitabatur. Impediebat liberum, in alteram fori partem, proſpectum, ædes mercatoria, longo tractu, per medium forum, exædificata. Hanc ille, datis, ad vrbis magiſtratus, litteris, quibus deiiciendam mandabat, ſuſtulit, numquam poſtea reædificandam. Par in vrbem noſtram, WLADISLAI Regis, munificentia exſtitit, quam diploma A. MCCCCXCVI. oppido auguſtum, adhuc loquitur. Regum iſta benignitate, cum conſtanter foueretur, & quaſi adoleſceret, *Neoſolium*, pronum fuit, ciues, alias rerum ſuarum fatagentes, opulentiores euadere. Accedebant diuites venæ, factos ſum

ſunt in poteſtate Giſkræ, *Bohemi:*

Coruini in vrbem profenſio:

Wladislai munificentia:

quæ inde vrbi fuerint incrementa:

e.) Vide, FERDINANDI I. Decr. V. Anni MDXLII. Art. XXXIII.

f.) Meminit hoſpitii huius, BONFINIVS, Dec. IV. Lib. V. p. 600, 27. *Deinde, cum maxima aulicorum manu, & vna cum* Beatrice *ſua, vt a curis aliquantiſper bellicis animum relaxaret, per regnum vagatur, vrbes locaque præſtantiora, luſtrat, vxorique oſtendit, Caſſoviam, Cremnitzium, & Nouo ſolium, montana ambo loca, remiſsus.*

ſumtus, multis modis reddentes. In primis, opibus, & collatis in commune, grandibus pecuniis, hac ætate, inter ciues emicuerunt, *Vitus Muhlſtein*, cuius ædes poſtea in curiam tranſiuere; *Nicolaus Kohlmann*, *Iohannes Turzo*; *Michael Königsberger*, & *Gloknitzer*: quorum memoria epitaphiis, ædi ſacræ inædificatis, ad poſteros propagata eſt. Et *Königsbergerus* quidem, viuus adhuc, Baſilicam, ſuperiore iam tum ſeculo ſubſtructam, Anno *(g.)* MCCCCXCVI. ampliorem, nitidioremque reddidit, tantum pecuniarum teſtamento relinquens, vt ſurgente ſeculo XV. cupreis laminis, integi potuerit. Vetuſta monumenta perhibent, pondus æris huius cyprii, mille *centenariorum* fuiſſe, quod ex hodierno pretio æſtimatum, *quinquaginta millia florenorum* ſummam, æquaturum creditur. Contignationes autem, quibus tantæ molis tectum innititur, ſeptem florenorum millibus, vix erectum iri autumant, qui has iſtiusmodi operas norunt exiſtimare. Ad hanc ego ætatem, ſaltem ſeculum iſtud, retulerim, munitiones, prouido conſilio, templo circumpoſitas, illas in primis, quæ ſeptentrioni, qua colles vrbi impendent, obiiciuntur, & propugnaculi metallicorum, *Hauer-Baſtey*, nomen ideo ferunt, quod eorum ſumtu, moles ea, oppido ſolida, & grandis, ſubſtructa ſit. Neſcio autem, an huic tempeſtati, natales æris campani, tota Hungaria facile maximi: quippe quod, pondus CLXXV. *centenariorum* habet, referre debeam. Illud conſtat, quod cum rimas agere cœpiſſet, anno MDLX. magno ſumtu, denuo fundi debuerit, ac dein, eandem ob cauſſam, anno MDLXXI. reformari, ne fiſſuram, nimio pulſu factam, molis haud exiguæ piſtillum, extunderet penitus. Margo profecto æris huius campani, illam ætatem loquitur; hanc enim habet ſcriptum: *Im Jahr MDLXXI. M. H.*

optimatum, de vrbe, merita:

Königsbergeri *in Baſilicam liberalitas:*

templum, ad arcis modum, quando munitum coepium?

ætas æris campani, & huius pondus:

Ein Stimm von Himmel geböret ward:
Das ſeelig mach all Chriſti Wort,
Darzu ich Glocken ruffen thue,
O Chriſten Menſch dich rüſte nue!
Wach auff, dein Ohrn, und Hertz bereit,
Verſaume nicht die rechte Zeit:
Mein Hall und Schall nimm iezt du zu Sinn,
Biß du hörſt der Poſaunen Stimm
Die uns alsdann wird ruffen eben,
Aus den Grabern zum ewigen Leben.

Et hæc quidem illic leguntur: ſuperne autem, vbi laxior campani æris calix, in arctum coit, tribus circulis, quatuor hæc diſticha leguntur:

g.) *Eruditi Tyrnauienſes*, ab eodem *Königsbergero*, paullo poſt, hoc eſt, anno MCCCCXCIX. fundatam, perhibent, *Celebriorum Hung. vrbium* Part. II. p. 21. quod aliter ſe habere, hæc noſtra docent.

Luce ſacra compulſo ſono, concurrite ciues!
Tempus adeſt, ſummi diſcere verba Dei.
Sacra ſalutiferi ſubiturus limina templi,
Ne tuus incipiat pes titubare, caue!
Et dociles adhibe dictis præſentibus aures,
Gratior eſt ipſi victima nulla Deo.
Quare age, Tu reuerere DEVM, *verumque timorem*
Illius, in tacito pectore ſemper habe!
Mit Gottes Hülff Goß mich, Martin Schreiber.
Ex impenſis ciuitatis, & fraternitatis (b.) ſectorum, fuſa.

Iſta ſunt, quæ æs campanum habet: vt reliquarum inſcriptiones, quatuor enim heic viſuntur ſuſpenſa, taceamus. Atque hinc eſt, vt hodieque moles iſta, inter vrbis cimelia, connumeretur, neque ad ædis ſacræ dotem, quam nullam habet, more alias ſolito, referatur. Tunc & ſupellectilem ſacram, & ornatus ſacerdotum, multis diſtinctum vnionibus, vrbis optimates, Eccleſiæ donauerunt. Et hactenus quidem, læta *Biſtricia* fuerunt incrementa, regum fauore, non minus, quam ciuium induſtria, ſollicite procurata; ſed, quæ ſeculi exitus, funeſta cataſtrophe, pene obliterauit. Enim vero, anno MD. die X. Aprilis, vrbs, incendio deleta, videbatur interitura penitus, niſi eam, metallorum reditus, nitidiorem ex cineribus, poſtliminio excitauiſſent. Tunc vero vrbis rabularium, damno irreparabili, exuſtum eſt, paucis quibusdam monumentis, quæ forte in priuatorum manibus fuerunt, ex ea clade reſiduis.

funeſtum vrbis incendium.

§. VIII.

Vrbis reparatio, ſubita & felix:

IGitur, adflictæ res *Neoſolienſium* erant, ſeculo XVI. ineunte. Sed facile tum fuit iſtiusmodi damna reſtituere, cum & tributa, pro temporum ingenio, modica pendebantur, & ea fuit metallorum vbertas, quæ non vrbis vnius, ſed regionis vniuerſæ, calamitatem, opinione celerius, releuare poſſe videbatur. Accedebat, ciuium, illa ætate, mutuum, iuuandi ſe in vicem, ſtudium. quo fiebat, vt ditiores quique, ſuis opibus, inopiam publicam, vltro lubentesque ſuſtentarent. quod hodiernis moribus aliter ſe habet, vbi, quo quis ditior, eo, ad miſerendum, iuuandamque rem publicam tardior eſt. Profecto, his, quæ diximus, adminiculis, breui adſurrexit *Neoſolium*, ſplendidius multo, quam ante fuerat. Nam, ædes publicæ ac priuatæ, magnificentius iam inſtaurabantur, in foro potiſſimum, vbi opere ſolidiſſimo, adſur-

b.) *Sectores*, latine minus, *metallicos* adpellat inſcriptio: nam apud latinos quidem, ea vox, deteriorem habet ſignificationem. PLAVTO, *Sector Zona*, eſt, *ein Beutel-Schneider*; & CICERONI, *ſector colli & bonorum*, quem germanice, *einen Gut und Blut-Igel*, dixeris. Itaque, *fraternitatem ſectorum*, dic, *collegium metallicorum*. Germanis: *Die Berg-Häuer Zeche, oder Brüderſchafft* Certe, ob hanc pietatem, id hodieque, iuris habent metallici, vt, ſi ita velint, pulſu æris huius campani, ſuorum exequias, poſſint cohoneſtare, idque, ſine mercede; ſed venia tamen ab vrbis magiſtratibus, impetrata.

ſurrexerunt omnia. Vnum illud vrbis felicitatem diminuebat, quod diplomatibus, nupero incendio pene omnibus exuſtis, iacturam priuilegiorum feciſſe, putabatur. Ea propter, anno MDCXVI. a nouello Rege, Lvnovico II. decenni puero, iurium, quibus pollebant olim, confirmationem implorant; ſed tum demum obtinent, vbi plurium teſtimoniis, vetera priuilegia, docuerunt. Hinc, gratiſſima eſt *Neoſolienſibus*, memoria Lvoovici: quippe, noui quaſi conditoris ſui, & munifici priuilegiorum locupletatoris. in quibus illud facile princeps dixeris, quo *caducitatis iura*, in vrbem tranſcribebantur. Sed, Lvdovico, ad *Mohátſchinum*, cum vniuerſo exercitu, a Turcis cæſo, multum remoræ, *Neoſolienſium* incrementis, eſt iniectum: non potuit enim fieri, quin vrbs opportuna, nunc a Iohanne, nunc iterum a Ferdinanno, adpeteretur. Ferebat tamen belli iniurias eo fortius, quo benigniorem domi fortunam, copioſioresque ex metallis reditus, habebar. Anno dein MDXLII. comitia heic fuiſſe celebrata, decreta Ferdinandi Regis, loquuntur. Noua hinc, libertati *Neoſolienſium*, enata acceſſio eſt. Nempe, deponendarum mercium iura, & alia quædam, a Ferdinando, vrbi collata fuerunt, confirmata poſtea, regum ſequutorum, indulgentia. Plura, quæ hoc ſeculo euenisſent, haud ſuppetunt, ſi locuſtarum exercitus, nunquam antea iſtis locis viſos, excipias. Aduenere ii, anno primum MDXLVI. atque iterum, MDXLVII. menſe Iulio, agros vrbis, hoſtium ritu, depopulati. Varie oſtentum accipiebatur a vulgo, diuinationum auido. Turcarum, aut Tartarorum impreſſiones portendi, adſeuerabant alii, incendia alii prænunciari aiebant. Neutros fefellit omen. Nam, & hoſtis, late inundauit regionem, & vrbs noſtra, non vno incendio fœdata poſtea eſt. quorum, anno MDLV. funeſtiſſimum euenit. Tunc enim plateam inferiorem, cum tota illa ædium ſerie, quæ in medium vsque forum, pertingit, deletam fuiſſe, annales vrbis perhibent. Eadem fortuna, anno MDXCI. vicum ſuperiorem manſit, fame mox, fere intolerabili, conſequuta. Enim vero, frumenti modius *imperialibus* ſex, pondo autem panis decem numis Hungaricis, veniebat.

inſtauranter eius priuilegia a Ludouico II.

fata, ſub Iohanne & Ferdinando:

locuſtarum exercitus:

iterata incendia.

§. IX.

INiit iam ſeculum XVII. & cum eo, vrbis calamitas, nulli, quas hucusque vidimus, ſecunda. Nam, anno MDCI. peſtilentia, ſolito grauior, vrbem incolis exinaniuerat. plurium millium numerus fuit, qui ea clade, ſublati memorantur. Sequuta inde lues pecoris, eo damnoſior, quo magis acciſæ fuerunt vrbis vires, ex nupera calamitate. Hominum hæ, pecudumque ſtrages erant. anno, poſtea MDCV. vrbs vniuerſa, ad interitum vocari videbatur. Nimirum, Hungaria ſuperior, *Botskayo* duce, res nouas, in Cæſarem moliri occeperat, iamque, maximam regni partem, corripuerat turbo ille, cum *Neoſolienſium* etiam mœnibus, infauſto ſidere, incubuit. Ancipitis res periculi

Vrbis calamitates, initio ſeculi XVII.

peſtilentia:

pecorum lues:

a Botskaynis *igne deletur: rei geſta hiſtoria:*

li fuit. quo circa, ne indefenſam vrbem relinquerent Cæſariani, *Koſacorum* aliquot turmas, in præſidio collocant. At illi, hoſte aduentante, ſuæ potius, quam ciuium ſaluti, conſulunt, ſeque, intra mœnia arcis, ignobilium ritu ferarum, equites abdunt. Qua rei gerendæ occaſione, vſi hoſtes, cum de vrbe, æquis tradenda conditionibus, vltro citroque agitur, ad diem V. Martii perrupta *porta inferiori*, vicum eiusdem nominis, diripiunt, mox præda onuſti, receptui canunt, vrbis prætore, *Georgio Zakwein*, ſecum abducto. Vix dum iſthoc periculo defuncti erant *Neoſolienſes*, cum nouo iterum ſe implicitos videbant. Namque, hoſtium aliæ cohortes, ex Comitatu *Thúrócziensi*, per montis *Hermanecz* iuga, illapſæ, ad expilandam vrbem, properabant. Occurrunt iis *Kosáci*, cum Germano milite, & delecta ciuium manu, ad vicum *Vlmanowa*. Capeſſitur, e veſtigio, pugna, ſed fortuna hoſtium iniquiore: quippe qui, ad prædandum, quam ad pugnandum expeditiores, terga, opinione celerius, vertunt, detractamque *Thúróczienſibus* prædam, Cæſarianis relinquunt. Atque iſta quidem victoria, funeſti, quem memorabimus, euentus, cauſſa fuit. Miles enim, præda potitus, ac *Germanus* in primis, licentioſius agere, & ducum imperia aſpernari cœperat. Sequutæ hinc rapinæ; vt non iam præſidiarios, ſed hoſtes, intra mœnia acceptos, diceres. Adflictis ita ciuium rebus, ad caſtra ſe proripiunt præſidiarii; atque vrbem, vagabundi hoſtis iniuriis, exponunt. Dedebatur interea *Filekmum*, munimentum, defenſandis montanis ciuitatibus, perquam opportunum; cuius milites, cum ad reliquas, tum ad *Neoſolienſem* hanc, dimiſſi, retuderunt aliquantiſper, incurſantium prædonum ferociam. Sed hoſtes, nuperæ cladis turpitudinem, cum vrbe, deleturi; nam ita ſtatuerant; copias, ad luſti exercitus ſpeciem, Turcarum ſuppetiis, adaugent, & duce *(i.) Franciſco Rédei*, oppidum, intempeſta nocte, Idibus Aprilis, tumultuantibus ſimiles, incingunt, laborem obſidionis a flammis exorſi. Subiicitur primum ignis, carbonariis, & metallicis officinis, quæ conceptis flammis, facile propagarunt incendium: quippe, infinito pene materiæ adparatu, circumſeſſæ; cum interim, vrbis ſimul tecta paſſim ſuccendunt, bipedum nequiſſimi. Igitur:

Vndique clamor
Tollitur: inuadunt, & foſſas aggere complent,
Ardentes tædas alii ad faſtigia jactant. (k.)

Troiani imaginem incendii vidiſſes, ita oculi ictu, late diffundebantur flammæ.

Scilicet, ignis edax ſummâ ad faſtigia vento
Volvitur, exſuperant flammæ, furit æſtus ad auras. (l.)

Tunc

i.) Vide GEORGII KREKWITZ, *Deſcript. Hungariæ*, Germ. Norib. 1686. p. 460. vbi excidium iſthoc vrbis deſcribitur.

k.) VIRGILIVS, *Aeneid.* Lib. IX. v. 506.

l.) Idem, *Aeneidos.* Lib. II. verſ. 758.

Tunc hoſtes, opportunitate hac vſi, in *portas* vrbis, *inferiorem*, *argenteam*, & cui a *balneo* nomen, ſublato clamore, furibundis ſimiles, incurrunt. Quod dum oppidani, ſedandis, qua poterant, flammis, intenti, aduertunt, conferti cum germanico milite, ad arma conuolant, hoſtemque, in medias plateas perrumpentem, frequentibus glandium iaculationibus, fortiter reiiciunt. Quin, & ipſæ flammæ, pro ciuibus pugnare videbantur. Subinde enim, vento aduerſo, quaſi ex induſtria, in hoſtes illiderentur, integros manipulos retro cedere cogebant. Atque hac quidem calamitate, vrbs fere integra, *ſuperiori*, & *nouo vico*, exceptis, deleta fuit. Ciuium fortiſſimi, vel ab boſte cæſi, vel flammis bauſti, periere. Imbellis autem multitudo, arce concluſa, ciulatu complebat omnia.

It clamor cælo, reſonat plangoribus æther.

Illud, haud ſine diuina prouidentia, euenit, vt iſto inſultu, vrbe potiri nequiuerit hoſtis, alioquin haud vllî ætati, aut ſexui, parſurus. Proinde, ſuſcepta eadem illa die, profectione, *Vetuſolium* feſtinabat, vt eo intercepto, vrbes montanas, ſub iugum celerius mitteret, contineretque in obſequio. Altera poſt die, miles *Germanus*, qui ciues in retundendo hoſte egregie iuuerat, metu, an deſperatione, ductus, relicta vrbe, fuga ſe ſubripuit, quem ciuium plerique, ab heſterna clade reſidui, imprudentes ſequuntur. *Rédej*, audito, præſidiarios *Neoſolienſium* milites, diffugere, iter, cum vniuerſo, quem ductitabat, exercitu, nihil cunctatus, flectit, & velitibus præmiſſis, qui e fuga reprehenderent hoſtem, ad vrbem iterum adcurrit. Retracti igitur, cum milite germanico, ciues, partim acinacibus conciduntur, partim abducti in captiuitatem, Turcis venduntur, præclarum ſcilicet, *Rédejana* victoriæ documentum, apud barbaros futuri. Adhuc fumabant vrbis rudera, cum eam *Rédej* ſubiit. Difficile dictu eſt, quanta tunc militis Hungarici, *Hajdonum* in primis, ſæuitia fuerit. Obuios quosque, & qualibuscunque pannis obſitos, eosque ſolo habitu, & vultu, ex incendio æruginoſo, miſericordiam, vel furiarum, facile prouocaturos, veſtibus nudabant, reluctantes autem, deprecantesue, barbara feritate, obtruncabant:

crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Quidquid ab incendio ſupererat, licentiæ id militum permiſſum eſt. Pertundebantur paſſim teſtudinum fores, ſuffodiebantur cellaria, incolæ, vt, quod erat recularum reſiduum, proderent, verberibus, & mortis interminatione, adigebantur. Arx ſola ſuperabat intemerata adhuc, eaque imbelli ætate, referta. Huc copias ſuas, nonnulli ciuium coniecerant. Atque iſtud in primis, prædæ cupiditatem, apud *Hungaros*, accenderat, vt de arce, & templis diripiendis, ſtatuerent. Accidit vero, vt, cum adparata ad inſultum eſſent omnia, *Rédej*, ſiue

miſericordia vrbis tactus, ſiue rei gerendæ opportunitate, aliorſum auocatus, profectionem ediceret. Igitur, vrbe, cui *Balthaſarem Kováty*, cum modico præſidio, impoſuerat, relicta, exercitum, magnis itineribus, e montium iſtis clauſtris, educit, abreptis ſecum, e ſenatorio ordine, obſidibus, non prius dimittendis, quam æs, mulctæ loco irrogatum, numeraretur.

§. X.

Reſtaurandæ vrbis difficultas:

ISta tunc vrbis fortuna fuit, quam poſtea difficillime reparatam accepimus; ſiue, quod ciuibus exhauſta, ægrius, quam antea, exſurgeret; ſiue, quod recrudeſcentibus ſubinde ciuilibus turbis, nouis calamitatibus, adfligeretur. Et hucusque quidem, nemo, niſi *Germanus* eſſet, idemque ingenuus, iuribus ciuitatis, apud *Neoſolienſes*, potiebatur. quam illi prærogatiuam, inuiti quidem, cogebantur tamen migrare, vt eſſent, qui vrbem denuo inſtaurarent. Proinde, admiſſi in ſupplementum ſunt, *Hungari*, iuxta & *Slaui*, atque hi quidem, illis, multo numeroſiores. quæ res poſtea, controuerſiis, etiam publice, in comitiis agitatis, occaſionem dedit. *Slaui* enim, cum breui poſt, *Germanos* ciues, ſi non opibus, ſaltem numero, adæquarent, ægre ferebant, ſuæ gentis homines, ab vrbanis magiſtratibus, excludi, parere, iniuriam rati, niſi eſſent, qui ſibi, e tribulibus ſuis, imperirent. Et fruſtra omnino reluctabantur *Germani*, tametſi haberent, quo iura ſua tuerentur. Quia enim, anno MDCVIII. vniuerſim in omnibus, *liberis Regiis ac montanis vrbibus*, cum *Hungaris*, *tum* in primis *Slauis*, non ius modo ciuitatis, ſed & capeſſendorum magiſtratuum, conceſſum fuit; indulgentiam illam, Neoſolienſes *Slaui*, in rem ſuam pertinacius vertere conabantur. Sed reſtiterunt *Germani*, priſcorum regum priuilegia, nunquam, ſiue abrogata publice, ſiue contrario vſu temerata, ſuo iure, obtendentes. Atque iſta quidem *Germanorum* conſtantia, factum eſt, vt maluerint rem arbitratui *Palatini* permittere, quam á ſuis priuilegiis diſceſſionem facere. Tandem, miſſi arbitri, qui rem ex æquo diſputarent, decernerentque, quod cum legibus patriis congrueret, præter opinionem *Germanorum*, in eam iuere ſententiam; vt *Slauis*, magiſtratus capeſſere, dictante id anni MDCVIII. Art. XIII. ius eſſet. At enim vero, ne iſta quidem ſententia permouere potuit *Neoſolienſes*, vt prærogatiuam illam, *Slauis* concederent. Quocirca, publice accuſatis, mulcta, bis mille numum, quos *florenos* vocant, in comitiis Piſonienſibus, irrogata eſt. Sanctio illa *(m.)* hunc in modum habet: *Quia vero Senatus, Regia montanæ Ciuitatis*, NOVIZOLIENSIS, *concluſioni certorum Dnn. Commiſſariorum, per Dn. Comitem Palatinum, ad eorundem inſtantiam, ad id electorum, & transmiſſorum, in ipſa ciuitate habita, ac poſtea, per eundem Dn. Palatinum, confirmatæ: immo, poſtmodum deliberationi & reuiſio-*

Slaui, in ſupplementum ciuium admiſſi:

mata inde controuerſiæ.

m.) Anni MDCXIII. Art. XL.

reuiſioni eiusdem Dn. Palatini, ac Dnn. Conſiliariorum, omniumque regni iudicum ordinariorum, ſub proxime euoluto termino, celebrationis generalium iudiciorum, octaui diei Feſti B. Luca Euangeliſta, hic Poſonii habita, cum in aliis certis articulis, ibidem ſpecificatis, potiſſimum vero in eo, vbi ſecundum publicas regni conſtitutiones, ſub multa, bis mille florenorum Hungaricalium, concluſum deliberatumque exſtitit, vt absque diſcrimine nationis, in numerum Germanorum, Hungari, & Slaui, aqualiter, in Senatum admittantur, & recipiantur, ſeſe manifeſte opponunt, iudiciariamque auctoritatem, & regni conſtitutiones, contemnunt. Supplicant, vt omnes eadem concluſiones, & deliberationes, in ſuo vigore maneant, & inuiolabiliter obſeruentur, ac de transgreſſoribus, illi bis mille floreni, per dictum Dn. Palatinum, irremiſſibiliter exigantur, & fiſco regio adplicentur: ſua autem Maieſtas, hanc Neoſolienſium cauſſam, reuidebit, interim ab executione ſuperſedeatur. Hucusque legis illius verba: quæ, gemina de cauſſa, adſcribere viſum eſt; partim, vt adpareat, quam difficulter ad magiſtratus prærogatiuam, admiſſi ſint *Slaui;* partim, vt fons detegatur, atque origo odii, inter vtramque nationem, poſtea pullulantis, neque adhuc penitus exſtincti. Ceſſere tandem, regis imperio, & voluntati ſtatuum regni, *Neoſolienſes*, recepereque ingratiis, in *ſenatum exteriorem*, XXIV. *viratum* vocant, aliquos e *Slauis*. Tandem, anno MDCL. die XXII. Martii mutua conſenſione, controuerſiæ finis impoſitus eſt, cooptatique ſunt *Slaui*, & *Hungari*, in ſenatum. Tunc, & templa, intra mœnia arcis, & ad *Spiritum S.* ædificari cœpta ſunt, in quibus, *Slauorum* natio, ſacris, ſua lingua, operaretur.

§. XI.

ACcepta, a *Botſchkayanis*, clade illa, adtentiores, ad rem ſuam, *Neoſolienſes* euaſere. Id circo, vrbem, partem maximam, munimentis adhuc nudam, anno MDCVIII. incingere occipiunt, collocatis, idoneo loco, turribus, ſeu propugnaculis, quæ poſtea, opificum *(n.)* tribubus, ad defenſandum ſunt adtributa. Vix dum conſummauerant inchoatum opus, cum noua iterum, ſeditionis procella, e *Tranſiluania*, in Hungariam vniuerſam, effuſa, imis ſumma miſcuit. Nempe, *Gabriel Bethlen*, Tranſiluaniæ princeps, exterorum fœderibus innexus, Hungariam omnem, torrentis inſtar, peruaſerat, abreptis vniuerſæ propemodum gentis ſtudiis. In primis, montanis vrbibus imminebat, vt neruum indipiſceretur, belli, eo expeditius, gerendi. Proinde, duce *Georgio Szétſi*, *Neoſolium*, inter primas, adoritur. Ciues, reluctari non auſi, vrbem, conditionibus, quam poterant, æquiſſimis, anno MDCXIX. die XXII. Septembris dedunt; nuper, infinitis ſuis malis, edocti, difficile, immo exitioſum eſſe, niti aduerſus torrentem. Atque iſta prouidentia, effectum eſt, vt

Mœnia vrbi circumducuntur:

eius fata, ſeditione Bethleniana:

n.) Sie vocant: *Die Goldſchmids-Baſtey; Fleiſchhacker, Huter, Binder*, &c. *Baſtey.*

vt toto, quam diu durauit, tumultu *Bethleniano*, res Neoſolienſium, non intemeratæ modo manſerint, ſed euaſerint etiam florentiores. Enim vero, *Bethlenius*, Poſonio, *(o.)* anno MDCXX. redux, diu apud Neoſolienſes, in iis ædibus hoſpitatus eſt, quæ ſeptentrionali fori latere, hodieque *cancri ſignum*, præferunt: forte, non ſine omine, quod regii honores, quos ei, habitis hic comitiis, detulerant ſequaces, ritu cancrorum, ſucceſſerint. Comitiis durantibus, *Baſilicam*, quæ in arce eſt, alternis, ab *Euangelicis*, & *Reformatis*, frequentatam fuiſſe memorant. *Bethlenius* enim, ſacris addictus Caluinianorum, hic ea, cum ſuis, faciebat, toto eo tempore, quo in Neoſolienſium vrbe diuerſabatur. quæ res, inter præcipuas templi viciſſitudines, referri meretur, quod vnius interuallo ſeculi, triplicem admiſerit religionem. Conſopita, perturbatione hac ciuili, egregie, res *Neoſolienſium*, redintegrabantur. Nam, & foris, tuta erant omnia, & metalla, factis ſumtibus, multo fœnore, domi reſpondebant. Cui felicitati, *tumultus Rákóczianus primus*, anno MDCXLIV. remoram iniecit, peſſundaturus vrbem, niſi *Botſchkayanæ* ſtragis memor ſenatus, voluntati hoſtium, maturius obſecundauiſſet. Ea enim promtitudine, delinitus *Bornemiſza*, turmarum *Rákóczianarum* ductor, datam ciuibus fidem, religioſe habuit, atque vrbem, modico munitam præſidio, ſartam reliquit tectamque. Sed anno, qui ſequutus eſt, MDCXLV. grauis peſtilentia vrbi incubuit, incolarum ingenti multitudine, abſumta. Quæ hinc ſucceſſere tempora, pacata ea fuerunt, verum frequentibus incendiis funeſta. Vnicum meminiſſe ſufficiet, quo MDCLIII. *vigilia Reſurrectionis Chriſti*, quæ in IV. Id. April. inciderat, vicus ſuperior, partem maximam, vna cum turri, cui, a *publica libra* nomen, deletus fuit, ſolidiore mox opere, reſtituendus denuo. Turris profecto, elegantior multo, quam ante fuerat, adſurrexit, ternis diſtincta faſtigiis, atque ære cyprio intecta. Neque ſilendum prodigium eſt, quod anno MDCLXVI. accidit. Nimirum femina, de plebe promiſcua, vno partu, infantem enixa fuit, iuxta & viuum leonem, breui poſt exſtinctum. Cauſſam monſtri huius, in leonis ſimulacrum reiiciebat mulier, quod in foro, fontem ornabat ſalientem. Huic, quia ſæpius adiecit oculos, gemellorum alter, naturæ errore, in leonis illam formam, abiit. Certe, eius cauſſatione factum eſt, vt publico decreto, inuiſum iam feminis ſimulacrum, abrogaretur, nuda columna, quæ aquam, ex ductibus acceptam, quadripartito refunderet, in eius locum, ſubſtituta. Neſcio, annon monſtri hæc natiuitas, coniurationem eam portenderit, quam honeſtiſſimo, *Iudiciorum Extraordinariorum*, prætextu, *Neoſolii*, ſequente anno, Franciscvs Vesseléni, Regni Hungariæ Palatinus, feciſſe perhibetur. *Sub titulo*, *Extraordina-*

tumultu, Rakóczia-no *primo*:

calamitates vrbis alia:

peſtilentia: *incendia*:

monſtrum Neoſolii *natum*.

o.) Comitiorum hiſtoriam, prolixe deſcripſit auctor Oretelii continuati, ad annum MDCXX. p. 70. ſeqq. quæ Parschitivs, *in Tabella Regni Hung.* falſo *Reſek-Ujvarini*, celebrata ſcribit; vocum. *Neüſohl*, & *Neüheüsl*, permutatione, deceptus. quod in ſcriptore domeſtico, ægre ferimus. Adde Khevenhillervm, Annal. Ferdinandeorum, Tom. IX. p. 937. ſeqq.

dinariorum Iudiciorum, inquit SZENTIVÁNIVS ad annum MDCLXVII. *(p.) conuentus regni*, Neoſolium *indicitur*, *in quo vltimate cuſa fuit faba, omnium ſubſequentium tumultuum ac rebellionum. Eodem tempore, ibidem moritur* Veſſeleni, Regni Hungariæ Palatinus, *& ipſe, per ſuam coniugem tractus in ſeditioſorum partes.* Qui tamen poſtmodum in articulo mortis pœnitentia ductus, memorque beneficiorum, quæ ab Auguſtiſſima Domo Auſtriaca, cumulate acceperat, a qua in primis in Comitum ordinem euectus, *bonis, arcibus, variisque clientelis auctus, poſt ad* Generalatum Caſſouienſem, *& Superioris Hungariæ, ac demum ad* Palatinalem *dignitatem*, & Equitem Aurei Velleris *promotus fuerat; telam vniuerſæ factionis Cæſari retexere cupiebat; ſed ab vxore, quæ eum pro arbitrio verſabat, impeditus eſt.* Iſtud forte dicere voluit WAGNERVS, *(q.)* cum fati eius meminit: *Vt Hungaricæ conſpirationis fundamenta, a* Veſſelenio Palatino, *Trentſchinienſibus in aquis iacta ſint, alias (r.) a nobis memoratum eſt. Et pergebat nefariis conſiliis permiſtere regnum, donec mors, mitior ſane, quam hominis facinora commeruiſſent, nefandam telam abrupit.* Iſta tempeſtate, poſt abrogatos *Aug. Conf. miniſtros*, vrbis magiſtratus, qui ſeculo integro ab *Euangelicis* gerebantur, ita conſtituti ſunt, vt pars altera ſenatus, e *Romano-Catholicis*, altera ex his legeretur in poſterum, qui ſunt *Auguſtanæ Confeſſioni addicti.*

§. XII.

POſtea, ex virulento illo *Veſſelenii* ſeminio; qui, dum viuebat, lubenter *(s.) Neoſolii*, diuerſabatur; tumultus *Tökölianus* coortus eſt, exitioſus ille, & rebus vtrinque varie geſtis, nobilitatus. Nam, eſt hoc in fatis Hungariæ, vt diuturniore pace, vel nolit, vel certe vti neſciat. Cauſſas, quibus tanta calamitas orbi Chriſtiano conflata eſt, alibi dedimus. Pertigit ea, ad *Neoſolienſes*, anno MDCLXXIV. VI. Idus Octobris. Atque tunc quidem, quam moderatiſſime *Hungari* ſe geſſerunt, non tam ingenium ſequuti ſuum, quam ductum *Chriſtophori Dallendin de Rohan*, copiarum Gallicarum, quas in ſubſidiis habebant, præfecti. Is enim, quo iuſti ſpeciem belli præ ſe ferret, vrbem, ritu caſtrenſi, vt ſe dederet, per tubicinem, ſerio monuit. Inſederat eam, cum præſidio, haud modico, *Baro Wilhelmus Kuchland*, ſummus vigiliarum præfectus. qui, cum videret, fruſtra vrbis defenſandæ curam a ſe ſuſcipi, in deditionem, ea lege *(t.)* conſenſit, vt cum milite præſidiario, ad Cæſarianorum caſtra, inco-

Quid tumultu Tökölіano *paſſa ſit vrbs Neoſolienſium;*

rei geſtæ hiſtoria.

p.) In Synopſi Chronologiæ Hungaricæ, p. 168. ſequ.
q.) Hiſtoriæ LEOPOLDI M. Lib. III. p. 205. ſeq.
r.) Libro eodem, p. 188.
s.) Viſitur eius domus hodieque, intra macella, & *Granenſem* portam, amœne, quia ad laxum hortum, & in obtutu Collegii S. I. poſita.
t.) Non ergo ciuium perfidia, ſicuti in literas, laudatus nunc WAGNERVS, Hiſt. LEOPOLDI M. Lib. VIII. p. 557. retulit; ſed temporis malignitate coactus, vrbem, hoſtibus tradidit *Kuchlandus.* Eſt enim hoc in virtutibus *Neoſolienſium*, vt malint vltima pati, quam fidem in regem, contemnere.

incolumi ſecedere liceret. quod & ita euenit, ſeruataque ei, præter morem, fides eſt. Hoſtes, vrbe, eum in modum potiti, templa primum, ante luſtrum *Euangelicis* ademta, repetunt; mox & magiſtratus, ex priſtino more, inſtaurant, vt fucum vulgo facerent, libertatis cauſſa, arma ſe corripuiſſe. Gallo poſtea, cum exercitu, vlterius progreſſo, *Stephanus Gétzy*, vrbi, & *Camera montana*, præficitur, haud diutino potiturus imperio. Enim vero, exercitu *Tökölia-no*, non longe poſt, ad *S. Crucis* oppidum, a Cæſarianis, diſiecto partim, partim deleto, *Hungari* præſidiarii, clam diffugiunt; cum interea oppidani, aduentanti exercitui Cæſaris, extra vrbis agros, obuiam procurrunt, clauibus, in deditionis ſignum, traditis. Erant in exercitu duces, *Wurm*, *Dünewald*, *Pálffy*, *Kéry*, aliique. Hi omnes, cum maxima exercitus parte, vrbem intrant, dum refecto milite, hoſtem porro inſequi poſſint. Difficile dictu eſt, quantis malis, hæc iſta viciſſitudo, ciues adflixerit. Miles enim, nupera victoria, iuſto factus licentioſior, nihil non extorquebat miſeris, iniuriam, acerbis dicteriis, cumulans. Accedebat, incendii, & vrbis diripiendæ, metus, ſi quid aduerſi, vti tunc res erant, Cæſarianis eueniſſet. Atque hæc quidem ea tempeſtate acciderunt, vt præludia eſſent, calamitatis proxime ſequuturæ. Peſtilentia nempe, anno MDCLXXIX. late vagata, vrbem quoque noſtram corripuit, ac pene ad ſolitudinem redegit. Acciſæ iam erant Neoſolienſium vires, immo peſſundatæ, cum ſeditione *Tökölíana*, recrudeſcente, hoſtibus, anno MDCLXXXIII. denuo ſuccumbere cogerentur. Capta ex inſidiis *Caſſouia*, & *Filekino* diſiecto, Hungari, Turcis immixti, montanas vrbes inuaſerant, vt haberent, vnde fomenta bello ſubminiſtrarent. Inter primos *Sigismundus Gétzy* fuit, qui vrbem tot malorum experientia fractam, cum velitibus, X. Cal. Octob. ſubiit. Succeſſere mox numeroſiores copiæ, ad prædandum accinctæ, quas *Stephanus Gétzy*, aulæ *Tökölíanæ* præfectus, ductabat. Et quid ageret vrbs miſera, ancipiti periculo circumuenta? Proinde, quatuor millia nummuum argenteorum, *florenos* vocant, homini auidiſſimo, numerat, eaque largitione, deprædationis periculo, ægre defungitur. Reliqua anni pars, in prædis agendis exacta, nouis ſubinde malis, Neoſolienſes implicuit, *Hungaris* hinc, illinc *Turcis*, immigrantibus, neque digredientibus prius, quam ciuibus male habitis, libidini ſuæ litaſſent. Et vix omnino iniuriarum finis fuiſſet, niſi maturo conſilio, *Baro Diepenthal*, legionis germanicæ, quæ *Tökölio* merebat, præfectus, vrbem inſediſſet, eamque ab incurſibus vagabundi, ſine lege, militis, quomodocunque defendiſet. Interea, *Sigismundus Lánoky*, ſummus rei metallicæ, ex *Tökölii* voluntate, præfectus, *Cammergraffium* vulgo dicunt, vel minutiſſima, *Camera*, & vrbis munia, pro lubidine, inſtaurat. Ad hunc modum ſuſque deque ferebantur omnia, non ſacris, non profanis ædibus parcebatur, dum reiecto ab obſidione Viennenſi, Turca, *Tökölíani*, Nonis Nouembribus, fugam denuo capeſſunt, vrbem poſt ſe relinquentes,

tes, iniquiſſime habitam. Succedunt breui poſt Cæſariani, atque *Poloni* in primis, diſciplinæ militaris iuſto negligentiores, magnas & ipſi calamitates daturi, niſi eos, ſummi exercitus Cæſarei dux, *Rabbatha*, Neoſolii hibernans, tempeſtiue coercuiſſet. Ceterum *Tököliani*, turpem, de qua diximus, fugam, vlturi, anno MDCLXXXIV. VIII. ante Idus Aug. hoc eſt, die *Transfigurationi* CHRISTI ſacra, vrbem, ex inſidiis, adoriuntur. Erant tunc in præſidio pedites CCC, quibus *Baro Pfeffershalm*, ſummus vigiliarum, e *Salmenſi* legione, præfectus, imperabat. Quin & virorum, e *Comitatu Zolienſi*, nobilium, plerique in vrbe habebant perfugium. Hi ergo, ſimul atque hoſtem ad vicum *Majorfalva*, per prata, late porrecta, diffundi, & mœnibus imminere, aduerterunt, bipartito agmine, vrbe, per ſuperiorem portam, egreſſi, hoſti ſe obiiciunt. Et *Germanus* quidem miles, portæ aditus opportune inſederat, cum interea *Nobiles*, & qui e ciuium numero, equitibus ſe miſcuerant, duce *Thoma Benitzky*, *Vice-Comite*, pugnam ineunt tumultuariam. Tunc, hoſtium agmen alterum, ex inſidiis erumpens; ad *Rudlouam* enim latuerat; noſtros, partim a tergo adoritur, partim mœnibus adlapſum, aditum ſibi ad portam nititur adaperire. Anceps vtrobique periculum erat. Neque enim exigua, *Nobilium*, ciuiumque manus, gemino hoſtium inſultui, ſuffectura videbatur. Pedites autem *Germani*, tametſi fortiter ſemel iterumque, a mœnibus reiecerint turbam iniquiſſimam; loco tamen moti fuerunt, & ab vrbis aditu, excluſi. Ita ſe res extra vrbem habebat; intus, concurſantium paſſim ciuium metu, atque imbellis multitudinis, conclamatione, trepidabant omnia. Tunc *Pfeffershalmius*, qui in vrbe manſerat, ſuis, ab hoſte circumuentis, opem laturus, grandioris exploſione tormenti, nouæ ſignum eruptionis, dare iubet. Quo audito, hoſtes, lentius iam inſtare, immo retrocedere, occipiunt, forte, vt collectis ordinibus, rem denuo poſſent experiri. Illud, ſaluti oppidanis fuit, quod ſubita procella, imbrem effuderit inuſitatum, qui, & hoſtem ab inſtituto deturbauit, & noſtris, offuſa caligine, tantum opportunitatis ſuffecit, vt vrbem relegere potuerint, propemodum incolumes. Hoſtis interea, ſpe ſua fruſtratus, neque tam virtute *Neoſolienſium*, quam ſingulari numinis ope repreſſus, per noctis ſilentia, abiit, numquam ſub ſignis *Tökölianis*, rediturus. Atque hæc, belli iſtius, apud *Neoſolienſes*, ſcena fuit. Inter damna, quibus tota hac tempeſtate adfecti fuere noſtri, *(u.)* armamentarii iacturam numerant, pro vrbis opibus, egregie inſtructi, ſed varie exinaniti. Quia enim, ab anno MDCLXX. vsque ad annum MDCLXXXV. arcem, in poteſtate habuit miles *Cæſareus*, quidquid neceſſum erat, libere inde promebat; immo, arces proximas, adparatu *Neoſolienſium*, muniebat ſubinde: vt habeant quod repetant, ex arcibus: *Liptſchenſi*,

u.) Sæpius id euenit. Sane, diſerte ISTVANFFYVS, Lib. XVIII. p. m. 333. *Cerebat*, inquit. *tormentis curtulibus, & colubrinis*, TAIFFALVS; *ſed ea*, FERDINANDVS, *e Veteris Zolii, & BISTRICIAE mœnibus, armamentariis, depromi, & in caſtra deuehi, iuſſit.*

Vigleſienſi, & *Aruenſi* potiſſimum, quorſum anno MDCLXXXIV. grandia tormenta, iuſſu *Caraffa*, deuecta fuiſſe, illius ætatis homines, meminerunt.

§. XIII.

Refouetur Neoſolium Leopoldi M. *indulgentia:*

INde, non minus armis victricibus, quam inuſitata LEOPOLDI MAGNI, indulgentia, pacatiora in dies fiebant omnia; id quod *Neoſolienſium* rebus, peropportune accidit. Peſſum enim iuerant, cum fora *hebdomadaria*, ſingulare *Neoſolienſium* beneficium; tum, in primis, mercatus, paſſim, in vicinis oppidis, inſtituti, quorum frequentatio, vnicum pene, ſuſtentandæ multitudinis vrbanæ adminiculum, ſemper habitum fuit. Cuncta ea, breui, quaſi in vitam reuocata, lætiorem vrbi faciem induerunt, paullo poſt, fœdandam denuo. Bello enim *Turcico*, diutino illo & pertinaci, tandem confecto, *Hiſpanico-Gallicum*, exortum eſt: in cuius ſocietatem, adſcitus ab hoſte *Franciſcus Rákótzy*, apud Polonos extorris, Hungariam omnem, dicto celerius, peruaſit. Certe, *Neoſolium*, anno MDCCIII. IX. Cal. Octob. militem eius admittere cogebatur. qui, pro more, duce, *Zábretzkyo* quodam, vrbem in fidem quidem acceperat; ſed mox varie mulctatam, lubidini, vltro citroque commeantium militum, an latronum, permiſit. Periiſſet tunc, procul dubio, vrbs miſera, niſi conſilio, *Iohannis Radvanskii*, viri, antiquæ fidei morisque, ſeruatam vidiſſemus. Nimirum, erat is, ea tempeſtate, *Vice-Comes*, Cæſaris, ſi quis alius, omnino ſtudioſiſſimus; nunc vero, cum nobilitate *Comitatus* reliqua, mœnibus vrbis concluſus. Diripuerat jam *Zábretzkyus*, oppidum & arcem *Liptſchenſem*, cum ii, quos ſors *Neoſolium* conieccerat, ne cum vrbe peſſundarentur, neque tamen fidem in Cæſarem temerarent, ſerio conſultare incipiunt. Atque, vt vi hoſtem reiicerent, cladis *Botſkayanæ* memoria, facile diſſuaſit. Proinde, cedendum neceſſitari exiſtimabant plerique; ſed quomodo id, cum fide Cæſari data, congruere, aut, a rapina hoſtium, vrbem tutam præſtare poſſit, reperiebar nemo: dum interea, hoſtem, proxime ab vrbe abeſſe, crebri adferrent nuncii. Tunc *Radvansky*, cui tutandæ vrbis curam, concluſa intra mœnia, ſummorum imorumque multitudo, iam antea crediderat, nocte concubia, primoribus vrbis non minus, quam *Cameræ Cæſareæ*, & *Comitatus*, quin & *Rectore Collegii S. I.* conuocatis, rationes conſiliorum ſuorum aperit, ſerio, id quod e re putabat, in excuſationem ſui præfatus, ſi conſilium aliter, quam ſperaret, cadere contingeret. Sequuta illico eſt omnium, qui aderant, teſtificatio, nihil ſibi, nihil conſilio ſuo metueret; anceps, quo circumuenti eſſent, periculum, præſentibus remediis, aut depellendum eſſe, aut ſi fieri poſſit, declinandum: ſi quid ſecus, quam optarent, ceciderit, non id conſulenti, ſed rerum malignitati, tribuendum fore. His auditis *Radvanskyus*, veniſſe ſibi in mentem, inquit: *fingerent, vno conſenſu, omnes; pridem ſe ad Rákótzium, ſummum belli ducem, nuncios, cum litteris, clam dimiſiſſe,*

noua vrbis diſpendia, ex tumultu Rákótziano *ſecundo:*

Iohannis Radvanskii, *in vrbe ſeruanda, prouidentia:*

miſiſſe, qui eius tutelæ vrbem commendarent: quo ſimulato, per internuncios, ad Zábreczkyum ſine mora dimittendos, percontarentur ex eo, an non legati Neoſolienſium, quos nuper ad Rákótzium miſerint, in ſuo Comitatu eſſent? vel forte ipſe is ſit, qui tutandæ vrbis cauſſa, ab Rákótzio mitteretur? ſperare ſe, his artibus prohibitum iri, ne vrbem temerare audeat. Mire, cum omnium, tum ſingulorum adplauſu, acceptum eſt, ſagaciſſimi viri, conſilium, datæque extemplo, ad *Zábreczkyum*, litteræ, eiusdem argumenti. Has, vbi accepit, infremuit primum, ſpem prædæ, quam opimam *Neoſolii* ſperabat, eliſam ſibi eſſe; mox blandius affatus nuncios, omnem, tutandæ vrbis curam, promiſit: quippe quam, *Rákótzii* partibus, iam acceſſiſſe, perſuaderi ſibi paſſus fuit. Ita tunc, *Radvanskii* conſilio, ſeruatam vrbem, nos ipſi, probe meminimus; in litteras autem ideo nunc retulimus, vt documento ſit poſteris, plus, ea tempeſtate, viri vnius valuiſſe prudentiam, quam temporibus *Botskayanis*, plurium manipulorum virtutem atque robur. Poſtea, *Rákótzianis*, ad *Lévam*, cæſis, diſſipatisque, adſertam regi ſuo vidimus, quod tamen neque diutinum tunc erat, neque auſpicatum. *Leopoldus* nimirum, *Schlikius*, exercitum Cæſareum, in vrbes montanas, poſt *Levenſem* pugnam, nihil reluctante hoſte, incautius deduxerat, copiarûm parte maxima, intra mœnia *Vetuſolienſium*, collocata. Ipſe, cum ſelecta manu, XVII. Calend. Decemb. *Neoſolium*, victoriæ illic litaturus; nam dies LEOPOLDI nomine inſignis fuit, conceſſit. Tunc *Bertsény*, re, per exploratores cognita, cum immani, atque partem maximam inermi adhuc, multitudine, *Vetuſolium*, obſidione cingit, præſidiarios, procurrere auſos, haud ſine exſtanti clade, reprimit, ſuburbia, vt terrorem incuteret obſeſſis, igni exurit. Vix hoſpitia occupauerat miles, qui cum *Schlikio*, Neoſolium venerat, dum nunciatur, obſeſſum, a *Bertsénio*, Vetuſolium, in milite Cæſariano, inſignem ſtragem editam, iamque ſuburbia fumare, ac, niſi mature obſeſſis ſuccurratur, periculum eſſe, ne eximia illa exercitus pars, ab hoſte intercipiatur. Protracta, in ſeram noctem, fuerunt conſilia, ſubueniendumne ſit laborantibus; an, obſidionis periculo permittendus exercitus, illic relictus? Ad vltimum, iſtud placuit; vt illi fortunam experirentur; *Schlikius* vero, militem, quem ſecum habebat, ex iſtis anguſtiis, maturius eductum, in meliores euentus ſeruaret. Ergo, oppidanis, &c, qui ex nobilitate, huc confugerant, conſultum; *permitterent ſe nunc torrenti*, ſeruarentque CÆSARI fidem, dum vindicari poſſint in optimi regis obſequium. *Schlikius* contra, nocte intempeſta, difficillimo itinere, cum ſuis, *Cremnitzium* eluctatus, vix ſe hoſti inſequenti, ſubduxit. Iſto, Cæſarianorum infortunio, læti *Hungari*, confeſtim *Neoſolium* adcurrunt, rati, fore, vt hoſtem, ſaltem, aliquos eius manipulos, hic offendant, occaſionem illam, ad vrbem expilandam, conuerſuri. Admiſſi in vrbem, & de hoſte ſecuri, commeatus vim, quam poſſunt maximam, extorquent, mox, armis ciues

reliqua vrbis, vt tumultu, calamitates.

exuunt, iis tantum relictis, quæ viritim quisque gereret. Dici nequit, quanti tunc, ex vrbe adparatus, in *Hungarorum* caſtra, commeantibus, ſine ceſſatione, plauſtris, octidui ſpatio, deuecti fuerint. Ita *Neoſolium*, Rákótzio iterum conceſſit, multis poſtea malis, ab hoſpitante illic, *Bertsényi* vxore, diuexatum. a qua ſeruitute, tunc demum vindicatum eſt, cum anno MDCCVIII. III. Nonas Auguſti, *Rákótzius*, ductu *Heiſteri*, ad Trentſinium, fuſus fugatusque, in ſuperiorem *Hungariam*, ſeceſſit. Enim vero, vſi, tam præclara victoria, Cæſariani, tametſi fruſtra obſidione tentauerunt *Vjvarinum*; montanas tamen vrbes, nullo negotio, receperunt. *Leſſelholtzii*, ſummi machinarum caſtrenſium præfecti, ea laus fuit, vt, ſine cæde, ac ſanguine, & hoſtem depulerit, luſtro integro, montanis abutentem, & in Caesaris poteſtatem adſeruerit, vnde fomenta ſeditioni ſuppetebant hucusque. Subiit is *Neoſolienſium* mœnia, anno MDCCVIII. pridie Calend. Nouemb. exercitum, quinque millium, ſecum ducens. quem, quod ex irrito obſidionis labore, atque tempeſtatum iniuria, nimiopere fatigatum videret, toto fere menſe, *Neoſolii*, & vicinis circum arcibus, oppidis atque caſtellis, dislocatum habuit; ſed quanto *Neoſolienſium* incommodo, detrimento, moleſtiaque, dictu difficile eſt. Nulla fuit ædicula, ſed ne *Parochia* quidem, *Scholaque*, quin a pluribus militibus inſederentur: quibus, aut, quod ſatis erat commeatus, præſtandum fuit, aut cum verberum metu, ferenda conuitia. Hunc in modum, tota illa hiems, vehementia frigoris, nulli poſt hominum memoriam ſecunda, extracta eſt, neque calamitatum finis ante factus, quam adtritis penitus *Rákótzianorum* viribus, miles præſidiarius, vrbę deduceretur: quod tum accidit, cum *Hungari*, armis, ex pacificationis *Szathmarienſis* legibus, poſitis, officium facere cœperunt.

§. XIV.

Opportunitates vrbis, ex Tollio *deſcribuntur:*

HActenus vrbis fata fuerunt, a primis exordiis, ad noſtram vsque ætatem, compendio expromta. Opportunitates eius, nemo quod ſciam, Tollio, melius adnotauit, ſcite quidem ac breuiter: *Ipſum*, inquit, *oppidum, ceteris montanis, multo amplius & elegantius, leniterque ad orientem, qua turri venuſta, temploque exornatum, & arce munitum eſt, in cliuum adſurgens; pagique (v.) duo, cum elegantiſſima ſtructura templo, & prætorio, oppido contigui; latiusque ſe expandens, velut oppidi hoc daret honori, fluuius* Grana, *& huic, a ſeptentrionibus ſeſe admiſcens*, Bistriczivm: *atque hæc quidem, vt* Neosolivm *ceteris oppidis montanis, longe præferatur, efficiunt. Sed & frequentia hic maior, adfluentium vndique aduenarum, & celebre commercium; mirabarque, immo potius ſtupebam, cum poſtridie, in rerum venalium*

v.) Per duos pagos, *Radvánium*, & *Királyfalvam*, *Neoſolio*, perpetua fere ædium ſerie connexos, intelligit. Vide Notas ad Epiſt. hanc v. p. 213. nam locus, quem adſcribimus, p. 183. ſeq. legitur.

nalium forum, prodiiſſem, quod ſpatioſiſſimum eſt, vt totum facillime capiat CREMNITZIVM; *iniquo hoc tempore, cum loca vicina bello ſauiſſimo infeſta eſſent, duum & amplius millium ruſticorum, vt taceam ruſticas, me videre confluxum: videre me incredibilem boum equorumque, ex his plurimorum ſilueſtrium ac ferorum, multitudinem; vt, de omnigenis taceam mercibus, quas agrorum vbertas, manuumque labor, cultoribus ſuppeditant. At, hoc nihil eſſe aiebant oppidani, pra illa celebritate, qua patente, per vicina, liberoque mercatoribus acceſſu, pacis tempore, ſingulis iſthic* LVNAE DIEBVS, *in foro hoc hebdomadali, conſpiceretur. Non poteram, ſpecioſiſſimorum, ingentique corporis mole praſtantium boum, adſpectu, ſatiare oculos meos. Quorum nunc quidem, carius pretium erat, quadragenorum admodum, in ſingula paria, imperialium: at ante hac, cum Hungaria, pace & opibus, floreret, quindecim, vigintique imperialibus, venalium. Hinc & inter ceteras merces, notabilis erat tergorum, bubus decerptorum, copia; ſed & hac nihil ad tempora illa meliora. Aedes publica priuataque, forum ambientes, nitida ſunt, & pro ciuium opibus, ſatis ſplendida, ita, vt e veſtigio, ex ipſo earum intuitu, vberem ſodinarum fructum, facile agnoſcas.* Iſta TOLLIVS, quæ data opera adſcripſimus, vt ex hominis exteri, doctique confeſſione, de opportunitate vrbis, conſtaret. Nunc, quæ peregrinatori obſeruata haud ſunt, addemus. Habet *Neoſolium*, templa ſex. Princeps in his eſt, vetuſti illud elegantisque operis, quod arci inædificatum diximus, quodque *templa Neoſolienſium:* *Aſſumtioni B. Virginis Mariæ*, dedicauere, primi eius conditores. De eo eruditi Tyrnauienſes: *(x.) vt cetera*, inquiunt, *miſſa faciamus, cupreis bracteis, mire, ad radios ſolis, relucentibus, tecta eſt, marmore quadrato, complanata, ac organo, vltra ſolitum grandi, artifici & vocali, animata. Intra eadem* (arcis) *ſepta, eſt paruum ſacrarium, in quo Slauonica natio ſacris intereſt. Duo alia ciuitatis ambitu comprehenduntur: horum vnum diuiniſſimo* SPIRITVI; *alterum* S. ELISABETHAE, *Andreæ regis filiæ, dicatum eſt.* Prius illud bipartitum eſt, vt *Germanos*, iuxta & *Slauos*, eodem tempore ſacris operantes, queat accipere. opus recens, & minus ſumtuoſum: quippe, ſuperiore ſeculo ab A. C. ciuibus excitatum. Acceſſit noſtra ætate, *Sodalitii* IESV, domus, cum æde ſacra, D. *Ioſepho* dedicata, vt beneficii memoria, ab Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore, IOSEPHO I. Rege Hungariæ, dum viueret, indulgentiſſimo, accepti, ad poſteros propagaretur. Cum enim auſpiciis & liberalitate LEOPOLDI M. molis fundamenta iacta fuiſſent, certe ſubſtructiones, IOSEPHO rerum potiente, conſummatæ ſunt, tametſi iam tum, ante tumultum Rákótzianum *priorem*, hoc eſt, annum MDCXLV. ſua apud Neoſolienſes, ſedes, *reſidentiam* vocant, *Patribus Soc.* IESV ad- *turres:* tributa fuerit. Turres vrbis, tres ſunt, inæqualibus faſtigiis, ſubſtructæ. Harum venuſtiſſima, in orientali fori margine ſedet, tenui adeo mole ſeſe adtollens, vt ferendis faſtigiis, impar credi poſſit: præter clathratum enim ambulacrum, quo præcincta eſt, tectum fert triplici ven-

x.) Loco ſupra citato.

ventre ſurrectum, atque ære indutum cyprio. Nomen ei officina dedit, *librandis* mercibus, & in primis ferro venundando, deſtinata. Altera, *(y.)* mole multo grandior, arcis portæ impoſita eſt, vbi ingens illud æs campanum, cuius meminimus, ſuſpenſum viſitur. *Tubicinum* hic eſt ſedes, atque *vigilum*. Illi, antiquo ritu, ad ſingularum horarum ſonitum, ſigno, tuba dato, excubiarum ſolertiam interdiu indicant: iſti, per horarum interualla, nocte, clamore incondito, vigilare ſe teſtantur: *Szalaj virafztaj!* ſtentorea vociferatione, ingeminantes. Sæpe, quid ſibi vocabula iſta, oppido corrupta, vellent, ſciſcitatus ſum; neque tamen Oedipum reperi, qui ea mihi explicare potuiſſet: vt debuerim omnino, ab homine peregrino, eorum ſignificationem addiſcere. quam ideo, iuuat heic adſcribere. Ita vero CAROLVS CLVSIVS. *(z.)* *Similem conſuetudinem in nocturnis excubiis agendis obſeruant*, inquit, *Pannones* (BELLONIO, de Turcis, eo loco ſermo fuit,) *vt alta voce ſibi mutuo accinant, & ad vigilandum hortentur, ſubinde hæc verba repetentes:* Szóljál, Szóljál, virraſztó, Szóljál! *hoc eſt*, clama, clama, vigil, clama! *Præfectus autem vigilum, quem* Vigyázó *adpellant, ſi excubiæ ſomno interdum victæ, adclamationem intermittant, admonere, iisdem verbis, ſolet:* Szóljál Virraſztó: *ede vocem vigil! Cum vero ſub auroram, ab excubiis ſe recipiunt, accinere ſolent:* Hajnal vagyon, ſzép piros hajnal, hajnál vagyon! *hoc eſt:* Aurora adeſt, elegans rubensque aurora adeſt: *deinde addunt:* majd meg virrad, hajnal vagyon, ſzép piros hajnal! *id eſt, breui lux erit, aurora adeſt, elegans rubensque aurora!* Hæc de vigilum teſſera. Tertiam vrbis turrim, *Baſilica* arcis, occidentali regione, ſubſtructam habet, omnium quidem altiſſimam, ſed nullo inſigni faſtigio, ornatam. Hanc, a primo conditore, *Turrim Petermanni*, ſeu, *Petermans-Thurn*, dicunt. Porro mercatus vrbis, hebdomadarii illi, & ſingulis diebus *Lunæ* frequentati, cum alias ſemper magna celebritate agantur, tum in primis, illo die *Lunæ*, qui *Epiphanias* proxime excipit, & *Feriarum* Pentecoſtes altera. Sed, fora annua, eo ſunt tenuiora, diebus, *SS. Paulli*, *Stanislai* & *Andreæ*, celebrari ſolita, quo recentiora horum eſſe iura, meminimus. Vniuerſim, *Neoſolium*, locus eſt, vitæ, cum commoditate agendæ, *(a.)* maxime idoneus: ſi aeris vitia exceperis, quæ ex carbonariis, liquatoriisque officinis, trahit, pluuio potiſſimum nubiloue tempore. tunc enim, fumo hinc, illinc, æroſis

vigilum teſſera:

mercatus vrbis hebdomadarii encomium Neoſolii.

y.) Anno MDCCII. noua, turri huic, faſtigia ſunt impoſita, quod vetuſta, ruinam minarentur.

z.) Ad PETRI BELLONII Obſeruationum, Lib. III. cap. XVIII. p. 440.

a.) Hinc plebis *Slauica* prouerbium: *Za xiwa w Biſtricy, a po ſmrti w'nebi.* i. e. votorum ſuorum ſummam eſſe; *floreat ſibi*, NEOSOLII *ſuperſtitibus, mortuis, in* CAELO, *degere.* Carmine patriam hanc ſuam celebrauit, MARTINVS STURTZER, anno MDCLXXIV. ſed quod ſiluiſſe, nullum eſt famæ diſpendium. Eodem in cenſu, & SAMVELIS CORYLI, Thuroczeni, *Delineatio Neoſolii*, verſibus conſcripta, habenda eſt.

ſis halitibus, pulmonibus, & ſanguini nocituris, offuſa ſunt omnia. Quam tamen aeris iniuriam, qui tolerare didicerunt, in effœtam vsque ſenectutem, ferunt, ſine moleſtia, aut detrimento valetudinis: tametſi, rariores iam ſint, ac pene nulli, qui LXX. ætatis annum adtingant; non tam forte aeris, de quo querimur, quam ſuo ipſorum vitio.

§. XV.

AD cultum vrbis, quod adtinet, munditiemque, permultum ea, *Saxonica* habet elegantiæ, & commoditatis. Vici laxi ſunt, ſed non vbique lapidibus ſtrati, quod humus ex ſe petroſa eſt, atque, in vico inferiore potiſſimum, qui partem maximam, rubro marmori, albis paſſim maculis illuſo, ſuperſedit. Pro platearum modo, forum auguſtum eſt, & multitudini accipiendæ, quæ ad mercatus hebdomadibus ſingulis coit, idoneum. Reſpondent eius decori, priuatorum ædes, ſolidi quidem operis, tametſi ritu *Gothico* factæ. Architectonicen puto, veterem illam, & quæ, barbaricis potiſſimum temporibus, valuit. Hoc inter præcipuas vrbis commoditates retuleris, quod non forum modo, & plateæ ſingulæ, fontes, arte factos habeant, vbi ſine ceſſatione, aqua ſaliat, & lacubus capaciſſimis accipiatur; ſed priuatorum etiam ædes, eadem iſta opportunitate, gaudeant. Nimirum, longo tractu, e montium, qui ad ſeptentrionem vergunt, radicibus, per ſubterraneos ductus, ſaluberrimæ aquæ, in vrbem immittuntur, quæ variis locis, tamquam in ciſternas collectæ, in ſingulas vrbis regiones, ita deriuantur, vt domos fere omnes, niſi ſitus decliuior ſit, per tubos ligneos, ſubeant, atque illic, qua maxime neceſſarium eſt, in apricum producantur. Vidi ego vnam eandemque domum, tres huiusmodi ſilanos habuiſſe, ad culinam alterum; alterum ad officinam *cereuiſiariam*; tertium denique ſtabulo proximum, adaquandis iumentis, deſtinatum. Singuli, ita fere facti ſunt, vt lacus e ligno contabulatos habeant. In his, quibus lautior res eſt, piſces, in primis ſaxatiles, & cancros alunt, promuntque, quoties id vſus tulerit. Quod ab his aquæ defluum eſt, cloacis ſubfunditur, vt ſordes euehat. Sed res ea, cellariis ſubinde noxia euadit. Enim vero, aqua, in obturatis ductibus, quod facile accidit, reſtagnante, inundantur cellaria, ſaltem vuida fiunt, ideoque, doliis, & vino ipſi, noxia. Sed hæc, eo fere loco accidunt, qui ex ſe decliuis eſt, & aquæ ſubtus hauriendæ commodus. Memini enim, legiſſe me alicubi, quod, cum Neoſolienſium ædes, regi, an *Gabrieli Bethlenio?* accipiendo, adpararentur, atque eo fine, cellaria quoque pertundi oporteret, operas, in fornicem incidiſſe, longa ætate, obrutum; repertaque iſtic vini dolia, quibus omne lignum putruerit, nobiliſſimo liquore, facta, ex *tartaro*, cruſta, ne diffluueret, cohibito, quod vini non minus, quam cellarii præſtantiam, arguit. Plateæ vr-

Cultus ædium Saxonicus:

aquæ ductus:

bis non tam numero valent, quam ſitu, & copia ædium. In his præcipue ſunt: *Superior*, & *Inferior*. quibus *Balneatoriam* accenſueris, a publico, quod hic exſtabat, balneo, id nominis indeptam. Eſt & *Argenteus* vicus, quem *Slauum* vulgus, fœdo nomine, *Kakatka*, adpellauit, forte, quod tota vrbe ſordidiſſime habeatur. Equidem, *Slauicam* illam adpellationem, a carnificis domicilio, quod antea in iſta platea fuit, manauiſſe, crediderim. *Kat* enim, ea dialecto, carnifex vocatur. Sed *argenteam*, ideo dixerunt, quod domus hic conſtituta fuerat, in qua ſignatum argentum, diſſoluendis operis metallicis, adſeruabatur. Denique, *Granenſis* nominanda eſt, verſus amnis regionem procurrens; neque tam ædibus memorabilis, quam macello, quod hic, bipartito ordine collocatum eſt. Atque, hi quidem vici omnes, a foro exorſi, in totidem portas, ſuis nominibus adpellatas, exeunt. Reliqui, puta; *vicus argenteus inferior*; præterea, angulus, vltra parochiam veterem procurrens; denique, *noua platea*, a ſolis fere lanionibus inſeſſa, tenuiores ſunt, quam vt nominari debeant. Multum præterea ad vrbis opportunitatem accedit, quod ſingulæ fere domus, hortum, vltimæ ædium parti contiguum, habeant, alibi laxius, anguſtius alibi, protenſum, eundemque mœnibus concluſum.

vici, siue platea vrbis.

§. XVI.

A quibus colatur ciuibus:

VRbem adeo opportunam, *Germani*, quod monuimus, & *Slaui*, initio ſuperioris ſeculi, in ſupplementa admiſſi, colunt, numero iam *Saxonibus* potiores. Eſt tamen, præcipua *Germanis* prærogatiua, quam illi, pulchre adhuc tuentur. In his eſt, fori inhabitandi facultas, quæ datur nemini, niſi *Germanico* ſe ſatum ſanguine, docuerit. Hinc *circularium (b.)* ciuium iura, cum candidandi *iudicis* poteſtate coniuncta. Accedit, ius *oenopolii*, ſolis conceſſum, qui in foro degunt. Nam qui vicos habitant, *Germani* ſint, vel *Slaui*, non vendendi tantum vini poteſtate carent; ſed ne domi quidem ſuæ id habere audent, niſi ab his, quorum id intereſt, impetrata facultate. Ceteroquin, nationi vtrique, minus ſubinde conuenit, quam id, eiusdem ciuitatis ſocietas, requirit; mutuas enim inuicem, non raro, ſimultates gerunt, quæ in aperta odia, ſæpius eruperunt. Supra, fontem domeſtici huius mali, digito quaſi indice, notauimus. Nunc, & iſtud ſuccurrit, priſcos illos *Saxones*, qui primi huc immigrauerant, fomitem odii, ſecum, ex *Germania*, adtuliſſe. Quia enim *Vendos*, extra modum exoſam gentem, *Saxonibus* vicinam, immo ſibi paſſim immixtam, habebant; plane rebantur, *Slauos*, ad quos habitatum venerant, eorum propaginem eſſe oportere; quod, & lingua vterentur, pene conſimili; neque minus cederent *Saxonibus*, quam id *Vendis* in more poſitum erat. Inde factum eſt,

Germanorum prærogatiua:

Germanorum & Slauorum diſſidia, & horum fons:

b.) Ita hos adpellant, quibus in foro ſedes eſt, *Ring-Burger*, Germanis, dictos. quod peculiaris, & acceptæ, a priſcis regibus, prærogatiuæ, nomen eſt.

eſt, vt eos, per conuitium, *die Windiſchen*, adpellarint; cum gentili nomine, *Slowakos*, multum diſcretos a *Vendis*, vocare decuiſſet. Ex iſtis initiis, nata odia, & in noſtram vsque ætatem, continuata, reuiuiſcunt ſubinde, cum maxime importunum eſt. quæ, quod homines, ſibi, quam reipublicæ, amiciores, honeſtiſſimo nonnunquam obtentu, (nam ſimulatio, nihil intemeratum relinquit) alunt, & propagant etiam. Ac faciunt illi quidem, quod e re ſuæ factionis, eſſe credunt, in commune tamen peſſime conſulunt. Ceteroquin, mores atque ingenia *Neoſolienſium*, vrbanæ elegantiæ permultum referunt. Nam, & in conuictu affabiles ſunt, & mira, in peregrinos, beneuolentia. In his primores, mercatu vini, atque cereuiſiæ, rem familiarem, ſuſtentant & augent: reliqua ciuium multitudo, opificiis gaudet, egregii ante hac reditus; ſed quos hodie increſcens paſſim operarum multitudo, intercipit. Ingens, *cereuiſiæ Neoſolienſi*, laus eſt, quam a menſe *Martio*, quod eam tunc priſci *Saxones* in primis coquerent, *Martialis*, *(c.)* dicunt. Huius coquendæ, non omnibus, qui ciuitatis iure gaudent, æqua eſt poteſtas. Aedes, paſſim, per forum, & vicos, iſta iam pridem libertate donatæ, definito ſunt numero. Vnam his, in hebdomadas ſingulas, cocturam facere conceſſum: plures non licet, ne reliquis, eodem prouentu viuentibus, fraudi ſint. Atque hoc, qui facere poterunt, ſuntque ad rem intenti, egregie proficiunt. Antea, in vitiis *Neoſolienſium*, luxus cenſebatur, quem, ex iis temporibus, propagatum crediderim, quæ erant, metallorum reditibus, extra modum felicia. Certe, ei compeſcendo, publicas, haud pridem, leges ſancitas, nouimus, quibus, & veſtium luxurioſa licentia, & inſani conuiuiorum, maxime nuptialium, adparatus, circumſcriberentur: niſi forſitan, ſera ſit in fundo parſimonia.

Neoſolienſium ingenia ac mores:

laus cereuiſiæ:

in vitiis Neoſolienſium luxus:

Nil iuuat amiſſo claudere ſepta grege.

Vrbis magiſtratus, acerrimus malefactorum *(d.)* vindex, paſſim celebratur. Huc retuleris, inſigne iuſtitiæ documentum, quod anno MDCLI. die XXV. Octobr. editum eſſe accepimus. *Paullus Weidler*, lapicida, patrem, fatis functum, furti accuſauerat, cuius ipſe, adminiſtrum ſe præbuerit. Datus ideo in vincula, cum cauſſam pro ſe dicere conaretur, capitis damnatus eſt, quod intempeſtiua patris accuſatione, manes fœdaſſet. futuro, ad poſteritatem, documento, pietatem mortuis, non minus, quam viuis parentibus, debitam, nunquam impune violari. Vrbis inſignia, *Oswaldus Plotſchius (e.)* patriæ pro-notarius, in hunc modum deſcripſit: *Inſignia*, inquit, *quatuor ductus rubeos gerunt, albo colori mixtos, qui innuunt quatuor fluuios,*

magiſtratus vrbis:

inſignia.

c.) Duum eſt generum *Cereuiſia* Neoſolienſis. Aliam enim *Veterem* dicunt: quod ſemeſtris fere ætatem tulerit; coquitur hæc menſe *Decembri*, bibiturque vernis menſibus: aliam *Nouam*, eo quod poſt *fermentationem*, recens adhuc, venit.

d.) Aduerſum eſt, patratorum alibi facinorum reos, occulta quadam fatorum vi, ſæpe huc, ad ſupplicium tractos fuiſſe.

e.) In MSC. quod, anno MDCCII. in turris colophone, repertum fuit.

comprehendentes (f.) fines ciuitatis, vtpote GRAN, BISTRITZ, SZENITZ, & VDVRNA. COLOR RVBEVS, *crucem & calamitatem;* ALBVS *ſolatium mitigationis;* ANGELVS *inſignia geſtans, diuinam tutelam, quæ per Angelorum miniſterium piis præſtatur;* FALCONES, *ſagacitatem & perſpicacitatem, in rebus gerendis, denotant.* Ita ille.

§. XVII.

Commoditates exteræ, & agri circumpoſiti, amœnitas.

HVcusque, intra vrbem morabamur, nunc, ad eas opportunitates, progredi fas eſt, quæ extra ſunt. Ager, ſcilicet Neoſolienſium, quantus quantus eſt, poſt vrbis exordia, cæſis, quæ hic inerant, ſiluis, coli cœpit. Amœnus ei ſitus contigit; varie enim in colles adſurgit, qui agris culti frumentariis, haud omnino infœcundis, eleganti ſunt ſpectaculo, quoties adulta iam ſegete, & matura ad meſſem, grauidi exiſtunt. In primis, elegantiæ permultum habet mons, *Vrpin*, trans Granum, vrbi imminens, atque ideo Germanis, *Gran-Berg*, dictus. De eo TOLLIVS *(g.) Cum mons ille, quem vrbi imminere dixi, virore arborum, ab ipſis prælabentis Granæ ripis, in ſummum vsque faſtigium obumbratus, perplaceret, aſcendere eum libuit, quamquam ex hac parte, ſatis præcipitem. Nec pœnituit operæ laborisue: ſiquidem ex eius culmine, in totam, vicinæ vallis, plantiem, proſpectus patuit: nec ipſe mons, licet præcelſus, omnino incultus eſt; verum, qua in orientem & meridiem vergit, decliuior, fruges fert.* Hodie CALVARIA ei inædificata eſt, ſacris, *Romano-Catholicorum*, deambulationibus, tunc maxime celebris, cum mortis DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, memoria recolitur. Qua in ſeptentrionem ſubſidet, palæſtram habet iaculatoriam, montis lateri inſidentem, & vrbi obſitam. Annua hic, ad diem tertiam *Pentecoſtes*, ciuium exercitia, inſtituuntur, præmio qualicunque propoſito: quod ii ferunt, qui ſcopum, glande plumbea, omnium accuratiſſime, tetigerunt. Dici nequit, quanta celebritate ac pompa, ſolemnitas ea, inſtituta olim fuerit. Bouem aliquando Hungaricum, cornubus deauratis, ac ſertis redimitum, inter præmia, conſtitutum vidimus, quem, qui iaculatione lucratus fuit, quaſi in triumpho, in vrbem deduxit, longo commilitonum ordine, inter tubarum & tympanorum clangores, concomitatus. Reliqua, interim, ſpectatorum turba, ludis diſtinebatur lucroſis. At enim vero, cum ſolemnia alia, tum hæc quoque, ſi non interuertit penitus, certe multum iam diminuit, temporum, quæ ſe perpetuo excipit, difficultas. *Vrpino* monti, celſior alter impendet. *Kopa* huic, *Slauico* vocabulo, nomen, quod, fœni aceruum, ſignificat. Glaber is totus eſt, atque ſummo vertice, ſpecu-

f.) Malim, fluuios illos finibus ciuitatis comprehenſos dicere: quippe qui, vltra citraque *Granum*, & amniculos reliquos, procurrunt.

g.) Epiſtola Itineraria v. p. 190. ſeq. Haud ab re monuit nonnemo: VRPIN vocabulum, origine Hungaricum, olim VRPENY fuiſſe pronuociatum; quod, *heri*, vel *domini lucem*, ſeu *decus* ſignificat.

ſpecula inſignis, quam anno MDLXXXII. Turcis regionem incurſantibus, *Neoſolienſes* conſtituerunt, vt excubias agerent, aduerſus vagabundi hoſtis impreſſiones. Proſpectus loci, patentiſſimus eſt, vt hinc *Neoſolium*, *Vetuſolium* illinc, & ſparſi paſſim vici, cerni poſſint, atque obſeruari proficiſcentium agmina. Huc vrbana pubes, primo vere, conſueuit aſcendere, atque muſicis concentibus, implere, circumiecta nemora. Iſtæ, collium erant commoditates. quæ ad vrbem propius ſunt poſita, pratis, hortisue coluntur, non tam ad luxum factis, quam ad vtilitatem. Nam, & arbores, cum varias, tum multi fructus, & olerum diuerſa genera, ſerunt. Horum, quod mirere, non ſicuti alibi, viris, ſed mulieribus, cura mandata eſt. Ipſæ, & humum vertunt, & operas æſtatis reliquas, perficiunt: ſolo arborum plantandarum ſtudio, viris relicto. Fit hinc, vt olitorio adparatu, ceparum item, allii, & cucumerum prouentu, non ſibi modo ſufficiant *Neoſolienſes*, ſed habeant etiam, quod vicinis vrbibus, ſubmittant. Iam & pepones ponunt, profectus, iuxta & ſaporis eximii: vt pumile arborum genus, nuper e Gallia adſcitum, taceamus. quod, & pulchre increſcit, & fert fructus, regione hac, inſuetos olim. Sed tempus eſt, vt valedicamus vrbi, nobis, multis nominibus dilectæ. Nam, & prima, bonarum litterarum, rudimenta, iſtic poſuimus; & poſtea, liberaliter accepti, ſedem fortunarum reperimus indidem; vt ſit omnino, cur ei bene precemur, atque eius felicitatem, noſtram exiſtimemus.

II.

HISTORIA
LIBERAE REGIAE AC MONTANAE CIVITATIS LIBETHENSIS.

SYNOPSIS.

Vrbis origines: eius moles: locus paſſerum impatiens: horum ſupplicia. §. I.

Vrbibus liberis, quando adſcripta: Libethenſium diplomata, & perſcripta his libertates. §. II.

Cenſetur Libetha, *in Corona bonis: mœniis incingitur: firmatur præſidio militari.* §. III.

Metallorum prouentu olim diues: venarum viciſſitudines: eius rei inſigne exemplum: æris minera, ferro, & antimonio, maritata. §. IV.

Aedium habitus: ciuium mores & lingua: vrbis inſignia. §. V.

§. I.

Vrbis origines:

IBETHA, altera *Libera Regia Montana*que vrbs, duobus, in orientem brumalem, milliaribus, *Neoſolio*, intra montes reiecta. Slauis, an Germanis debeat nomen, incertum eſt. Pro Germanis faciunt, qui aliquando *Libetham*, quaſi *Liebe-Öden*, caram acceptamque regibus, ob reditus ex metallis, ſolitudinem, dictam credunt: ſiue, quod intra vaſtas primum ſiluas, a *Saxonibus* metallicis, exſtrui coepta ſit; ſiue, quod in vaſtitatem, a Tartaris, BELA IV. rerum potiente, redacta, id nominis meruerit. Nam, ad eosdem *Saxones*, vrbis natales referimus, quibus ſupra, excitati *Neoſolii* gloriam, vindicauimus. Quidquid vero eius ſit, potius crediderim, ſuum loco fuiſſe nomen, cum primum, a *Saxonibus* metallicis inſeſſus fuit, idemque Slauicum, *Lubietowa*, nomenclatura fere eadem, qua *Lubtſcham*, vicinum, ab occidente oppidum, primi illi incolæ, vocauerunt. Ipſa oppidi moles, exigua eſt; habet tamen aliquid amœnitatis, ex montium circumſidentium obtutu. De loci natura, inde coniicias, quod *(a.)* paſſeres pati nequeat. Aſperitatem aeris aliqui cauſſantur, reuera autem, pabuli inopiam deberent. Carent enim agris *Libethenſes*, ac, ſi quos habent, infœcundi ſunt, & per decliuia montium, paſſim ſuſpenſi. Rem inuſitatam, cum nusquam non patria ſit, ſalaciſſimæ auiculæ, in diſterium verterunt, petulanti ſplene homines. Aiunt, proſcriptos aliquando, ex vrbe paſſeres, quod ſata temerarint; ſed reduces iterum, in ius fuiſſe vocatos, pœna, ſi id patrare auderent in poſterum, ſtatuta, vt, quotquot eorum, in facinore deprehenſi fuerint, præcipites de turri darentur: quo ſupplicio, paſſerum aliquot, adfecti, cum volatu letalem caſum præuertiſſent; totum inde genus deterritum, numquam poſtea ad vrbem, ſibi inuiſam, rediiſſe. Ita homines nugiuenduli. Illud certum eſt, præmiis, antiqua lege, propoſitis, cædem paſſerum, a magiſtratibus vrbis adhuc procurari. Horum decem capita, ſi iuniores ſint, & e nido demti, numo hungarico; ſin autem vetuli, ſingulorum capita, ſingulis numis cenſeri accepimus; vt quotannis, *florenos* plus minus ſex ſeptemue, procurator ſupplicii huius, in pueros, eius rei miniſtros, profundere neceſſum habeat. Olim, in his ſumtibus, *florenos duodecim*, iudici deputatos fuiſſe perhibent; nunc, quatuor admodum, ſummum ſex. Certe, vrbis aer, tantæ eſt ſalubritatis, vt non facile contagium admittat. Ideo, perfugio his fuiſſe, qui peſtilentiam declinabant, meminimus. Quod, montium, quibus circumſidetur vrbs, aſperitati alii, æruginoſis halitibus alii, adtribuunt.

eius moles:

locus, paſſerum impatiens:

horum ſupplicia.

§. II.

a.) Simile quid, de *Botza*, metallico, apud *Liptouienſes*, oppido, obſeruauimus.

§. II.

Vrbibus liberis quando adſcripta:

Liberis vrbibus, ſeculo decimo quarto, accenſam fuiſſe, e diplomatibus, quæ habent *Libethenſes*, didicimus. Ac primo quidem omnium, e villa montana, liberam regiamque vrbem, Lvdovicvs I. eſſe iuſſit. Lvdovicvs, inquit diploma, *Fidelibus ſuis vniuerſis & ſingulis, ad quos præſentium notitia peruenerit, ſalutem & gratiam. Noueritis, quod nos cognoſcentes fructus & profectum de montana,* Lubetha *vocata, ſucceſſiuis temporibus percipere, & habere poterimus. Idcirco ipſam villam* Lubetha *prædictam, in ciuitatem duximus erigendam, dantes & concedentes, eidem ciuitati, hanc libertatis prærogatiuam, vt quicunque homines, omnium regnorum noſtrorum, & etiam partium extranearum quarumcunque, qui fuerint, vel ſint, cauſis tamen honeſtis, qua non concernunt incendia, ſpoliationes, vulgariter,* der Raub *vocatas, & latrociniis maculati, in dicta ciuitate libere poſſint ſtare & permanere; & quod eadem ciuitas, ſub iure & conſuetudine ciuitatis* Schemnitiæ *eſſe debeat perpetuis temporibus, & manere.* reliqua. *Datum in* Zolio, *die Dominico proximo poſt feſtum B. Iacobi, anno Domini* MCCCLXXIX. Hæc tunc Libethenſibus facta fuit acceſſio. quam, ſequuto anno MCCCLXXX. recognouit denuo, Lvdovicvs, dum anno ſibi emortuali, MCCCLXXXII. Idibus Februarii, prorſus confirmaret. *Inſuper*, inquit, *ipſis fidelibus ciuibus noſtris, ex gratia ſpeciali, duximus gratioſe annuendum, vt a modo & deinceps, quemcunque voluerint, inter ſe, pro ipſorum Iudice eligendi habeant facultatem. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes conceſſimus litteras noſtras priuilegiales, pendentis & authentici ſigilli noſtri noui duplicis munimine roboratas. Datum per manus Reuerendiſſimi in Chriſto patris & Domini, Domini* Demetrii, *, miſeratione diuina, Tituli Sanctorum quatuor coronatorum, SS. Romana Eccleſia Presbiteri Cardinalis, gubernatoris S. Strigonienſis Eccleſiæ, loci eiusdem Comitis perpetui, & Aula noſtra Cancellarii, dilecti nobis & fidelis. Anno Dñi MCCC. octogeſimo ſecundo, Tertio Idus Februarias, Regni autem noſtri quadrageſimo primo.* His initiis conſtitit Libethæ eliberatio. Ratam poſtea habuere, ſequuti reges, hanc Lvdovici benignitatem. Ac Maria quidem, patrem æmulatura: *molendinum, macellum, & domum balnealem,* (vti habent verba tabularum,) *ac alias quaslibet vtilitates, olim per Michaelem Stantzorem, Stygeur dictum, ciuibus de facto occupatas ac detentas, de conſenſu & beneplacita voluntate, Sereniſſimæ Principis Dominæ Eliſabetha præmiſſa, genitricis ſua chariſſima, prælatorumque & Baronum ſuorum conſilio præmaturo, fidelibus ciuibus ſuis, & eorum poſteritatibus vniuerſis, perpetuo poſſidendas reſignauit. Buda in Feſto Corporis Chriſti, Anno Eiusdem MCCC. octogeſimo quarto.* Hæc, a Maria profecta ſunt. Sigismvndvs poſtea, immunitate a tributis, vbiuis locorum per Hungariam, a mercatoribus exigi ſolitis, *Libethenſes* donauit, diplomate, *Budæ*, vigilia beatorum *Philippi & Iacobi*, anno MCCCCV. primum edito; poſteaque *Poſonii*, in feſto

Libethenſium *diplomata & perſcripta his libertates.*

feſto B. Virginis *Catharinæ*, anno MCCCCXXXIV. prorſus adfirmato. Recognouit benignitatem hanc, MATTHIAS Coruinus, inque tabulas retulit, anno MCCCCLXV. quas demum, vna cum iis, quæ a SIGISMVNDO profectæ erant, WLADISLAVS Polonus, anno MCCCCXCVI. die decimo quinto Iunii, ratas habuit & acceptas. Perierant, Bohemis hac quoque regione graſſantibus, *Libethenſium* diplomata, quibus eorum iura continebantur peculiaria. In his fuere regum ea tabulæ, quæ decimarum, & lucri Cameræ rationes adtinebant. Ergo, exactis Bohemis, id dedit operam MATTHIAS, vt, Libethenſium hæc damna, repararet. Et decimarum quidem cauſſa, ad *Petrum*, gubernatorem Archiepiſcopatus Strigonienſis, *Poſonio*, anno MCCCCLXXXII. die Dominico, poſt feſtum Aſcenſionis Domini, peculiares dedit litteras; *vt Libethenſes, in omnibus eorum antiquis iuribus, libertatibus & conſuetudinibus, per omnes homines & familiares ſuos, dicatores ſcilicet & exactores decimarum dicta Eccleſiæ Strigonienſis, libere & ſine omni impedimento conſeruari faciat; idque ex diplomatis, quo eos* Sigismundus *donauerat, præſcripto.* Quod autem, ad immunitatem a *Lucro Camera* adtinet, collaudata *Libethenſium*, in Bohemis propulſandis, virtute ac conſtantia, ſolertia item in excolendis metallis; *non populos incolas ac communitatem Libethenſem ſolum; ſed & Iobagiones eorum, in* Zailerdorff *&* Schaiba, *a ſolutione prouentuum lucri Camera regiæ, ſicuti priſci reges, ita ipſe quoque, de nouo, & ex nouo, eximendos duxit in perpetuum, liberandosque. Datum in* Zolio, *in Dominica Ramis Palmarum, anno Domini MCCCC. ſexageſimo quinto.* Hanc vero demum Coruini munificentiam, WLADISLAVS, *Budæ*, anno MCCCCXCV. quarto die menſis Decembris; LVDOVICVS, itidem *Budæ*, anno MDXIX. in Dominica Iudica; denique FERDINANDVS I. *Strigonii*, anno MDXXVI. in feſto *B. Lucia* Virginis, prorſus confirmauerunt. Longum foret, neque congruum cum inſtituto noſtro, ſingula, quæ in vrbico Libethenſium tabulario exſtant, diplomata percenſere. Paucis, plura complectemur. Definiuerat FERDINANDVS I. Libethenſis territorii limites, ne contemerari poſſent a vicinis, iam tum anno MDXXXV. Caueri tamen haud potuit, quin hinc illincue, deraderetur aliquid *Libethenſibus.* Proinde, diſcuſſa, mandato MAXIMILIANI I. anno MDLIX. die ſexto Iulii, prolixa lite, reſtituti tunc fines *Libethenſium* fuere, atque longa poſt ætate, a FERDINANDO III. anno MDCLI. denique, a LEOPOLDO I. anno MDCXCVI. decimo menſis Nouembris die, magna benignitatis teſtificatione, adfirmati. Iſta diplomatum fide conſtant, quæ fide excuſſimus optima.

§. III.

Cenſetur Libetha, *in Corona bonis:*

PRofecto ergo, ſummo, iure, a rege WLADISLAO, inter ea *bona* cenſa *(b.)* fuit LIBETHA, quæ ſunt *Coronæ*, ſiue regis, propria. In his numerantur: *Cremnitzia, Schemnitzia, Biſtritzia, Zólyom,* cum

b.) Vide Decretum eius ſeptimum, Art. III. quo bona Coronæ recenſentur.

cum ceteris ciuitatibus montanis; vbi, quin montanarum vrbium vocabulo, & *Libetha* ſignificetur, nemo facile dubitauerit. Poſtea, Turcarum tyrannide inualeſcente, mœnibus communiri cœpit, vt ab inſultu hoſtium, tuta præſtaretur: Reperio eius rei mentionem, in primo RVDOLPHI *(c.)* decreto: *Oppida, Libetha, & Breznobánya, ſuas ſibi vſurpent operas*, nempe, ad munimenta, ſeu excitanda, ſeu reſarcienda. Præterquam enim, quod leuioris operis muro circumdatum oppidum fuit; medio foro, curiam habet, ad modum caſtri munitam. Hinc, & præſidio firmatam, meminit GABELMANNVS, *(d.)* quod, non vrbem modo, & quæ ad eam pertinuerunt, metallicas operas, ſtrenue defenſarit; ſed auſum etiam ſit progredi ad ſingularem eam pugnam, quæ anno MDLXXXI. Calendis Maii, ad *Carponam* inita fuit. Nam ita laudatus poeta, inſtructam Chriſtianorum aciem, deſcribit:

munitis in cingitur;

firmatur militari præſidio.

Carpona magiſter
Primus erat tuus: hinc ſe TARTZIVS *attulit: inde*
Otia non longum generoſius DOBBÓ *terebat,*
Leua tuum columen: Socio gaudente quaterno,
Ex LVBETHA *equitum doctis rectoribus, vrbe.*

Vbi in margine legitur: *Lubetha eſt ciuitas metallica, in Carpatho, Germanorum colonia.* Carpathum vero, totam eam regionem vocat, quæ continuatis montium iugis, a ſeptentrione, in meridiem, propagatur.

§. IV.

OLim, cum metalla florerent, magni cenſus *Libetha* habebatur: quippe, fructuoſo æris cyprii, & ferri reditu, diues. nam iſta heic eruuntur. Mox, vti ſunt metallorum vices, ad eam inopiam redacta fuit, vt vix alendis ciuibus ſufficeret. Proinde, adſcitis in operarum ſocietatem, *Neoſolienſibus*, pauperiem hodieque, vix toleraturi eſſent, niſi a re ruſtica, vitæ quærerent præſidia. Vix enim alibi, quam apud *Libethenſes*, venæ, ſeu variant, ſeu dehiſcunt magis; vt, quæ nuper ditiſſimæ fuerant, atque exuberantes, opinione celerius, euaneſcant, & inanes fiant. Noui ego præcipuæ dignitatis virum, ante hæc quinque luſtra, & quod excurrit, fato ſuo functum, cuius facultates, metalla *Libethenſia*, ad incitas redegerant. Neque enim, ex re, ante hac ampla ſatis, reſiduum habebat quidquam, præter annulum, aureum illum, & inſigni patrio inſculptum: ita omnia, ſpe faciendi lucri, in fodinam æris voracem, impenderat. Hunc igitur, tamquam vnicum, ſed tenue admodum, paupertatis perfugium, pignori dat, vt operas, exeunte hebdomade, diſſoluere poſſit; ceſſaturus ſcrutari in poſterum, niſi tempeſtiue reſponderint exſpectationi.

Metallorum prouentu diues olim locus;

venarum vicissitudines;

eius rei insigne exemplum.

c.) Anni MDLXXVIII. Art. XXVII.
d.) MONOMACHIAE *Hungaro-Turcicae*, Lib. II. fol. 19. b. de qua infra, ad *Carponam*, fuſius.

Igitur, tantillo ſumtu, inſtructus, Neoſolio, *Libetham* digreditur: hic, cum operas hebdomadæ, ſcrupuloſius examinat, venæ indicium accipit, diuitis & late porrectæ, quæ multiplicato poſtea metallicorum numero, tantum breui fructus reddidit, quod non ſoluendo tantum æri alieno ſufficeret; ſed poſſeſſorem etiam, multis modis, quam ante fuerat, opulentiorem faceret. Iſtud *Libethenſium* metallorum ingenium eſt. cui & hoc addi poteſt, quod æris minera, *ferro* copioſiore, quin & *antimonio* maritata, difficilem habeat liquandi modum, ac ſubinde irritum. quod maximo ſuo damno, ætate noſtra, GEORGIVS GRVNDELIVS *(e.) Med. Doctor*, experiebatur.

§. V.

Aedium habitus:

AEdes *Libethenſium*, quod iam dixi, humiles ſunt pleræque. Lautiores olim publicæ fuerunt, in primis *Germanorum* templum, & curia, quam meminimus, ad caſtelli ritum, in medio vrbis ædificata. Vrbem, geminus amniculus interluit, quorum maiorem *Hutná*; minorem *Vuoáka* dicunt. Ciues, in *Slauorum* mores, ac linguam abierunt, vt pauci iam ſint, qui *Germanica* intelligant. Quæ res, ad decrementa oppidi pertinere creditur, ab his, qui in colendis vrbibus, *Germanorum* ſolertiam, ex æquo exiſtimant. Sane enim, *Libera Regia Montanæque* ciuitatis axioma, non tam cultu fodinarum tuetur iam, quam priſcis illis iuribus, quæ *Saxones*, ab antiquis regibus, acceperunt. Obſeruatum eſt, aquas loci metallicas, ſtrumas ſubinde incolis conciliare. quas qui gerunt, hebetiori ſunt ingenio, & Beoticum quid referentes. Circa vrbem, *(f.)* ſiluis & montibus horrent cuncta, qui varie depreſſis iugis, in frequentes valles ſubſident, riuulis irriguas, & peropportunas officinis metallicis. Vrbis *Inſignia*, imaginem referunt *(g.)* D. CLEMENTIS Pontificis Rom. genibus nixi, complosis item, ritu precantium, manibus: cum clypeo gemino, quorum anterior, area dimidiata, hinc quinque ſtellas refert, illinc tria flumina, poſterior, duobus metallicorum malleis, ex more, diſtinctus eſt. Atque iſtis quidem inſignibus ſigillum vrbis deſignari certum eſt; iam tum A. 1609. ſculptum, cum *σφραγῖδι*: SIGILLVM CIVITATIS DE LVBETHA.

ciuium mores & lingua:

vrbis inſignia.

BRIZ-

e.) Laudem viri huius, melioris, quam felicioris, vide apud TVRIVM, Epiſt. Itiner. v. p. 193. & de fodinis *Libethenſibus*, eadem Epiſt. p. 167.

f.) Notandus hic error Geographorum eſt, *Libetham* monti, cui a *Nuptiis Diaboli* nomen, ſubiicientium, a quo milliaribus Hungaricis IV. abeſſe certum eſt. Vide ZEILLERI Hungariam; ORTELIVM rediuiuum, p. 25. b. VAGNERVM, Delineat. Prouinciarum Pannon. p. 9. & reliquum Geographorum vulgus. cui FRÖLICHIVS, domeſticus ſcriptor, impoſuit.

g.) Confer CEROGRAPHIAM Hungariæ, p. 175. Alii MARIAM MAGDALENAM eſſe autumant, quod iam non diſputamus.

III.

HISTORIA
LIBERAE REGIAEQVE CIVITATIS BRIZNENSIS.
SYNOPSIS.

Denominatio vrbis Briznenſis: *donatur libertate a* Ludouico I. *& regibus ſequutis: refertur in numerum liberarum vrbium.* §. I.

Præmunitur mœnibus: vrbis mala. §. II.

Loci opportunitas: alendæ pecudi commodiſſima. §. III.

Ruſticatio Briznenſium fructuoſa: fortuna hodierna. §. IV.

§. I.

Denominatio vrbis Briznenſis:

BRIZNA, vltima eſt *Proceſſus* huius Libera Regiaque Ciuitas. *Brizno-Bányam* Hungari, cognomine a fodinis ſumto; Slaui *Brezno*; Germani, *die Bries*, voce primitiua, appellant. quam a betulis, hac ora, ante vrbem conditam, frequentibus, originem accepiſſe, perhibent. Vnde & de primis conditoribus opinari liceat. Recedit *Neoſolio*, quatuor milliaribus, ſitu, inter orientem, & aquilonem, medio. Vrbium prima eſt, quam *Granus*, e montium confragoſis vallibus egreſſus, orientali latere, ſubluit. LVDOVICVS I. Anno MCCCLXXX. libertate eam primum donauit. quam ſequuti reges, atque SIGISMVNDVS in primis, MATTHIAS, & FERDINANDVS I. non ratam modo habuerunt, ſed etiam locupletarunt, acceſſionibus haud ſpernendis. Hac illa immunitate fruebatur, ad annum vsque MDCLV. Tunc vero in vrbium *liberarum regiarumque* numero, relata eſt. Nam ita eius anni decretum *(a.)* habet: *Siquidem ſua Maieſtas Sacratiſſima, ex ſpeciali ſua gratia, Ciuitates Késmark, & BREZNO-BÁNYA, antiquis eorundem priuilegiis confirmatis, in numerum & ordinem aliarum Liberarum ac Regiarum ciuitatum Regni Hungariæ recipiendas, aggregandasque duceret: Status quoque & Ordines, pari omnium voto, easdem pro Liberis Regiisque Ciuitatibus acceptantes, in numerum reliquorum Statuum & Ordinum, Liberarumque* Ciuitatum Regni Hungariæ, *partiumque adnexarum, recipiendas ſtatuunt.* Iſta tunc vrbi facta eſt acceſſio.

donatur libertate a Ludouico I. *& regibus ſequutis:*

refertur in numerum liberarum vrbium.

§. II.

ANno MDXXXVIII. *(b.)* mœnibus præmuniri cœpit, turribus, & portis quinque, opportuno loco, poſitis. Alioquin, bellis ciuilibus, quorum damna, toties recoluimus, numquam non

Præmunitur mœnibus:

vrbis mala.

a.) Articulo XXV.

b.) Vide, eiusdem Anni Artic. XXVII.

non adflictæ fuerunt res Briznenſium. Præterea, eſt hoc in malis vrbis, vt crebra eam depaſcant incendia, quæ eo ſunt nocentiora, quo alendis flammis copioſior in vrbe materia eſt. Paucas enim ædes habet, e cæmento factas; pleræque omnes, e trabibus, ritu agreſti, contignatæ ſunt. Aedibus, quæ longo tractu in poſticum protenduntur, horrea & ſtabula connectuntur, frugibus, fœno & ſtramine referta. quæ, vbi ignem conceperunt, momento temporis, late fundunt incendium. Certe, iſto calamitatis genere factum eſt, vt vrbs, in ſolitudinem ſæpius redacta, multum hodieque referat vaſtitatis. Deleta ad eum modum eſt funditus, curia, quæ olim in medio foro ſedebat, opere quadrangulari exſtructa. Reliquus oppidi cultus, tenuis eſt, neque elegantior fere, quam alibi vicorum eſſe conſueuit. Incolæ *Slaui* omnes ſunt, quorum aliqui opificiis, plerique autem omnes, re ruſtica, & vitam tolerant, & quæſtum faciunt, idque eo maiori aſſiduitate, quo iniquius, ager, quem nacti ſunt, cultui reſpondet. Mores his, ex *Slauorum* ingenio, ad ſinceritatem facti, atque eo cum primis laudabiles, quod accipiendis peregrinis, multum, & comitatis impendunt, & officii.

§. III.

Loci opportunitas.

NEſcio, an tota Hungaria locus ſit, qui in curandis ouium gregibus, tantum ponat ſolertiæ, quantum *Briznenſium* oppidum: qua de re ſupra diximus, neque hic non debemus meminiſſe. Concordat enim, cum iſta rei pecuariæ cura, territorii, quod vrbi, quatuor milliarium amplitudine, circumiectum eſt, mira opportunitas. Nimirum, quæ ad oppidum proxime accedunt, agris frumentariis coluntur, infœcundis quidem illis, & larga ſubinde ſtercoratione, ad reddendam, cum fœnore, frugem prouocandis. Marginem *Grani* vtrumque, prata, & quæ inde longius abſunt, arua diſtinguunt. Glabri inde colles adtolluntur, qui ſe poſtea, longius procurrentes, nemoribus induunt. Hinc montes continuantur, paſcuis pratis, & locorum caluitiis, paſſim interſtincti: tanta vndiquaque vaſtitate, quantam vix vnquam, cum gregibus, aut armentis pererrare poterunt. Proinde, iſtis, alendæ pecudis, commoditatibus illecti, æſtiua hic, alibi hiberna, conſtituunt tuguria. Et in æſtiuis quidem, caſeo in primis, & lanæ, dant operam. Vtriusque, præcipua omnino laus eſt. De caſeo, nihil adtinet dicere, quem alibi, atque id ſæpius, commendauimus. De lana monemus conſulto, ſegnius eam viliusque curari: ſiue, quod pecudi adhuc lanigeræ, non ſatis caueatur; ſiue, quod non ita tondeatur, quemadmodum id, panni texendi leges, poſcerent. Iſta, in æſtiuis ſtabulis fiunt, tanto meliore ſucceſſu, quo pabula ſunt lautiora, &, ob montanarum herbarum præſtantiam, longe ſaluberrima. Hiberna ſtabula, ita ſunt facta, vt, & fœno coaceruando, & accipiendæ pecudi, commoda ſint. Decliuioribus ea collibus

alendæ pecudi commodiſſima.

ſiunt,

fiunt, ac fere iis locis, vbi adaquando pecori, ſeu fontes, ſeu riui perennes, ſuppetunt.

§. IV.

ATque iſta ruſticatione, opulentam olim rem ſuam fecerunt *Briznenſes*. Quia enim a luxu, vrbibus aliis familiari, multum abhorrebant, ſuis iſtis opibus, quas hinc rus, illinc pecuarius prouentus, ſuppeditabat, cum vitæ neceſſitates, egregie tolerabant, tum habebant etiam, quod ad vſus futuros reponerent. Nam, ita natura fere comparatum eſt, vt locis auſteris, & ad faciendum lucrum importunis, ii contingant inquilini, qui locorum iniquitatem, quanta quanta ſit, vectigalem ſibi reddere, & in rem ſuam ſciant vertere. Sed iſta felicitate, dudum exciderunt *Briznenſes*, non tam ſua culpa, quam temporum difficultate: anguſta enim re ſunt, priuatim & publice: quippe, ære alieno propemodum obruti. Profecto, quidquid publicorum erat redituum, id fere omne, in alienam poteſtatem conceſſit: vt vſuras, quibus exeduntur, taceamus. Neque tamen, de vrbis flore, deſperauerim, ſi in *Grano* libera eſſet nauigatio, cuius ope, ruſticas ſuas merces, aliorſum deferre, atque eo prouentu, inopiam leuare poſſent miſeri. Difficile eſt enim in *Hungaria*, commerciis deſtituta, ad priſtinum habitum reuocare, quæ ſunt ſemel peſſundata, niſi minimæ etiam occaſiones, ita collocentur, vt lucelli aliquid in commune conferant: quam ego curam, inter primas referri optarim. quod dum fiet, vt bene ſit vrbi; ſaltem, ne ruat in deterius, ex animo precamur.

Ruſticatio Briznenſium fraudoſa:

fortuna bodierna.

SECTIO II.

De Arcibus Proceſſus Superioris.

PROOEMIVM.

PAuciores, montanam hanc regionem, arces inſederunt; ſiue, quod obſeſſa alpibus regio, difficiles ex ſe habeat aditus pylasque; ſiue, quod metallis dediti homines, rem potius curabant antiquitus, vrbesque; quam nidos huiusmodi, per excelſa montium poſitos. Qualeſcunque ſint, iuuabit earum meminiſſe.

I.
ARX NEOSOLIENSIS.

SYNOPSIS.

Arcis Neoſolienſis *habitus: mœnium robur.* §. I.

Prætorium *maius: turris, porta impoſita: foſſa circumducta arci.* §. II.

Media arce Baſilica *ſedet: altera ades ſacra: cœmeterium: puteus laudatiſſimus.* §. III.

Arcis ætas: munitur publico decreto: habuit priſcis temporibus Capitaneos. §. IV.

§. I.

Arcis Neoſolienſis *habitus:*

NEOSOLIENSIS Arx, gemino, & templo, & prætorio, abſoluitur; vt fas ſit exiſtimare, non tam caſtrum exædificare voluiſſe, primos eius conditores, quam præmunire templum, magno ſumtu excitatum. Certe, ex vniuerſæ molis habitu, idem colligas: nam, & ciuitatis mœnibus committitur, &, quidquid ſpatii habet intus, id omne, pro ædium ſacrarum ratione, diſpertitum eſt. Situs eius, in cliuum, ſed lenem illum, adſurgit potius, quam adtollitur, ea vrbis regione, quæ ad ſeptentrionem vergit. Mœnia, quibus incingitur, diuerſi ſunt roboris. Qua enim ad vrbem proſpiciunt, debiliora obſeruauimus; validiſſima contra quæ ea, collibus obüciuntur, vrbi, ab aquilone imminentibus. Grande heic propugnaculum, idque opere ſolidiſſimo, atque ad eam altitudinem excitatum eſt, vt tormentorum ictibus, colles, quos diximus, tutos ab hoſtium inſeſſu, præſtare queat. Huic, a metallicis nomen inditum, quod id, non ſumtu modo ſuo erexerint; ſed defenſarint etiam, cum frequentiores vrbem incolerent, quoties id res poſcebat. Plura hic olim tormenta currulia, per ſuggeſtus diſpoſita fuiſſe meminimus, quæ tamen, nuperum bellum ciuile, abſtulit. In media propugnaculi contabulatione, mola eſt verſatilis, ad obſidionis neceſſitatem facta. Vtrumque munimenti latus, orientem & occidentem proſpiciens, ædes ad habitandum idoneæ, contingunt: quas antea hi inſidebant, qui ſacris, in templo, operabantur: tametſi ædes illæ, vrbis ſint, non Eccleſiæ. Hinc aliud propugnaculum, in occidentem, proſpicit, defenſandæ aduerſus vrbem, arci, fortaſſe erectum. Sub eo iſta leguntur:

mœnium robur.

Gnate Dei! ingrato gratus, qui naſceris orbi,
Commoda des vitæ: charam concede ſalutem;
Hanc etiam Tua maieſtas cuſtodiat vrbem.
Quo tibi perpetuo dicat modulamine grates.

Ac

Ac paullo inferius:

ConCaMeratVs erat sVb sIXtI (h.)
cessIt VbI IngenVI Is pVbLICa sIgna MIrI

Atque iterum:

Mugit horrendo frendens domus iſta boatu,
Saxeus eſt, quisquis non tremefactus abit.

§. II.

AD meridianum ſolem, prætorium maius, quadrato opere adſurgit, cuius feneſtræ in forum partim, partim in vicum vrbis ſuperiorem, proſpiciunt. Tres huius ſunt contignationes. Infima, armamentario deſtinata fuit; mediam, curia occupat, in qua olim ſenatus haberi conſueuerat. Eadem ædificii parte, & tabularium vrbis conſtitutum eſt. Denique, ſumma contabulatio, noſtra ætate, a parocho, *Plebanum* dicunt, incolebatur. Paucis hinc paſſibus, porta arcis abeſt, in vrbis forum, recta ducens. Turris huic inſedit, tam ſolido cæmento, vt multi credant, calcem arenamque, vino fuiſſe ſubactam, vt opus tenacius hæreſceret. Grandi ea mole ſurrigitur, habetque *æs* illud *campanum*, cuius ad vrbem meminimus. Atque hæc quidem ædificia omnia, mœnibus inædificata ſunt, quæ extus, laxa, ad modum piſcinæ, foſſa præcinguntur, aquis, ex iis ductibus, huc corriuatis, qui vrbem vniuerſam, perrepunt: vtili ſane inſtituto; nam, & muros arcis inacceſſos reddunt, & tantum aquarum continent, quantum reſtinguendis incendiis, etiam funeſtiſſimis, ſufficiat. Cum purius habebantur foueæ iſtæ, piſces alebant, ſtagnis familiares, quos iam immiſſa cloacarum illuuies, & ingeſtæ paſſim ſordes, enecauerunt. Hunc in modum, qua ad vrbem proſpicit arx, præmunitur: nam, qua dorſum ſeptentrioni obiectum habet, profunda quidem & illic foſſa, a vicinis collibus dirimitur, ſed non iſta diligentia facta, neque aquoſa.

Prætorium maius:

Turris, porta impoſita:

foſſa circumdata arci.

§. III.

INtus, *Baſilica* eſt, ſupra a nobis deſcripta. Hanc, media arcis area, primi eius molitores, poſuerunt, vt circuiri commode poſſit. Certe, ſacris deambulationibus, ſitus ille per quam opportunus creditur. Et hæc quidem ædes primaria eſt. altera enim, propugnaculo illi adfinis, quod nunc deſcripſimus, ſicuti recentior, ita ſine inſigni cultu facta. Nimirum, receptis, in ciuium ſupplementa, Slauis, quin & ad magiſtratus capeſſendos admiſſis, ſicuti ſuo loco memorauimus, facel-

Media arce Baſilica ſedet:

altera ades ſacra:

h.) Reliqua pars verſus, vetuſtate deraſa eſt. Si coniecturæ locum dare velimus, SIXTVM V. indicari credamus oportet. Erat is, de monte albo Picenus, Ordin. Min. Cardinalis Presbyt. Sedit ab anno MDLXXX, vsque ad annum MDXC.

cellum, quod hic inerat, in eam diductum fuit amplitudinem, qua hodie viſitur, vt iam cœtui, etiam numeroſiori accipiendo, par ſit.

Cœmeterium: Quod ab iſtis ædificiis reſiduum eſt ſpatii, ſepulchris primorum datur: ritu vetere & probo, quo areæ, ſacris ædibus circumſitæ, ſepulturæ corporum humanorum deſtinabantur, *cœmeteria* hinc, vocabulo eccleſiaſtico, dictæ, vt ea re teſtarentur, de ſpe futuræ reſurrectionis. Nos hinc quoque colligimus, arcem noſtram, non tam, vt propugnaculum eſſet, excitatam fuiſſe, quam vt templum ambiretur muro, ad retundendas hoſtium, atque in primis, Tartarorum impreſſiones, ido-

puteus laudatiſſimus. neo. Puteus arcis, proxime ad portam depreſſus, aquis ſcatet, tota vrbe, ſicuti vulgo creditur, ſaluberrimis. Et ſunt omnino limpidiſſimæ, iuxta & frigidiſſimæ. Aquas Martias diceres, quas extra modum alicubi PLINIVS *(i.)* ob has ipſas virtutes, collaudat. Nobis illud videtur admirandum, quod venas incorruptas retineat puteus, cum arcis foſſæ, æqualis fere ſitus, neque longe ſint diſiunctæ, aquis autem oppletæ, corruptis & fœtentibus. Nam, a corporibus, quæ in eadem area ſepeliuntur, nihil vitii aquis communicari poſſe, certum eſt: vt præter rem, ſaluberrimum laticem, faſtidiant, qui eius aquas, ideo detrectant bibere.

§. IV.

Arcis ætas: CEterum, de conditæ arcis ætate, ſupra *(k.)* fuimus ſolliciti. Neque iam habeo, cur aliter ſentiam. Illud tamen certum eſt, antiquiora illa munimenta arcis eſſe, quæ ſeptentrioni obiecta ſunt, quam quibus ab vrbe diſcriminatur. Iſta enim tunc, in hanc, qua ſunt hodie, molem educta fuiſſe credo, dum anno MD. arx, cum vniuerſa vrbe, igne deleta, inſtauraretur denuo. Antea enim, foſſis tantum ac vallis munitam fuiſſe, accepimus. Anno poſtea

munitur publico decreto: MDLXXVIII. Art. XXVII. Neoſolium ſuorum, & Cameræ Cæſareæ, colonorum operis, muniri iuſſum: quod equidem, non ad vrbis tantum; ſed arcis in primis propugnacula, retulerim. Exſtant in vrbico

habuit priſcis temporibus capitaneos. tabulario frequentes litteræ, quibus arcis Neoſolienſis præfecti, ſiue *capitanei*, mandata ad hos in vrbe perſcribebant, qui ſuis iuribus erant obnoxii: atque id quidem longe ante annum MD. Vnde capi argumentum poteſt, non munitæ tantum arcis, ſed præſidii etiam ei impoſiti. Hodie, e ciuibus legi ſolet, qui iſto honoris vocabulo, inſignitur. Huius muneris partes, ſi tranquilla ſint omnia, vix ſunt aliæ, quam vt nundinarum tempore, excubias, in arcis porta, cum certa ciuium manu, agat. Sin vero belli ingruat tempeſtas, caſtrenſi ritu cuncta procurantur: tunc enim, militibus hæc iſtiusmodi cura, mandari ſolet: id quod *Tököliano* tumultu, & nupero *Rákóziano*, factum fuiſſe, ſupra meminimus.

i.) Lib. xxxi cap. iii. *(k.)* In Vrbis deſcriptione, §. vii.

II.

ARX LIPTSCHENSIS.

SYNOPSIS.

Arx Liptſchenſis, *ſitu, & natalibus* Liptſcheiorum *inſignis*: *vſurpatur a Chriſtophoro de Turri*: *repetitur publico decreto.* §. I.

Arcis domini: *moles gemina*: *puteus mire profundus.* §. II.

§. I.

LIPTSCHE, altera *Proceſſus* huius arx eſt, abrupto colli, & quæ huic inſedit, arduæ rupi, inædificata, opere tametſi antiquo, multum tamen, pro eorum temporum ingenio, habentis magnificentiæ. Natales nomenque dederat, inſigni *Liptſcheiorum* familiæ, cuius heredium fuiſſe decreta regni perhibent, licet *Chriſtophori de Thurri*, hominis Styrii auiditas, atcem, cum ditione vniuerſa, diu, iniuria tenuerit; quod & in cauſſa fuit, vt publicis ſanctionibus, hanc, & arces alias, Status & Ordines, repeterent. *Neoſolii* certe, anno MDXLII. hunc in modum decretum fuiſſe legimus: *(l.) Caſtrum vero* LIPTSCHE, *nobilibus cognomento* Liptſchey, *&* Dóczy de Nagy Luche, *fratribus noſtris veteranis, nimirum fidelibus ſubditis Regia Maieſtatis, quibus ſcilicet caſtrum interceptum, ſimul cum priuilegiis, in eodem caſtro interceptis, reſtituatur: id quod propterea in ſeriem Articulorum præſentis conſtitutionis expreſſe poſitum voluimus; quia palam eſt omnibus, quod fratres ipſi noſtri,* Liptſchey *&* Dóczy, *a tempore felicis coronationis Majeſtatis ſuæ, ſuam Majeſtatem omni fidelitate & obedientia, proſequuti ſunt.* Quod vero MARIAE Reginæ nomen, homo cupidiſſimus, vſurpationi tam iniquæ obtendebat, id quoque eliſum voluerunt, üdem Status & Ordines, quemadmodum id ſanctione *(m.)* ſequente, prolixe legitur. Erat reſtituendæ atci, dies *B. Georgii Martyris*, præſtitutus; ſed ſucceſſu, credo, ob hominis peregrini obſtinationem, irrito. Hinc eodem anno, cum *Piſonii*, nouus conuentus, ad diem *Omnium Sanctorum*, ageretur, iteratam voluerunt ſententiam *(n.)* Neoſolienſem, qui conventui illi intererant. *Regia Maieſtas, caſtra*, LIPTSCHE, *Vigleſch & Dobrawina, iuxta conſtitutionem Neoſolienſem, iam tandem reſtituere dignetur, nec patiatur vlterius differri eorum reſtitutionem.* reliqua. Verum, ne hoc quidem decreto profecere quidquam; vt debuerint omnino ite-

Arx Liptſchenſis, *ſitu, & natalibus* Liptſcheiorum *inſignis*:

vſurpatur a Chriſtophoro de Turri:

repetitur publico decreto:

l.) Art. x. Poſſidebatur olim a *Rebemorum* illuuione illa, quæ temporibus *Eliſabethæ* regionem inundauerat. *Gtskra*, poſtea, quum MATTHIAE *Coruino* ſe dediſſet, donatam legas, apud BONFINIVM, Dec. III. Lib. x. p. 330. 47.

m.) Art. XI.

n.) FERD. I. Decret. VI. Anni MDXLII. Art. VI.

iterum iterumque, eius rei mentionem recoquere, Status & Ordines, iis Comitiis, quæ anno MDXLX. *Tyrnauiæ* ſunt celebrata. Verba ſic habent: *Quod Maieſtas Regalis, caſtra: Vigleſch, Dobrawina & Lipsche, prout in omnibus conuentibus prioribus concluſum eſt, iam tandem illis, ad quos pertinent, reſtituat: ne & alii, eiusdem Maieſtatis exemplo, bona aliorum retinere præſumant. (o.)* Tantæ tunc operæ fuit, ius poſtliminii recuperare poſſe.

§. II.

Arcis domini:

Poſt *Liptſcheyos*, & *Dóczyos*, quorum familiæ ante dimidium ſeculi XVII. exſtinctæ ſunt, *Caſparus Trübel*, arce, iure *hypothecario*, *(p.)* potitus eſt. Hunc, vidua *Baronis Liſthii* excepit; donec ad *Veſſelinos*, gentem inclutam, arcis & ditionis, quæ eo pertinuit, translata eſt poſſeſſio; ſed, quæ illis haud diuturna fuit. Namque, *Veſelino*, fatis, ſine iuſto herede, functo, caſtro & dominatione omni, fiſcus regius, potitus eſt: cui, quod hodieque pareat, apud omnes conſtat. Gemina arcis eſt moles, *ſuperior*, & *inferior*.

moles gemina:

puteus mirae profunditatis.

Iſta, accipiendæ familiæ deſtinata, habet aream capacem, & fonte inſtructam ſaliente. Superior, palatiis culta eſt, bifariam diſpertitis, & ad nullam propemodum regulam factis. In his, *Veſſeleniі* habitationes, ſic ſatis commode factas, ſed iam incultu ſqualentes, auide luſtrauimus. Duas is contignationes, oppidum deſpicientes, inſederat, ita commiſſas, vt ex inferiore, machinæ beneficio, in ſuperiorem adtolli potuerint, volentes adſcendere. *Veſſeleniana* inuentum fuiſſe accepimus, mulieris, vltra modum feminæ, vafræ, & hero dominantis. In primis admirationem noſtram aduertit, puteus arcis ſuperioris, per duriſſimam petram, cui arx impoſita eſt, ad eam altitudinem depreſſus, quantam immiſſus lapis grandior, tertia *minutæ* parte, ſiue *ſecundis XX.* graui ſatis lapſu, vix emetiri poterat. Inter incommoda ædificii, merito retuleris, nimiam, quæ arci inædificata eſt, materiam; quod, ſicuti tolerandæ obſidioni importunum; ita, ſi flammis tecta corripi accidat, vniuerſæ moli, extra modum damnoſum eſt. Hæc de arcibus. Iam prætoria Nobilium videamus.

SE-

o.) Art. XLVI. conſ. Anni MDXLVI. Art. XXIX. vbi idem iſtud negotium, vrgetur denuo.

p.) Vide, Anni MDCVIII. Art. XXIII. vbi a Germanis redimenda decernitur: *Concluſum eſt, vt vrces Murány & Lipſche, depoſitis deponendis, e manibus* Germanorum, *& aliorum extraneorum, redimantur.*

SECTIO III.

De Caſtellis Superioris Proceſſus.

PROOEMIVM.

CAſtellorum, haud abundantior regio eſt, quam arcium fuiſſe diximus. Fidebant nimirum, priſci illi, & antiqui moris nobiles, vrbium hoſpitiis, ſi quid trepidi incideret. Non ergo neceſſum ducebant, in regione tuta, caſtella educere, munireque; niſi, aut ſeceſſus, aut rei ruſticæ, gratia. Quæ ſuperant hodieque, ea videamus.

SYNOPSIS.

Radvanenſe *Caſtellum geminum: loco, nomen a gente perantiqua, communicatum: huius origo Polonica: de ea* Okolskii *teſtimonium: quomodo in* Hungariam *ſit delata? fabula de gentis origine: refellitur: fuere* Radvanſzkü, *Comites de Zolio: eorum laus bellica:* Caſtellorum *opportunitates, & aeris incommoda.* §. I.

Mitſinenſe *ſuperius & inferius: huius amœnus poſitus.* §. II.

Dubrauitzenſe, *ruinis fœdum.* §. III.

§. I.

Radvanenſia.

IN Caſtellis, *Radvanyenſia*, primo loco, ſuo quodam iure, nominarim. Duo horum ſunt, *ſuperius* alterum, alterum *inferius*, vtrumque ſede inclutæ gentis *Radvanskyanæ*, inſigne. Et ſuperius quidem, nouis ſubſtructionum acceſſionibus, in eximiam, commodamque habitatu molem, noſtra ætate excreuit, procurante opus, *Iohanne* de *Rádváný*, viro, ſicuti priſci moris tenaci, ita, ad decus antiquæ ſuæ gentis, facto. Neſcio vero, locusne genti, an hæc loco, nomen impertierit? Mihi ita videtur, a *Radvanskiis* ſedi huic ſuæ, quam virtute bellica partam, a regibus acceperunt, adpellationem fuiſſe communicatam. *Radvan* enim, primus gentis conditor, *Polonus* fuit, vir manu fortis, & promptus conſilio, cuius ſingularis virtus, ſub Boleslao *Audace*, iam tum anno MLXII. emicuit. Erat is, tur-

Radvanenſe *caſtellum geminum:*

loco, nomen a gente perantiqua, communicatum:

huius origo Polonica:

turmarum Polonicarum dux, eo bello, quod tunc *Boleslao*, cum Ruſſis interceſſit. De eo Okolsky: *(a.) Cum* Boleslaus Audax, *cum* Roxolanis *bellum proſequerètur, præfectus militiæ, vt vigilanti cura ſecuritati exercitus obueniret, indagatores hoſtium præmiſit, quibus, in præfectum legionis, militem* Rádwan, *adſignauit. Qui, vt commiſſa peragunt, in caſtra hoſtium Ruſſorum inciderunt, qua cum iam euitare impoſſibile foret, vno animo & corde mori cogitarunt. Inuocato igitur numinè Dei, fortiter primi in hoſtem ruunt: fauit fortuna: hoſtis inſperatum militem coniiciens habere ſubſidia, commouetur, turbatur, multitudo confunditur. Riſit poſt Mars in alteram partem, reducunt vires, victores proſternuntur, vexillum belli eripiunt, hinc amiſſo ſigno bellico conſternati, pereunt. Excurrit, fortuna volente* Rádwanvs, *in villam proximam, arripuit vexillum ex Eccleſia, aduolat in hoſtes, cognoſcunt milites ſuum ductorem, reſumunt animum, & cogitanti hoſti, quod nouus exercitus, cum nouo ſigno belli adfuiſſet, fugam diſperſionemque ingeminarunt, atque victoriam eripuerunt. Redux in caſtra* Rádwánvs, *multis ſtipatus captiuis, vexillis, ſpoliis, trophais, in auiternæ gloriæ teſtimonium, vexillum Eccleſiaſticum cum cruce, & media haſta, a* Boleslao Rege, *in nobilitatis inſignè, ſibi, atque poſteris ſuis, recepit, & detulit.* Hæc nobis ſcriptor Polonicus ſuppeditauit.

de ea Okolskii *teſtimonium:*

Rádváni dein poſteri, quos virtus auira, equeſtri ordini, eum in modum adſeruerat, paſſim, per *Poloniam*, *Bohemiam*, *Sileſiam*, atque *Morauiam* ſparſi, nomina, ex varia ditionum, quas obtinuerunt, adpellatione, indipiſcebantur. *(b.)* Tunc vero procliue fuit in *Hungariam*, aliquos, ex gente opulenta & multiplici, accedere; ſiue, vt regibus multarum, ea tempeſtate, palmarum, militarent; ſiue, vt ſub alieno ſole, pro more temporum, ſedes ponerent fortunarum. Certe, ſub Ladislao *Cumano*, *Dionyſius Rádván*, non ea modo pugna *(c.)* qua *Ottocarus*, cum vniuerſo exercitu, deletus eſt; ſed ad lacum etiam *Hood*, apud *Csongrádienſes*, contra Cumanos, præclara bellicæ virtutis documenta, eaque vulneribus inſignia, edidiſſe memoratur, eo *(d.)* diplomate, quo Ladislavs, virtutem *Dionyſii*, remuneratus eſt. Iſti *Radvanskyorum* gentis ortus ſunt, ſicuti antiqui, ita eximia virtute conſpicui. quos, *Sileſiacæ* gentis poſteri, non agnouerunt modo, tanquam ſuos, domeſticis monumentis adducti; ſed inuitarunt etiam *Radvanskyos* noſtros, ad recolenda conſanguinitatis, quæ ſibi mutuo intercedunt, vincula & propagines: id quod ex litteris illuſtris *Bludowsky*, ad *Iohannem Radvansky*, datis, luculenter adparet. Neque eſt, cur inſignia *(e.)* more-

quomodo in Hungariam ſit delata:

a.) *Orbis Polonici Tomo II.* p. 560.

b.) Vide, eodem loco, Okolskvm, atque Iohannem Synapivm; Gymnaſii Lignic. nuper Rect., *Curioſitatum Sileſiacarum*, Tom. I. p. 141. ſeq. & 746.

c.) Bonfinivs. Dec. II. Lib. VIII.

d.) *Datum* id eſt, Anno MCCLXXXVII. regni XVII. *per manus diſcreti viri* Magiſtri Theodori Epiſcopi Tibinenſis *aula Vice-Cancellarii.* Ita exit diploma, vbi equidem, voce, *Tibinenſis*, Cibinienſem, ſeu Tranſyluaniæ innui Epiſcopum, crediderim; niſi quis *Tininienſem* fuiſſe, malit exiſtimare.

e.) Stellæ & Lunæ ſimulacra, quæ retinent hodieque Radvanskii, Poloniam reſetre originem, Okolskivm conſulentibus, plane fit obuium.

moremut diuerſa; (ramum enim, ante hac foliis decorum, iam arenti ſimilem, ſculptorum, an pictorum vitio, *Radvanskij* gerunt:) cum conſtet, apud *Heraldices* magiſtros, vnam eandemque gentem, eodem ſub ſole regeque, diuerſa ſubinde, pro occaſionum varietate, inſignia obtinuiſſe. Quis ergo miretur, nouis ſedibus, nouisque virtutis documentis, noua *Radvanskyos* noſtros, inſignia ſibi peperiſſe? Vt fabulam omnino narrent, qui *Ivan* opilionem, parentem, priſcæ huius familiæ, conſtituunt, atque neſcio, quo læto, nati filii nuntio, apud MATTHIAM *Coruinum*, id meritumaiunt, vt tantum ei regiorſis adtribueret, quantum diurno, cum capellarum grege, itinere, potuerit circummetiri: *Rád Ivan*, quaſi, tanto munere gaudentem *Iuánum*, adpellantes. *fabula de gentis origine, refellitur:*

Enim vero, tribus, ante *Coruinum* ſeculis, gens vetuſta floruit, eſſetque procliue, ex domeſticis eiusdem monumentis condocere, longa, ante *Dionyſium* filium *Gurk*, cuius nunc, & in *Supremorum Comitum* recenſione, meminimus, ætate, & ſago & toga, valuiſſe *Radvanskyos*, fuiſſeque *Comites (f.)* adpellatos. quam prærogatiuam, in poſteros etiam *Dionyſii* propagatam fuiſſe, non vnis litteris conſtat. Dabo fragmentum authenticum, vt fidem dictis adſtruam, quod iſtiusmodi eſt: *Nos Capitulum Eccleſiæ Váczienſis, damus pro memoria. Quod, Martinus, filius Iacobi de Thamolch, ad noſtram perſonalem veniens præſentiam, in perſonis* Dionyſii, *filii* Thomæ, *& Petri, filii eiusdem* Dionyſii, de Radvana, Comitis de Zolyo, *per modum proteſtationis nobis ſignificandum curauit, hunc in modum: Quod Illuſtris Princeps Dominus* Ludouicus *Rex Hungariæ, Dominus noſter, &c. Datum feria quinta proxima poſt Octauas Feſti Beati Michaelis Archangeli, Anno Domini MCCCLXXVI.* Itaque, non *Dionyſius* modo primus, ſed ſuus etiam, ex *Thoma* filio, nepos, *Dionyſius* ſecundus, axiomate *Comitis de Zolyo*, quod de *Supremi Comitis* dignitate accipiendum eſt, emicuit. *Fuere Radvanskii Comites de Zolio:*

Exeunte ſeculo XIV. *Georgius*, & ſub initio ſeculi XV. *Balthaſar*, filius Georgii, editis bello præclaris facinoribus, inclaruere; id quod, cum monumenta alia, tum emortuale illud, quod in æde ſacra *Radvanenſi*, adhuc ſuperat, loquitur. Nempe, triumphantibus ſimiles, depicti ſunt, quos, captiui onuſti catenis, ſupplices venerantur. Eidem tabulæ, vetuſtate exeſæ, hi verſus adſcripti leguntur: *laus eorum militaris:*

Mortales quid fama iuuat? quid gloria? cenſus?
Quid genus? & magni roboris vmbra breuis?
Omnes fata manent, mortis fortuna nec vna;
Adde, quod incerta eſt hora ſuprema necis.

f.) Ita *Nobiles*, opibus & clientelis potentes, quibusque patuit, ad regum aulam acceſſus, olim adpellabantur: cum nobiles, tenuiorum fortunarum alii, tametſi optime de rege & patria meriti, *Seruientes*, hoc eſt, Nobiles ingenui, dicerentur. Hinc nomen officii: *Szolga-Bird*, id eſt, *Seruientium*, ſiue *Nobilium Iudex*. quod monendum erat, ne ſit locus errori, quaſi *Comites* eius ætatis, iidem fuerint, qui ſunt hodie: erant nempe, *Aulæ familiares*, & quibus fas iusque fuit, in Regum comitatu verſari.

Hæc, interſerere iſthic placuit, hiſtoricorum, & diplomatum fide, communita, vt noſtra nobis vota, iterum iterumque liceat promere. Nimirum, ſiue ad illuſtrandam patriæ hiſtoriam, ſiue ad ornandum opus noſtrum, nihil omnino conferri a nobilitate Hungara, potuiſſet exoptatius, quam, ſi ſuæ quisque gentis natales, & huius præclaros actus, quibus bene, de rege, patria, quin & poſteris ſuis, meriti ſunt, nobiſcum communicauiſſet. Intempeſtiua eſt enim eorum verecundia, qui auorum gloriam, ne ſibi apud nouos homines, inuidiam colligant, non modo non producunt in lucem; ſed inuoluunt etiam tenebris. Sicuti enim, qui ſua ſibi virtute, gradum, ad aliquem dignitatis locum, præſtruxerunt, merito laudandi ſunt æſtimandique; ita, non ſunt laude ſua fraudandi, maiores, qui nobis viam ad virtutem præiuerunt; niſi forte ſequi nolimus, fumoſis interim imaginibus ſuperbientes: quod vtrumque, vitio non caret, multis hodie familiari.

Caſtellorum opportunitates, & aeris incommoda.

Ceterum, ad opportunitatem caſtellorum, per multum, ex vrbis *Neoſolienſis* vicinitate, accedit; vt amœnitatem, quam circumſita præſtant pomaria, oppidumque, ſilentio prætereamus. Sed aer, ob ærarias officinas, quæ proxime abſunt, vitio non caret, maxime; ſi *Eurus* adflet æruginoſos halitus. Ita ſe caſtellum habet inferius. At ſuperius, cum pro temporum, quæ fuerunt, ingenio, fere decreuiſſet, nuper, a *Iohanne*, lautiore habitu, reædificatum eſt, iamque a *Georgio Radvanskyo*, maximo natu *Iohannis* filio, colitur: nam *Ladislaus*, ſecundo genitus, inferius caſtellum, cum patre, habitat.

§. II.

Mitſinenſia.

Mitſinenſe *Superius*:

LOngius, ad orientem æſtiuum, trans montes recedunt, *Mitſinenſia* caſtella, *Benitzkyorum* iuribus hereditariis accenſa. Atque illud quidem, quod in *Mitſina Superiori* viſitur, ita factum eſt, vt, & habitari commode queat, & ſatis ad rem ruſticam faciendam habeat opportunitatis. Alterum, *Inferiori Mitſinæ* adſitum, elegantius longe, amœniusque eſt, nuperum *Thomæ Benitzky*, *Vice Comitis* Zolienſis, opus, non ineleganter ſubſtructum. Situs, moli egregie concordat: colli enim impoſita eſt eleganti, & cuius proſpectus, quaqua verſum plurimum amœnitatis ſufficit. In primis decorum faciunt, turrita faſtigia, quæ e longinquo obtutum præbent iucundum, & regioni aſperæ, ac montoſæ, decorum. Conclauia, quæ habet, multum hodiernæ elegantiæ referunt.

& inferius

huius amœnas poſitus.

§. III.

Dubrauitzenſe, *ruinis fœdum.*

FVit, & DVBRAVICENSE caſtellum, poſſeſſio familiæ *Batik*, haud inelegans aliquando; ſed iam vix memorandum, quia ruinis deforme: niſi futuri ſint, qui id priſtino decori reſtituant, & far-

ſartum tectumque conſeruent. Recedit *Neoſolio* in orientem, ad duo fere milliaria, loco poſitum aſpero, ſed pro regionis indole, haud omnino triſti.

SECTIO IV.

De Oppidis Proceſſus Superioris.

PROOEMIVM.

TRia ſunt, poſt totidem Liberas Regiasque Vrbes, ſupra a nobis commemoratas, *Proceſſus* huius, *Oppida*; ſed hæc quoque tenuia, & a vetere illo habitu, quo fuere olim, propemodum deſerta. Memorabimus tamen ſingula, ne quid deſultorie egiſſe credamur.

SYNOPSIS.

Oppidum Rádvány: *eius commoditates: fora: ades ſacræ: erat Turcarum temporibus munimenti loco.* §. I.

Tót-Liptſche, *oppidum priuilegiatum regium: agri qualitas: adpellationis ratio.* §. II

Ponik *oppidi ſitus: agrorum laus: metalla olim coluit: a Turcis magna clade adficitur.* §. III.

§. I.

RÁDVÁNY, oppidum, cum duobus prætoriis, quæ nunc deſcripſimus, *Neoſolio* viciniſſimum, atque ita meridionali eius lateri, ſecundo *Grano*, hæreſcens, vt locorum ignaris, ſuburbium eius credi poſſit. Laxum id eſt, & inquilinorum, qui *Slaui* omnes ſunt, copia, memorabile. Victus his ex opificiis, & tenuiori mercatu. Quas enim merces, ſiue ipſi præparauerunt, ſiue acceperunt aliunde, per vrbes, & circumiecta oppida, circumferunt, quoties id nundinarum opportunitas ſuadere videtur. Quorſum, & domeſtica *Radvanenſium* fora, retuleris, quæ frequentius olim, nunc *Dominica SS. Trinitatis*, & die *B. Virginis Mariæ Natali*, celebrantur. Oppidum, bipartito diuiditur, in *Superius*, & *Inferius*; ſed iſtud, quod ad *Grani*, occidentalem marginem, in longum vicum procurrit, illo copioſius eſt. Aeris incommoda, cum caſtellis meminimus. quæ oppido inferiori, eo ſunt familiariora, quo propius ei carbonariæ officinæ, adſederunt. Illud decori eſt vniuerſo oppido, quod templum habet, colli impoſitum eleuatiori. Aditur

Oppidum Rádvány:

eius commoditates:

fora:

ades ſacræ

tur id longo ordine gradium, qui a collis radicibus, vſque ad templi regionem, lentis paſſibus, adſurgunt. Aedes ipſa, non tam magnifica eſt, quam grandis, ac ſolidi operis; tametſi a longinquo adſpicientibus, auguſtior, quam reuera eſt, adpareat. Hinc Tollivs, *(a.) elegantiſſimæ ſtructuræ templum*, adpellauit. Cryptæ intus ſunt emortuales, gentis *Radvanskyanæ*. Templo, parochia, & ſchola, pro vetere ritu, adiecta, amœno quidem ſitu, ſed profecto, non vndiquaque ſecuro. quod, qui illic habitant, ab oppido abſunt longius, & latrunculorum inſultibus fere expoſiti. Cum Turcæ dominationem ſuam, intra montes iſtos prolatam haberent, propugnaculi vicem præſtabat templum *Radvanenſe*, atque turris eius potiſſimum, ex qua *Vetuſolium* vsque liberrimus, per ſparſos paſſim vicos, proſpectus patebat excubatoribus. Viſuntur hodieque aggerum veſtigia. qui a templo, per cliuum collis, ad *Granum* vsque procurrebant, vallis, & ceſpite, præmuniti, vt hoſtis, ſubitaneas impreſſiones, arcerent. Certe, quæ infra *Radvánium* ſunt, tributaria habebat hoſtis immaniſſimus.

ærat, Turcarum temporibus, munimenti loco.

§. II.

Tót-Liptſche, alterum, iſta regione, oppidum, copioſius olim, quam nunc eſt. Arci ſubſidet cognomini; iuribus tamen vtitur ſuis, ſi vicum eum excipias, qui arci proximus eſt; nam hunc ditioni eius obnoxium accepimus. In diplomatibus, quibus libertatem priuilegiaque ſua, a regibus præſcripta habet, *Oppidum Priuilegiatum*, *Regium taxatum*, vocari certum eſt. Oppidani, tenuiores hodie ſunt, & temporum difficultate, propemodum ad incitas redacti. Pauci eorum opificiis, plures ruſticatione, rem faciunt. Nam ager, qui oppido obtigit, facile, toto iſto *Proceſſu*, ſegetum patientiſſimus eſt. Habet molam, papyro tundendæ factam, fructuoſam eam, & chartæ præſtantia, haud ignobilem. Diſſidet *Neoſolio*, in orientem brumulem, milliari, ſeptentrionali *Grani* latere, poſitum. Sed, neque nominis ratio ſilenda eſt. Dicitur enim Hungaris: *Tót-Liptſche* hoc eſt: *Slauica Liptſcha*, quomodo a Germanis, & Slauis etiam, ſua dialecto, vocitatur; vt a *Német-Liptſche*, ſiue *Liptſche Germanorum*, inſigni, *Comitatus Liptouienſis* oppido, diſcriminaretur. Adpellationem inde arceſſunt, quod a *Slauis* primum habitari, locus iſte cœperit; cum contra ea, *Liptovienſe* oppidum illud, *Saxones* metallici, excitauiſſe perhibeantur. qua de re ſuo loco *(b.)* ex inſtituto.

Tót-Liptſche, *oppidum priuilegiatum regium*:

agri qualitas:

adpellationis ratio.

§. III.

Trraiecto *Grano* amne, trans editos montes, fere ad tertium *Neoſolio* milliare, in ortum ſolis æſtiuum, Ponik, metallicum olim, nec ignobile oppidum, conſedit, poſitu omnino amœniſſi-

Ponik *oppidi ſitus*:

a.) Epiſt. v. Itiner. pag. 184.

b.) Infra, in Hiſtoria Comit. Liptouien. ſis, Parte Special. Memb. II. Sect. I. De Oppido *Liptſcha*. §. I.

niſſimo. Ita enim montibus vndique incingitur, vt ex induſtria collocatos crederes, ad augendam oppidi iucunditatem, cui lauta admodum, & irrigua planitie, ſedes obtigit. Agri frumentarii, per humiles colles diſiecti, laudem habent fœcunditatis. Accedit, ſiluarum & montium vaſtitas, rei pecuariæ opportuna. Iſta loci commoditate factum credo, vt incolæ ruſticari malint, quam, ſiue opificiis victitare, ſiue mercatu. Olim, hic quoque *Saxones* metalla ſcrutatos fuiſſe, apud omnes conſtat. TOLLIVS *(c.)* ferri prouentum, & poſt hunc, *Terram rubram ſigillatam*, quæ ferri mater eſt, adſcripſit *Ponikenſibus*. Nulla hodie metallorum, ſi ferri *mineram* excipias, cultura ſupereſt, poſteaquam ſeculo ſuperiori, Turcæ, ſanguinolenti illi tygrides, facta, per montium calles, impreſſione, oppidum, igni ferroque, vaſtauerunt, incolarum parte maxima, partim cæſa, partim in diram abducta captiuitatem. Ex ſenibus, qui eius cladis meminerunt, accepi, tanta feritate obſæuiſſe hoſtem immaniſſimum, quantam qui non viderunt, veroſimilem vix ſint crediturí. Parata hæc clades fuit *Radvanenſibus*. quos, cum per plagiarios, conſceleratiſſimos agminum ſuorum duces, rebus, ac ſecurirati ſuæ adtendere, accepiſſent, furorem, rabidis animis conceptum, iſthic effuderunt. Alioquin, multæ libertatis olim fuit oppidum. Primo enim, a LADISLAO Cumano, anno MCCLXXII. metas deſignatas acceperat, Comiti *Philippo* tunc collatas, vindicatasque poſtea, eiusdem filiis, *Andreæ, Petro* & *Tumpus*, anno MCCCX. CAROLO I. iam rerum potito: donec *Dauid*, Comes Zolienſis, *Martini de Albens* filius, oppidanos, anno MCCCC. feria ſexta proxima ante *Dominicam Ramis Palmarum*, aliena dominatione exemtos, regique SIGISMVNDO adſertos, ſingulari iure donaret. Ratum id poſtea habuit SIGISMVNDVS anno MCCCCIV. in *Liptſche Zolienſi*, Sabbatho proximo ante feſtum *B. Martini* confeſſoris, planeque adfirmauit *Ponikenſibus*, vt eadem in poſterum libertate fruerentur, qua gaudebant, *ciues, hoſpites, & populi de Korpona*. Quin, & MATTHIAS Coruinus, ac poſt hunc, LVDOVICVS II. RVDOLPHVS, & MATTHIAS II., FERDINANDVS item III. eadem hæc *Ponikenſium* priuilegia, ſuis tabulis confirmarunt: quas ſingulas, longum foret expromere; quando

Nil iuuat amiſſo, claudere ſepta grege.

agrorum laus.

metalla olim coluit.

a Turcis magna clade adficitur.

SECTIO V.

De Vicis Proceſſus Superioris.

NVnc VICI ſuperſunt, *Proceſſui Superiori* adſcripti, quos ideo luſtraſſe iuuat; ſed eo ordine, vt a *Liptouienſium* confinio exorſi, ad *Neoſolium* deſinamus. *Vici Proceſſus Superioris.*

1.) *Mjto*, Hungaris, *Vámosfalva*, extremus illo itine-

a.) Loco cit. p. 166. Vetera priuilegia, *Capri, Flambi* & aliarum *minerarum*, memînerunt, quæ piſca illa ætate iſthic eruebantur.

re, qua *Botzam* verſus, *Liptouia* aditur, vicus: id nominis, a telonio ferens. quod hic, *Briznenſes* conſtitutum habent.

2.) *Walaſzká*, medio infra *Briznam* milliari, Grani ripæ impoſitus, copioſus, & ditioni *Liptschienſi* accenſus.

3.) *Felsö-Lehota*, reducto intra montes, ad ſeptentrionem, poſitu, montano quidem, ſed tamen haud infœcundo. Incolarum copia, tota iſta ora, facile nobiliſſimus: ea propter vicorum, *Superioris Proceſſus* caput dici meruit.

4.) Inde, medio, ad Granum itinere, *Alsó-Lohota* occurrit. Priori, non tam ſitu iniquior, quam cultu exilior. Vterque dominationis *Liptſchenſis*.

5.) Proximus ei, *Lopej* eſt, Grano, ab aquilone adpoſitus, non plane mediocris vicus, idemque adſpectu iucundus, eo, quod templum, cum parochia, colli inſidens habet. Paret iuribus arcis *Liptsche*.

6.) *Predajna* hinc, eodem Grani margine ſedet, ſitu non minus, quam agri, cum fertilitate, tum valſitate, memorabilis. Medium, fluuius interluit, trutarum longe ditiſſimus. quibus opportunitatibus ductus, *Veſelenius Palatinus*, multum iſto receſſu delectabatur, cum ditione *Liptſchenſi* potiretur. Hodie *Radvanskyorum* genti paret.

7.) Altius in ſeptentrionem, ad eundem amniculum, *Ieſzenje*, ſubducitur. Poſitu, in montium radicibus, aſpero quidem, ſed non plane importuno, ad habitandum ruſticandumque.

8.) Modico, infra *Predajnam*, interuallo, *Zámoſztia*, vicus *Radvanskyana* dominationis, ſeſe offert. Hunc vtroque *Grani* latere, varie ſparſi, excipiunt.

9.) *Dubowo*;

10.) *Nemetzká*; olim *Germanorum* colonia.

11.) *Ráſztoka*;

12.) *Brúſzno*;

13.) *Szent András*;

14.) *Mezybrod*;

15.) *Hiadel*; &

16.) *Prieckod*: ampliſſima, fere ſingulis, territoria adſcripta ſunt; ſed quæ montibus horrent: qua vero, in humiles colles deſinunt, ſterileſcunt. parent ditioni *Liptſchenſi*.

17.) *Lutſatin*, exilis, ad *Granum* pagus, partim dominationi *Liptſchenſi*; partim familiæ *Radvanskyanæ*, obnoxius. Hucusque, ad *Granum* amnem, verſabamur, eo transiecto, vltra *Libethenſium* vrbem ſunt:

18.) *Powraznjk*, in diplomatibus, *Sailerdorff*, atque

19.) *Schaiba*, modici, & iniquo ſitu collocati, vici *Libethenſium*. Magnam his, per montes, regionem, primi metatores admenſi ſunt; ſed ita ſterilem, vt vix tantillum agri frumentarii habeant, quantum victui ſufficiat. Incolæ ideo, materiarii ſunt plerique, & opiliones.

20.)

20.) Clementius hinc ſedet, *Dubrawitza*, de cuius prætorio ſupra diximus. Hinc, *Dubrauitzkiorum* gens denominatur. quæ olim *Comitem Camera metallica*, dederat; ſicuti eſt in *Libethenſium* priuilegiis.

21.) Ad eundem amniculum, qui e *Powraznikenſium* montibus deiicitur, *Oræwze*, conſedit, eo memorandus, quod in *Radvanſkyorum* ſit ditione.

22.) Superatis, verſus occidentem, collibus frumentariis partim, partim dumoſis: *Alsó-Mitſinye*, & medio propemodum milliari altius.

23.) *Felsó-Mitſinye*, non inamœno loco poſiti ſunt. Mentionem eorum, in caſtellis habuimus.

24.) *Muoltscha* poſtea eſt, *Benitzkyorum* poſſeſſio, tenuis ea, ſed raparum, quas ferit, egregio prouentu, memorabilis.

25.) *Schalksdorff*, Saxonicus olim vicus, ab incolarum vafritie, qua adhuc pollent, ita dictus. *Slauis*, detorto vocabulo, *Schalkowá* dicitur. Sedet ad orientalem Grani ripam, paretque ditioni *Liptschenſi*. Trans amnem, frequentes iterum vici conſederunt:

26.) *Szelecz*, non tam copia colonorum, quam horum aſſiduitate, notabilis, atque in primis, gentis *Szeleczkyana* ortu, nobilitatus. Subeſt hodie dominio *Liptſchenſi*, ſi prætorium, (*Curiam* vocant,) *Szeleczkyorum*, commodum illud & opimum, excipias.

27.) *Podkonitze*;

28.) *Nemcze*; Saxonibus, *Deutſchendorff*; & deiecto ad Granum ſitu:

29.) *Majorfalva*, ſinguli, ditioni *Liptſchenſi* accenſi. Inde, intra colles recedunt:

30.) *Rudolffsdorff*, Slauis *Rudlowá*;

31.) *Sachſendorff*, hodie *Száſzowá*, viciniſſimi pagi; ſed iſte, illo potior, quod & incolis præſtat, & templum habet, ad eum modum factum, qualem *Neoſolienſium* Baſilicam eſſe diximus.

32.) *Kintzelowá*, intra eosdem colles.

33.) *Koſtfuhrerdorff*, vulgo *Koſtviliarská*, Biſtritza amne irriguus, atque ita dictus, quod eius incolæ, commeatum olim, ad *Vallem Dominorum*, metallicis deuehere conſueuerint. Colonias aliquando *Saxonum* fuiſſe, vicorum nomina loquuntur. Subſunt hi omnes *Neoſolienſium* iuribus.

34.) *S. Iacobus*, Slauis *Swáty-Iakub*, mille propemodum paſſibus altius, eadem valle, Biſtritzæ adpoſitus, idemque bipartito, *Camera metallica*, & vrbi *Neoſolienſi*, adſcriptus.

35.) *Ulmansdorff*, vulgo *Ulmanka*, vicus, a metallicis materiariis, & id genus hominibus, inſeſſus, ac *Neoſolio*, in ſeptentrionem, aduerſo fluuio *Biſtritza*, milliari, intra præcelſos montes, eo itinere ſepoſitus, quod, hinc quidem in *Liptouienſem*, illinc vero, in *Thúrǫczienſem* Comitatum, deducit. Mola, ſcindendæ materiæ, hic non ita pridem excitata eſt, quæ, multum præſtat vtilitatis, fodinarum ſubſtructionibus.

36.)Montes, qui hinc, in ſeptentrionem, & orientem adtolluntur, metallis ſunt diuites, atque adeo, fodinis celebres. Eminet in his, *Vallis Dominorum*, Germanis, *Herren-Grund*, Slauis, *Schpania Dolina*; non ſitu modo, ſed operarum etiam mole, ac prouentu, celebris. Neque enim, ſicuti nomen habet, in depreſſa valle, verum ſitu, intra cacumina montium, quæ vtrinque imminent, altius ſubducto, conſedit. Habet vero ſpeciem oppidi, haud quidem inelegantis, quod ſparſæ paſſim, per montium latera, domus, theatri modum referunt. Silendum haud eſt, inter vicos, ſeu plateas Neoſolienſium, *Vallem* hanc *Dominorum* cenſeri, non ſecus, ac ſi iisdem, cum vrbe, mœnibus concluderetur: iura tamen ſua, non amplius ab vrbano, ſed a metallico magiſtratu petit; eo quod incolæ omnes, metallis eruendis, operam locant. quare, a tributis etiam ſiunt immunes. Sed de fodinis loci, & harum miraculis, alibi dicemus, ex inſtituto. Hinc

37.) *Altgebürg*, Slauis, *Staré hory*, milliari abeſt, altius, in ſeptentrionem, recedentes. Erat olim fodinarum, iſta regione, antiquiſſima, quod & nominis ratio innuit; ſed hodie exhauſta iam, vt vicus, fere torrendo tantum liquandoque æri, ac carbonariæ, ſeruire videatur. *Adnumeratur regiis metallis.*

38.) *Sandberg*, & *Halljahr*, fodinæ ſunt *Neoſolienſium*, aliquando æris diuites: hodie, ob lentas operas, pauci admodum reditus.

39.) *Richtergrund*, gentis *Fiſcherianæ*, patriciæ apud *Neoſolienſes*, fodina, flaua, atque in primis nigricante æris minera, pollens, quæ hodieque, poſt exſtantia intertrimenta, conſtanter, & inſigni cum fructu, a *Ioh. Michaele Fiſchero*, viro, rerum metallicarum peritiſſimo, colitur. Vt iam lignariorum, & carbonarias caſulas, paſſim, per montium iſta iuga & valles, dislocatas, ſileamus. Fodinas certe ideo heic recognoſcere denuo oportuit, vt de earum ſitu conſtare queat. Iam flexo itinere in viciniam *Neoſolienſium* veniamus. Occurrunt hic:

40.) *Tajowo*, ſub iis montium radicibus, qui Comitatum noſtrum a *Thúróczienſi*, diſterminant. Subeſt, partim familiæ *Radvanskyanæ*, partim *Camera*, quæ apud *Neoſolienſes* eſt, metallicæ. Sunt hic officinæ, perpurgando æri deſtinatæ, vulgo *Spleiß-Hütten*, dictæ. Hic nuper, & eæ operæ exerceri cœptæ ſunt, quibus, argentum ab ære diſcriminatur, quod germani, *das Seiger-Werck*, adpellant.

41.) Huic, dextro latere, verſus vrbem, *Skubin* conſedit, *Radvanskyorum* tenue heredíolum; ſiniſtrum, trans collem, latus,

42.) *Rietschka*, modicus omnino vicus, occupat, *Camera* adſcriptus *Neoſolienſi*; eo tamen admirandus, quod cum aſperrimis montibus ſubſedit, fructuum exquiſitiſſimorum feraciſſimus ſit. In his *ceraſorum*, præſtantiſſimum illud genus cenſueris; quod inſititium, & a colore, nigrum vocant, non mole tantum, ſed carnis etiam ſoliditate, ſubactoque ſapore, *Carponenſibus* præferendum. Neque facile arborem, alioquin primo ſtatim vere efflorescentem, frigus adurit: quod

quod ego ſitui acceptum fero, qui montium iugis, a ſeptentrione præmunitur, ſoli meridiano totus patet. Matureſcunt adulto ſæpe *Auguſto*.

43.) *Podlawicze*, priori vicinus, eoque copioſior, ſed nullo ordine, ſparſus. Dirimitur ab vrbe, humili, eoque frumentario colle. cetera *Camera* obnoxius.

44.) *Szenicze*, viculus familiæ *Gerhard*,

45.) *Malachou*, ad pedem eius montis, qui ad *Cremnitzienſes* iter habet, paſſibus circiter mille, *Radvanio*, in valle iniqua, ſepoſitus. Paret dominationi *Radvanskyorum*.

46.) *Prſſani*, altius eodem monte, ſed aprico magis ad meridiem ſitu, collocatus. Hereditas *Rakowskyorum*.

47.) *Körmötzke*, Slauis, *Kremnitska*, depreſſiore, verſus *Granum*, poſitu. Figulorum officinam diceres, ita iſthoc opificio incolæ delectantur, *Rakowskyorum* & ipſe, iuribus hereditariis obnoxius: hodie tamen, vterque *Radvanskyis* potiſſimum ſubeſt.

48.) *Felsö-Rakitócz*;

49.) *Alsö-Rokitócz*, exiles viculi, a *Zolnaiis* poſſeſſi. Aduerſa *Grani* ripa ſunt:

50.) *Felsö-Petöfalva*, &

51.) *Alsö-Petöfalva*, ita coniuncti vici, vt vno etiam *Illyésfalva* nomine, vulgo adpellentur, Slauis, *Eliaschowo:* quod aliquando, huius nominis domino, ſicuti credere fas eſt, paruerit. Totus *curiali* immunitate gaudet, partita, inter familias *Gerhard*, & *Bohusch*, poſſeſſione, quibus ſua hic ſunt prætoria. *Bohuſſiis* hinc, de *Petöfalva* nomen. Ager vici amplior eſt, fructuoſiorque, quam pro eius paruitate.

52.) Denique, *Farkasfalva*, eadem *Grani* ripa, longo ædium tractu, ſed iniquius, conſedit: quippe, vndis increſcentibus, expoſitus. Habet curias variorum nobilium, inter quos & vici poſſeſſio diſpertita eſt. Traiectus *Grani*, qui hic ponte iungitur, caueis impoſito, toto propemodum Comitatu, frequentiſſimus eſt. Hucusque de *Proceſſu Superiori*. Nunc porro pergamus.

MEMBRVM II.

De Proceſſu Inferiori.

PROOEMIVM.

NOmen PROCESSVI, ex defluentis *Grani* habitu, ſitus impertiuit: quippe qui, inferiorem Comitatus oram occupat. Præter vicos numeroſiores, duas, *Liberas Regiasque Vrbes*, Arces item, Oppida & Caſtella, ſolito frequentiora, habet. Quo circa, ſingula, eo luſtraturi ſumus adcuratius, quo magis noſtra intereſſe videtur, ne, cum alibi diligentiam, quam potuimus, maximam, adhibuerimus, in patrio hoc noſtro ſolo, verſati ſegnius, accuſemur mentis ingratæ. Vrbes vero ante omnia; poſtea Arces & Caſtella; denique, Oppida & vicos, cum cura deſignabimus.

SECTIO I.

De Liberis Regiisque Vrbibus Proceſſus Inferioris.

PRroceſſus Inferioris, quem emetiri animus eſt, duæ ſunt, quod diximus, Liberæ Regiæque Vrbes, VETVSOLIVM, atque CARPONA. Dabimus vtriusque hiſtoriam, quam licuerit, elaboratiſſimam.

I.

HISTORIA LIBERAE REGIAEQVE CIVITATIS VETVSOLIENSIS.

SYNOPSIS.

VETVSOLIVM, *Comitatus metropolis:* TOLLII, *de ea, mentio:* *origo* Slauica: *poſtea* Saxonum *incolatu valuit.* §. I. *Vr-*

Vrbis antiquitas: aguntur in ea Comitia Polonica. §. II.

Fata ſub Eliſabetha, *Alberti vidua: poſſidetur a* Giskra, *Bohemorum duce: belli, aduerſus Vladislaum, ſedes: tenetur a Bohemo, ſub Ladislao poſthumo: capitur a* Iohanne *Coruino: a* Mathia, *Giskra donatur.* §. III.

Giskra *mortuo, ſedem præbet Coruino: poſſidetur ab eius filio* Iohanne: *vſurpatur, per* Chriſtophorum a Thurri. §. IV.

Recentiora vrbis fata: ſub Botskaiano tumultu: Bethlenianis motibus, Corona Hungarica hoſpitium præbuit: cedit Georgio Rákótzio: capitur a Tökölio, ſequuta inde conuerſiones. §. V.

Calamitatum, quas tumultu ſecundo Rákótziano pertulit, hiſtoria. §. VI.

Exuritur a fugitiuis Rákótzianis. §. VII.

Liberis Regiisque Vrbibus, quando accenſa? priſci incolæ Germani, quos poſtliminio, Slaui & Hungari, excepere. §. VIII.

§. I.

ETVSOLIVM, princeps Comitatus vrbs eſt, ipſo vocabulo, vetuſtatis quidpiam præ ſe ferens. Nominis rationem, ſupra excuſſimus, quam hic repetere nihil adtinet. Vrbs ipſa; exigua eſt, ſed amœno tamen poſitu, exædificata, muroque incincta, non tam obſidioni ferendæ, quam arcendis hoſtium adſultibus, idoneo. TOLLIVS, *tenue oppidulum* vocat, cuius tamen ſibi memoriam, ob viſum illic aptatumque digito annulum, ex auro ἐνώτῳ triplici orbe contortum, tum & particulam iſtius auri dono datam, longe ſemper fore gratiſſimam, ſcribit. Loci originem, ad *Slauos Sarmatasue* retulimus. Et ita omnino, non vocabuli tantum ſignificatio ſuadet; ſed etiam ratio priſcorum temporum, quibus hic *Iazygum Sarmatarum* natio, inſidebat. Atque, iſtud de primis vrbis incunabulis, accipi volumus. Poſteaquam enim *Hungari*, regione potirentur, *Saxonum* auctam fuiſſe coloniis, certum eſt. a quibus & germanicum nomen, *Altſöhl*, quemadmodum ſupra notauimus, manauit. Seculo profecto ſuperiore, multos ciuium Germanos iſtic fuiſſe, ex ſenum traditione, accepimus, *(a.)* qui olim non minori cura, quam ſeu *Neoſolienſes*, ſeu *Libethenſes*, metal-

Vetuſolium *Comitatus metropolis.*

Tollii, *de eo, mentio:*

origo Slauica:

poſtea, Saxonum *inolatu valuit.*

a.) Eſt in manibus noſtris, vetuſtus liber, in quem, manus priuata, actus ſenatus plures, Germanice adminiſtratos, retulit.

metalla eruebant; vt ideo, montanæ vrbis nomen, ſubinde *Vetuſolio* adtributum legamus.

§. II.

Vrbis antiquitas:

QVidquid eius ſit, *Neoſolio* certe, longa annorum ſerie, antiquius eſſe, multoque, priſca ætate, exſtitiſſe celebrius, non vno argumento, conſtat. Præterquam enim, quod reges ſubinde acceperit hoſpites; comitiis profecto *Poloniæ* optimatum, iam tum, anno MCCCLXXVIII. inclaruit, quæ huc LVDOVICVS I. indixerat, vt rebus Polonorum conſuleret. LVDOVICVS, inquit, PETRVS *de* RÉVA, *(b.) cum a Polonis, conſtituendæ reipublicæ gratia ſollicitaretur, quod auram Polonicam ſe ferre poſſe recuſaret, Polonis*, BVDAM *comitia indixit, vbi in frequenti eorum conuentu, licet extra regnum ſuum difficulter pedem extuliſſent, Triumuiri conſtituti, qui in abſentia Regis, regnum adminiſtrarent. quorum vnus* VLADISLAVS *Opulenſis dux, paullo ſupra nominatus, fuit, quod non longe ante mortem contigit: cui poſtea, vicinior Polonis, comitia* ZOLIVM *indicit: vbi ſucceſſorem filiam (c.) ſuam in regno Poloniæ deſignat.* Satis ad vrbis celebritatem, quod gens campeſtribus, iisque domeſticis, adſueta comitiis, huc accedere, atque de ſumma rerum ſtatuere, nihil dubitauerit.

eguntur in ea comitia Polonica.

§. III.

Fata, ſub Eliſabetha, *Alberti vidua:*

POſtea, ALBERTO *Auſtriaco* mortuo, cum *Eliſabetha* vidua, LADISLAI poſthumi iuribus ſeruiens, Bohemorum auxiliis, aduerſus VLADISLAVM *Polonum*, bellum traheret, *Vetuſolium*, impoſito præſidio, muniendum exiſtimauit. Duplex inſtituti fuit ratio; partim, vt inde, vrbibus montanis imperitaret, & reditus, qui ex metallis fiebant haud exigui, in poteſtate haberet; partim, vt quoties vellet, regionem circumiectam, ſine exſtanti ſuorum iactura, poſſet inceſſere. Et ita omnino euenit. Bohemi enim, occaſione tam opportuna vſi, & vrbes montanas continebant in obſequio, & vicinam regionem, quoties lubido erat, late depopulabantur, ſubinde, ad ſuum iſtud perfugium, reuerſi. Hoc vero in cauſſa fuit, cur BONFINIVS, *aſylum latronum*, adpellauerit vrbem noſtram. Sed rem, ſcriptorum teſtimoniis præmuniamus. Et de *Vetuſolio* quidem, Giskræ, ab *Eliſabetha*, tradito, hunc in modum BONFINIVS: *(d.)* ELISABETHA inquit, *regina*, GISKRAE, Bohemo nobili, BRANDORVM *genere nato, viro impigro ac forti, aſſiduoque bello exercitatiſſimo*[e], *alioquin plus æquo cupido obnoxioque rapinis*, Zolium, *oppidum regale, cum appendicibus, ſecundum Alberti regis obitum, dono dederat. Adiecerat quoque huic*, CASSOVIAE *vrbis, montanæque prouinciæ præfecturam, vt hominem*

poſſidetur a Giskra Bohemorum *duce:*

b.) Centuria IV. *Corona Hung.* p. 25. Conf. *Synopſin* nouæ Chronologiæ. Part. II. p. 44. & CROMERVM, de Rebus Polonicis, Lib. XIII. p. 229. A.

c.) Erat ea HEDVIGIS, *Wladislao Iagelloni*, poſteaquam regnum auſpicata fuiſſet, deſponſata, videſis CROMERVM Lib. XIV.

d.) Decad. III. Lib. IV. p. 426. 29. ſeq.

nem quem conſilio, armis & auctoritate, haud parum in Bohemia poſſe nouerat, hiſce ſibi officiis, obligaret, eoque vehementius, in pupilli ſui tutelam, obſtringeret. Proinde, ſub ipſa ſtatim interregni initia, *Zolium, Giskra* traditum eſt, qui id, ſicuti fas eſt credere, operibus idoneis muniuit. Certe, cum aperto iam Marte, rem, aduerſus VLADISLAVM, gereret, ſedem hic exercitus ſui, non minus, quam ad Caſſouiam, conſtituit, multasque paſſim clades, edidit. Iterum BONFINIVS: *(e.) Duplici rex bello, vel formidoloſiſſimo, vexabatur; Turca in Myſia ac Dacia, multa molitur;* GISKRA, *cum ceteris Bohemis, quos regina ad* ZÓLYOM, *& Caſſouiam collocauerat, regnum late diripit, vaſtatque.* Atque, iſtud quidem perfugium, Bohemo, eo accidit opportunius, quod & neruum belli gerendi, hoc eſt, rem monetariam Cremnitzienſium, in manibus habuit, & quoties neceſſum erat, noua, ex Bohemia ſupplementa, potuit arceſſere, facile per montium latebras, huc deducenda: quod & BONFINIVS *(f.)* adnotauit: *Ne minus quidem* GISKRA, *quid alii contra molirentur, ignorabat, Cremnitzia vectigalibus adiutus, vbi numismata, ſub poſthumi titulo, ac nomine cudebantur, nouos e Bohemia milites, plane conduxerat.* Iſtis autem rebus fiebat, vt, tametſi poſt Varnenſem cladem, LADISLAVS poſthumus, regno potiretur, tamen, *Zolii* poſſeſſione, haud decederet Bohemus: quippe, latrociniis hucusque, ex animi ſententia ſuccedentibus, ferocior factus: donec, poſt *Loſontzienſem* pugnam, qua *Iohannem Coruinum* fugauerat, virtute eiusdem *Coruini*, auidiſſimo rapinarum homini, e manibus elideretur. Enimuero, Coruinus, redintegrato exercitu, ad *Zolium*, *repente profectus, malorum omnium officinam, aſylumque latronum, ciuitatem continuo ſuccendit, arcem armis, commeatibus, præſidio, bellicisque machinis, communiuit:* verba ſunt BONFINII *(g.)* Sed ne ſic quidem malorum finis, quin haberet MATTHIAS *Coruinus*, quod cum *Giskra*, Zolii domino, an tyranno? actitaret. *Nemo tanti fuit*, inquit BONFINIVS *(h.) qui funeſtam gentem exſtirpare, & hac regnum labe, prater* MATTHIAM, *purgare potuiſſet.* Et paullo ante: *Huiusce mali* ELISABETHAM, LADISLAI *regis matrem, cauſſam fuiſſe ferunt. Hac prima,* GISKRAM *ac Telephum, introduxerat, quos Caſſouiæ,* ZÓLIO, *multis quoque oppidis, in Hungaria vlteriore, præfecerat.* Ac poſtea: *In horum manu, Sóvárum, Szétſum, Caſſouia,* ZÓLIVM, *Biſtricia, Scepuſium, multa quoque alia oppida fuerant.* Nempe, toto quinquennio protractum bellum, tum demum finitum eſt, quum *Giszkra*, victis diſſipatisque ſociis, MATTHIAE ſe dedidit, ab eo, *Liptscha* & *Zólio*, donatus. Nam ita BONFINIVS, *(i.)* verba MATTHIAE, quibus Giszkram adfatus eſt, recitat: *Quod noſtra, ſine bello reddideris; quod nihil vltra negotii faceſſere decreueris; quod liberalitate potius, quam acie agendum eſſe cenſueris; hac in primis a Matthia tuo, nunc habeto: Lippam (* lege Liptscham) *& Zólyom oppidum.*

belli, aduerſus Vladislaum *ſedes:*

Tenetur a Bohemo, ſub Ladislao *poſthumo:*

capitur a Iohanne *Coruino:*

a Matthia, Giskra *dono datur.*

e.) Decad. III. Lib. V. p. 435, 7.
f.) Ibid. p. 436.
g.) Decad. III. Lib. VII. p. 478, 13.
h.) Decad. III. Lib. IX. p. 524.
i.) Decad. III. Lib. X. p. 530, 47.

pidum, tibi recipito: honeſtiſſima te, cum proceribus Hungariæ adfinitate, coniugari tolerato: commodiſſimamque mecum militiam gerito. Atque, eum in modum, vrbis *Zolienſis*, quam inique vſurpauerat hucusque, poſſeſſio, *Giszkræ* confirmata eſt.

§. IV.

Giszkra *mortuo, ſedem præbet Corui-no:*

GIszkra, ſine herede, quemadmodum opinor, e viuis excedente, rediit ad MATTHIAM *Coruinum*, vrbis poſſeſſio. quæ ei eo euenit gratior, quo magis huius oræ venatibus delectabatur. Multum ea res, ad augendam oppidi celebritatem, profuit. Frequenti enim regis, apud *Vetuſolienſes* hoſpitio, factum eſt, vt non vrbs modo, ſuperiori bello, in cineres redacta, elegantior adſurgeret: ſed multi etiam ex optimatibus, & quorum regem ſequi intererat, ſuas hic ædes, habere inciperent. MATTHIA fatis functo, manſit in poteſtate *Iohannis Coruini*, qui viuo adhuc parente, *Liptouienſium Dux*, atque *Zolii Comes*, ſalutatus fuit. quam ille dominationem, a ſpe regni deturbatus, quam diu tenuerit, non habeo dicere. Illud certum eſt, inter eas ditiones, *Coruino*, anno MDII. mortuo, relatam iterum fuiſſe vrbem, arcemque Vetuſolienſem, quas *Bona Coronæ*, dicere moris eſt. Poſtea, in obſcuro ſunt, vrbis *Vetuſolienſis* fata, vsque ad FERDINANDI I. tempora, cuius partes ſequuta eſt, tum quoque, cum maxime res eius, diuerſis optimatum ſtudiis, nutare videbantur. Tunc vero, MARIAE reginæ viduæ, cum reditibus, traditam, & ab exteris, non ſine Hungarorum exſtanti iniuria, inſeſſam fuiſſe, publica regni decreta *(k.)* loquuntur. In his, *Chriſtophorus a Turri* fuit, natione Styrus, qui præfectura *Zouenſi* haud contentus, vicinas arces: *Liptsche*, *Vigles* & *Dobroniua*, rapuerat, reginæ quidem nomine; reuera autem, vt rem augeret ſuam. Cuius ſucceſſoribus, regis iuxta, & regni auctoritate depulſis, regio ſubinde præſidio, quod infra dicemus, communiebatur.

poſſidetur ab eius filio Iohanne:

vſurpatur per Chriſtophorum *a Turri.*

§. V.

Recentiora vrbis fata:

HAEC *Zolienſium* vrbis fata, hiſtoriarum monumentis tradita, legimus; antiquiora ea, & remota a noſtra memoria; at, multo profecto mitiora iis, quæ, propius ad noſtram ætatem, euenerunt. Nam, anno quidem MDCV. a Botskayanæ factionis Haydonibus, duce *Franciſco Rédeyo*, & *Valentino Homonnay*, lenta obſidione preſſa, hoſtium lubidini ſuccubuit. Eâ de re ISTVÁNFYVS: *(l.) Zolienſis*

ſub Botskayano *tumultu:*

k.) Vide FERDINANDI Decretum Anni MDXLII. Artic. X.

l.) ISTVANF. Lib. XXXIII. p. 821. Oppidum, muris cinctum ſcribit. Corrigendus hinc error eſt FROLICHII: *Oppidum*, inquit, *prater arcem vetuſtam, nihil ſolida ſtructura obtinet. Paliſ cingitur.* Medulla Geograph. p. 357. Diarium MSC. VALENTINI HOMONNAI, quod poſſidemus, tentatum quidem obſidione *Vetuſolium*, meminit; ſed, paucorum tantum dierum labore: eo quod tunc, exercitui *Germanico* obuiam, *Homonnaio* fuit progrediendum.

ſis quoque arx, & oppidum, muris cinctum, cui Lvcas Tefferivs *præerat, a paucis* Haydonibvs, *lenta obſidione, premebatur; vt, quemadmodum, alia loca qualibet, ita, hanc quoque omnibus præcluſis aditibus, ne quid alimenti inferri poſſet, fame, & rerum inopia adactam, ad deditionis neceſſitates, compellere poſſent.* Et ita omnino euenit. Namque, fractis inedia præſidiariis, arce tandem, atque oppido, potiti hoſtes, quidquid in vicinia, caſtellorum erat reſiduum, vel metu intercipiunt, vel leui obſidionis labore tentatum, ad deditionem pertrahunt. *Botskayus,* inquit Istvánfivs, *(m.) cum Caſſouiam veniſſet, arces eas, quas ab Haydonibus oppugnari cœptas eſſe, ſupra diximus, Trentſchinium ac* Zolivm, *deditione eorum, qui in præſidiis erant, in poteſtatem conceſſiſſe, cognouit.* Sed pace, anno ſequente, Viennæ inita, arx quidem diſerta pactione *(n.)* Dersfiis, qui eam pignori datam habebant, vindicata; vrbs vero, ſicuti reliquæ omnes, iuribus ſuis, permiſſa eſt. Adhuc, ex iſta calamitate, ſaucia fuit Hungaria, cum Gabriel Bethlen, Tranſiluaniæ princeps, nouo eam tumultu, an bello? anno MDCXIX. haud quidem inuitam, ſubegit. Atque tunc, præſidiariorum potius inconſtantia, quam militis Bethleniani virtute, in poteſtatem redactum *Vetuſolium*, annales commemorant. *Filekino* enim occupato, atque, inſeſſis circum, vrbibus montanis, pronum erat, *Zolio* potiri, in primis, cum miles præſidiarius, ad nouandas res, quam vrbem arcemque defenſandam, eſſet procliuior. Proinde, anno MDCXIX. exeunte Septembri, *Georgio Szétſy*, Bethleniani militis duci, ſeſe permiſit. Qui inde ſequutus eſt annus, MDCXX. honorificus, & ad poſteros memorabilis, *Vetuſolio* exſtitit. *Bethlenius* enim, S. Coronam Hungariæ, *Piſonii* interceptam, huc captiuam adduxerat, arcemque eo firmiori præſidio munierat, quo exquiſitiorem, tanti pignoris, curam habendam cenſuit. Hanc poſtea, *Szétſio*, partes ſuas deſerente, quod inſignem fortunæ conuerſionem metueret, optimatibus, qui ſecum faciebant, monſtratam, *Caſſouiam*, atque inde, *Etſchedinum* deduxit, ex pacis demum conditionibus, reddendam. Atque iſta quidem tunc euenere. Bello *Rákótziano primo*, quod anno MDCXLIV. exarſit, montanarum vrbium, ſequuti exemplum, *Vetuſolienſes* nec tentati, ſponte deditionem fecerunt. Acrius *Tököliano* tumultu res gerebatur. Hoſtis enim, nocte intempeſta, facto inſultu, vrbem prius occupauit, quam id præſidiarius miles, ſomno ſepultus, animaduertit. Pauci erant, qui reluctari auſi ſunt. quibus obtruncatis, *Marchio de Ban*, qui cum imperio vrbi præerat, *(o.)* capitur, hoſtium poſtea permutatione, quos variis paſſim præliis Cæſariani ceperant, liberatus. Sed *Tökölio*, breui poſt, ad *S. Crucem*, archiepiſcopale oppidum, a noſtris cæſo, *Vetuſolium*,

Bethleniani militis *mori-bus.*

S. Coronæ *Hungaricæ hoſpitium præbuit:*

tradit Georgio Rákótzio:

capitur a Tökölio: *ſequuta inde conuerſione.*

m.) Lib. XXXIV. p. 825.

n.) Pacificat. *Viennens.* Art. XII. num. 4. collato Art. XV.

o.) Wagnervs, Hiſt. Leopoldi M. Lib. VIII. p. 557. *Vetuſolium*, inquit, *præſidiarii recenti, triduo defendere: hoc lapſo, quod infirmis muris parum fideret, præfecto, qui ſe in arcem ſerius receperat, comprehenſo, non aditionem modo, ſed defectionem, ad perduellos ſe-cere.*

lium, victoribus conceſſit. Tametſi enim *Tököli*, acie victus, iſtic quærebat perfugium; tamen, quod exercitus Cæſareus, acrius inſtabat fugientibus, rem nouo experiri prælio, eominus cupiebar, quo magis, recentis cladis memoria, fractum habebat militem. Eum in modum, hoſtibus depulſis, nec inuiti, officium fecere *Vetuſolienſes*, nouo mox torrente, nihil reluctando proficientes, in transuerſum abrepti. *Tökölius* enim, redintegratis viribus, atque Turcarum in primis ſubſidiis, factus audentior, anno MDCLXXXII. vrbes montanas, & in his *Vetuſolium*, in ſuam denuo miſit poteſtatem, toro inde anno duraturam. Poſtea, reiecto, ab obſidione *Viennenſi*, Turca, & late per Hungariam fuſo, cum multæ vrbes aliæ, tum *Vetuſolium* etiam, Cæſarianos admiſit, nunquam in poſterum a *Tökölianis*: quippe, extra modum acciſis, tentandum.

§. VI.

Calamitatum, quas ſeditione Rákóziana ſecunda pertulit, hiſtoria.

IAm alta pace, & partis, de Turca, victoriis, refouebantur omnia, cum ſolito Hungariæ malo, *ſeditio Rákóziana ſecunda*, conflata eſt, atrox quidem illa, & reipublicæ exitialis; eo tamen a *Tökölíano*, & qui hunc anteceſſerunt, tumultibus, diſcreta, quod ſine Turcicis auxiliis, excitata eſt, protractaque. Nudum ab omni præſidio *Vetuſolium* tunc fuerat: qua re factum eſt, vt anno MDCCIII. VI. Calendas Octobr. a tumultuaria *Rákóziánorum* manu, eodem *Zábretzkyo* duce, qui paullo ante *Neoſolium* occupauerat, inſideretur, infauſto profecto ſidere. Cum enim *Rákóziani*, nemine reluctante, fortunam incaurius ſequuntur; ad *Léuam*, virtute *Schlickii* cæduntur; ceteri, qui vrbes montanas tenebant, ſola cladis ſuorum fama territi, opinione celerius diffugiunt. Inſtabat, fugientium veſtigiis, *Schlickius*, cum ſex millium exercitu, quem poſtea *Vetuſolii*, loci, iuxta & rei gerendæ, opportunitate adlectus, collocauerat. Atque, iſtud quidem, magno *Vetuſolienſium* malo accidit. Etenim, *Schlickio*, intempeſtiue, cum ſelecta cataphractorum manu, ad d. XV. Nou. Neoſolium profecto, *Bertſénius*, qui ſuos ad *Loſontzinum* recollegerat, cum XXV. millibus, tamquam cælo depluiſſet, ad *Vetuſolium* adcurrit, vrbem obſedit, Cæſareos, obuiam progreſſos, haud leui clade adfecit, & diu reluctatos, tandem, intra mœnia vrbis compulit. Imminebat recedentium tergis, nullo ordine, *Hungarorum* multitudo, vt, cum fugientibus, pene vrbis portas ſubierit. Inde, tormentorum diſploſionibus, ægre reiecti Hungari, ſuburbiis ignem ſubiiciunt, atque in caſtra reuertuntur. Erat tunc in vrbe, *Simeon Forgách*, cum imperio relictus, vir bellicoſus, & manu fortis, qui, cum ſe a *Schlikio*, deſertum videret, vrbem vero, in dies arctius ab hoſte ſentiret obſideri, armis, viam, qua euaderet, aperiundam ſtatuit. Igitur per exploratores cognito, quod fauces *Butſenſes*, ſegnius ab hoſte inſiderentur, nocte concubia, equeſtrem exercitum, ex vrbe educit, traiectoque amne Grano, primam vigilum ſtationem, nihil tale metuentem, nullo negotio,

gotio, diſiicit, paucis e ſuis deſideratis. Lætus, eo ſucceſſu *Forgátſchius*, quaſi nihil amplius ſupereſſet periculi, ſuorum agmen progredi iubet, non quidem plane turbatis ordinibus, ſed incautius tamen, quam pro iſtarum faucium ratione. Iniquiſſimo enim loco, in nouos, excubantium Hungarorum, manipulos incidit, cum quibus congreſſus, perrupit quidem, clade tamen haud leui accepta. Sermonibus tunc vulgabatur, a pedite Hungaro, chlamyde, quam de colle pendulam habuit, prehenſum *Forgátſchium*, vix ac ne vix quidem, idque, cum veſtis, & criſtati pilei iactura, euaſiſſe. Atque tunc quidem hunc in modum Forgátſchius, militem Cæſareum e periculo eduxit. Quo audito *Bertsénius*, vehementer infremuit: quippe qui, toti illi exercitui, quem iam interceptum putabat, carceres, ſibi vero triumphum, re tam feliciter geſta, deſtinabat. Proinde, *Otskayo*, cum expedita equitum manu, ad inſequendum hoſtem miſſo, ipſe aliquantiſper in caſtris ſubſtitit, atque, vt dolorem, quem ex virtute *Cæſarianorum* acceperat, quomodocunque leniret, vrbem, inſultu occupandam ſtatuit: quod & ita euenit. Pedites enim adhuc, partem maximam inermes, iidemque lacerl, ſpe prædæ adlecti, mœnia, admotis ſcalis, paruo labore, ceperunt. Paucis Germanorum cæſis, calamitas omnis oppidanos manſit, tametſi immunes eſſe iuſſerit *Bertsénius*. Immane dictu eſt, quantopere colluuies iſta deſæuierit, in publicas, priuatasque ædes. Non viris, non feminis, ſed nec vlli ætati, parſum eſt: detractæ corpore veſtes, atque multi ad propudioſam redacti nuditatem, non habebant, quo obſcenas corporis partes, obtegerent. Extundebantur fornices, & cellaria; ſecretiſſima repoſitoria expilabantur, neque relinquebatur quidquam intemeratum, quo non harpyiæ iſtæ penetrarent. Quidquid ſupellectilis, ad hunc modum direptum fuit, penes eos manſit, qui ſe maxime ſtrenuos latrones præbuerunt. *(p.)* Capto, in hunc modum, oppido, atque auditis montanarum vrbium legatis, *Bertsénius* caſtra mouit, *Otskayum* & ipſe ſequuturus. Arx interim, quam ſelecta peditum Germanorum manus tenebat, a nobilibus, quos *Bertsénius* ad arma compulerat, lenta obſidione, premebatur; donec, ſiue cuniculorum metu, quos agere cœperant *Hungari*; ſiue præſidiariorum factione, deditionem paciſceretur, iſtis fere legibus: *vt impedimenta omnia, quæ in arce erant, præmium eſſent obſidionis;* VAK-BOTTYÁNIO, *qui hucusque, ex nupero prælio æger, arci præerat, libere ad ſuos commigrare liceret; currus vnus alterue, impedimentis onuſtus, eidem permitteretur; militi gregario, qui* RÁKÓTZIO *militare vellet, ſigna deſerere, integrum eſſet; reliqui inermes, ſaluo tamen conductu donati*, Strigonium *deducerentur*. Hæc, anno MDCCIII. adulto Nouembri, vrbi acciderunt.

p.) In caſtris *Bertsénianis* eram, cum directa ſupellectilis, *auctionis* ritu, venderetur. Vidi illic veſtes, mulieribus, ſuo morbo laborantibus, vel certe parturientibus, ſubductas, & obſceno cruore, fere madentes adhuc, laſciuis dicteriis, amentibus obtruſas fuiſſe. Neque poteram aliter, quam male ominari his, qui in ſua viſcera, eum in modum ſæuierunt.

§. VII.

Exuritur a fugitiuis Rákóczianis.

INde, ceſſatio quædam calamitatum ſequuta eſt, minus tamen diuturna. Enim vero, cæſo, ad *Trentſchinium*, Rákótzio, atque vniuerſo eius exercitu, in fugam acto, quod anno MDCCVIII. d. III. Auguſti euenisſe, ſæpius memorauimus, calamitas *Vetuſólio* incubuit, nulli hucusque ſecunda. Præuiderant fugitiui *Hungari*, fore, vt locum, defenſandis vrbibus montanis, adeo opportunum, ante omnia, occupet victor exercitus: ea propter, exurendum ſtatuerunt, ne haberet, vbi commode quiret hibernare. Feralem deſtinationem, ſtrenue exſequutus eſt *Csajági*; ſed malo ciuium quam maximo, nullo autem, ſiue detrimento *Germanorum*, ſiue *Hungarorum* commodo. Iſti enim, haud rediere amplius, ſua, in patriam atrocitate, fracti; illi autem, militarium laborum durati patientia, vbi ſemel vrbem, & ſimul arcem, præſidio nudam, occupauerunt, paſſim in cellariis, quæ Vulcanus intemerata relinquerat, non ſecus, quam in hoſpitiis, omni adparatu inſtructiſſimis, tota hieme, quæ rigidiſſima inciderat, perdurauerunt. Triſte fuit ſpectatu, ingruente iam bruma, fruſtra deprecantibus ciuibus, ignem tectis ſubüci, addi minas, ſi flammas exſtinguere conarentur: idque eo triſtius, quod honeſtiſſimo loco natos, viros ac feminas, pannis quomodocunque obſitas, immo ſeminudas, hoſpitia quæritare vidimus, & mala omnia imprecari incendiariis. Scilicet, iſtis artibus, ad liberandam patriam, *Bertsénius*, *(q.)* homo, ſi quis alius, omnino atrociſſimus, connitebatur, dignus, qui inter iſtos vrbis rogos, conflagrauiſſet. Plures anni abierunt, donec e cineribus adſurgere potuit, vrbs, iſto tractu, omnium facile miſerrima. Præterquam enim, quod toto fere biennio, a præſidiario milite inſeſſa fuit, multum profecto, hinc peſtilentia, illinc annonæ caritas, ciues retardauit, quo minus vires, tam longa & difficili tempeſtate acciſas, potuerint recuperare. Nunc ſingulari fatorum indulgentia, in iis vrbibus, ſuo merito, cenſetur, *Vetuſolium*, quæ difficultatem temporum, ad ſui incrementa, nouit conuertere. Nam, exædificatum eſt, quam ante fuerat, commodius, & alienum æs, eo curatius incipit diſſoluere, quo id cupidius, ab aliis contrahi videas. Atque, hanc

q) Vt imago BERTSENII, hominis, omni vitiorum adparatu, ad tyrannidem inſtructi, & ab his adſpici poſſit, qui neque viderunt viuum, neque ſenſerunt, placet, characterem eius heic adnotare, ex IOHANNIS *de* BVSSIERS, Bellojocenſis, e Soc. Iesu, *Hiſt. Francica Tomo II. p.* 515. *edit. Colon. in* 4. *A.* 1688. vbi auctor de *Caſſaucio* loquitur, turbulento & potenti ciue: *Vir*, inquit, *omnibus vitiis ad tyrannidem praditus, ambitione, audacia & crudelitate, quam pro Sabaudo* (Rákóczio) *obtinebat, potentiam, deguſtato ſemel imperio, traducis ad ſe, leui negotio, & ſtipatus facinoroſiſſimis viris, quibus publica calamitates, pro reditu ſunt, atque ſtipendio, optimum quemque, repugnante nullo, perimebat, atque obiecto, per calumniam, nomine, vel haretici, vel Bigarrati,* (Labantz,) *tollebat paſſim aduerſarios, ſtabilite, per metum omnium, auctoritate.* Iſte *Bertsénii* animus, hæc indoles fuit. quæ, quod non penitus peſſundederit Hungariam, eſt, cur grata in Deum mente, recolamus.

hanc quidem felicitatem, üs e ſenatu debet, qui poſtbabito, priuatæ vtilitatis, ſtudio, in commune conſulunt. Hactenus de fatis vrbis.

§. VIII.

QVando, vrbibus regiis liberisque, accenſa ſit, *(r.)* nequeo definire. Bonfinivs, quem ſupra nominauimus, *regale oppidum* adpellauit, atque id poſt Alberti Auſtriaci fata; ſed an ea locutione, libertatem innuat oppidi, a regibus, antiquo ritu, indultam, an vero proprietatem ſignificet, qua regibus fuerit obnoxia, non habeo dicere. Sane, decreto Vladislai ſeptimo, *Artic. III.* inter liberas regiasque vrbes, recenſetur, & montanæ ciuitatis vocabulo, inſignitur. Hodie, iisdem iuribus gaudet, quibus reliquæ vrbes liberæ. Priſci incolæ, *Germani* fuerunt, quemadmodum ſupra meminimus, quibus poſtea, quaſi poſtliminii iure, *Slaui* admixti ſunt. *Hungarorum* autem ſedes, tunc eſſe cœpit, cum poſt occupatam a Turcis *Budam*, nobilitas, intra montes, perfugia cogebatur quærere. Qua quidem re factum eſt, vt totus ſubinde ſenatus, nobilibus viris, quaſi de induſtria lectus, conſtaret. Accedebat, miles præſidiarius, qui olim *Hungarus* erat; ex cuius conuictu, multum moris Hungarici traxerunt, *Vetuſolienſes*. Et adhuc, plus ciuibus *Hungaricæ* conſuetudinis hæreſcit, quam *Slauicæ*; Germanum certe reperias neminem. Viuunt plerique agricultura, multi opificiis; ſed mercatu pauci. Vrbs fere tota, vnico vico abſoluitur, qui a porta ſuperiore, diuaricatis ædium ordinibus, vbi ædem ſacram, curiam, ſcholamque complexus fuiſſet, ad arcem vsque procurrit, vrbi connexam. Qua fora celebrantur, domus adſurgunt altius, cum alibi ſint humiliores, neque ſolido ſatis opere factæ. Medio vrbis, Eccleſia viſitur, ampla ſatis, neque inelegans. Huic curia, a ſeptentrione, coniungitur, eodem, quo ædes ſacræ, muro, incincta. Fora, quæ hic, *Dominica I. poſt Epiphanias*, die *S. Matthiæ* ſacra, *Dominica II. poſt Trinitatis*, *Natalibus B. Mariæ Virginis*, denique, feria *S. Eliſabethæ*, aguntur, pecudum mercatu valuiſſe meminimus. Reliquæ vrbis opportunitates, ſolo fere agrorum cultu, abſoluuntur, quos ſuo loco laudauimus. Hortorum cura rarior, atque iſta culinaribus tantum herbis, & radicibus occupata. Plurimum ad vrbis commoditatem, *Granus* faceret, ſi libere nauigaretur: nam huius orientali ripæ adſidet. Diſiungitur *Neoſolio* in meridiem, milliaribus duobus. *Inſignia* Vetuſolienſium, eadem ſunt, quæ Regni Hungariæ, hoc eſt, *Crux gemina*, quam vtrinque, angeli manibus prenſant. Belam IV. ea donauiſſe ciuibus, diplomatum fide firmari poſſe, aiunt. Cum ſignandis litteris adhibentur, rubræ ceræ imprimi videas. Hæc, de *Vetuſolio* dicenda erant. Adparatiora dent alii.

Liberis regiisque vrbibus, quando accenſa:

priſci incolæ Germani:

quos poſtliminio Slaui, & Hungari, excepere.

II.

r.) Adfirmatum eſt nobis, ab his, qui excuſſerunt vrbis tabularium; Belae IV. diplomata, quæ ſuperant adhuc, palam queri, *Tartarorum* impreſſione, priſcas *Vetuſolienſium* tabulas interiiſſe. quod indicio eſt, ante eam cladem, peculiaribus iuribus, gauiſam fuiſſe vrbem: quæ demum inſtaurauit Bela.

II.
HISTORIA
LIBERAE REGIAEQVE CIVITATIS CARPONENSIS.

SYNOPSIS.

Libera Regiaque vrbs Carpona: *nominis etymon, non eſt græcum: oritur a* Carpis *populis.* §. I.

Incrementa Saxonibus *debet: metallicum oppidum: deletur incendio a* Tartaris. §. II.

Diploma Belæ, *Carponenſibus datum* §. III.

Recognoſcitur ab auctore. §. IV.

Fata vrbis, poſt Belæ *ætatem: deletur ab Huſſitis: item, a Bohemis,* Eliſabethæ *militantibus, ſemel atque iterum:* Matthiæ Coruini, *in vrbem benignitas.* §. V.

Quando, in limitaneis propugnaculis eſſe cœpit Carpona: *præſidiariorum virtus, & cum Turcis, monomachia: ex* Gabelmanno *deſcribuntur.* §. VI.

Fata Carponenſium: *Comitia iſtic celebrat* Botskayus: *bellis reliquis ciuilibus, qua fuerit fortuna.* §. VII.

Vrbis ædificia, ſitus amœnus, & fructuum copia: agri frumentarii: incolæ olim Germani: *iam* Slaui, & Hungari: *veneficarum, apud* Carponenſes, *frequentia: mercatuum publicorum tempora.* §. VIII.

§. I.

Libera regiaque vrbs Carpona.

CARPONA, altera, *Proceſſu* iſto, vrbs eſt, Hungaris *Korpona*; Slauis, *Krupina; Karpffen* Germanis, & ipſa liberis regiisque, iam pridem accenſa. Nominis etymon, varium comminiſcitur, eruditorum vulgus. Aliquos, *græcam* vocabulo originem adfingere, ſupra monuimus: dici enim volunt: *ἀπὸ τῶν καρπῶν*, ſiue a varii generis fructibus: ſcilicet, egregie quidem illi ſeduli; ſed ignari priſcæ ætatis, & populorum. Ita enim eſt, habet ager *Carponenſium*, hanc laudem, ſibi propriam, quod fructus ferat, varietate non minus, quam præſtantia, memorabiles; ſed, vnde huc Græcorum iſtæ voces, equidem, cum ignariſſimis ſcio? Proinde, ita exiſtimo, *Carpos*, hic olim habitaſſe, *Baſtarnicæ* ciuitatis gentem, quæ, ſiue a *Carpatho* nomen accepit, ſiue

nominis etymon, non eſt Græcum:

ei

ei *(a.)* communicauit. De his Zosimvs: *(b.)* Βόρανοί τε καὶ Γότθοι, καὶ Κάρπαι, καὶ Ὀυρούγουνδοι (γένη δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν Ἴστρον ἰοῦσιν) μέρη οὐδὲν τῆς Παιόνων, ἢ τῆς Ἰλλυριῶν ἐλάττω πολυωνύμους ἀδηῶτον διεῖλκον, ἀδεῶς ἁρπάζοντες, πάντα ἐκκομιζόμενοι. Id eſt: *Borani & Gothi, & Carpi, & Vrugundi, (Gentes ha ſunt ad Iſtrum habitantes) nullam, vel Italia, vel Illyrici partem, a continuis vexationibus immanem relinquebant, omnia, nemine reſiſtente, diripientes.* Habes hic *Carpos*, prope ad Iſtrum, atque id ea regione, ſicuti fas eſt exiſtimare, colentes, quæ *Carpatho* proxime adiacet. Neque aliena eſt Carponæ poſitio. Ab Iſtro enim, ſiue Danubio, qua longiſſime diſtat, ſex octoue milliaribus, in ſeptentrionem, recedit; Carpatho autem ea regione adiacet, quæ molli deuexitate, conſidentibus iugis, in planitiem, collibus paſſim ſparſis, paullatim expanditur. Eſt & apud Iornandem *(c.)* honorifica mentio *Carporum*, cum de *Oſtrogotha*, rege Gothorum loquitur. *Sed & Carporum*, inquit, *tria millia addidit, genus hominum ad bella nimis expeditum, qui ſæpe Romanis infeſti ſunt.* Ita eſt, multum *Carpi* iſti, conſobrini *Baſtarnis* immixti, faceſſerunt negotii Romanis, donec imperante *Diocletiano*, ductu *Galerii Maximiani*, debellati, in Romanorum poteſtatem conceſſerunt. Ita præter Iornandem, Pomponivs Lætvs, in rebus Diocletiani: *Diocletianus, rebus toto oriente compoſitis, Europam repetit; vbi iam Scytha, Sarmatha, Alani, & Baſtarnæ, iugum ſubierant, vna cum* Carpis, *Sueuis & Quadis.* Locorum ſitus ſequi hiſtoricum, dum populos iſtos recenſet, palam eſt. Intime enim *Scytha*, ante hos *Sarmatha*, *Alani* & *Baſtarni*, latiſſime habitabant. Altius *Carpos*, cum *Sueuis* & *Quadis* collocat: nam hi quidem intra *Vagum* & *Morauam*, amnes; iſti in penitiore Germania; illi *Carpatho* proximi, colebant. Proinde veſtigium mihi eſt *Carpona*, a *Carpis* iſtis, poſt tot temporum conuerſiones, ſuperſtes adhuc; ſed recentiore ætate, inſtauratum denuo. Iidem *Carpi* & amniculo, vrbem noſtram adluenti, nomen dediſſe cenſendi ſunt; ſaltem ſequutis inde temporibus, ab vrbe ita dici potuiſſe, nemo facile inficiabitur.

oritur a Carpis populis.

§. II.

ANtiqua hæc de vrbe noſtra ſunt indicia. Incrementa certe, iisdem *Saxonibus* debet, qui vrbes metallicas excitauerunt. Nam, & *Carpona*, ſuæ olim fodinæ erant, ſiue exhauſtæ poſtea, ſiue, ob temporum iniquitatem, deſertæ, quod & Frölichivs *(d.)* videtur innuere: *Boza, Carpona*, inquit, *olim etiam metalli feracio-*

Incrementa Saxonibus debet: metallicum olim oppidum:

Tom. II. Ooo

a.) In eam abit ſententiam, Iacobvs Carolvs Spenervs, *Notitia Germaniæ Antiquæ*, mox indicandæ.

b.) Lib. 1. ſub. *Gallieni* imperio.

c.) In Gothicis. Conſule de Carpis, præter Philippvm Clvverivm, in Germania Antiqua; & Christophorvm Cellarivm, in Notitia Orbis Antiqui: Iacobi Caroli Speneri, Notitiam Germaniæ Antiquæ, Lib. II. Cap. III. §. IX. p. 93. ſequ. nunc citatam.

d.) Medulla Geograph. p. 357.

raciores fuerunt, quam nunc ſunt. Miror, boni viri oſcitantiam, quod *Botzám*, metallicum oppidum, idemque Liptouienſium agro accenſum, ita Carponæ coniungat, quaſi eſſent viciniſſima, cum tamen milliaribus plus minus XII. diſiungantur. Topographiæ auctor *(e.)* præcipuam vrbis laudem a vetuſtate repetit. *Laus vrbi præcipua a vetuſtate, cum de ſe neque amplitudine, neque adium elegantia, illuſtris adpareat.* Omnino, æquæuam vrbibus reliquis, quæ iſto ſunt tractu, crediderim; non, quod cum iis primum condita ſit; altius enim eius origines repoſuimus; ſed quod tunc efflorescere denuo cœperit; ſiue id metallorum; ſiue aliarum opportunitatum cauſſa, factum ſit. *Parſchitzius, (f.)* Belae IV. temporibus exuſtam ſcribit, ab ea Tartarorum illuuione, quæ tunc peſſundauerat Hungariam, neque, præter nomen, & ciues pauciſſimos, e priſtino flore retinuiſſe quidpiam. Ergo, inſtaurabatur ſenſim, ſub Bela primum; ſub ſequutis regibus poſtea: dum anno MCCCCV. in vrbibus liberis regiisque, a Sigismvndo referretur, vti nihil dubitat adfirmare *Parſchitzius;* tameſi nullum eius rei veſtigium in *Budenſi*, regis *Sigismundi* decreto, quod iſto anno promulgatum eſt, reperiam; vt ideo putem, ex ciuium forte traditione, *Parſchitzium* iſta habuiſſe. Enim vero, iam tum ſub Carolo I. *Ludouici* patre, in iis vrbibus cenſam videas, quæ iure veterrimo, in liberis regiisque habebantur. Nam ita eſt in decreto *Caroli*, quod anno MCCCXLII. vulgatum eſt: *Videlicet, Ciuitas* Trenchinenſis *decem marcas; Ciuitas de* Bách, *triginta quinque marcas; item*, Korponya, *triginta quinque (g.) marcas*. reliqua. Ex quo cenſu colligas, iam tum, in florentiſſimis vrbibus connumeratam, *Trentſchino*que multis modis fuiſſe opimiorem. In diplomatibus *(h.) Thuróczienſium*, anno MCCCXL. libertate gauiſam fuiſſe, reperio.

deletur incendio a Tartaris.

§. III.

Diploma Belæ, *Carponenſibus datum.*

Ista, de prærogatiua Carponae, quæ eam vrbibus liberis adſeruit, conquiſiueramus, cum in manus, nec opinato, Belae IV. diploma venit, quo priuilegia *Carponenſium* perſcripta ſunt. quod non intertexuiſſe commentariis noſtris, piaculum ducimus. Habet vero ad hunc modum: Bela Dei *Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rama, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæque* Rex. *Vniuerſis Chriſti fidelibus, præſentium noſtrarum notitiam habituris, ſalutem, in eo, qui Regibus dat ſalutem. Ex ſuſcepti regiminis officio tenemur, iura & libertates noſtrorum fidelium, obumbrantibus authoritatis noſtræ ſcapulis, conſeruare, vt, peccatis exigentibus diſſipata, ſuccurrente cæleſti opifi-*

e.) Parte II. ſeq. II. p. 130.

f.) In MSCta Hiſtoria Comitatuum Hung. p. 227.

g.) Marca, in *Iure Hungarico* varia eſt. Marca enim Avri, florenis LXXII. æſtimatur, vti eſt in *Operis Trip. Parte II. Tit. LXXIII.* Marca ponderis gravis, quatuor florenis, ſiue denariis quadringentis, *ibidem Titulo XXVIII.* Marca minoris, ſeu levis ponderis, floreno vno, *inibi*, Titulo LXXXV. Hic, Marcam *Ponderis grauis*, intelligendam putem.

h.) In Registro *de Thúrócz*, ad oppidum Sz. Marton, ſupra p.

opifice, reſtaurentur. Proinde, ad vniuerſorum, tam præſentium, quam poſterorum notitiam harum ſerie volumus peruenire: Quod fidelium hoſpitum noſtrorum de Corpona, *ſupplicantium Nobis, vt priuilegium ipſorum tempore Tartarorum amiſſum, eis iterato condi iuberemus, Iura & Libertates in certam formam redigi præcepimus præſentium per tenorem; dictis ſiquidem hoſpitibus, congregatis, aut etiam congregandis, de benignitate regia conceſſimus: Quod* Presbyterum *ſibi ipſi eligant, quem voluerint, nec ad acceptionem alicuius Presbyteri compellantur; dum tamen in hoc nulli præiudicium generetur. Item, quod* Iudicem *de eadem villa, quemcunque voluerint, libere ſibi aſſumant: quem confirmandum, Nobis præſentent; & quod annuatim poſſint illum remouere: ſed ſi ante anni complementum, culpis exigentibus, ſuum Iudicem voluerint amouere, exceſſu eius coram poſito, Nos requirant. Item, quod nullius Iudicis, neque* Comitis de Zólyom, *nec alterius iudicio adſtare teneantur, præter ſuum Iudicem ſpecialem, qui tam in cauſſa ſanguinis, quam vero in aliis cauſſis ipſorum debeat iudicare; niſi forte adeo ardua & notoria ſit cauſſa, quod Noſtram audientiam requirat: in quo caſu ad noſtri iudicii examen cauſa debeat deferri. Et quod* Duellum *non iudicetur inter ipſos, ſed ſuper iuramento duodecim hominum maiorum ex ipſis, omnes magnæ cauſæ decidantur; niſi forte, ex ſui arduitate vel etiam notoria fuerint, ad Nos, vt prædiximus, deuoluantur. Item, quod ligna & lapides, intra metas terræ ſuæ, libere & abſque alicuius contradictione, poſſint ſuccidere & ſecare. Item, quod ab* omni tributo regali, *præterquam in confiniis, ſint liberi penitus & immunes. Item, quod* Comes de Zólyom, *vel Curialis Comes, non poſſit violenter deſcendere ſuper ipſos, vel in domo alicuius ipſorum, tanquam ſuper ipſorum conſuetudinem exercendo; ſed petendo, de voluntate ipſorum condeſcendere poterunt, omnia neceſſaria iuſto ab eis pretio comparando. Item, quod* teſtimonium Hungarorum *tantum, contra ipſos non admittatur; ſed mox totum, cum Saxonibus vel Teutonicis, vigorem obtineat, prout decet. Item, quod* domos vacuas *defunctorum, quorum legitimi ſucceſſores poſt trinam proclamationem, in eas venire neglexerint, facultatem habeant aliis ſuperuenientibus, conferendi. Item, terram - - vicinam eis & commentaneam, exemtam a caſtro - - eis, vt melius congregentur, dedimus perpetuo poſſidendam, terra ipſorum antiquis circum metis de benignitate regia coniungendo, & terram monaſterii,* de Boſok, *nomine - - ſiue per cambium, ſiue per emtionem, ſicut poterimus, dabimus eisdem: Ipſi vero iuxta poſſibilitatem ſuam, videlicet ſecundum quod commode potuerint, inſpecta multitudine & facultatibus ipſorum, tenebuntur, Nos, cum expedierit, procurare, & ſeruire Nobis in exercitu noſtro: verum tamen, quinque annorum, ne intra eorum ſpatium ad exercitum veniant, eis ex libertate regia indulgemus. Datum apud* Corpona, *Anno Dominicæ Incarnationis,* Milleſimo, Ducenteſimo, Quadrageſimo Quarto: *Decimo Octauo Calendas Ianuarii; regni autem noſtri anno decimo.* Hactenus diploma.

§. IV.

Recognoſcitur ab auctore.

MVlta hinc, nobiſcum condiſcit lector, auidus antiquitatis Hungaricæ. Longe, ante BELAE IV. cladem, qua a Tartaris ad amnem *Sajó*, anno MCCXLI. adfectus fuit, in regalibus villis relata fuit *Carpona:* quippe, cuius priuilegia, vti eſt initio tabularum, eadem illa ſtrage, peſſum ierint. Ergo, non tam ſuo, quam regum antegreſſorum beneficio, villam regiam eſſe iuſſit denuo. Ita vero tunc, Liberas Regiasque vrbes, adpellatas fuiſſe, norunt, qui rem Hungariæ diplomaticam, cognitam habent. Coluere autem *Carponam*, cum ante Tartaricam euaſtationem illam, tum poſtea, *Saxones*, quos & *Teutonicos* vocat diploma; certo nimirum indicio, vrbes plerasque Hungariæ omnes, montana potiſſimum regione, opus *Saxonum* eſſe: quos, hac tanta benignitate, non dubitabant allicere reges optimi, illectos fouere. Illud admirationem habet, haud vulgarem, quod *Hungarorum*, aduerſus *Saxones*, teſtimonia irrita fuere, niſi *Teutonum* ſimul accedebat conſenſio. Arguimus inde, nondum ita coaluiſſe animis, hoſpites illos, cum inquilinis *Hungaris;* quin locus ſubinde fieret iniuriis. quas vt auerruncaret BELA, prouidentia hac vtendum rebatur. Reliqua diplomatis capita, ita ſunt comparata fere, ſicuti vrbium aliarum. Immo, aduertimus frequentius, non *Belam* tantum ipſum; ſed etiam ſequutos proxime reges, ad harum tabularum *Carponenſium* præſcriptum, prouocaſſe conſulto, quoties oppida vrbesue, iuribus donabant peculiaribus: *vterentur*, *frueretur*, inquiebant, *iisdem priuilegiis*, *quibus* Carpona *gauderet.* Id vero, cur factitarint, ex ſubductis chronologiæ rationibus, poſſis definire. Nempe, poſt deletum, ad *Sajónem*, Hungarorum exercitum, triennio, regno incubuerunt *Tartari*, nulla non fœuitie, libidine, atque vaſtitate, fœdantes omnia: dum anno MCCXLIII. conuaſata præda, & abactis captiuorum gregibus, rediret ad ſua luſtra, gens omnium, quas ſol vnquam vidit, immaniſſima. Latebat interim BELA, apud *Thúrczienſes*, donec *Friderici*, Auſtriæ ducis, quæ ei poſuerat, ſufflaminibus eliſis, ad *Frangepanos*, in Dalmatiam potuerat penetrare. Horum deinde viribus adiutus, anno MCCXLIV. redibat in *Hungariam*, laceri corpus regni, qua poſſet, benignitate, inſtauraturus. Tunc vero, prima deſolatarum vrbium, *Carpona* fuit, cui diploma iſtud impertiuit; ad cuius demum exemplar, vrbes, & oppida reliqua, immunitates accipiebant. Non ergo id, quod perſuadere mihi volebat non nemo, ſingulari cuidam *Carponenſium* prærogatiuæ; ſed temporis, quemadmodum diximus, rationi, adtribuendum eſt. De his hactenus.

§. V.

Fata vrbis, poſt Belæ *ætatem:*

VAluit interim hæc BELAE clementia, ad Carponæ incrementum: nam, & ciuibus locupletabatur ſubinde, &, quod inde conſequitur, publicis, ad Cameram regiam, reditibus: qui, quales

les fuerint, CAROLO I. regnante, ſupra fecimus indicium. Vix autem vnquam felicius ſe habuit *Carpona*, quam rerum potiente LVDOVICO: quippe qui, & cenſus diminuiſſe, & vrbem, nouis operibus fertur incinxiſſe. Eo viuis exemto, noua *Carponam* tempeſtas adflixit. Tametſi enim habet, cur de benignitate SIGISMVNDI glorietur; tamen, qua erat fortuna, rex alioquin optimus, regio hæc montana, eo, ad clauum ſedente, propemodum omnis, peſſum iit. *Huſſitæ* nimirum, magiſtri fui, qui *Conſtantiæ*, anno MCCCCXVII. exuſtus fuit, mortem vlturi, tantum cladium, non in Bohemia modo, ſed etiam in vicinis circum regionibus, dederant, vt vel recogitare, horreſcat animus. Atque tunc quidem, *Hungariæ* quoque, illi potiſſimum, quæ eſt *Morauiæ*, *Sileſiæ* & *Poloniæ* limitanea, ſæua ea tempeſtas incubuit: *Carponam* certe funditus fere euertit; quando, quod vltra ſeſqui ſeculum, in reſtauranda vrbe, profectum fuit, omne id, vno quaſi fulminis ictu, concuſſum tunc eſt. Durauit calamitas, vsque ad LADISLAI poſthumi ætatem. Enim vero, Bohemi, ELISABETHAE viduæ militantes, regionem montanam, pene omnem, occupauerant. Tunc vero *Georgius Guile de Gaza*, homo, ad omne facinus audendum paratiſſimus, *Carponam*, cum præſidio inſederat. Is demum, non vrbi modo, pro ſuo arbitratu imperitabat, ſed regionem etiam, quoties lubido inceſſit animum, late vaſtabat. Credo, vnum ex iis ducibus fuiſſe, qui *Giskræ* quidem ſuberant imperio, ſubinde tamen, præda allecti, rem, ex ſua voluntate, gerebant: donec victi a MATTHIA *Coruino*, partim regno eiicerentur, partim reciperentur in fidem. Sed iſta etiam tempora, funeſta *Carponenſibus* exſtitere. *Bohemi* enim, ſiue decedentes vrbe, ſiue inuadentes eam poſtliminio, direptam prius, mox & flammis deletam, penitus euerterant; munimentis, ad ſacram ædem, tamquam loco editiore, poſitis. Ad vltimum, virtute *Coruini* penitus depulſi, non iam vrbem; ſed triſte huius veſtigium, poſt ſe reliquerunt. Hanc, poſtea MATTHIAS, pro ea, qua in vrbes regias ferebatur, benignitate, mirifice refouit, & nouis iuribus locupletauit. Neque minori indulgentia WLADISLAVS, *Matthiæ* ſucceſſor, oppidum proſequutus eſt. Rata enim habuit, priſca vrbis iura; quin, pro temporum habitu, noua etiam adiecit.

deletur ab Huſſitis:

item, a Bohemis, Eliſabethæ militantibus, ſemel atque iterum:

Matthiæ Coruini in vrbem benignitas.

§. VI.

TVrcis, poſt cladem *Mohátſienſem*, maxima regni parte potitis, & miſſis ſub iugum *Vaczouia*, *Strigonio*, atque *Neográdo*, CARPONA, in limitaneis propugnaculis haberi cœpit. Qua propter, mœnia, ſeu *Huſſitarum* furore diſiecta, ſeu vetuſtate collapſa, iuſſu FERDINANDI I. inſtaurata, atque præſidium vrbi impoſitum legitur, haud omnino numeroſum, ſed neque iners. Huc retuleris ſanctionem *(i.)* anni MDLIX. qua Comitatus *Thúróczienſis*, *Zolienſis*, *Lipto-*

Quando in limitaneis propugnaculis eſſe cœpit Carpona:

i.) Art. XXVIII. adde, anni MDLXXVIII. Artic. XXVII.

Liptouienſis & *Aruenſis*, ad muniendam *Carponam*, obſtringuntur. Et profuit omnino, publica illa calamitas, ad vrbis florem. Nobiles enim, & qui ruri, ob crebras hoſtium impreſſiones, tuto nequibant degere, *Carponam*, tamquam ad commune perfugium, ex circumiectis agris, ſe recipiebant, vnde factum eſt, vt tota propemodum vrbs, a ſolis nobilibus, & militari ordine, coleretur; certe in ſenatum legeretur nemo, niſi nobili loco natus. quam conſuetudinem adhuc obtinere nouimus. Ceterum, præſidiario militi, ſtrenuiſſimi quique, cum imperio præerant, qui hoſti, quoties neceſſum erat, occurrerent, quin quæſita opportunitate, laceſſerent etiam: *Capitaneos* dicere, moris eſt. In primis, ſingularibus prœliis, *Carponenſes* valuiſſe, accipio. Nimirum, cum viciniores adhuc *Turcæ* noſtris eſſent, mutuo conſenſu, diem ſibi præſtituebant, quo, vel ſinguli, cum ſingulis congrederentur, vel plures ſe obiicerent pluribus: iuſto vtrinque exercitu, pugnæ eiusmodi euentum, proſpiciente. Digna eſt *Monomachia*, a GABELMANNO, *(k.)* præclare deſcripta, cuius hic ſumma capita recenſeamus, ne apud poſteros, egregiæ *Carponenſium* virtutis, memoria intercidat. Nempe, pacta & conſtituta die, cum ſæpius, tum maxime anno MDLXXXI. *Calendis Maii*, proxime ad *Carponam*, Hungari, iuxta & Turcæ, cum ſelecta ſuorum manu, conuenerant, pluribus, ſingularis pugnæ ſpeciminibus, adſtante vtrinque exercitu, editis. Turcæ *Strigonii*, *Carponæ* noſtri, militem collegerant prius, quam deſcenderetur in campum martium. Rem geſtam ita canit *Gabelmannus*:

præſidiariorum virtus, & eum Turcis monomachia, ex Gabelmanno, *deſcribuntur.*

Nec minus interea noſtri ſocia arma rogabant,
Ad certum Phoebi exortum ſedemque paratam.
Primus ad arma fuit generoſo ſanguine clarus,
DOBBÓ: *auuis atauisque potens, fortiſſimus heros;*
Nec genere indignus; nec belli ignarus & hoſtis.
Primus hic ante omnes magna ſtipante caterua
Inſigni ſublimis, equo aduenisebat apertum
Hoſtem nec quidquam ignorans formidine Martis
Incerti: hunc ſequitur vicinis plurima pubes
Arcibus, imperio parens, non falſa monentis.

Nam, ita in more poſitum fuit, vt ſi pugnæ huiusmodi ſingulares inſtituerentur, vicinæ arces, ſuppetias iis mitterent, quos hoſtis prouocauerat. Nunc *Carponenſium* res agebatur, *Franciſco Dobbó*, duce expeditionis conſtituto, qui tempeſtiue cum ſuis aderat. *Bakabányenſes*, centum equites, pedites trecentum, miſerant. Aduenerat & *Barbaritſchius*, ſupremus *Zolienſium* comes, & arcis præfectus, ſelecta militum manu ſtipatus. Hos *Schemnitzienſium* miles præſidiarius, ductante *Theodoro Rubigallo*, Petri, doctiſſimi viri filio, ſequebatur. Igitur:

CAR-

k.) De viro hoc docto, vide ISTVANFFIVM Lib. XXX. p. 703, 47.

CARPONAM *reliquos diuerſa ex ſede iuuabat*
Ingredier portas, multo cuſtode patentes.
Huc omnis pubes, variis confluxit ab oris:
Pannonia, ſociis Germanica iuncta colonis
Hinc in equis veniunt, illinc veſtigia plenis
Admouere viis, homines iuuenesque ſenesque.
Hoſpitio iungunt dextras, ac tecta ſubintrant
Qua poterant (hominum nam limine plena rigebant
Omnia) cæruleo donec ſe craſtina cælo
Aurora oſtendat: referens opera atque labores
Humano generi.

Iſta, pridie Calendas Maias, gerebantur, nam de ſequuto die, poſt pauca, inquit:

Poſtea cum primo vix ſparſit lumina montes
Orta dies, IACOBE *tibi ſacrata* PHILIPPE:
Rauciſonis tota ſonuerant ærea bombis
Cornua, in vrbe viros atque hortabantur ad arma
Digna viro, ſecura loco, ſic milite digna.
Continuo Hungaria primum Mauortia pubes
Sublimes in equis, tectis ſtratisque relictis
Proſiluere, pedum trepidum ſimul omne tumultu.
Omne forum quatitur, latum ſuitque iuuentus:
Proludens pugnam, magno ſe turbine verſat
Infuſorum ante ora virum turbamque frequentem.

Hoc adparatu, his animis, cohortes Hungaricæ, vrbe relicta, in martium, quem deſignauerant, campum, prodibant, nihil matrum, nihil pignorum obtutu, precibus aut lacrimis, vel fractæ, vel emollitæ:

Tum quasdam ventis matres dare colla comasque
Vidiſſes, tremulisque vlulatibus æthera totum
Complentes: patribus paruos protendere natos:
Eheu, quo coniux noſtra pars maxima vitæ,
Quo periturus abis? cur noſtras linquere ſedes,
Cur thalamum, thalami cur pignora dulcia noſtri?
Cur iuuat inſano te te committere Marti?
Cur tibi fata vocas?

Has, & ſimiles voces, ipſi aliquando audiuimus, cum delectam ciuium cohortem, in bellum proficiſci, anno MDCCIV. ſpectaremus. Verum, de *Carponenſibus* pergit GABELMANNVS:

Perſtant in cœptis illi, nulloque mouentur
Fletu: donarunt namque omnia nubibus aura,
Irrita fatales nec vox defertur ad aures.
Hoc vbi poſtremæ matres de mœnibus vrbis

Con-

Conſpexere, manus manibus, palmisque lacertos
Tundentes, magna ſupremum voce ciebant
Iam pia vota metu duplicantes: ite ſecundis
Omnes, quot video fatis, meliore redite.

Ventum poſtea eſt, ad eum locum, qui pugnæ deſtinatus fuerat: vbi Turcæ, quaſi auſpicia præoccupaturi, cum ante, quam noſtri adeſſent, inſtructa acie, *Hungaros* opperiebantur. His conſpectis, Dobbó, animos ſuorum, breui, ſed efficaci oratione, accendit.

Hec fatus: Turcarum oculos contorſit ad arces,
Commouitque caput. Cuncti ſimul ore fremebant,
Hunc circumfuſi iuuenes, ac cæca mouebant
Murmura, venturam Turcis prodentia mortem.
Quisquis amans patria factis extendere famam
Ardebat, iuſtoque diem finire labore.

Proinde, inſtructa primum acie, deſcendunt & noſtri in campum, aduerſo Turcis agmine. Mox, conſilio habito, quibus legibus ſingulares pugnæ, quarum cauſſa vtrinque huc ventum fuerat, iniri deberent, *Dobbó*, deſignatus eſt, qui Turcas accederet, & priſco ritu, ad ineunda, bona fide, prælia, inuitaret. Fecit imperata *Dobbó*, & cum hoſte, depulſa prius inſidiarum, ab vtrisque, ſuſpicione, pactus eſt: *antiquis legibus pugnari; obſides, ab Hungaris & Turcis, dari mutuo; atque tunc demum, pugnæ fieri initium, oportere.* Conſenſere Turcæ, & datis dextris, adfirmauerunt fidem, quin & munera obtulerunt ducibus noſtris.

Inde omnes in equis mira leuitate volabant,
Adque duces noſtros aditum vt ſuperare patentem
Neſcio quo vultu, dextræ coniungere dextram
Cernebam: ac fratres, qui primis corpore ab annis
Diſiuncti, tandem veteres, patriosque penates
Cum viſunt, noto terram ſub ſole iacentem,
Plurima coniungunt plaudentibus oſcula dextris.
Munera nec dubio ceſſarunt promere ſenſu;
Inſignes plumas leuiorum quas cito equorum
Detraxere iubis, ocreas munimina ad vsque
Talos, e flauo corio: ſtrophiumque tenellis
Quale ſuis digitis numquam potuiſſet ab ortu
Virgo aſſueta colo, e tenui contexere penſo.

Iſta, more omnino adulto, fiebant. Reducibus, ab illa pactione, noſtris, ſolemnes omnium preces exaudiebantur:

Nec fuit interea nomen leue numinis: omni
Numen in ore fuit: ſe propter numen, idemque
Sunt omnes teſtati, ad talia prælia cogi

Præ-

Præcipue noſtri, quorum ſub pectore maior
Cum pietate fides hæret procliuior, vno
Verſare ore Deum: DEVS *heus!* DEVS *aſpice miti*
Quæſumus hanc lucem vultu, ah DEVS *aſpice turbam*
Inſletam, Tua gens ecce adſumus, en Tua propter
Numina, qua patimur, patimur pede ſancte ſecundo
Adſis mihi DEVS! *hoc tempore, nil ſine nutu*
Felix eſſe Tuo valet: ac certe omnia pergunt
Victrici concepta ſolo, quando optime IESV!
Tu primus luſtras noſtra agmina, primus in hoſtem
Arma foues, dextramque regis, mentique vigorem
Sufficis ac ſolido ſeruas in robore vires
Corporis &c.

Ita conſueuerant *(l.) Hungari*, prælia inire, cum adhuc militaris diſciplina, apud eos vigeret, digno, Chriſtianis militibus, celeusmate, ſemet inuicem accendentes. Ad eum modum præparatos *Hungaros;* hinc priſcæ virtutis; illinc, *Chriſtiani* nominis, admonebat *Dobó.* Irent modo alacres, paratam ſibi diuinitus victoriam, nihil depoſcere amplius, quam animorum præſentiam.

Dixerat: inſultans animoſo corde iuuenta.
Arſit amans pugnæ, egregiam cui plurima mentem
Adiecit pietas:
Primus ad arma ſubit Carponæ *miles ab ora*
Qui venit, (nondum huic tenera lanugine vultus
Vernabant) ingentem contra hunc corpore Thraces
Siſtebant equitem.

Et iſte quidem, inauſpicato pugnabat. Licet enim primum Turcæ incurſum deflexerit; alterum aduerſo etiam pectore exceperit, illæſus. Nam

curſum poſtquam ſubiere ſecundum
Hungarum in obuerſum ſumma contorſit opum vi
Thrax haſtam, ſcuto mediamque reliquit in ipſo
Adcurrere duces, animamque hauſiſſe putarunt:
Sed fatum melius: ferri a thorace retuſa
Non potuit nudum iuuenis contingere corpus.

Tamen:

Tertius ex animo congreſſus Thracibus ipſis
Accidit: in medium iuuenis poſtente ſuperbo

l.) Solemnis precum formula hæc fuit: VERAM IESVS SEGELLI! Hoc eſt: *Domine mi* IESV, *adiuua!* quam ſublata voce, totus exercitus, ter repetebat. Et aduerſum eſt ſane, non raro, exhorruiſſe eum clamorem Turcas, ſegniusque poſtea iniiſſe prælia; tametſi, ſuum illud *Holla!* ingeminarint, ad animos militum accendendos.

Hoſte, volenti animo proceſſit & omine contra
Infauſto Thracem pugnauit, robore iniquus,
Huic medium & dextra digitum molita per ipſum
Haſta viam, nodum auulſit, quem magna ſecuta
Vulnera, qua totam turparunt ſanguine veſtem.

Iniquiore, quam ſperabant, pugnæ auſpicio, perculſi *Hungari*, & quæ ſpectatum prodierat, multitudo, cælum, pio clamore, in vota flectere laborabant:

Ferit aurea ſidera clamor,
In ſua vota vocans, & circumfuſa fremebat
Turba Deum: IESV! IESV! *ſancto omnium in ore*
Vox erat: ingeminantem rurſus proxima IESVM
Rura ſalutabant: IESVM *colleſque profundi.*

Poſtea, felicius ab *Hungaris* pugnatum eſt. Enim vero:

Ingentem ſonipes preſſabat inerti
Mole Getam, ferro pectusque caputque rigentem.
Hungarus hunc magnis contorquens viribus haſtam
Contigit: illa viam ſicuti molita per oras
Loricaque moras, medium transuerberat ictu
Corpus, & immenſo patefacto vulnere ſanguis,
Qua via facta leuem conſperſit grandibus omnem
Guttis quadrupedem: mox ſenſu victus acerbo
Ipſe volutus equo, viridi moribundus in herba
Proſtratus iacuit, tauri de more boantis.

Longum foret, ſingula virtutis documenta, quæ hac monomachia ediderunt Hungari, percenſere. TARTZII, Carponenſium ſummi præfecti, fortitudinem iuuat commemoraſſe. Egregie ille hucusque, ducis munere defunctus fuerat; cum hinc quidem laſciuiam ſuorum, præſidenti animo volentium pugnare, compeſcuiſſet; erexiſſet illinc in ſpem victoriæ, ſollicito animo in arenam deſcendentes. Viderunt hoc Turcæ, rati, ore ac verbis tantum ſueuiſſe pugnare *Tartzium:* hinc eorum aliquis:

Heu TARTZI! *Tu primus & vltimus eſſe*
Gaudes, haſta manus cum poſcit, magna tonare
Eloquio, ac iuuenes armare in prælia veſtros;
Aſt age! non verbis hic iam pugnamus, at armis:
Vincunt arma: Tua victrix opulentia lingua
Non valet hic: abeant hinc pondus dulce loquendi,
Atque ille attonitas ſermo qui pertrahit aures.
Quare age! quid poſſit virtus tua viuida in armis
Experiamur! ades! quin pergis? num tibi Mauros
Ventoſa in lingua? non ſic, ſume arma! volo te!

Ibi-

Ibimus aduerſus contra. Cui TÁRTZIVS *heros*,
Eſt dedignatus quid reſpondere. Sed adſis!
Paucis: non me, ſed ſupremo numina cælo
Contemnis: quorum monitis implere paratus
Infirmos animos iuuenum: ceu Spiritus almus
Suggerit ille Deus: vix hæc: procedere in æquor'
Ambo: dabat ſignum tuba: concurrere: fallit
Nec noſtrum dextra: vt librarunt certa lacertis,
Certior obducti vultus munimina rupit,
Caſſide transfoſſa TÁRTZYVS: *tranſactaque toto*
Curſu, inopinanti fixo ſtetit haſta cerebro:
Ingens qua potuit, lato ore feneſtra voraci.
Mox velocis equi, lapſus ceruice, vocabat
Nec quidquam auxilium, voluit nam tollere dirum
Clamorem, incœptus ſed fruſtrabatur, hiantem
Sic incluſit iter vocis, fixa omne ſariſſa.
Continuo celeri ſaltu ſe TÁRTZYVS *heros*
Ad terram demiſit equo, dextraque coruſcum
Vagina eripuit gladium: quo ſolus inermes
Intorſam pulſans retro a ceruice retudit
Haſtam, moturo vocem, ac ſuperaddidit, ore:
Effera vis animi, diuinæ neſcia mentis:
Heus ceſſa! vltricem nunc ſentis impie mentem.
Aſt ille, vt cælum vix hauſit, lumine in auras
Suſpiciens nutu ſignisque hæc dicere viſus,
Collachrymans: victis, ſi qua eſt venia hoſtibus oro:
Parce meo capiti: quid virtus poſſit abunde
Sat ſenſi Tua, tu mihi nomine Martius heros.
Mors-lucrum mihi, quod Tua demens arma petiui.
Nondum hæc, cum toto proſtauit pectore ventum
Vitalem, atque ſuum, fato conceſſit in orbem.

Singulare, profecto, virtutis documentum. Adeo tunc, ardore, ſed & ſcientia pugnandi, valuere *Hungari*, duces non minus, quam gregarii milites. Cæſis ergo, ea monomachia, duodecim Turcis, vno autem e noſtris, ſua culpa, deſiderato, hoſtes, ſole iam meridiano, per internuntios, miſſionem rogare cœperunt:

Heroës! melior iam pars tranſacta diei eſt,
Et medium cæli Titan complectitur orbem:
Oramus veniam noſtris ſuccedere tectis,
Queis greſſum extulimus; ſatis aſpera tela manusque
Senſimus: illa eadem maneat vos gratia noſtras,
Si quando ſimili caſu venietis ad oras.

Negabant, id ſe facturos, *Hungari*, quum hucusque, a nouitio tantum milite puguatum ſit; ſupereſſe veteranos, &, longis belli laboribus, du-

ratos; quin & duces, cum ducibus Turcarum, congredi velle: ſtarent, ſi viri eſſent. Hæc *Dobó* dixerat:

Illi ſed magis ac mage perrexere precando;
Qua mente admiſit, dimitteret aquus eosdem,
Cum medium cali ſol igneus hauriat orbem,
Ac nimium rapidus feſſos calor occupat artus.
Agnouit mentem Dobbó, *ac multum precantes,*
Proſequitur venia, dictisque ita fatur amicis:
Vos timor inde viri pellit: ne plura tropæum
Funera præripiant veſtrum.

Atque, hoc ritu, diſcedere e monomachiis ſolebant, aduerſæ partes. Sed, conuiuabantur etiam mutuo, in eo ipſo campo, quem, fuſo vtrinque ſanguine, infecerant. quod & nunc factum, GABELMANNVS *(m.)* meminit.

Vix hæc: deſcendunt ter ſex ingentia ab arce
Corpora: qui totis ceruicibus auram efflantes,
Viſcera toſta ferunt, taurorum, ac grata caniſtris
Dona laborata Cereris, Bacchumque liquentem.
Menſa in æquo ſublimis erat, quem quisque premebat.
Ductorum (incipe nunc ſociis adſueſcere menſis
Turca!) illi inter ſe partiti ſingula toſti
Terga bouis, multo lucem ſermone trahebant,
Adſenſu vario repetentes facta diei.

Iſta ergo, illis temporibus, ſingularium pugnarum ratio fuit, quæ & tunc inſtituebatur, cum pax eſſet. Nam ad eum modum virtutem bellicam volebant exacui, ne, ſi longa torpuiſſet ceſſatione, cum id vſus ferebat, fracto ad pugnandum animo, miles accederet. Sed neque ſequutis temporibus, virtus *Carponenſium* emarcuit, quod expeditiones aduerſus Turcas, auſpicato ſuſceptæ, paſſim, apud ISTVÁNFFYVM, loquuntur. Sane, anno MDCLXVII. cum tria millia Tartarorum, facta, in viſcera Comitatus Zolienſis, impreſſione, editaque ingenti ſtrage, præda onuſta, ouabundisque ſimilia, ad ſuos redirent, virtute *Carponenſium*, quos *Michael Bory, de Borſó*, ſupremus tunc præſidii *Capitaneus*, ductabat, non modo, ad internecionem cæſa ſunt; ſed, in libertatem etiam adſerti, quos captiuos ſecum rapuerant, ad vnum omnes: fortiſſimo milite, nobili *Paullo Szelény*, ea pugna deſiderato.

§. VII.

Fata Carponenſium alia:

HActenus de bellica virtute *Carponenſium*, quæ, vt recenſeremus, hiſtoricorum nos ſilentium permouit, apud quos, vix mentionem reperias, tanto ardore ſuſceptarum monomachiarum: vt adeo, ſperem gratiam me lectoris inituram, quod haud dimiſe-

m.) Inſcribitur liber: NICOLAI GABELMANNI Germani, MONOMACHIAE HVNGARO TVRCICAE, Carminum Libri II. Patauii. MDXC. forma quadripart: &, BOECKELERO Indice, eodem anno Lugd. Batau.

miſerim, huius rei ignarum. Nunc, reliqua vrbis fata proſequamur. Anno MDCV. in *Botskay* poteſtatem veniſſe *Carponam*, ISTVÁNFFYVS *(n.)* meminit: *Miſſo*, inquit, *cum duobus millibus Haydonum Franciſco Redeyo*, Carponam *primum*, *occupauit*, *qua ei*, *metu coacta*, *portas aperuit*. Iſta vere ineunte, acciderunt. Sed Nouembri menſe, comitia huc indixerat *Botskayus*, quorum hiſtoriam ISTVÁNFFYVS *(o.)* plene deſcripſit, nos autem IOHANNIS BOKATII *(p.)* verba, qui comitiis illis interfuit, recitabimus; vt fidem hiſtorici, non tam confirmemus, quam reddamus illuſtriorem: *Vacia*, inquit, *XIV. die Nouembris mouentes*, *biduo poſt*, CARPONAM *adpulimus*, *vbi magnates alii*, *& legati Comitatuum*, *Ciuitatumque*, *Principem praſtolabantur*. *Poſt triduum venit legatus Cæſareus*, *Magnificus Dominus* SIGISMVNDVS FORGÁCH, *cuius opera Cæſar*, *& Archidux Matthias*, *ſemel & iterum*, *in legatione*, *propter compoſitionem*, *pacisque tractationem*, *vſi fuerunt*. *Per eum*, *ad articulos principis*, *iam antea Cæſari miſſos*, *Archiducis nomine*, *Cæſarea adlata eſt reſolutio*. *Vigeſima prima Novemb. coram ſelectioribus legatis Hungaricis*, *prælecti ſunt iidem Articuli*, *additumque Cæſareum reſponſum*, *quod accepit* (princeps) *vt eos limitet*, *aut ad Diatam*, *ſub ſaluo conductu inſtituendam*, *ventilandos*, *& communibus regni ſuffragiis confirmandos*, *reſeruet Cæſarea Maieſtas*. *De induciis inter Cæſarem & noſtrates faciendis eſt concluſum*. *Quam ob rem electi legati*, *qui vna cum Dn.* SIGISMVNDO FORGÁCH, *Viennam proficiſcantur*, *quorum eſt anteſignanus*, *Spectab. & Magnificus Dn.* ILLYÉSHÁZY, *vir exacta ſapientia*, *& patriæ ſalutis amantiſſimus*, *cuius vel ſolius arbitrio*, *ſicut olim Athenienſes Solonis*, *noſtra gens Hungara*, *ſe ſubmittere*, *de eiusdemque ore pendere videtur*. *Speroque futurum*, *vt ipſius induſtria & moderatio ſit euentum habitura commodum*, *optatum*, *& nobis*, *totique Chriſtianitati*, *perutilem expeditionem*. Iſta BOCATIVS, tumultuante, vt videre eſt, ſtilo: eodem & ISTVÁNFFYI redit commentatio. Reliquis ciuilium bellorum conuerſionibus, communem fortunam ſequebatur *Carpona*. *Bethlenio* enim non minus, quam *Georgio Rákótzio*, ſeſe permiſit. Anno MDCLXXVIII. ab *Emerico Tököly*, intercepta fuit: verum eodem anno, ſeu, quod paruiſſet neceſſitati, ſeu quod temerariis obſecundaſſet conſiliis, pœnas dedit. *Leſſelius* enim, Germanorum dux, Cæſari adſertam, vt oppidis, quæ *Tökölii* fidem ſequebantur, metum iniiceret, militi diripiendam permiſit. Neque tamen ea re prohibuit, quin anno MDCLXXII. redeunti *Tökölio*, portas aperiret denuo. Iniquius longe tumultu *Rákótziano* ſecundo, cum vrbe agebatur. Captam enim, anno MDCCIII. & in poteſtate retentam, poſtea, anno MDCCVIII. igni exuſtam, deſeruerunt *Rákótziani*; inſano profecto conſilio, quod ad *Vetuſolium* notauimus. Atque, ab iſtis calamitatibus, ægre iam reſpirat *Carpona*.

comitia iſtic celebrat Botskayus.

bellis ciuilibus reliquis, quæ fuerit fortuna.

n.) Libro XXXIV. p. 822.

o.) Lib. XXXIV. p. 838.

p.) Ex Epiſtola MSC. ad amicum *Ibyhay*, *Carponæ*, MDCV. d. XXVI. Nouemb. exarata, §. XXIII.

§. VIII.

Vrbis aedificia:

MOenia vrbis, & reliqua ornamenta, exilia ſunt, & priſci temporis habitum referentia. Auctor Topographiæ: *Neque amplitudine, neque aedium elegantia, illuſtris apparet. Alluitur autem Krupinitza fluuio, firmaturque duplici propugnaculo, ſatis robuſto, ex ea parte, vel maxime, vbi hoſtilibus machinis pateſcit. Hinc Turcis, dum plagas interiores Hungariæ inſidebant, finitima, eorundem audaciam non ſemel eluſit, fregitque. Templum, quod vrbi in colliculo adiacitur, hæreticis, ante aliquot annos feliciter ereptum eſt; arcis in modum conformatum, præalto muro ac turribus muuitur, a magnitudine potiſſimum commendabile. Nec ſuburbana deſideres, qua* Vetuſolium *ſpectat, vnde ciuitati amplitudinis aliquid accedit.* Poſitus amœnus eſt, & inter vitiferos colles, medius. quorum vinum ſupra deſcripſimus. Neſcio, an tota *Hungaria*, locum reperias, maiori fructuum, ſeu varietate, ſeu, ad guſtum, præſtantia præditum; ita hic omne arborum genus exuberat: quod eo maiorem habet admirationem, quo regio hæc *Carpatho*, perpetuis niuibus famoſo, vicinior eſt. Reſpondent pomariis, agri frumentarii, macilenta quidem gleba, qua ſunt per colles ſparſi; ſed, in *Carpona* amnis margine, ita fœcundi, vt ſtercorationem poſcant parciorem. Vtroque prouentu, vineatico, & agreſti, vrbanum vulgus, rem facit: pauci ſimul artibus ſellulariis. Cum limitaneum adhuc eſſet propugnaculum, *Carpona*, pars ciuium potior, militari ordini adſcripta fuit, ea in primis, quæ nobilitate abſoluebatur; ſed, temporibus antiquis, & ignaris impreſſionum Turcicarum, vrbs tota, a *Germanis* colebatur: quorum poſtea numerum belli viciſſitudines imminuerunt, *Hungaris* partim, partim *Slauis*, in iura eorum ſuccedentibus. Sunt, qui meminerunt, præter *Slauum* & *Hungarum*, *Germanico* etiam idiomate, rem diuinam procuratam fuiſſe apud Carponenſes. quod & ſacræ ædis monumenta, germanicis inſcriptionibus conſpicua, loquuntur. Hodie, vix vnum alterumue reperias, qui Germanica intelligat. Olim, frequentiſſimæ hic fuerunt mulieres, quæ artibus veneficis gaudebant, magno vrbis dedecore. Tametſi autem magiſtratus, omni cura ſtudioque incubuerunt, in peſtem iſtam, ab imis radicibus, euellendam; nondum tamen ita profecerunt, vt non deprehendant ſubinde, quod ad rogum damnent. Neque facile, impietatis huius, cauſſam repereris aliam, quam ſolitum vitiorum contagium, ac veri numinis faſtidium & ignorationem. Habent *Carponenſes*, & ſtatos in eosdem dies mercatus, quos meminiſſe iuuat. Inſtituuntur vero ii, die *B. Dorotheæ* nomine inſigni; *Dominica Lætare*, *SS. Petro & Paullo*; *Bartholomæo*; *Simoni & Iudæ*, ſacris, ac denique, *Dominica IV. Aduentus.* Adpellat *Carpona*, ad *Thauernicorum Regalium Magiſtrum.*

ſitus amœnus, & fructuum copia:

agri frumentarii:

incolæ olim Germani;

iam Slaui, & Hungari:

veneficarum, apud Carponenſes, frequentia:

mercatuum publicorum tempora.

SE-

SECTIO II.

De Arcibus & Caſtellis Proceſſus Inferioris.

PROOEMIVM.



Arces iam ſunt deſignandæ. Tres earum ſuperant hodie, neque cultæ admodum; ſed neque deſertæ penitus. Ergo, non tam hodierna, quam priſca earum decora, habebimus recognoſcere; idque more noſtro, diligenter non minus, quam breuiter.

I.

De Arce Zólyom.

SYNOPSIS.

Arcis Zolienſis *exordia: alterius caſtri ingentia rudera*, §. I.

Molis ſitus & habitus ædificiorum: Matthiæ Coruini *hoſpitium: ædes ſacra: armamentarium iam exinanitum: puteus arcis: munimenta & propugnacula.* §. II.

Fuit regibus peculiaris: pignori ſubinde data: adſcribitur iuribus Eſterházii: *quando in munimentis Hungaria haberi cæperit? eius præfecti, & præſidium.* §. III.

Conuerſiones cetera. §. IV

§. I.

Ametſi connexa ſunt arcis ZOLIENSIS fata, cum iis, quæ ad vrbem cognominem, retulimus; tamen, pretium fuerit operæ, de eius exordiis, & habitu hodierno, dicere quidpiam. Ita enim exiſtimo, ſicuti vniuerſo *Comitatui*, ſic & oppido *Zolienſi*, nomen ab arce communicatum fuiſſe. Vnde & illud coniicias, arcem primum, poſtea vero adſitum ei oppidum, fuiſſe conditum: ſiue demum, primi conditores, *Sarmatæ Lazyges* ſint, priſci regionis inquilini, ſiue, his poſteriores, *Hungari*. Nam, in more gentium bellicarum poſitum id

Arcis Zolienſis *exordia*.

id fuiſſe conſtat, vt non oppida, ſed caſtella locis idoneis, ponerent, munirentque; progreſſu dein temporis, ſi id locorum opportunitas ferebat, oppida ſimul adiicientes. Atque, ita apud *Vetuſolium* factum eſſe, cum operis vetuſtas, quam arx præfert, tum eius poſitus, innuunt. Neſcio autem, an iſto, quo iam eſt ſitu, priſci illi homines, arcem noſtram exædificauerint. Exſtant enim caſtri quædam rudera, in monte prærupto, & vicino Vetuſolienſibus, quod Slauum vulgus, *Stary Hrad*, Hungari, *Ovár*, hoc eſt, *arcem veterem*, adpellant, Molis veſtigium, quod rudera oſtendunt, amplum aliquando propugnaculum, idemque, ſicuti expugnatu difficile, ita iucundum ad habitandum fuiſſe, loquitur. Sunt, qui opinentur, arcem hanc, fugato *Giskra*, igni concrematam, diſiectamque fuiſſe. quod vt credam, induci nequeo; ſilent enim hiſtoriæ. Et ruderum ſane vetuſtior eſt ſitus, quam, qui ab ea ætate potuiſſet contrahi: vt adeo, ortus non minus, quam occaſus arcis, in obſcuro ſit poſitus. Nos inſtitutum proſequamur.

alterius caſtri, ingentia rudera.

§. II.

Molis ſitus, & habitus adificiorum:

ARx nimirum, cum oppido coniuncta, in meridiem adtollitur. Nam locus, cui inſedit, ſitu oppidi, paullo altior eſt. Ea parte, qua ab oriente, *Szalatna* amniculo, ſubluitur, cliuo adſurgit, leniter prærupto; ſed nec eo ſolido & inacceſſo. Totum opus quadratum eſt, muro elegantiori, quam ſolidiori, exædificatum. Prætorium, ſiue arcis ædes, laxæ ſunt ad habitandum, & in tres contignationes adſurgentes. Sed turres, quibus anguli ædificii prænuniuntur, aliquanto altius prominent, cupro olim, nunc ſcandulis, intectæ. Ima cellis vinariis, penuariisque cameris, & fornicibus abſoluuntur: media, conclauia, cubilia & triclinia, habent, magnifico olim adparatu inſtructa. Horum maximum, Regis MATTHIAE hoſpitio adhuc celebratur, & ad ſolem occidentem proſpicit. Splendidum olim fuiſſe, parietes, & pauimenta, loquuntur. Inde ad ſeptentrionem, conclauia, ordine perpetuo, iunguntur. Ad orientem ſacellum eſt, cultui deſtinatum diuino, quod perrupto pauimento, & cum imæ partis fano coniunctum, auguſtam refert ædem. Nempe, ſuperiorem ædis partem, quoties ſacra fiebant, rex, cum comitatu ſibi familiari, occupauit; cum infra reſiduum aulæ vulgus, conſideret. Sepulchra in eo viſuntur, *Eſterházy*, & *Valentini Balaſſa*. A dextris, iterum conclauia ſunt, imaginibus gentis *Eſterházyæ*, ornata. Vltra, quidquid in meridiem protenditur, cubilibus conſtat & cameris. Summa operis contignatio, eodem ordine, quo media, habitacula oſtendit. Maximum in his, ſuper triclinio regio, viſitur, quod & armamentarii loco habebatur. Et erat omnino diuerſis armorum generibus, noſtra adhuc ætate, probe refertum. Vidiſſes hic, diuerſa tormentorum genera, ſpecies ſagittarum antiquiſſimas, haſtas

Matthiæ *Coruini hoſpitium:*

ades ſacra:

armamentarium, rem examinatum:

ad

ad priſcum modum ferro præmunitas, ſexcentas item pilorum & ignitorum globorum, varietates, & id genus machinas bellicas: ſed, horum partem eximiam, *Rákótzianorum* inſolentia, diſſipauit. Vidimus, ab *Hungaro* milite, haſtilia confracta, & cum integris ſagittarum manipulis, licentioſiſſime igni combuſta, quaſi iſta petulantia, ad liberandam patriam voluiſſent proficere, egregii priſcæ virtutis imitatores. Circumductum in quadrum ædificium, aream in medio habet, ſilice & lapidibus ſtratam. In huius, ad meridiem, angulo, puteus depreſſus eſt, ea profunditate, quæ hinc *Szalatnæ*, *Grano* illinc, reſpondeat. Perennes ei aquæ ſunt, eæque, ad potum & cibum, ſalubres, neſcio tamen, an diuturniori obſidioni ſuffecturæ. Hanc prætorii molem, murus incingit, ſolido lapide, & laterculis, ad iuſtam altitudinem, eductus. cuius ambitum, propugnacula communiunt, vallis, foſſisque præcincta. Maximum eorum eſt, quod arci ab occidente ſubſtructum viſitur; centum paſſus longum latumque, tanta muri craſſitie, vt quadrigæ, inter ſe occurrentes, ſine offenſa, præteruehi poſſint. Subtus, cauernæ fuerunt, manu factæ, & concamerationibus diſtinctæ, quæ occultando militi præſidiario, ſi rem in diſcrimen vocari contigiſſet, inſeruirent. Sed has, vetuſtas partim, partim incuria, in ruinam præcipitare iam pridem occepit. Ita ſe arcis ædificium habet. Aditus ad eam vnicus eſt, atque is, illa parte, qua oppido coniungitur. Solidæ hic ſubſtructionis porta ſedet, cuius acceſſus, profunda lataque fouea præmunitur. huic, pons incubat verſatilis, vt, ſi res poſcat, ſubduci queat: eo tamen infelix, quod cuniculis ſubrui poſſit, peruia vndique humo, & operarum patiente.

puteus arcis:

munimenta ex propugnacula.

§. III.

AB vltima ætate, regibus fuit peculiaris, noſtri, *Coronæ Bonum*, vocant. quæ, quod abalienari *(a.)* publicis legibus vetarentur, diſertis verbis, ab ea ſanctione *Vetuſolium*, *(b.)* cum paucis arcibus aliis, exemtum legitur. Eo iure, pignori data, mutauit ſæpius dominos. Anno MDCVI. *Franciſco*, & *Nicolao*, *Dersffiis*, *(c.)* paruit. Sed triennio poſt, *Franciſco Magochy*, adſertam *(d.)* reperio, atque id matrimonii iure: *Magochy* enim, *Vrſulam Dersffyam (e.)* duxerat, cuius ille iure, grandi potitus fuit ditione. Erat vero *Magochy*, Caſſouienſium *Generalis*, vir omnino ſtrenuus, & multarum opum ac clientelarum. Eo, fatis, anno MDCX. functo, *Nicolaus Eſterházy*, qui huc vsque Magochyanæ aulæ præerat, *Vrſulam*, heri ſui viduam, anno MDCXI. matrimonio ſibi iunxit, totaque, *Magochyana* hereditate, potitus eſt. Ad hanc, pignoris nomine, *Vetuſolium* tunc pertinuit, eodem iure, *Eſterházio* adſcriptum. Inde, perpetua annorum ſerie,

Fuit regibus peculiaris:

pignori ſubinde data:

a.) Vide, Vladislai Decretum VII. Art. II.
b.) Anni MDCVIII. Art. XXII. ante Coronat.
c.) *Pacific. Viennenſis*, Art. XII. num. 4.
d.) Anni MDCIX. Articulo XXXV.
e.) Conſule Catalogum Palatinorum, *Caſparis Longolini*, Coronæ Hung. *Petri de Rúa*, adnexum, p. 161. 162. & *Tyrnauienſium Eruditos*, in *Curia Regum Hungaria*, p. 89.

adſcribitur iuribus Eſterházii:

in poteſtate illuſtris huius gentis, a qua hodieque poſſidetur, duraruit. Limitaneis, aduerſus Turcam, propugnaculis, temporibus FERDINANDI I. *(f.)* cum late, per Hungariam, dominaretur hoſtis, accenſa, &

quando in limitaneis Hungariæ munimentis, haberi cœperit?

publico regni ſumtu, muniri cœpta eſt; Comitatibus, *Liptouienſi*, *Aruenſi*, *Thúróczienſi*, & *Zolienſi*, opus facientibus. Ex eo tempore, iuſto ſemper præſidio muniebatur. cui duces, cum imperio, præerant, *Capitaneos* vulgo dicere, moris eſt. Quia enim *Budam*, quin, proximiora his propugnacula, *Filekinum*, *Szétsénium*, & montana paſſim caſtella, a Turcis tenebantur, perpetuis impreſſionibus, regionem late

eius duces & præſidium.

fatigantibus; neceſſum erat, iſtiusmodi limitaneis præſidiis, incolas, & tunc defenſare, cum, ſiue pace inita, ſiue pactis ad tempus induciis, ceſſatio ab armis erat. Præcipuam *Barbaritſchio*, viro *Croatæ*, Vetuſolienſium duci, laudem, a NICOLAO GABELMANNO *(g.)* adſcriptam lego, ad annum MDCXXXI. in quem ſingularis illa pugna, quam, ad *Carpona* mentionem, dedimus, inciderat. Ita vero ille, cum miſſa Carponenſibus ſubſidia ceciniſſet:

Nec tua tunc potuit generoſa ſilere
Mens, Barbaritſe, *tuus*, *placidi tum numinis arte*
Seſe oſtendit apex: effulſis cognita factis
Canicies, *experta manus*, *experta dolosque*
Turcarum: horrendam ac voluiſti auertere cladem,
Atque inſperatum ſiluis effundere apertis,
Auxilium, *ſubito polluta paceque fideque*
Spem prater, *noſtras*, *tota ſi forte cohorte*,
Per medium ruerent alas, *& ſanguine tincta*
Rura colorarent noſtro, *campumque virentem*
Scilicet expertus, *quo talia prælia ſenſu*
Inſtituant dubios Tu aditus, *tu prælia noſti.*

Hæc GABELMANNVS, quæ non erant ſilenda, vt & ducis memoria propagaretur ad poſteros, & palam fieret, *Vetuſolienſes* milites præſidiarios ſaluti ſubinde fuiſſe circumiectæ regioni. Poſtea, a IOHANNE BALASSA *(h.)* res *Vetuſolienſium* adminiſtrabantur; ſed, qui artibus *Georgii Botskay*, quem adfinitate contingebat, inductus, arcem, iuxta & oppidum *Zolienſe*, IOHANNI SIGISMVNDO, Tranſiluano tradere, in animum fruſtra induxerat: detectis enim mature inſidiis, ad faciendum officium, reuocatus breui eſt. Ceterum præſidia, tum demum ex arce *Zolienſi* deducta fuerunt, cum reiectis, a confinio montanarum vrbium, *Turcis*, tuto habitari cœpit regio.

§. IV.

f.) Anni MDLVII. Artic. VII. Adde, Anni MDLVIII. Artic. XXXVII. vbi hæ operæ *Comitatui Zolienſi* adtribuuntur.

g.) MONOMACHIAE Hungaro Turcicæ, Lib. II. fol. 15.

h.) ISTVANFFYVS, Lib. XXIV. de iniqua ad *Szétſinum* fortuna eius, vide eundem, Lib. XXI. & in Hiſt. Comitat. Neogradienſis, in fatis *Szétsénienſium*. Laudes viri militares, in *Supremis*, prouinciæ huius, *Comitibus*, adtrectauimus.

§. IV.

RElíquas conuerſiones, cum oppido, communes habuit, arx noſtra; bellis in primis ciuilibus, vbi nunc deiectis, nunc inductis denuo præſidiis, confirmabatur. Sed, quia hæc ad vrbem retulimus, nihil iam adtinet recenſere. Illud meminiſſe iuuat, montanas vrbes, cenſum illum, qui olim culinæ pendebatur regiæ, alienata etiam poſſeſſione, dominis eius, quotannis ſoluere hodieque. *Conuerſiones cetera.*

II.

De Arce Vigles.

SYNOPSIS.

Vigles, *arcium altera: de eius origine fabula conuellitur.* §. I.

Situs opportunitas: adificium ruina proximum. §. II.

Arcis Domini. §. III.

Quas tolerauerit obſidiones: erat olim munimentum limitaneum. §. IV.

§. I.

SEcunda, iſto *Proceſſu*, arx eſt VIGLES, vel quemadmodum Hungari pronunciant, *Vigleſch.* Diſiungitur Vetuſolio, milliari, in æſtiuum orientem ſepoſita. Nominis rationem, ad ortum referunt, qui fabulis credunt. Nempe, narratur vulgo, MATTHIAM Coruinum, iſthic venationis oblectamenta quærentem, ſpeculam, vnde feris inſidiaretur, eo ipſo loco habuiſſe, cui poſtea arx impoſita ſit. Id genus Hungari, *Les*, ſiue *Leſch*, ſi ſonum velis exprimere, vocitant. Accidiſſe vero, vt, labori intentus venatico, lætum, de nato ſibi filio, nuntium, eodem hoc loco, acciperet, quem, futuri ad poſteros ominis cauſſa, *Vigles*, hoc eſt, *lætam ſpeculam*, adpellarit, atque temporis ſucceſſu, ad modum arcis exædificarit. Hæc illi: hiſtoriæ minus conſentanea. Et primo quidem, vehementer dubito, nato, e concubitu illegitimo, filio, id honoris habuiſſe regem; neque enim vmquam, legitimum ſuſceperat; vt eius natiuitatem, arce exædificata, cohoneſtaſſet. Poſtea, ſubſtructiones arcis, vetuſtiores ſunt omnino, quam quæ ad ætatem Coruini poſſint referri. Quid? quod SZENTIVÁNY, *a.) Cruciferorum* ordini arcem adſcribat, quod procliuius eſt ad credendum; ſacellum enim adhuc habet, maius, quam pro mole arcis. Proinde, nomen, & ortum, altius reponendum cenſuerim, diplomatum fidem ſequutus. SIGISMVNDVS certe, Hungariæ Rex, anno MCCCXCVII. iſthic Vigles, *arcium altera:* *de eius origine fabula conuellitur.*

a.) Differt. Paralipom. rerum memorabilium Hungariæ, Catalogo LVII. p. 225.

iam diuertebat, quemadmodum id diploma, *Petro de Lippouch*, exhibitum, loquitur. *Datum*, inquit, *in caſtro noſtro* VIGLES, *feria quarta proxima, ante feſtum Natiuitatis Virginis gloriosæ, Anno Domini MCCCXCVII.* Adparet hinc, exſtitiſſe ante *Coruinorum* tempora, arcem, fuiſſeque in regiis caſtris cenſam.

§. II.

Situs opportunitas.

QVidquid eius ſit, ſitus certe, egregie Hungarico nomini reſpondet. Quia enim rupi inſodit præcipiti, amœnum, in orientem & meridiem, proſpectum habet. Reliqua ſaltus & montium iuga occupant. Acceſſus difficilis admodum, ſed oppugnatu eo facilior; quia, ab occidente, collis ei ſaxeus imminet, tormentorum ſuggeſtibus, modica adgeſta humo, aut poſitis corbibus, peropportunus. Ipſa arcis moles, priſco ritu ſubſtructa, palatia olim habuit, non in-

ædificium, ruina proximum.

culta, ſed iam partem maximam, ſolitudini vicina, quod equidem, non belli tantum conuerſionibus, ſed dominorum etiam frequenti variationi, adſcripſerim. Certe, cum anno MDCCXIX. in arce diuerſarer, maximam ædificii partem, eam in primis, quæ portæ aduerſa eſt, ruinam minitari, obſeruaui: vt noua iam ſanctione opus eſſet, qua, eius reædificandæ cura, more illo antiquo, integræ alicui prouinciæ, demandaretur. Nam, anno MDLXXVIII, *(b.)* ita decretum reperio, vt arcem *Vigles*, *Liptouienſium Comitatus*, inſtauraret.

§. III.

Arcis dominii.

AD arcis dominos, quod adtinet, alii ſubinde, excepere alios: nonnumquam, & ad fiſcum regis, cum illi deficerent, recidit. Anno MDXLII. iure hereditario, *Stephano de Raska*, Comiti Comitatus Neogradienſis, paruit, *(c.)* cui eam ſtatus regni, publico decreto, a peregrina, *Chriſtophori de Turri*, dominatione, vindicauerunt. *Raskaiorum* gente, ſine herede, emortua, in regis FERDINANDI I. poteſtatem venit: quam is, ob nauatam ſibi egregiam operam, toleratosque, in Tranſſiluania, carceres, *Dobóni*, viro ſtrenuo, inuſitata liberalitate donauit. Ea de re ISTVÁNFFYVS: *(d.) Vltra*, inquit, *ſtipendia emerita, integre ſoluta, & arcem* Lêuam, *maximi cenſus, ei iure hereditario donatam:* VIGLESVM *etiam caſtrum, prope* ZÓLIVM *poſitum, cum duobus oppidis, Göntzio, & Telkybánya, ſuperaddidit.* Illo tunc iure, *Vigleſum*, Dobóni ceſſit. Atque, hæc quidem, anno MDLIX. acciderunt. Exſtincta gente *Dobó*, redibat poſtliminio ad regis arbitrium, *Csákiis* poſtea tradita. Nunc, *Eſterházyâne* domui, quæ axiomate principum inſignis eſt, parere eam, ſatis conſtat.

§. IV.

b.) Articulo XXVII. Art. X.
c.) FERDINANDI I. Decret. Neoſolienſe, d.) Lib. XX. p. 996.

§. IV.

TAmetſi vero ſeceſſus cauſſa potius, quam, vt propugnaculum, aduerſus hoſtem eſſet, arcem *Vigleſiam*, iſto loco excitatam, credi par ſit; ſubinde tamen, impoſito, cum res trepida eſſet, præſidio, muniebatur, habuitque cum toleratæ obſidionis, tum reiecti hoſtis, laudem, tumultu in primis *Botskayano*. *Eodem tempore*, ſcribit ISTVANFFYVS, *(e.) arx quoque* Vigleſchia, *quæ olim procerum* Raskaiorum *fuerat*, *obſidionem tolerabat*; *cui* Chriſtophorus Rappachius *Schemnitzienſis*, *Cameræ metallicæ præfectus*, *cum vxore & liberis erat incluſus*. *Hanc*, *ab Haydonibus*, *bis terue oppugnatam*, *ille*, *cum paucis ſuorum*, *caſis Hajdonum amplius ducentis*, *fortiter & impigre*, *conſeruauit*. Quod iſta tempeſtate, *Vigleſi* hoſpitabatur *Rappachus*, inde equidem colligo, iis tunc ditionibus, adſcriptam fuiſſe arcem, quæ iuuandis metallorum operis, *Cameræ* illi erant adſcriptæ. Sed, antegreſſis etiam temporibus, in limitaneis *(f.)* munimentis habebatur, *Comitatu Liptoniensi*, qui eam, *gratuitis*, vt vocant leges patriæ, *laboribus*, muniret, eidem adſcripto. Noſtra ætate, pulſis *Rákótzianis*, toto fere biennio, præſidio, equitum peditumque, inſeſſam meminimus, & tormentis munitam, in quibus duo mediocris moduli, hac *inſcriptione* inſignita vidimus: *Spectabilis Dominus Stephanus Soos de Poltár*, *(g.) Eques auratus*, *fieri curauit*. An hinc colligi debeat, inclutæ ei genti, paruiſſe aliquando arcem *Vigles*, non auſim adfirmare: cum nihil ſit procliuius, quam, tormeota currulia, belli cum primis tempeſtate, huc, atque illuc, raptari. Illud certius eſt, fuiſſe aliquando in poteſtate familiæ *Iuſth*, id quod eius diplomata loquuntur. Hodie, procuratorem *Eſzterházianum*, *prouſorem* vocant, cum neceſſario famulitio, hoſpitem habet.

Quas toleraſſe obſidiones:

erat olim munimentum limitaneum.

III.

De Arce Dobroniwa.

SYNOPSIS.

Arcis Dobroniwa *ſitus: eius origines ignotæ: de iis coniectatio.* §. I.

Qua ſit male, & opportunitate? §. II.

Donatur a Ludouico II. *Verbótzio: vſurpatur per* Chriſtophorum a Turri. §. III.

e) Lib. XXXIV. Confer. Lib. XVIII. p. m. 332. vbi *Melchiorem Maſconem*, VIGLESO præfuiſſe, habuiſſeque ſub ſignis, CL. equites germanos, memorat, ad annum MDLII.

f.) Vide Artic. XXVII. anni MDLXXVIII.

g.) Fuit olim gens, Soós de POLTAR, inter præcipuas *Comitatus Neogradienſis* & *Zolnenſis*, familias cenſa; ſed, quæ emortua eſt pridem.

§. I.

Arcis Dobroniwa ſitus:

ALtera, quæ ad occidentem vergit, montium parte, arx DOBRONIWA ſedet, Hungaris *Dobróna* dicta, eodem fere, quo *Vigles*, interuallo, *Vetuſólio*, in meridiem diſiuncta. Situs ratio, facile nobis perſuaſerit,

eius origines ignotae:

præmuniendis faucibus *Nyereſznitza*, quæ integro milliari, a *Vetuſolii* confinio, hucusque protenduntur, excitatam fuiſſe; ſed, quibus conditoribus, mihi quidem exploratum haud eſt. *Slauicum* arcis nomen,

de iis coniectatio.

(DOBRAWINA enim ISTVÁNFFYO, hoc eſt, *bona culpa*, dicitur) Bohemis adſcribendam iubet; ſiue *Huſſitis* illis, qui temporibus SIGISMVNDI graſſabantur; ſiue, quos *Eliſabetha*, ALBERTI vidua, *Vetuſolii* collocauerat. Profecto, vtrorumque inſtitutis, egregie id conuenit: quippe, munitas paſſim arces, locis maxime idoneis, conſtituentium. Et multum ſane *Bohemorum* intererat, vallis *Nyereſznitza (a.)* aditum communitum habere, vt & ſecurius *Vetuſolii* agerent, (nam hic ſedem latrociniorum poſuerant,) & quoties vſus poſceret, vltro citroque, per eadem fauces, poſſent commeare. Neque ante Bohemorum iſtas irruptiones, mentionem arcis reperio. Certe, qui eius conditorem MATTHIAM *Coruinum* eſſe volunt, nullum eius rei documentum adferunt, quam quod dicant, canum venaticorum agmina, cum rex Vetuſolii diuerſaretur, heic detenta fuiſſe, *Ebház*, inde adpellatam, quod *domum canum* ſignificat. Ita eſt omnino, vtebatur, ad eam rem, arcis opportunitate, *Coruinus*, ſed, vt eam huic fini exædificarit, nequeo credere.

§. II.

Qua ſit molis & opportunitate?

IPſa arx, colli impoſita eſt, glabro & ad eximiam altitudinem ſurrecto. Huic, ſiluoſi montes, a ſeptentrione & meridie, adſident; ſed illinc, quam hinc, denſiores. Facies molis, in orientem proſpicit, conclauibus ad priſcum modum factis, neque üs multis, diſtincta. Occidenti, tergum arcis obiicitur, adducto in circulum ædificio; vbi, & ſuggeſtus aliquando fuiſſe creduntur, collocandis tormentis idonei: ea enim parte, via, quæ ad vallem ducit, deſpicitur, atque infeſtari etiam poteſt, ſi machinæ adſint, quibus id præſtari queat. Quod circa arcem ædificiorum eſt reſiduum, rei id ruſticæ deſtinatur. Nam, cognomen oppidum, ad paſſus, plus minus, bis mille, inde, ad meridiem, recedit. Ceterum, nuſpiam reperio, validiori præſidio munitam aliquando fuiſſe *Dobrónam;* niſi id bellis forte ciuilibus accidiſſet. *Hajdonum* contubernio, cuſtodiendam permittere ſolebant poſſeſſores, quibus caſtellanus, *Polkoráb* dicunt noſtri, nato ex

a.) Iisdem forte Bohemis, & vallis huius, vel pylarum potius, nomen adtribueris. *Nyereſ*, enim, omne calamitatis genus ſignificat *Nyereſztuyicza* autem, vallem locumue, calamitoſum & obnoxium difficultatibus. qua denominatione ad impeditum vallis iter reſpexiſſe *Bohemos*, certum eſt.

ex *Burggraff* Germanorum, vocabulo, imperitabat. Hodie, quia incurioſius habetur, rimas agit, parietinas breui, & rudus datura: iam enim fere

Ruderibus totis tecta ſepulta latent.

§. III.

PRimam eius mentionem, apud ISTVÁNFFYVM *(b.)* legas, vbi, *Verbőtzium*, irrequieti animi virum, a LVDOVICO II. donatum ea ſcribit: *Tentauerat*, inquit, LVDOVICVS Verbötzium, *data ei arce* Dobrawina, *qua prope* Zolium, *inter montanas ciuitates, habetur; delato inſuper ad eum, honeſtiſſima Romana legationis munere, delinire; ſed vir, contrariarum partium ſtudiis inueteratus, planeque obſtinatus, nullis benignitatis obſequiis, placari potuit.* Hic ille STEPHANVS *de* VERBŐTZ fuit, gentis noſtræ Vlpianus, qui iura Hungarica, paſſim per decreta regum ſparſa, aut conſuetudinibus iam pridem inueterata, in vnum corpus adunauit, atque tripartito digeſſit, vnde vulgare *Tripartiti* nomen, quo *Corpus Iuris Hungarici*, inſignimus. Poſtea, cum poſt *Mohátſchianam* cladem, FERDINANDVS I. rebus præeſſet, *Mariæ Reginæ*, ſed poſſeſſorum iniuria, eandem, viuo adhuc VERBŐTZIO, vindicauerat *Chriſtophorus a Turri*, ditionis Vetuſolienſis præfectus. Idcirco, publico regni decreto, *(c.)* reſtituendam cenſuerunt Status, *Emerico* de *Verbőtz*, Stephani filio. *Caſtrum autem* Dobrawina, *Magnifico Domino* Emerico de Verbőecz, *Comiti Comitatus Tolnenſis, reſtituatur: eo quod, a manibus genitoris ſui demortui, occupatum eſſe dicitur.* Verba ſunt decreti, eodem anno *Poſonii*, *(d.)* repetita denuo: *Regia Maieſtas caſtra, Liptſche, Vigles, &* Dobrowina, *iuxta conſtitutionem Nouiſolienſem, ad quos pertinent, iam tandem reſtituere dignetur, nec patiatur vlterius differri eorum reſtitutionem.* Sed, gente *Verbőczyorum* exſtincta, *Derſfiis*, cum *Vetuſolienſi* ditione, pignori fuit data. quam poſtea, *Magóchiy*, iure vxoris, ſicuti ſupra docuimus, ſibi vendicauerat. *Franciſco* autem *Magóchy*, anno MDCX. fatis functo, *Nicolaus Eſterházy*, thori, iuxta & ditionum eius heres, exſtitit, cuius quidem genti, multis nominibus illuſtri, adhuc paret.

Donatur a Ludouico II. *Verbötzio:*

vſurpatur, per Chriſtophorum *a Turri.*

SE-

b.) Lib. VIII. initio. Eadem legas, apud PETRVM *de Réva*, Coron. Hung. Cent. VI. p. 65. qui tamen arcem vulgari nomine, *Dobroniwa* adpellat. Ego ita credo *Dubrawinam*, quod *querceta* ſignificat *Slauis*, ab iſto ſiluarum genere, huic tractui familiari hodieque, dictam fuiſſe.

c.) Vide *Decretum Neoſolienſe*, An. MDXLII. Art. X. ſub finem.

d.) Eiusdem anni, FERDINANDI I. Decret. VI. Artic. VI.

SECTIO III.

De Caſtellis Proceſſus Inferioris.

PROOEMIVM.

JAm & Caſtella *Proceſſus Inferioris* iuuat commemorauiſſe: eo quod, & ornant regionem, & reddunt habitatu commodam; tametſi, neque multa ea ſint, neque ad elegantiam ſeculi inſtructa.

SYNOPSIS.

Caſtellum, Király-Faluenſe. §. I.
Garamſzékienſe *geminum*. §. II.
Hajnikenſis *feceſſus*. §. III.
Prætorium Oſztrolucenſe: Balthaſaris Oſztroluczky *memoria*. §. IV.

I.

Caſtellum Király-Falva.

Caſtellum Király-Faluenſe.

INter Caſtella, KIRÁLYFALVENSE, primum eſt, quod cum vico adpoſito, in depreſſiore *Grani* margine, proxime ad *Raduán*, conſedit. Muro id incingitur valido, & ad eam ſubducto altitudinem, quæ prætorio liberum proſpectum adimat; credo, vt inſultus hoſtium reiicere poſſit, habitarique tutius: certe enim, anguli mœnium, poſitis turribus, præmuniuntur, vt tumultuarium adſultum reiicere poſſe videatur; ſi adſint, qui defenſare velint, ſciantque. Prætorium, quadrato opere exædificatum vidimus, conclauibus, gemina contignatione circueuntibus, ſicuti non indecoris, ita paucioribus forte, quam quæ familiam numeroſiorem poſſent accipere. Aream amplam & æqualem, hinc quidem humiliores ædes, illinc ſtabula, & id genus ædificia, occupant. Eſt ditionis *Vetuſolienſis*, vnde, & nomen *regii vici*, indeptum exiſtimo. Hodie ſuo quodam iure, inclutæ familiæ *Gerhardianæ* ſubeſt.

II.

Caſtella Garam-Szög.

Garamſzékienſe *geminum*.

AMœnius ad *Granum*, medio, inter *Neoſolium* & *Vetuſolium*, itinere, *Garamſzékienſia (a.)* prætoria conſederunt. Duo horum ſunt, vix trecentis paſſibus, diſcreta inuicem, ac fere

a.) Ita ſcribere malim: neque tamen iis contraiturus, qui volent vulgatum *Garamſzög*, retinere. vtriusque vocabuli, *analogiam*, apud Hungaros, repereris.

re eodem ſpatio, ab amnis margine, in orientem, ſecedentia. Nimirum:

Iucundas ſeruant prætoria ripas.

Hinc, & nomen caſtellis inditum, quod vulgo *Garamſzög*, quaſi *angulus* eſſet ad *Granum*, pronunciant; ſed, niſi fallor, male; cum *Garamſzék*, id eſt, *ſedes*, aut *ſeceſſus ad Granum*, dici deberent: compoſitione, in oppidi *Bábaſzék*, quod infra occurret, vocabulo, ſatis nota. Erant olim gentis *Sóós de Poltár*, hereditaria, poſtea, nobiliſſimæ *Gétzyorum* familiæ, teſtamento, quod rex ipſe ratum habuit, tranſcripta. Aedificia, parum decoris hodierni referunt: quippe, ritu priſcorum, & quaſi ſine regula facta. Vtrumque tamen, muro circumdatum eſt, caſtellanis ideo præſidiis, cum res poſcebat, firmatum. Quod Granus ripas ſubluit, perſæpe fit, vt eluuionibus infeſtentur. Alioquin, ſuperius adhuc *Gétziis* paret; inferius autem, poſt diſſolutum *Baronibus de Schmidegg*, pignus, *Baltikiorum* iuribus adſcriptum eſt, præbetque ſedem, *Adamo Róth de Králócz*, prouinciæ *Vice-Comiti* multarum laudum.

III.
Caſtellum Hájnik.

INde, ad paſſus bis mille, ſecundo amne, in meridiem profectis, *Hájnikenſis* ſeceſſus, aduerſa ripa ſeſe offert, exiguæ quidem molis, ſed habitatu, ob adlabentem Granum, & obiectos proſpectui, tràns flumen, colles ſiluoſos, iucundus. Eſt familiæ *Bezekianæ*. Hájnikienſis ſeceſſus.

IV.
Caſtellum Oſztrolúka.

SEd nec *Oſztroluczkyorum* ſedes tacenda eſt, vltra *Vetuſolium*, eleuatiori, intra montes, regione, ante annos circiter LXXX. commode ſatis, pro decore gentis, exædificata. Et eſt omnino *Oſztroluczkyorum* familia, ſicuti antiquæ nobilitatis, ita, multis priſcæ virtutis imaginibus, decora. Recordor ego, ante hos XL. & quod excurrit, annos, *Balthaſarem Oſztroluczky*, plurium filiorum genitorem, licet, ex variolarum morbo, infans adhuc, lumina oculorum amiſerit; tamen, rebus gerendis, non minus idoneum exſtitiſſe, quam quibus lyncei ſunt oculi. Prætereuam enim, quod rebus ſuis, ſumma cum laude, præfuit; profecto latine non minus expedite diſſerebat, quam ſi longa ac laborioſa lectione, in eo ſermone profeciſſet. Accedebat, præter muſices ſcientiam, ſingularis iudicii vis, atque in primis, tactus exquiſitiſſimus. quo ille, ad eum modum vtebatur, vt vix egregie oculati melius. Huc illud retulerim, quod horologium minutius, quale in abaco ponere, moris eſt, ſi turbate Prætorium Oſtroluceníe: Balthaſaris Oſztroluczky memoria.

horarum ſonos reddidiſſet, ſola tactione potuerit examinare, atque erroris cauſſas, non detegere tantum, ſed & tollere. Laxata enim compage, ſubinde, totum perpurgauit; mox, nemine opus adiuuante, ſuas ſingulis locis, rotulas, ſcitiſſime repoſuit, atque ſyſtema vniuerſum, priſtino habitui, non ſecus reſtituit, quam id, ab earum rerum artificibus, fieri conſueuit. Id quod ſilere haud debuimus. Hæc de *Caſtellis.*

SECTIO IV.

De Oppidis Proceſſus Inferioris.

PROOEMIVM.

PLura ſunt, *Proceſſui* huic, Oppida, olim, dum florentiores erant res patriæ, cum incolarum copia, tum adfluentia rerum, memorabilia. Iam multum decreuere, maxime per *Tökölyanos*, & nuperos *Rákótzii* tumultus. Igitur, ægre tuentur oppidorum dignitatem; referri tamen in eo cenſu debent, ne obliteretur, priſcæ huius prærogatiuæ, memoria.

SYNOPSIS.

Oppidum Nagy-Szalatna.	§. I.	Bábaſzék.	§. IV.
Otſchowa, *ſitu & incolarum copia inſignis.*	§. II.	Száſz, *ſeu Németh-Pelsőtz.*	§. V.
Dobróna.	§. III.	Pelsőcz.	§. VI.

I.
Nagy - Szalatna.

Oppidum Nagy-Szalatna.

SItus ratio ſuadet, vt NAGY-SZALATNAM, inter oppida, primo loco nominemus; milliari enim Vetuſolio abeſt. Oppidum eſt, longo ædium ordine, inædificatum, quod *Szalatna* amniculus, laxato alueo, interluit. Cum res patriæ melius haberent, incolarum copia, iuxta & opibus, multum valuit. quod vtrumque, temporum, quæ fuit hucusque, difficultas, ex bellis ciuilibus potiſſimum nata, nimium quantum diminuit. Paret dominationi, quæ

ab

ab arce *Vigles* nomen habet, cui & vicinum adſedit. Neque tamen curiæ deſunt, nobilium familiis adſcriptæ; vt, datos pignori colonos, taceamus. Ad loci opportunitatem ſpectat, quod ab occidente quidem, ſaltuoſis vaſtisque montibus incingatur, in orientem vero, late diffuſos agros frumentarios habeat, pingues oppido, &, ſi cælum reſpondeat, variarum ſegetum diuites. Iſta ſitus commoditate, factum reor, vt bellis ciuilibus, metandis caſtris, ſæpius deligeretur. *Valentinus (a.)* certe *Homonnáy*, *Botskayani* dux exercitus, tridui ſpatio, hoc eſt, anno MDCV., quarto & tertio Nonarum Auguſti, heic confederat, *Vetuſolium* obſeſſurus. Quod anno MDCCIX. *Iohannem Pálffy*, itidem feciſſe, meminimus, vt vagabundos *Rákótzianorum* manipulos, ab incurſatione montanarum vrbium, arceret. In Decretis *(b.)* regni lego, caſtellum heic fuiſſe, operibus incinctum, & a præſidio inſeſſum, cui muniendo, *Comitatus Zolienſis* operas tenebatur impendere. Etymon oppidi, dialecto *Slauica*, ab auro deductum, aurifodinis celebre olim fuiſſe, innuit. Hodie, nullum eius rei veſtigium reperias, incolis rem facientibus ruſticam.

III.

Otſchowa.

Otſchowa *ſitu, & incolarum copia, inſignis.*

VIcinum huic eſt, oppidum Otschova, *Otſchoviam* latine dicimus, priori multo copioſius, & ſitu iucundius; ſed, iisdem rerum conuerſionibus, pene ad incitas redactum. Nomen, a riuo creditur accepiſſe, qui e proximis montibus deiectus, oppidum, varie fluitantibus aquis, irriguum facit, atque in duos ædium ordines, ſed inæquali interuallo, diuidit. quorum, qui ad orientem eſt, perpetuo colli inſedit, humilius contra alter, qui occidenti obiicitur. Vterque, ab æſtiuo oriente, in occidentem, continua ædium ſerie, ad paſſus bis mille, protendebatur olim. Qui meminerunt, ea tunc fuiſſe incolarum multitudine, memorant, vt cum *Neoſolienſibus*, numero certare potuiſſe, videretur. Vnde, de opibus oppidi, coniicias. Certe, ager, ad rem ruſticam, vix vlli loco, toto Comitatu, obtigit commodior. Nam, in orientem quidem, montes habet, longe lateque protenſos, ac paſſim pratis, & luxuriantibus paſcuis, inſignes; qua vero ad occidentem vergit, in campos ſubſidet amœniſſimos, ac ſegetum omnis generis feraces. Opportunitates tamen iſtæ, prohibere haud potuerunt, quo minus, cultu, ac iuribus, pedetentim amiſſis, in vicum abiret, ſicuti incolis diminutum, ita ære implicitum alieno, vix vmquam profligando. Quam oppidi calamitatem, eo ferimus dolentius, quod, ſingulari munere diuino, iſthic, anno MDCLXXXIV. nono Calendas Apriles, in lucem editi ſumus. Ceterum, ad defenſandam, ab impreſſionibus Turcicis, regionem, heic quoque caſtel-

a.) Ex *Diario* eius MSCto, quod inter adparatus habemus.

b.) Vide Decretum Rvdolphi Imperat. I. ad annum MDLXXVIII. Artic. XXVII.

caſtellano præſidio locum fuiſſe, idem illud Decretum, *(c.)* quod ſupra dedimus, hunc in modum loquitur: *Comitatus Zolienſis, totus ad oppidi Vetuſolii, ſic etiam Caſtellorum, Száſzy*, Otſchowa, *Zlatina, Kozelnjk, reparationem, labores ſuos conferat.* Hodie, ne veſtigium quidem caſtelli reperias, ſolo nomine, ea regione ſuperſtite, quæ ad orientem ſolem, templo vicina eſt. Hanc enim vulgo, *caſtellum* adpellant, immunitatibus adhuc gaudentem; forte tunc acceptis, cum locus ille, a præſidio teneretur: tametſi, & templum, muro incinctum ſit, idoneo, ad hoſtem reiiciendum. Sed, nec minutis prætoriis deſtituitur, *curias* vulgo dicimus, quæ *nobilium*, *Asgúthi*, *Bezek*, & *Holetz*, ſunt propriæ.

III.

Dobróna.

Dobróna. VAlle *Nyereſznicza* ſuperata, oppidum DOBRÓNA, Slauis *Dobronitza*, Germanis *Dóbring*, ſeſe offert, modico interuallo, ab arce cognomine, diſiunctum: copioſum illud, & a plebe ruſtica, haud inope, cultum. Adſcribitur ditioni arcis *Vetuſolienſis*: licet priuilegia, a priſcis regibus indulta, habeat. Erat olim *Saxonum* colonia, ſed quæ in *Slauos* iam abiit. Ager, oppido admenſus, fertilis eſt, ac late procurrens. Templum, colli impoſitum, in iis munimentis antea habebatur, quæ præſidiarius miles inſidebat.

IV.

Bábaſzék.

Bábaſzék. PRoxime hinc, atque id eo itinere, quod *Carponam* ducit, abeſt, BÁBASZÉK, Slauis *Babina*, priori, iuribus ſuppar oppidum; ſed neque agro deterius, ſitu vero, etiam amœniore. Paret hodie *Comitibus Berény*. Nupero bello ciuili, poſt diſiectos *Rákótzianos*, diu, præſidio templum firmabatur; vt ab incurſibus hoſtium, tractum illum immunem præſtaret: quod, & bellis *Turcicis* factum fuiſſe, multi recordantur. Certe, ædes ſacra, ad caſtri modum, muro, & diſpoſitis per angulos, turribus, communita adhuc viſitur.

V.

Száſz.

Száſz, *ſeu* Német-Pelsötz. POſtea SZÁSZ oppidum, fertili admodum & iucundo agro; ſed ſitu, altius in meridiem, ad paſſus circiter bis mille, deducto, ſedet. Diplomata STEPHANI V. quæ aliquando ipſi nos legimus, *Né-*

a) Anni MDXXXVII. Artic. XXVII. vbi vitioſa eſt lectio: *Olchona*, ſcribi enim debet *Otſona*, ſeu *Otſchhona*. Dum intemeratam haberet libertatem, fora celebrabat, non ea quidem frequentia nimium; ſed quæ tamen indicio eſſent, priſci floris, & iurium peculiarium.

Németh-Pelsótz adpellant; quod tunc a *Germanis* colebatur. Sane, vulgare nomen, *Szász*, Hungaris *Saxonem* notat. Turrim, in vicino colle, validam habet, antea, vallis & fossa præcinctam, cuius muniendæ cura, ad totam prouinciam *Zolienſem*, ſicuti ſupra notauimus, pertinuit, habuitque præſidium *(d.)* equitum XXV. qui hoſtium irruptiones obſeruarent. Subeſt ditioni arcis *Zólyom*.

VI.

Pelsötz.

VLtimum, iſta regione oppidum eſt, PELSŐTZ, Slauis *Plieſſowtze*, Diplomata, *Tót-Pelsótz* vocant, a *Slauis* incolis ſumta denominatione, vt a *Pelsótz Saxonum*, quod nunc deſcripſimus, diſcriminarent. Situs agrique ingenium, prioribus conſimile eſt; oppidi tamen libertas, maior: quippe quod, a decimis præſtandis, immune eſt. Atque iſta quidem oppida quatuor, *Dobróna*, *Bábaſzék*, *Németh-Pelsótz*, ſeu *Szász*, & *Tót-Pelsótz*, priſca regum indulgentia, collectim, *iure gladii*, quod vocant, *immediato*, potiuntur: vnde, neque ad *dominum terreſtrem*, neque ad Comitatus magiſtratus; ſed ad *Perſonalem Præſentiæ Regiæ*, adpellare liceat. *Tetropolim*, corpus hoc oppidorum, merito dicere poſſis: quando, & vno vicinitatis tractu contineatur, & communibus vtatur iuribus. Illud dolendum eſt, quod a cultu, qui oppidanos deceret, nimium deſciuerint incolæ; ſiue id ſua culpa; ſiue, vti fit, temporum iniuria, & ruſticano aduenarum conuictu. Pelsötz.

SECTIO V.

De Vicis Proceſſus Inferioris.

HVc nos, oppidorum luſtrandorum cura, adduxit. Proinde flexo iam itinere, vicorum ſitus exploremus, qui *Inferiori* huic *Proceſſui* accenſi ſunt.

1.) *Domanik*, extrema Comitatus ora, qua is *Nagy Hontenſem* contingit, poſitus. Præter agros frumentarios, fructuoſos illos, vitem quoque habet, multo benigniore ſolo cæloque, quam apud *Carponenſes*; ſed cultu tamen deteriore. Diſſidet ab ea vrbe, duobus, in meridiem, milliaribus. Paret familiæ *Radvansky*, *Szalatnay*, aliis.

2.) *Rákótz*, propius ad *Carponam*, modicus omnino vicus, cognomini nobilium familiæ *Rákótzy*, cui & natales dedit, adſcriptus. Gaudet vite, & rei frumentariæ prouentu.

3.) *Királyfalua*, Slauis *Králótz*, vicus haud omnino incultus, familiæ *Róth de Királyfalua*, iure hereditario, obſtrictus, atque opportunitatibus iisdem, quibus priores duo, præditus. Hi vero illi vici

 ſunt,

d.) Ita Decretum Anni MDCLV. Artic. III. habet,

ſunt, quibus ſolis, toto Comitatu noſtro, cultus vineaticus obtigit. Recedit *Králótz*, *Carpona*, in occidentem, milliaris propemodum interuallo. Inde, montibus inhorreſcunt omnia, quibus tamen, vici aliqui, inſperſi viſuntur. In his eſt:

4.) *Dubowá*, milliari in occidentem, *Dobróna* ſepoſitus. Eſt gentis *Eſterházyana* heredium, pro ſitus ratione, tenue quidem, fructuoſum tamen.

5.) *Batzár*, priori, ab aquilone vicinus, & ſitu non minus, quam fertilitate, conſimilis. Pertinet ad vrbem *Vetuſolienſem*, & familiam *Radvansky*.

6.) *Oſztrolúka*, hinc proxime abeſt, cuius ſupra, in caſtellis habuimus mentionem. Parte altera, laudatæ *Oſztroluczkyorum* familiæ, altera, arci *Vetuſolienſi*, paret. Situs vici amœnus eſt, & montibus incinctus. Habet eccleſiam, *Auguſtana Confeſſionis Articularem*. quod ad loci, qualemcunque celebritatem pertinet.

7.) Reducto in meridiem ſitu, viculus *Kozelnjk*, valli cognomini, difficillimo itinere illo, quod *Neoſolio* ducit *Schemnitzium*, inſedit. Pertinet ad ditionem *Vetuſolienſem*. Supra monueramus, heic quoque, cum impreſſiones turcicæ durabant, *(a.)* militem præſidiarium fuiſſe collocatum; credo, metallis *Schemnitzienſibus*, & *Dilnenſibus*, defenſandis. Inter *Oſztrolukam*, & *Kozelnjk*, mons interſitus eſt, quem vulgo *Kmotra (b.)* vocitant, fabella, an hiſtoria? ei nomini prætexta; quod in eius vertice, *compater* aliquis, cum *commatre*, (ſuſceptores ita vocant, qui ad ſacrum baptiſmatis lauacrum, infantibus opitulantur,) concubuerit, vterque ideo, in lapidem verſus. Et exſtat omnino, in ſummo apice montis, lapidum aliquis tumulus, quo obrutos perhibent, inceſto hoc flagitio pollutos. Eidem tumulo, prætereuntes, callis enim hac ducit, lapillum adiicere ſolent, quaſi facinus abominantes: quod & ipſi nos, hac aliquando profecti, non tam, vt mori illi ſatisfieret, ſed vt recordationem haberemus narratiunculæ, non inuiti fecimus. Iam iter, quadrigis peruium, hac inſtructum eſſe, accepimus, leuandæ moleſtiæ cauſſa, quam vltro citroque commigrantes, ex difficili vallis itinere, ceperunt hucusque.

8.) Ex faucibus *Kozelnjk* egreſſo, ad ſiniſtrum oſtii latus, *Garam-Berzentze*, *Breznitzka* Slauis, præterlabentis *Grani* ripæ inſidens, obiicitur. Exilis vicus, idemque, verſus *Comitatum Barſienſem*, iſta regione, extremus.

9.) Traiecto hic Grano, ad paſſus circiter bis mille, in ſeptentrionem, aduerſo amne, profectis, *Butſcha*, ſeſe offert, vicus, non tam ſua mole; modicus eſt enim; quam faucibus, quibus nomen communicauit, celebris. Vallis nempe, quæ hic coire in arctum incipit, & ad duo fere milliaria, *Grano* irrigua, procurrit, *Butſenſis* dicitur. ad cuius, apud *Barſienſes* exitum, aggeres olim erant, arcendis hoſtibus iacti; ſed, bello *Tökölyano*,

a.) Reuolue Decretum, anni MDLXXVIII. artic. XXVII.

b.) Slauis *Kmotra*, commatrem, ſeu ſuſceptricem ſignificat.

kölyano, cum cæſum, in campis *S. Crucis*, *Tökölium* inſequerentur Cæſariani, disrupti. Ceterum, vicus ipſe, bipartito diuiſus, parte altera, *fiſco regio*, altera, ditioni *Vetuſolienſi*, adſcribitur, agrum nactus, amplum magis, quam fœcundum. Habet tabernam diuerſoriam.

10.) Minuti hinc vici, montibus interſunt, ad ſeptentrionem, varie ſeſe adtollentibus. In his, *Búditska* cenſetur, *Oſztroluczkyorum* herediolum, tenue nimium, quod & *Slauum* nomen innuit, *caſulam* ſignificans. Et lautiores paullo:

11.) *Trnye*, colli impoſitus, idemque *Eſterházyorum* iuris;

12.) *Kaſſa-Lehota*, Bezekyorum;

13.) *Vas-Berzentze*, in Cameræ Neoſolienſis ditione.

14.) *Turowá*, tripartito poſſeſſus. Capiunt enim partem eius, *Eſterházii*, *Radvanskii*, & *Rakowskii*.

15.) *Kowátsowa*, exilis *Eſterházyorum* viculus.

16.) Inde, montibus in planitiem deſinentibus, amœnam fœcundamque, *Hájnik*, Grano, ponte iuncto, adſedit, tam propinquo ſitu, vt ſi amnem increſcere contingat, ædes incolarum ſubruat. Submouetur *Vetuſólio*, in aquilonem, paſſibus propemodum bis mille, eo itinere, quo *Neoſólium* tendimus. Caſtelli, & dominorum, ſupra mentionem habuimus. Sunt & heic, propter viam, diuerſoria.

17.) Subducto, montium radicibus, poſitu, *Szielnitze* viſitur, *Venerabili Conuentui de Thúrócz*, accenſus. Ad commoditatem loci, præter agros fertiles, ſiluæ pertinent, latiſſime, in occiduum ſolem, protenſæ.

18.) Altius in ſeptentrionem, *Badin* eſt, vicus oppido copioſus, & hinc quidem, agris fœcundis, vaſtis illinc ſiluis, incinctus. Amniculus, e montium iugis deiectus, locumque interlabens, piſcium ſaxatilium, non patiens modo, ſed & ferax eſt. Ob ſitum eleuatiorem, proſpectum, latiſſime patentem, habet, ideoque habitatu iucundus eſt. Paret familiæ *Gerhardianæ*.

19.) Vicinos hinc pagos, *Superiori Proceſſui*, admenſi ſunt primi metatores, *Királyfalua* tamen, licet *Radvanenſi* oppido cohæſerit, ad *Proceſſum Inferiorem*, retracta; credo, quod ditionis eſſet *Zolienſium*, quam ideo noluerint alteri tractui adſcriptam poſſeſſores. Caſtellum, ſuo loco, memorauimus. Adde, alia quædam prætoria nobilium, quæ in iſto vico exſtant, atque ſuis iuribus potiuntur.

20.) Proinde, conuertendum nunc iter eſt, *Garamſzékinum*, vbi

Depreſſas comunt pratoria ripas,

quemadmodum ſupra diximus, cum, loci huius ſeceſſus, deſcriberemus. Præcipua vico celebritas, *Oratorio Euangelicorum*, quod hic, lege publica firmatum habent, conciliatur. Neque enim, præter duo illa caſtella, & his coniuncta allodia, atque ædiculam vnam alteramue, ruſticis inquilinis permiſſam, quidquam heic inædificatum videas.

21.) Amœniſſima hinc prata ſe diffundunt. Nam a dextris quidem *Granus*, iucundo murmure, labitur, ſiniſtram contra ea, colles

les, partim agrarii, partim dumoſi, incingunt. His, *Nagy-Rét*, Slauis, *Weliká-Lúka*, vicus modicus, ſubſedit, nomine, ab iisdem pratis, accepto. Hinc *Daruaſiis*, de *Nagy-Rét*, agnomen.

22.) Durat pratorum illa amœnitas, nunc agris frumentariis, nunc hortis, educando lupulo factis, interſtincta, vsque ad vicum *Ribary*, Grano, aduerſa *Hájnikio* ripa, adpoſitum; cum quo, & nominis quædam aduerſitas ei eſt. *Ribáry* enim, piſcatorium notat viculum; *Hájnik* contra, hominem, capturam prohibentem, forte, quod amnem interlabentem, noluerint poſſeſſores habere communem, tametſi mutuo ponte coniunctum. Habet, *Srélteriorum*, & *Vachotiorum* prætoria; cetera, thermis, quas ſuo *(c.)* loco exhibebimus, & ſcrobe illa, famoſa inſignis. Nunc ſic habe:

Hic eſt monticulus, triplices qui continet vndas.
Nempe: acidas, calidas, mortiferasque *feris.*
Monſtra agris calidas; acidas ſitientibus adfer;
Mortiferas omni tempore linque feris.

Collino etenim fonte, thermæ ſcatent, depreſſiore acidæ, & quas vulgus, mortiferas credit.

23.) Superatis, qui ad orientem vergunt, collibus, exiles quidam pagi, varie ſparguntur. Sunt vero, *Lukauitza*, turdorum captura inſignis. qui huc, ad IV. Octob. agminatim, annis ſingulis, illabuntur.

24.) *Számpor*, atque eadem valle, altius repoſitus,

25.) *Betſchou*, vterque, ditioni *Garamſzékienſium*, admenſus. Inde eſt:

26.) *Csereny*, &

27.) *Csatſchin*, hic, illo exilior; ſed acidularum tamen fonte, multo celebrior. quæ in vicino nemore, ex rimis petræ, iucundo ſpectaculo, affatim ſcaturiunt. Adſcribuntur dominatui *Vigleſchienſi*, agro cetera præditi, neque anguſto, neque infœcundo; ſi adſpergatur lætamine.

28.) *Hrochot* inde, retracto ad meridiem ſitu, montibus inſedit. Vicus, olim, a *regiis venatoribus*, cum reges ſæpius iſta regione diuerterent, habitatus. Ampla hinc hodieque incolis iura ſunt, multis optimorum regum diplomatibus perſcripta firmataque. quæ aliquando, non ſine admiratione, euoluiſſe nos, meminimus. Accenſetur hodie dominationi *Vigleſienſi*.

29.) *Szebedin*, tenue nobilium *Zolnay*, heredíolum, huic eodem tractu; ſed proiecto in meridiem ſitu,

30.) *Zolna* adſedit, natalibus memoratæ familiæ inſignis, cui, ſi excipias curiam vnam, alteramue, hodieque paret. Optimus huic ager eſt, ſed anguſtior tamen. Duobus hinc in meridiem milliaribus, vltra oppidum *Otſchouam*,

31.) *Detwa* abeſt, vicus, omnium, toto Comitatu, copioſiſſimus,

c.) Eo capite, quod *de Thermis* agit. Scrobem autem ipſam excuſſimus, inter *Admiranda Hungariæ aquas*. Vide ſupra, in huiuſce Comitatus *Parte Generali*, Membro I. §. XII.

ſiſſimus, neque is vetuſtus. Sub initia enim ſuperioris ſeculi, lentis admodum initiis, increſcere cœperat. Vulgo perhibent, in ſiluis denſiſſimis, quæ territorio *Otſchouienſi* tunc continebantur, materiarios conſediſſe, qui mactris, & id genus cauandæ exaſciandæque ſupellectili, vacarent. Duo primum fuerant, quorum ædicula, diu, *Kde dwa*, quaſi *locus duorum*, vocitabatur; mox, aucto operarum numero, ita pedetentim aiunt inualuiſſe, vt aduenarum multitudo, in vicum coire cœperit, qui poſtea, ſiluis paſſim cæſis, ad iſtam, qua hodie eſt, copiam, agrique vaſtitatem, excreuerit. Quæ quidem, noua, coloniæ, acceſſio, non potuit non, locorum dominis placere. Incolæ, proteruiæ accuſantur, quodque ad rixandum ſint faciles. Subeſt domino *Vigleſchienſi*.

32.) Atque iſta quidem regione, *Detwa*, vltimus Zolienſium vicus eſt, idemque Comitatui *Neogradienſi*, confinis. Verſo, ad ſeptentrionem, itinere, arx *Vigleſch*, ditionis caput, de qua ſupra egimus, arduæ rupi inſidens, viculum habet, a ſitus natura, *Várallja*, dictum. Gemina is villa ruſtica, mola frumentaria, & aliquot caſulis, quas plebs villica incolit, abſoluitur: cetera, acidularum laude, quæ iri praris ſcarent, memorabilis.

33.) Inde, ad paſſus propemodum bis mille, *Kiſſzalatna*, intra montes, oppido cognomini, adſitos, cernitur, modicus quidem vicus, ſed rei ruſticæ perquam opportunus. Poſſeſſio *Vigleſchienſis*.

34.) *Lieſzkótz* hinc viſitur, *Szalatna* fluuio adpoſitus, nupera ſeditione *Rákótziana*, quod prope eum caſtra locauerat *Bertſenius*, funditus deletus, atque ægre poſtea inſtauratus. Accenſetur arci *Zolienſi*, nunc tamen in aliena iura tranſcriptus.

35.) *Lukowo*, geminus vicus, *curialis* alter, alter *portalis*, nulla re magis, quam aucupio, memorandus, cuius laudem, ſupra habuimus.

36.) *Muotyowa*, priuilegiis, a decem plus minus, regibus, donatus, oppido ampliſſimis. Erant nimirum in venatoribus regis, quoties is *Vetuſolii*, laxandi animi cauſſa, diuertebat. Quo quidem iure, adhuc arci *Zolienſi* adſcribitur. Adſidet meridiano *Szalatna* margini, agrum nactus, rei frumentariæ ac pecuariæ, bene commodum. Hæc de *Proceſſu Inferiori*.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS ZOLIENSIS.

In Comitatum Neogradienſem.

I. Neosolio per *Rádváný*, *Királyfalua*, *Farkasfalua*, vbi *Granus*, ponte traiiciendus. *mill.* 1. *Garamſzeg*, *Számpor*, *Zolna*, *Otſchoua*, *Detwa*, vltimum Zolienſium vicum. *mill.* 2. *Hinc*, difficili itinere, per pylas Hungaris, *Fürészvölgy*, Slauis *Pjlnanska Dolina*, *Mitnam*, primum Neogradienſium

ſium vicum, inde *Lóno-Bányam*, & *Lonſóntzinum*, *mill.* 2.

II. Neosolio, in occidentaliorem eiusdem Comitatus partem, eodem itinere *Zolnam*, *Nagy Szalatnam*, *mill.* 2.

Inde, penes arcem *Vigleſch*, & nonnumquam infeſto latrociniis itinere, per montes *Oſztroska*, ad *Felsô-Tiſzovnyk*, primum *Neogradienſium* vicum. *mill.* 2.

Vel, inclinato, ad ſiniſtram itinere, per eosdem montes, *Abelouam*. *mill.* 2.

III. Neosolio

Vetuſolium *mill.* 2.

Inde, per vallem *Nyereſnitza*, *Dobrónam*, *mill.* 1.

Száſz, *mill.* ½.

Lescht, vicum *Neogradienſem* *mill.* 1.

In Comitatum Nagy Hontenſem.

I. Neosolio,

Vetuſolium *mill.* 2.

Inde, per pylas *Nereſznitza*, *Dobronam*. *mill.* 1.

Bábaſzék, *Carponam*. *mill.* 1.

II. Neosolio, itinere magis obliquo, per *Kremnitskam*, *Rakitócz*, *Badin*, *Szielnitzam*, ad *Butſcham*. *mill.* 2.

Inde, transmiſſo, ad *Gundam*, vel *Breznitſchkam*, Grano, per pylas *Kozelnik*, ſaxoſo itinere, *Dihnam*, ſiue *Bela-Bányam*, atque hinc *Schemnitzium*. *mill.* 3.

In Comitatum Barſienſem.

I. Neosolio, per

Butscham. *mill.* 2.

Atque hinc, per pylas *Butſchenſes*, impedito ſaxis itinere, per *Trnaukam*, vbi cum diuerſorio, telonium, *S. Crucem*, oppidum *Barſienſe*, *m.* 2.

II. Neosolio, per

Rádvány, *Malachou*, ſuperato monte altiſſimo, *Cremnitzium*. *mill.* 3.

In Comitatum Thúróczienſem.

I. Neosolio, obliquo itinere, *Cremnitzium*, *Thurtshek*, *Stubnam*. *mill.* 5.

II. Neosolio, recto, ſed difficili itinere, per *Podlawitz*, *Tajou*, ad *caſulas carbonarias* *Krámtze*. *mill.* 1½.

Inde, ſuperato monte *Hohwald* *Stubnam* ſuperiorem. *mill.* 2½.

III. Neosolio, equeſtri, aut pedeſtri itinere, per *Koſtſührerdorff*, *S. Iakab*, *Ulmanka* *Hermanetz*. *mill.* 2.

Inde, per montem eiusdem nominis, ad *Cseremoſchnuo*, vicum *Thúróczienſem*. *mill.* 2.

In Comitatum Liptouienſem.

I. Neosolio, per

Ulmankam, *Altgebürg*. *mill.* 2.

Inde, ad caſas carbonarias, *Gelentze*, ſuperato prærupto monte, *Sucha*, nunc *Sturetz*, *Reuutzam*, primum *Liptouienſem vicum*. *mill.* 2.

II.

II. Neosolio, in orientalem eiusdem Comitatus partem, per *Tót-Liptſche*, *Sz. András*, *Predajna*, *Lopej*, ad vicum, *Mjto*, *mill.* 5.

Inde, ſuperato monte, *Nuptiarum Diaboli*, ad oppidum metallicum *Botza*. *mill.* 2.

In Comitatum Gömörienſem.

Neosolio, per *Liptſcham*, *Briznam*, *mill.* 4.

Inde, per *Polunkam*, vicum *Gömörienſem*, *Thiergart*, ad arcem *Murány*. *mill.* 3.

In Comitatum Kis Hontenſem.

Neosolio,

Briznam, *mill.* 4.

Inde, per vaſtas ſiluas, montes & profundas valles, *Taxouiam*; *Tisótz* Hungaris, Germanis *Teisholtz*, Slauis *Tiſzovetz*, oppidum metallicum. *mill.* 4,

FINIS COMITATVS ZOLIENSIS.

COMITATVS LIPTOVIENSIS,

PARS PRIOR.

GENERALIS.

PROOEMIVM.

Enimus in LIPTOVIENSEM COMITATVM, Zolienſi, ab aquilone, connexum; ſed ad eum tamen modum, perpetuis montium iugis, diſcriminatum, vt, iis ſuperatis, in nouum orbem, delatum te, poſſis arbitrari. Adhuc, nimirum, propagatis varie radicibus, *Carpathus*, tota hac regione, ludit, & qua miteſcit, locum aperit, amœnis, iuxta & opportunis, ad colendum, poſitionibus. quo quidem habitu, LIPTOVIAM, inter reliquas, ſitus *carpathici*, prouincias, poſt *Scepuſium*, in primis excellere, ea, quæ dicturi iam ſumus, lectorem condocebunt.

MEM-

MEMBRVM I.
PHYSICVM
De
Situ, Natura, & Opportunitatibus
COMITATVS LIPTOVIENSIS.
SYNOPSIS.

Comitatus LIPTOVIENSIS *nomen, vnde repetendum? domeſticum vocis etymon: adpellatio* Hungarica, Germanica, Slauica. §. I.

Regionis ſitus longior, quam latior: eius circumcirca ambitus: latitudo & longitudo. §. II.

Montanus totus eſt; Mons Hóuald, *ad orientem: montes ad meridiem:* Praſſiwy Wrſek: Mons Regius *trium fluuiorum parens:* Brezinowá *Hola:* Iaworinka: Nemeczká: Ipolt *maior:* Kozy Chrbat: Hybská *Hola:* Dowalovská *Hola:* Baczuch: Chorupne: Czertowá Swadba; Bocza: Suidowo: Michalowo: Hawraná Skála: Gyumbier: Nad-Huty: Bludnicza *maior: minor:* Siná, *alias* Laziská: *montes meridionales ceteri: montes ad occidentem:* Suchá: Fatra *maior: montes ad ſeptentrionem:* Chotſch: Spuſtiák: Proszeczka: Holicza: Trnowecz: Weliky: Luzno: Stjt: Rohátsch: Biſtro, *ſeu* Záwrat: Kameniſtá: Tomanowa: Krizno: Jaworowé: Koprowá: Welká: Granát: Tichá, Hruby, Krywán *maior:* Krywán *minor:* Oſtry: Mlinitza: Kupferſchacht: Basſta: Henská: Visóká: Záwrat: Loch: *vallis* Prepadlá, §. III.

Petris aſpera eſt Liptouia: *ora, potiſſimum* Deménfaluenſi: *petra* Cserná: *eius ſex articuli:* Benikowá: *eius altitudo horrida: conuexiones rupis* Beniková: Zámek: Sokol: Korenetz: *reliqua.* §. IV.

Antra Deménfaluenſia: *antrum* Benikowá: Draconum *nomen, ab oſſibus inuſitatis accepit: eius portenta: ſpecus* Dwere: *eius opportunitas, & habitus:* Okno maius, *eiusdem, cum* Cserná, *natura: habet ſacellorum duas ſpecies:* Okno minus, *eius interiora.* §. V.

Fluuii Liptouienſes: Vagus: *eius etymon: geminus fons: qua curſum teneat: eſt piſcium & cancrorum diues: de* Vagi *eluuione miſerabile carmen:* Belá: *nominis ratio:*

tio: rapiditas damnoſa: incurrit in Vagum. §. VI.

Fluuii minores, & riui ſeptentrionales: meridionales. §. VII.

Fontes dulces: acidi. §. VIII.

Aquæ admirandæ: Szentivanenſes: Stankovenſes: *fontes caritatis, aut vilitatis annonæ, præſagi:* S. Annæ: *aqua ſalſa: lapideſcentes, glaciales: Thermæ* Szentivanenſes: Lutshkenſes. §. IX.

Fertilitas Comitatus mediocris: eius ſegetes: legumina: fructus hortenſes. §. X.

Res pecuariæ Liptouienſium: apiaria. §. XI.

Fera animantes: mures Norici: aues ſilueſtres: inſecta. §. XII.

Metalla, & in his: Aurum Botzenſe: Argentum: Antimonium: Ferrum: *cetera.* §. XIII.

Arbores fructiferæ: ſilueſtres: earum genera: frutices, ſubfrutices: herbæ medicatæ: tubera ceruina. §. XIV.

Prouentus Comitatus *tenues: agricolatio exilis: res pecuaria tenuior: caſei laus: butyri præſtantia: lignationis copia: fodinarum, ſi colerentur adtentius, fructus: laus opum prouincia, in rhytmos relata.* §. XV.

§. I.

Comitatui Liptouienſis *nomen, vnde repetendum:*

NOmen COMITATVS LIPTOVIENSIS, varie deriuant ſcriptores. BONFINIVS *(a.)* ab vrbe LIPTOVIA, nuncupatum perhibet. quam tamen, ignorant hodie Liptouienſes; niſi *Liptſcham* oppidum, ita vocitatam fuiſſe olim, credamus; quod exiſtimat SZENTIVANYVS *(b.)*, & hunc ſequutus BONBARDI *(c.)*. Alii, atque in his PARSCHITIVS, in ſchedis poſthumis, ab arce *Liptó Ujvára*, denominatum credunt. Sed, recentiorem eſſe arcis eius ætatem, quam, vt *Comitatui* vniuerſo, nomen dare potuerit, notio Hungarica, innuit: quia enim, *Liptó-Ujvára* dicitur, hoc eſt: arx noua *Liptouienſis*, hæſiſſe iam tum terræ huic *Comitatus Liptouienſis* nomen, oportuit, cum primum arx illa, excitari cœpta eſt. At vero, ſi maxime credamus, ab oppido *Liptſche*, repetendam eſſe nominis originem, nondum tamen res erit expedita. Vulgus, vti ſueuit, domeſticam vocis nomenclaturam adſciſcit, &, ſi quidem *Slauica* eſt, partim tiliis, partim thymallis, piſcium generi, eam adſcribit. *Lipa* enim tiliam; *Lipen* vero thymallum notat: illis montes; his *Vagum* amnem

domeſticam vocis etymon:

a.) Decad. 1. Lib. 1. p. m. 26.
b.) Rerum Memorabilium Hung. Diſſertat. Parallpom. p. 23.
c.) Topogr. Magni Reg. Hung. p. 113.

amnem, ferunt abundare. Hæc illi: an recte ſatis, ambigo. Sunt, qui vocabulum *Luby*, id eſt, *charus*, *acceptus*, originis, & illud *Slauonicæ*, in auxilium aduocent; quaſi primi incolæ, tractum hunc, *Luby-to Kray*, caram acceptamque oram, vocitarint: cuius quidem adpellationis, vix aliam adferre potuiſſent cauſſam, quam quod regio, ex ſe auſtera, montibus tamen incincta, amœnum quiddam, acceptumque præ ſe ferat. Nolo fabellam adtexere, qua ad *Hunnos*, hoc, quidquid eſt, nominis referunt, hiſtoriarum ignari. Hungaris, *Liptó Vármegye*, & cum *Ducatum* notare voluerunt, *Liptoság*: Germanis, *die Liptau*, Slauis *Luptow*, dici conſueuit.

adpellatio Hungarica, Germanica, Slauica.

§. II.

SItus regionis, in longum porrectus, paſſim, tam arcte coit, vt vix duorum milliarium habeat latitudinem. Enim vero, ſi a vico *Strba*, Hungaris *Csorba*, qui ad orientem vergit metiri incipias, & in occidentem *Stankowánium*, vel *Gombaſinum*, procurras, milliaria habebis ſeptem, plura, ſi ad pagum *Reuuczam*. Cum contra latitudo, vix vllibi, duo milliaria expleat. Certe, ad *S. Iohannem* & *Záuaznam-Porubam*, anguſtus adeo eſt Comitatus, vt illinc quidem medium, hinc vix, ac ne vix quidem, milliare integrum, conficiat. Sed ad *Klaszan*, latiſſime patet: quippe, milliaribus duobus, eo itinere, quo verſus *Huti* itur, protenſus. Colligi hinc poteſt, vniuerſum Comitatus ambitum, ſi limites, qui ſunt in montibus, circumeas, neutiquam milliaria viginti ſuperare. Cingitur vero ab oriente *Scepuſienſi*; a meridie *Gömörienſi*, & *Zolienſi*; ab occidente denique *Thúróczienſi*, Comitatibus: ſed a ſeptentrione, *Comitatum Arvenſem*, obiectum habet, cum *Poloniæ*, quadam parte, a qua, in ſuperiori *Proceſſu*, montibus: *Záwrat*, *Wisoká*, *Henská*, *Baſſta*, *Mlynicza*, *Pieczky*, *Turkot*, *Oſtry*, *Krywán* minore, & maiore, *Hruby*, *Granát*, *Iaworowé*, *Thomanowá*, *Hlina*, *Thomanowka*, *Kameniſtá*, *Biſtro*, & *Repa*, tanquam factis a natura aggeribus, diſcriminatur. Alioquin, *Latitudo*, in arce *Lykawa*, eſt graduum 49. min. 0. *Longitudo.* grad. 40. min. 2. *Nagy Palugya*, *Latitudo* grad. 48. min. 58. *Longitudo.* grad. 40. min. 0.

Regionis ſitus longior, quam latior?

eius circumcirca ambitus?

Latitudo, & Longitudo.

§. III.

EST vero COMITATVS LIPTOVIENSIS, inter eos cenſendus, qui perpetuis montibus horrent. Alpes Italicas, Helueticas, & Tyrolenſes, qui viderunt, *(d.)* ſuperari eas a *Liptouienſibus*, non altitudine tantum, atque præcipiti rupium ſitu; ſed naturæ etiam prodigiis,

Montanus totus eſt.

d.) Legeſis, IOSIAE SIMLERI, de ALPIBVS, Commentarium, quem *Deſcriptioni Valeſiæ*, adtexuit, doctum non minus, quam copioſum. *Tiguri*, A. MDLXXIV.

forma eſt. miram naturæ, inter vtrasque, conſenſionem deprehendes; tametſi tantis terrarum ſpatiis diſiungantur.

digiis, conſtanter perhibent. Nos, in recenſendis iisdem, plagas, quas reſpiciunt, ſequemur. Sunt vero ad *orientem*:

Mons Hohwald *ad orientem:*

I. Hówald, quaſi, *der hohe Wald*, ſeu *eleuatior Silua*, quemadmodum *Comitatum Liptouienſem*, a *Scepuſienſi* dirimit, ſi vicos, *Strba* ſiue *Csorba*, & *Teplitza*, excipias; ita *Carpathum* Septentrionalem, cum meridionali, committit, qui poſtea, hinc quidem a ſiniſtris, *Scepuſienſem*, & *Gömörienſem*, illinc vero a dextris, *Liptouienſem* & *Zolienſem*, Comitatus, diſpeſcit. Montis excelſa, in planitiem deſident, ad milliare protenſam; ſed quæ, denſis obſita ſiluis, latronum ſubinde perfugium exſtitit; quos vt auerruncarent, publici magiſtratus, quæ ſunt viæ proxima, non ſublucanda tantum, ſed & vltra globi iactum, exſcindenda curauerunt. Bellis ciuilibus, ne hoſtis vltro citroque commeare poſſet, totam hanc ſiluam, conciſis, in aggeris modum, abietibus, præcluſam fuiſſe, meminimus. Vulgi eſt opinio, montem hunc, ideo altum dici; reuera enim *Carpathicis* iugis, multis modis decliuior eſt; quod ſcatentes in eo riuuli, ab oriente quidem, in *Popradum*, atque demum, in *Viſtulam*, & mare *Balticum*; ab occidente vero, in *Vagum*, & cum eo poſtea in *Danubium*, inque *Pontum Euxinum*, proni labantur: id enim altitudinis argumentum eſſe credunt. Atque iſte mons ad orientem ſpectat. A meridie ſunt:

Montes ad meridiem Praſſiwy Wrſſek:

II. Prassiwy Wrssek, hoc eſt, ſi latine reddas, *Collis ſtabiſus*. Mons ipſe ita poſitus eſt, vt ſit trium Comitatuum, *Gömörienſis*, *Liptouienſis*, & *Scepuſienſis*, diſterminator: ſinguli enim, partem eius aliquam capiunt. Petram in eo obſeruarunt, naturæ curioſi, foſſilem, eamque *Marcaſitæ*, rubini inſtar pellucidæ, feracem, cuius, diei ſpatio, *octo vnciæ*, elui poſſint, perpurgarique. Monti, qua in *Gömörienſem Comitatum* declinat, vicus *Tergart*, a Ruthenis cultus, ſubſitus eſt.

Mons Regius:

III. Mons Regivs, ſeu, Králowá Hola, huic contiguus eſt, cuius in Comitatu Scepuſienſi, mentio recurrit: nam & is, partem eius ſibi vindicat. Mons, ſi quis alius, adſpectu iucundus, quia ſitu altiſſimo eſt amœniſſimoque. Etymi rationem, in montibus Scepuſienſibus quære. Hodie ad agrum *Lipto Ujvarienſem*, ſeu *Hradkenſem* pertinet. Graminum fertiliſſimus, adeoque multis pecudum millibus alendis, par. Præcipua montis laus eſt, quod *mineram auri* habeat, *pyrite* inueſtitam duriſſimo, quam *argenti*, atque *cupri* venæ comitantur. Reperias *cryſtallos* quoque, adamantibus Bohemicis haud abſimiles. Alioquin, hic idem mons, trium fluuiorum parens, tota Hungaria celebrium, ſaluratur. Nam, apud Scepuſienſes, Hernadvm fundit; Granvm, apud Gömörienſes; apud *Liptouienſes* autem, Nigrvm Vágvm, ea valle, quæ eſt monti *Praſſiwy Wrſſek*, ſubdita: quorum ille, in *Tibiſcum*: duo vero poſteriores, in *Danubium* ſe exonerant.

trium fluuiorum parens:

Brezinowa:

IV. Brezinowá Hola, mons haud inamœnus, nomen a betulis nactus, oppoſitum a ſeptentrione habet montem, *Muränik* dictum.

V. Ia-

V. Iaworinka hinc eſt, cum obiecto memorabili colle, *Otlárik*, ad cuius radices riuus labitur, *Opolticam* dicunt, qui rubricam eluit, bituminis inſtar, pinguem. quam, ob exquiſitum colorem, imperitiores, *cinnabarim* eſſe credunt. Eiusdem riui alueus, *marcaſitam* quoque vehit. Iaworinka:

VI. Nemeczká, quaſi dicas, *Mons Germanicus*, vico Gömörienſi *Helpa* oppoſitus, qui continuis iugis, ad *Ipoltum* vsque pertingit. Nemeczká:

VII. Ipolt Veliky, mons in primis memorandus: nam, & altitudine, præter montem *Regium*, iſta regione, nulli cedit, & a petris, raro in his montibus exemplo, ita liber eſt, vt ſingulari prorſus naturæ factum opificio, crederes. Præceps adſurgit, & altera ſui parte, ne a pecudibus quidem, quæ paſcua auidius ſequuntur, ſcandi poteſt. Cacumen eius in amoeniſſimam, eamque rotundam planitiem, ad paſſus bis mille, protenſam deſinit. Qua ad ſeptentrionem ſpectat, duos riuulos deiicit; quorum alterum a monte, *Ipolticum*, ſeu *Opolticum*, de quo nunc diximus, alterum *Swarin* vocant. Vterque, milliare emenſus, *Vago* miſcetur, atque hic non minus, quam ille, *rubricam* vehit. Auget poſteriorem hunc duplex riuulus *Csaniowa* maior, & minor: hinc, & nomina vallium, *Swarin* & *Csaniowa*. Ipolt Veliky:

VIII. Kozy Chrbát, *Tergum Caprinum*, credo, obſitum ita vocari. Monti *Ipolt* connexus eſt. Kozy Chrbát:

IX. Hybská Hola, ſeu *Mons Gibbenſium*, iuga habet, ad terminos vsque *Comitatus Gömörienſis*, procurrentia, quæ ad vicum *Tergart*, deſinunt. Præbet is paſcua, numeroſiſſimis *Gibbenſium* gregibus, tuguriis ouilibus paſſim cultus. Hybská Hola:

X. Dowalowská Hola, ſeu *Alpes Doualouienſes*, Gibbenſium montibus adfines, cum alio, quem a litibus *Zwadliwá Hola*, id eſt, *montem litibus obnoxium*, vocant. Reuera enim, ſub iudice lis adhuc eſt, *Gömörienſibus*, an *Liptouienſibus?* debeat adſcribi. Dowalowská Hola:

XI. Baczúch, præaltus mons, ea in primis regione, qua ad *Comitatum Zolienſem*, ſpectat. Eſt is trium Comitatuum, *Gömörienſis*, *Zolienſis*, & *Liptouienſis*, terminus. Pars eius ſeptentrionalis, ad ſummum cacumen, *Liptouienſibus*; quemadmodum auſtralis, cum vico cognomine *Baczúch*, quem acidulæ nobilitant, *Zolienſi* adſcripta eſt; reliqua montis, *Gömörienſium* ſunt: quippe vico *Polounka*, adſita. Baczuch:

XII. Chorvpne, e regione *Baczúch* montis. Olim metalla hic eruta fuiſſe, officinarum rudera, quæ exſtant, teſtantur. Riuus ex eo manat, *Kappa* dictus, quem amnis *Boczenſium*, abſorbet. Chorupne:

XIII. Czertowá Swadba. Germanis *Teuffels-Hochzeit*, Hungaris *Ördök Menyegzője*, hoc eſt, *Nuptiæ Diaboli*. Denominationis rationem facile eſt reperire. Quia nimirum, hieme in primis, obnoxius eſt tempeſtatibus, ac pene imperuius, ſi nix ſit altior, nuptias illic *cacodæmonem* agere, credidit olim vulgus. Vnde & dicterium manauit. *Malam in nuptiis diaboli audiri muſicam.* Idem hic mons *Zolienſem*, & *Liptouienſem* Comitatus, diſiungit. Czertowá Swadba:

Bocza: XIV. Bocza, mons huic adfinis, auri prouentu, olim prædiuite celebris, de cuius metallis infra.

Suidowo: XV. Svidowo, ſeu *Petra Suido*, præruptis ſcopulis, & præſentiſſimam paſſim ruinam minantibus, horrenda. Cacumen habet in planitiem porrectum, paſcuis lætum, quam vulgus *Ohniſſte*, hoc eſt, *focum*, adpellat; ſiue ob ſitus formam; ſiue, quod armenta, quæ hic ſaginantur, aquis careant, tanquam in arente foco. Idem iſte focus, antrum habet inperueſtigabile, & in profundum, putei inſtar, depreſſum: atque aliud, in montis latere, quod *Latronum Cameram*, vocant; natura enim, ad modum fornicis, laxi & capacis, factum eſt. Latronum olim fuiſſe perfugium, multis indiciis conſtat: nam, & oſſa pecudum, quas armentariis ſubductas, deuorauerunt, paſſim in eo viſuntur; & cunei, parietibus infixi ſuperſunt adhuc, de quibus arma ſuſpendebant, bipedum nequiſſimi. Specus reliquos: quippe, nondum exploratos, tacemus. Eſt in his vnus, ſparſis paſſim lapillis, rubinos æmulantibus, refertus; quin & lapidum fragmenta reperias, *Smaragdum* quodammodo referentia.

Michalowo: XVI. Michalowo priori adſitus, vallem effici, torrente irriguam, qui inde elapſus, *Boczenſium* riuo miſcetur. Conſtans multorum ſermo eſt, riuulum hunc & ſimiles, priſcis temporibus, auri adeo diuitem fuiſſe, vt dum operarii, loturæ illi vacantes, bouem in eſcam mactatum, conſumerent prorſus, interea veſicam eius, ſabulo aureo, ex riuo collecto, opplerent.

Hawraná Skálá: XVII. Hawraná Skála, id eſt, *Petra Coruorum*, iuxta & *Lyſá Skála*, petræ memorabiles: quippe quæ, ab Orientali *Vagi* latere, vsque ad amnem *Boczenſem*, procurrunt.

Gyömbér: XVIII. Gyömbér, ſiue *Zingiber*, ſic dictus, non tantum, quod tortuoſam *zingiberis* formam, prominentibus hinc inde petris, æmuletur; ſed cum primis, quod radicem ferat, *zingiberis* colori ſaporique, quam ſimillimam, eamque, medicandis pecudum morbis, inteſtinis potiſſimum, idoneam; ſed, quæ hominibus, lethargum conciliat. Ita a natura compoſitus eſt, vt quatuor cacuminibus petroſis, ſuperbiat, in quorum conuallibus, niues, æſtate etiam perennes, deliteſcunt. Qua ad orientem ſpectat, pinguibus paſcuis luxuriat; ſed obiectus ſeptentrioni, in præcipites petras, & ſcopulos deſinit. Riuos effundit octo, in totidem, vtriusque *Liptouienſis*, & *Gömörienſis* Comitatus, agros dimanantes. Hinc & fluuiolus ille deriuatur, qui torrentibus ſeptem adauctus, *Szentiuányum* interluit, & poſtea *Vago* ſe miſcet. Lacus, quem idem iſte mons habet, exiguus eſt, & piſcium inops.

Nad Huty: XIX. Nad Hvty, ab officinis metallicis nomen traxit; fodinas enim habuit olim, haud contemnendas. Specus hic quoque viſitur, longo ductu, in montis viſcera, protenſus, quem deſtillans paſſim aqua, & in lapides concreſcens, memorabilem facit. Stagnum montis, piſcium impatiens, & multa circumdatum arena, quæ exundationis indicium eſt, ſaltem memoraſſe iuuat.

XX.

XX. Polvdnicza, meridionalis, ſeu *Maior*, mons reliquos fere omnes, altitudine præcellens. Meridionalis dicitur, quod ab oppido *S. Nicolai*, exiguo milliari in meridiem, ſepoſitus eſt. Petræ, eleganti naturæ luſu, ſibi ipſis intextæ, arcis ſpeciem, quaſi, quæ cacumini eius ſit impoſita, mentiuntur. Certe, poſt Belae IV. ad amnem *Sajó*, cladem illam, perfugio multitudini fuit, aduerſus rabiem Tartaricarum impreſſionum. Alioquin præcelſis abietibus, mons totus, velut ex induſtria, conſitus eſt. Poludnicza *maior*:

XXI. Polvdnicza Minor, vulgo *Rohátſchka*, forte, obcorniculantes ſitus ita dictus. Eſt priori ſuppar, humilior tamen, ſiluis denſiſſimis, quas abietes, & larices conſtituunt, memorabilis. Cacuminis partem mediam, orienti oppoſitam, ſcopuli inſident, quos vulgus, *Koſtolczeky*, ſeu *facella*, vocitat, quod eorum ſpeciem e longinquo ſpectantibus oſtendant. Iuga, quæ ab hoc monte procurrunt in meridiem, vaſtis & præruptis petris, continuantur, quibus turrium nomen inditum. Subtus *Vallis Deminſaluenſis* eſt, inter petras, molis & ſitus mirifici, in occidentem protenſa. In huius conuallibus, riuus cernitur, quem hiatus, ſub immani quadam petra exiſtens, totum abſorbet. Hic demum, aquis ſubterraneis, mirum in modum actus, prope petram *Okno*, emergit denuo. Hæſit propterea valli nomen, *Tociſſte*, hoc eſt, *infundibulum*, quod aquam hauriat; quam vbi eructat, *Wodtwywierania*, dicitur. Iidem iſti montes, qua Comitatum *Zolienſem*, a *Liptouienſi* ſeiungunt, profundum lacum habent, cuius tamen viciſſitudines, nemo hucusque obſeruauit. Mons ipſe, *Deminſaluenſium* eſt. minor:

XXII. Sina, alias Lasiskà, mons petris deformis, pago cognomini adſitus. A ſummo eius vertice, valles duæ, canalium præferentes formam, in hiatus quosdam, ſubtus exiſtentes, dehiſcunt. Vulgus, caloris, & frigoris indicia ex iis capit. Si enim niues in canalibus iſtis, neque liquefiant, neque ruant deorſum; id quod horrendo cum fragore conſueuit euenire; argumentum capiunt, tempeſtatis calidioris; frigidioris, ſi res contra eſt. Fluuiolus, qui ex valle montis manat, in duos abit alueos, quorum alter *Palugjam*, alter *Szokolczinum* interfluit. Sina, *alias* Laziska:

XXIII. Reliqui, huius oræ montes ſunt: Svchè Wrchy, ſeu montes aridi; Chopecz, Boczæ ab occidente oppoſitus; Krtsauowo Deminſaluenſium, monti Gyömbier vicinus; Salasser; Lvdarowo; Hradisste; montes Dvbravienses & Liptsenses. Nunc ad *occidentem* progrediamur.

XXIV. Eſt hic in primis Svchá mons nominandus, *Liptouienſis* & *Zolienſis*, inter occidentem & *meridiem*, diſcriminator. Præruptus & ipſe, viam habens regiam, quæ ad vicinos *Zolienſes* ducit. Tumultu nupero, quem *Rákóczius* dederat, altiſſima montis, præſidio munita fuerunt, ne hoſtibus, has illasue partes, temere liceret infeſtare.

XXV. Connexus huic eſt, montium ille parens, an auus, Fatra *Maior*; ſic enim Germani vocant: *der alt Vater*. Eo maxime celebris, quod in Hungariæ inſignia relatus creditur. In his, tres

(e.) montes viſuntur, quibus corona, cum gemina cruce, incubat. Sunt autem: TATRA, FATRA, MÁTRA. Iter ad *Thúróczienſes* aperit, præceps quidem illud, ac difficillimum.

Montes ad Septentrionem:

XXVI. Plures longe ſunt montes, qui Comitatum noſtrum, a *ſeptentrione*, hoc eſt, Comitatu *Aruenſi*, & *Polonia*, muniunt. *Chotsch*, altitudine nulli, iſta regione, ſecundus. Cuius inde capi argumentum poteſt, quod ſudo cælo, *Cracouiam*, ex eius ſummo cacumine, oculis liceat vſurpare. Infra culmen, vaſtiſſima petra viſitur, *Liptouienſis*, & *Aruenſis Comitatus* terminus. Si nubibus integatur, indicio eſt, breui ſequuturas pluuias; tunc enim inquiunt: *Chotsch piwo warj*, id eſt: *Chotsch coquit cereuiſiam*, ſeu, colligit procellam, mox effundendam. Mons, ſi quis alius, metallorum feraciſſimus, quibus indagandis, vtinam opera locaretur impenſior. Sunt, qui credunt, peregrinos clam irrepentes, multum ex montis huius cuniculis, auri abſportare. Quin & hoc relatum accepi, *mineram*, ex cauernis erutam, igneque excoctam, pro ponderis portione, totidem dediſſe aureos. In eius vertice fons ſcatet, viridis aquæ, eius efficacitatis, quæ iniecta ligna, aut horum folia, biennio, lapideſcere faciat. Vicinus ei eſt *Chotsch minor*, mons omnino eximius.

Spuſſtiák:

XXVII. SPVSSTIÁK, ad agrum *Likauienſem* pertinet, ſiluis non minus, quam paſcuis, inſignis; in primis ſummo cacumine; illic enim prata habet, in amœnam diffuſa planitiem. Abundat ſerpentibus, qui, adulto iam auctumno, ad molem doliorum, duarum, triumue vrnarum capacium, conglobati, ab accolis reperiuntur.

Proſzeczká:

XXVIII. PROSZECZKÁ, ſeu PROSEKIENSIS mons, tametſi paſſim ſcopulis horret, habet tamen viam arctiſſimam, & præcipitem, quam vix ſuperari poſſe crederes. Planities, per cacumen diffuſa, hordeo ſerendo, eſt idonea.

Holicza:

XXIX. HOLICZA, ſupra vicum *Kwacsán*, eo itinere, quod in *Comitatum Aruenſem* ducit. Opilionum conſtans relatio eſt, in latere quodam montis huius, locum eſſe, qui, ſole, poſt effuſum imbrem, vti ſit, æſtuante, odorem ſuauiſſimum, qualis aromatum eſt, longe lateque ſpargat.

Trnowecz Weliky:

XXX. TRNOWECZ WELIKY, ſeu *Maior*, cum minore alio, eiusdem nominis, præruptus vterque, ac petris impeditus, quæ varie dehiſcentes, rimas, & valles, vel adſpectu horridas, efficiunt. Priſcis temporibus, *Mineram Veneris*, hic fuiſſe erutam, officinarum produnt rudera. E regione *Sywy*, ſeu *Mons griſeus*, viſitur.

Luzno:

XXXI. LVZNO, argenti mineris olim nobilis, cuius fodinæ adhuc ſuperſunt, ruinis tamen fere obſitæ. Lapides, & ſcoriæ, quæ circa officinarum rudera, ſparſæ iacent, argenti non nihil habent; vnde colligere eſt, diuitem aliquando fodinarum montis huius, prouentum exſtitiſſe.

XXXII.

e.) Alii, tres hoſce montes, in *S. Monte Pannoniæ*, triplici vertice adſurgente, quærendos putant. quod iam non vacat diſputare; indicaſſe ſat eſt.

XXXII. Stjt, ſeu *Scutum*, nomen a forma creditur accepiſſe, ſupra vicum *Zar* ſitus. Sunt & hic exſtantia fodinarum auri veſtigia. Ferunt, diuitem quendam Cracouienſem mercatorem, natione *Hollandum*, nihil diſſimulauiſſe, diuitias ſuas monti Liptouienſi *Stjt*, qui & *Szmreczká* dicitur, ſe in acceptis ferre debere. Neque enim inſolitum eſt, vt peregrini ſubinde montes iſtos perreptent, qui clam exportent, auri & argenti mineram, quam noſtri homines, aut ignorant, aut negligunt. Nobilis *Szmretsanyorum* familia, *officinam tuſoriam*, non ita pridem, heic erexerat, derelictam poſtea, cum, factis ſumptibus, non reſponderent prouentus. Hic, & vicini montes, ſtagna habent, quæ vulgus *Morské oko*, hoc eſt, *Oculum maris*, ideo adpellat, quod credit, per occultos meatus, cum mari, hæc iſtiusmodi ſtagna, committi. Stjt:

XXXIII. Rohátsch, quaſi *cornutum* diceres. Mons *Iamnicenſis*, tribus cacuminibus, ceu totidem cornibus, diſtinctus. Parte altera, ſitu obrutas fodinas oſtentat, quas *Staré Roboty*, hoc eſt, *vetuſtas operas*, promiſcue audias adpellari. Habet hodiedum, *auri* & *argenti* mineras; ſi eſſent, qui cum cura eruerent. Rohátsch:

XXXIV. Repa, metallis olim celebris, hodie tamen itinere, quo *Polonia* aditur, celebrior. Repa:

XXXV. Bistro, aliis Weliky Záwrat, rupicaprarum, quas copioſiſſimas alit, & murium alpenſium, luſtrum. Gaudet *minera cupri*, *auro maritata*. Gemina valle, a monte *Repa*, diſiunctus eſt; quarum minor, *Getzowo*; maior *Ratschkowo*, adpellatur, *Libano Carpathico*, inſignis. Fluuiolus, qui e valle iſta emanat, vicum *Pribilinam* irrigat, & ab eo nomen mutuatur. Alter vero torrens, monti cognominis, a fluuio *Bela*, infra riuum *Kameniſtam*, hauritur. Biſtro, ſeu Záwrat:

XXXVI. Kamenistá, limitis vice, aduerſus *Poloniam* fungitur, habetque ſemitam, qua vici Poloniæ, *Zakopany*, & *Witow*, adeuntur. Torrens hic deiectus, qui & ipſe *Kameniſtá* dicitur, ſupra *Kokawam*, & *Pribilinam*, Belæ amni ſe intimat. Kameniſtá:

XXXVII. Tomanowá, mons & vallis, vicum olim habuit, a metallicis cultum, ſicuti rudera paſſim exſtantia, docent. Eo latere, quod ad *Poloniam* ſpectat, antrum eſt capax, in cuius interiore parte, oſſa, molis inuſitatæ, quæ vulgus *draconum* eſſe credit, magna copia eruuntur. Eſt & *Tomankowá* minor. Tomanowá:

XXXVIII. Krizno, vix alia re, quam *Gentiana* prouentu, memorabilior, quæ adeo læta hic germinat, vt ad mediam vsque orgyiam excreſcat. Krizno:

XXXIX. Iaworowé, quaſi *Mons Vlmorum*, pinguibus paſcuis, & medicatis herbis, quales ſunt: *Angelica*, *Gentiana*, *Napellus*, reliquæ, notabilis. Eſt & limus, in montis huius regione quadam, niger, & marcaſita, auri atque argenti, diſtinctus. Eodem loco, aqua ſalit ſubacida, & quaſi *Spiritu Vitrioli*, diluta, cuius ſalubritatem mirum in modum commendant, qui experti ſunt. Dum æſtas eſt, plena hic ſunt ouium gregibus, omnia. Iaworowé:

Koprawá Welká: XL. KOPRAWÁ WELKÁ, miræ celſitatis, quam, inſidentes hinc inde lateribus eius petræ, horribilem faciunt. Commodum rupicapris receptaculum.

Granát: XLI. GRANÁT, e præruptis ſcopulis, ita compoſitus, vt vnice ad id factus credatur, quo ferarum, & auium ſilueſtrium perfugium eſſe poſſit. Integros hic rupicaprarum greges videas, agmina item miluorum, accipitrum, & auium, quas incolæ, ſuo vocabulo, *Morské Láſtowize*, hoc eſt, *hirundines maritimas*, adpellant. Colligitur iſthic præterea, *Angelica Craſſa*, *Daucus Creticus*, & *Doronicum*. Qua *Poloniam* proſpicit, quinque lacus, ad ipſum montis pedem, reperiuntur, ſed piſcibus vacui.

Tichá: XLII. TICHÁ, habet ſtagnum, non id quidem profundum, neque ingens, iactu enim lapidis ripam alteram tangas; ſed ita frigidum, vt, feruente canicula, nudis pedibus, ſine exquiſitiſſimo frigoris ſenſu, tranſiri haud poſſit. In hoc monte, *Bela* amnis, fons eſt.

Hruby: XLIII. HRVBY. Trans *Krywán*, in limitibus *Comitatus Liptouienſis* poſitus, ingentis & ipſe celſitudinis. Medio, inter vtrumque montem, loco, ſtagnum eſt, ex quo perennes aquæ, præcipiti lapſu, in *Belam* amnem feruntur.

Krywán maior: XLIV. KRYWÁN MAIOR, mons, ſi quis alius, maxime celebris, nomen inde ſortitus, quod adunco naſo ſimilis, in Occidentem propendeat. Adfinis eſt, ſummis, *Carpathi Scepuſiaci*, iugis, a vico *Vazecz*, in ſeptentrionem ſepoſitus. Ex præruptis petris, & diſtortis mirum in modum ſcopulis, in immenſam molem coaluit. Qua agrum *Wazeczienſem*, & *Wychodnenſem* proſpicit, aditum habet pronum facilemque; arduum contra, qua ſe *Gibbenſibus* obiicit. Sed ab aquilone, inacceſſus eſt. Præcipuam montis laudem, in eo ponunt, quod venis auri abundat. Reuera autem, theſaurus eſt, *Gryphorum* cuſtodiæ mandatus. Quia enim frigus, cui tota iſta regio obnoxia eſt, & ſolito durat diutius, & incipit, quam alibi, maturius, operæ metallicæ, neceſſum habent ceſſare, antequam emolumenti quid parauerunt. Atque, hæc eſt cauſſa, cur aureus iſte mons, (ita eum *metallurgiæ* periti, vocare nihil dubitant,) peruestigari haud poſſit. Feras alit easdem, quæ ſunt *Carpatho* familiares; quin & herbis, radicibus, & arboribus iisdem gaudet. Vicinus ei eſt mons, HRAD, metallicus & ipſe; ſed quem eædem circumſepiunt difficultates. Digna eſt ſilua quoque *Konrádowá*, quam hic memoremus, ob ſalſam paludem, cui *Trasowicza Gaidoſſowá*, nomen. Equidem, argumentum hinc capio, montes iſtos, & ſalis venas habere, ſi eſſent, qui eas cum cura indagarent.

Krywán minor: XLV. KRYWÁN MINOR, quem, diminuto vocabulo, *Krywánik* dicunt. Mons, ex ingenti petra, conflatus. In huius radicibus, ſtagnum eſt, ducentarum circiter orgyiarum, quod a colore vitreo, quem refert, *viride* vocitant, ideo non ſilendum, quia ex eo, ingenti murmurantis aquæ fremitu, per meatus ſubterraneos, *Vazecz* oritur, paſſibus inde, plus minus centum, in apertum fluuium, erumpens.

XLVI.

XLVI. Ostry, minori *Krywán* adſitus, metallorum itidem diues, cultusque olim. quod officinarum rudera docent. Ex ſummo eius vertice, nam in acutum deſinit, riuus deiicitur, præcipiti aquarum lapſu, memorabilis, & operis *Wazeczenſium* metallicis, vtilis. Naſcitur hic quoque *Angelica*, *Radix Rhodi*, *Doronicum*, cetera. Oſtry:

XLVII. Mlynicza. Hortum medicum, a natura conſitum, crederes, adeo frequentes habet herbas, & radices medicatas. In his ſunt: *Angelica*, *Coronopus*, ſiue *Serpentina*, *Gentiana*, *Napellus*, *Polypodium*, *Valeriana*, *Radix Rhodi*, reliquæ. Plurimi hic ſunt *Ibices*, *Martes*, *Mures Alpini*, atque *Mures Norici*. Riuus, qui heic oritur, *Mlynicza* & ipſe dictus, poſteaquam geminam *Strbenſium* molam impuliſſet, ad *Scepuſios* labitur, ibique *Poprad* ſe miſcet. Mlynicza:

XLVIII. Kvpfferschacht. Ipſa montis notio indicat, cupri eum fodinas habuiſſe, quas olim *Templarios (f.) Stolenſis Cœnobii*, coluiſſe, perhibent. In ſiluis *Csorbenſibus*, monti huic vicinum ſtagnum eſt, mediocre id quidem, ſi magnitudinem ſpectas; ſed profunditatis inexploratæ, in quo, *Hydranthropos* ſubinde viſos fuiſſe, vulgi fabula eſt. Kupfferſchacht:

XLIX. Basta. Ita dictus, quod præcelſa rotunditate ſua, propugnaculum mentiatur. Præter communes, montibus reliquis, herbas, radices, & arbores, *Libanum* fert præſtantiſſimum. Baſta:

L. Henská, mons totus ſaxeus, diuites argenti venas habens; ſed, quæ indagari nequeunt, ob prærltas, & perpetuas niues. Henská:

LI. Visoká, nomen a præcelſa altitudine ſortitus, totus, e petris ſolidiſſimis compactus eſt. Habet *Antimonium ſolare*, & *rubricam*. Ad pedem montis, *Norici*, & *Alpini mures* colunt. In ſummo cacumine, fons eſt perennis, aquam limpidiſſimam, iuxta ac frigidiſſimam, ſcatutiens, tanta copia, vt riuus, ex eo dimanans, fluuiolo ſimilis euadat, qui per quinque petrarum præcipitia, iuſtis interuallis diſcreta, ingenti cum fremitu lapſus, iucundum præbet ſpectaculum. Illabitur vero in lacum, monti ſubſitum, quem vulgo, *Ribie Pleſo*, ſeu, *Lacum Piſcarium* dicunt: eo quod piſces alat ſapidiſſimos, inter quos eminent *truta aurata*. in quarum ſtomacho, ſæpius grana auri puriſſimi, reperta fuiſſe, accepimus. Lacus magnitudo, paſſuum circitet quadringentorum eſt, ſed profunditatem, nemo hucusque potuit definire, vnde colligunt aliqui, in meatus ſubterraneos eundem propagari. Riuus, qui ex eo demanat, in agrum *Scepuſienſem* effunditur. Viſoká:

LII. Závrat, monti *Viſoká*, coniunctus. Hinc quoque riuus in lacum, cuius nunc meminimus, delabitur. Závrat:

LIII. Loch nad Ribom. Extremus Comitatus, aduerſus *Scepuſios*, limes, altitudine mediocri; ſed antimonii prouentu, nobilis. Loch na Ribom:d

Sta-

f.) Etiamne Hungaria Templarios habuerit aliquando, non auſim adfirmare. Certe, Rerum Hungaricarum ſcriptores, nusquam eorum meminerunt. Vulgus interim, nullum non rudus vetuſtum, *Templariorum* ſedem fuiſſe, audacter fabulatur. Vtinam ſit, qui, ſeu diplomatum, ſeu auctorum fide, id quod res eſt, nos doceat.

Stagnum, quod in radicibus montis viſitur, exiguum eſt, & piſcium impatiens.

LIV. Vltimum eſt, vt, antequam montes *Liptouienſes* deſeramus, vallis *Prepadlá*, iniiciamus mentionem. Eſt ea, ſub monte orientali *Hóváld*, a dextro latere, ad *Scepuſios* proficiscentibus, proxime ad illud iter, quod ad *Felsö Sunyauam*, vicum Scepuſienſem, ducit: eo memorandus, quod riuum, qui vallem facit irriguam, tribus hiatibus, oppido ſtupendis, abſorbeat. Horum primus, vbi riuum hauſit, magno cum ſtrepitu, euomit in alterum; atque hic iterum haud minori fremitu, in tertium, aquis ad CCC. orgyias in profundum cadentibus. A hiatu vero tertio penitus abſorptus, per ſubterraneos meatus, ad paſſus fere bis mille, labitur, emergitque, in agro *Wazeczenſium*, ea regione, vbi molendinum ſuperius, poſitum eſt.

§. IV.

Petris *aſpera eſt Liptovia:*

IAm, ex præruptis montium iugis, in ſubiectas valles, campos atque agros, deferremur, niſi remoram nobis ponerent, præcipites, atque inuſitatæ molis petræ, quas ideo iuuat conſiderauiſſe adtentius: ea tamen cum circumſpectione, ne nimia prolixitate, lectorem fatigemus. Horret omnino, petris & cautibus prærultis, *Liptouia:* ea potiſſimum ora, quam *Deménſaluenſium* montes, in meridiem exporrecti, inſederunt. Vallem, ex vicis *Deménſalua* & *Bodice*, ſubeuntibus, prima petrarum, *Cserná*, ſpectantium oculos aduertit. Hanc, ſeu radii ſolares, vti vulgus credit, ſeu res quæpiam alia, pullam reddidere. vnde *Slauo* idiomate, non immerito, *Cserná*, hoc eſt, *nigra* adpellatur. Si quæ alia, iſta profecto, obtutus eſt longe omnium amœniſſimi; in primis, ſi eminus adſpiciatur. Nam, ab imis montis radicibus, non ſicuti reliquæ rupes, perpetua & interrupta ſerie, in ſublime adſurgit; ſed factis paſſim, ab imis radicibus, anfractuoſis articulis, dum quinque iſtiusmodi regionibus ſuperatis, in ſextam, emergat, altitudinis tantæ, quantam, qui non viderunt, vix ſunt animo concepturi. Prima moles, paſſibus ferme quadraginta, inſtar amœni ambulacri, proceris arboribus interſtincti, a radicibus diſcedit; vt ſuſtineret molem alteram, ſublimitate priori diſparem. Hinc articulus eſt, anguſtiore, quam prior, ſpatio definitus; ſed neque tantæ vaſtitatis rupem, quantæ inferior ille, ſuſtentans. Qui medium tenet, rurſus eodem, cui incubat, minor eſt; tametſi ſuperiore parte, grandiore mole preſſus. Poſtremi duo, peræque pari interuallo, alter ab altero ſecedentes, prælrum apicem rupis conſtituunt. *Cserna* hæc facies fuit.

ora potiſſimum Deménſaluenſi:

petra Cserna:

eius ſex articuli:

Benikova: Eam poſt aliquot millia paſſum, in auſtrum, *Benikova*, maior excipit: vndique, meridiem & ſeptentriones verſus, in circulum abſciſſa & præceps. Eminet in altitudinem, paſſus propemodum ter mille, accliuitate, qua ab infimis radicibus, molliter incipit faſtigari, tandem, poſt centenos aliquot paſſus, in arduam abeunte celſitatem. In medio altitudinis ſpatio, ſpecum habet, cuius os arctum

eius altitudo horrida:

&c

& obſcurum, profundiorem, in petram excauationem, arguit; ſed, ne a Pluti quidem ſatellitibus, ſubeundam. Nulla hic ambulacra, articuli nulli, vti in *Cserna* obſeruatum: omnia ad amuſſim quaſi in altum ſurriguntur, neque poſſunt, niſi cum horrore, ſuſpici. Quo propius ad ortum hibernum recedit, eo plus, ſed lentioribus decrementis, de præcipiti horridoque poſitu, remittit: non, quod moles, recta in ſublime ferri deſinat; ſed, quod minores cautes lateri adſociatæ, oculorum adſpectum deliniunt. *Sogdianam* petram diceres, niſi ab ortu, latiſſima ſemita adiretur, armentis, boum & equorum, nec non gregibus ouium, maxime peruia. Iſthac enim parte, in decliuem montem deſinit, & copioſæ lignationi, atque ſucculentis paſcuis, locum facit. Qua meridiem verſus, pone petram, ad amnem pone præterfluentem, deſcenditur, ſolo anguſto calle, cautes aliæ diſiunguntur, perlongo tractu ad auſtrum, facie occidenti obuerſa, procurrentes. Altitudo his, plus minus, quinquaginta orgyiarum eſt, paſſim, ad ſimilitudinem heliocaminorum, ita inflexa, vt conuexitate ſua, prætereuntibus, perfugio, aduerſus imbres eſſe poſſit. Ab incolis, petrarum huiusmodi conuexiones, *Zápoly* vocantur. quarum heic numerus longe eſt frequentiſſimus. Ex oppoſita parte, trans flumen, territorium *Bodafaluenſe* inir, compluribus petris celebre, quæ præcipitiis, & altitudine, cum *Deménfaluenſibus*, certare videntur. Inter has, *Zámek*, *Sokol*, & *Korenetz*, eminent. Illa, ab arce nomen accepit, quod eius ſpeciem, non obſcure mentitur, imperuiis aliquot receſſibus, quaſi ad infeſtandos hoſtes, comparatis, ab ima radice, in cacumen prorepens. Hæc, a *falconibus* denominata eſt, qui, *Slaua* dialecto, *Sokol* vocantur. Forte, a primis nomenclatoribus obſeruatum erat, hic loci, *falcones* olim nidos ſuos depoſuiſſe. quod hodie, ne ſolertiſſimus quidem auceps affirmarit. Quidquid horum ſit, meretur profecto, vt a naturæ curioſis, inſpiciatur. Facie, *Csernam*, orientem verſus contuetur, ac veluti eam veneratura, dimidiæ molis, cernua inclinatione, prætercurrenti viæ, imminet, vertice mox in altum ſurrecto, vt pinis & laricibus locus eſſet. Agmen reliquarum, petra *Korenecz* (latine, *radicula*,) ea parte, qua vallis in campos explicatur, claudit. Non eſt æque, ſicuti reliquæ, alta; miro tamen naturæ niſu, producta. Veluti parturiuiſſet mons. primo, teres ſaxum, ſimulacrum turris referens, altitudinis forte XXX. orgyiarum, peperit: dein, modica intercapedine, alterum minus, obtuſum illud, & a prima altitudine, lentis gradibus, pene per viginti paſſus, remittens, donec, e ſua radice rupem protruderet, duo, circiter ſtadia, ſublimem. Saxum eſt, ab omni aditu præcluſum, glabrum illud, & aliquot pinis inſeſſum, atque ambitu ſuo, forte centum paſſus, definiens. Ad latus alterum, noua cautes, poſt exiguum interuallum, eadem prorſus radice, emergit. quæ, vbi vertice in conum fere deſinit, in medio, gibbum cameli refert, poſteaque, altero fine in decliuem collem, tranſit. Sub eodem gibbo, in dimidia petræ altitudine, foramen, admirando natu-

conuexiones rupis Beniikowæ:

Zámek:

Sokol:

Korenetz:

reliqua. ræ artificio, ad modum cordis incauatum, cernitur, ſilueſtrium hirundinum, & id genus oſcinum, tutum quoddam perfugium. Vt ſaxum *Oſtredek*, e media proceritate, in triplicem columnam abiens, & *Blatnik*, turri quam ſimillimum, *(g.)* taceamus.

§. V.

Antra Deménfalvenſia: ISta, petrarum atque montium, exterior facies fuit. Nunc interiora perſcrutanda ſunt, in quibus admiranda diuinæ potentiæ veſtigia, deprehendas. ANTRA intelligo, nulla humana induſtria, ſed ipſius naturæ ſtupendo prodigio, in petrarum intimiores receſſus, ſiue aquarum diluuii exundationibus, ſiue primo, condiroris huius vniuerſi, nutu, excauata. In *Operis* noſtri *Prodromo*, capaciſſimi antri *Cserna*, & icona dedimus, & deſcriptionem, ex cuius obtutu, quæ de ſpecuum reliquarum excauationibus dicemus, facile adſequetur lector.

I.

Antrum Benikowæ: Prima omnium, poſt maiorem *Csernam*, BENIKOWA occurrit, a priore, in auſtrum, exiguo, ſed maxime arduo itinere, diſſidens. Nomen habet, a cognomine petra, non quidem ea prælta, cuius ſupra meminimus; ſed altera minore, illi a ſeptentrionibus vicina. *Draconum nomen, ab oſſibus inuſitatis accepit:* *Draconum*, κατ' ἐξοχην vocatur, propter plurima & maxima oſſa, quæ paſſim per omnes antri deflexiones, conſpiciuntur. Ingreſſum aperit ſic ſatis amplum, lentiſſima decliuitate, ſine vllis præcipitiis, in orientem, reflexo parumper ad meridiem itinere, decurrentem, & nulli non animanti, facile peruium. Vnde oſſa, quæ hic reperiuntur, boum, aut equorum crederem, niſi mole, mirisque flexibus, multum ab oſſibus *(h.)*, iſtorum animalium, diſcreparent. Capite in primis & dentibus produnt, antrum hoc, deformes & portentoſas belluas, coluiſſe. Quo vlterius a primo aditu recedit, eo, aut patentiore hiatu, in amplius ſpatium explicatur, aut conſtringitur in anguſtias, ſed vbique, ſuo introitu laxiores. *eius por-tenta.* Paſcit oculos, iucundis & crebrioribus, in vtrumque latus receſſionibus, mox in ſpeciem dimidii circuli, mox in longiores & anguſtiores meatus, reflexis; eo tamen caſu periculoſis, ſi lumen veſtigantibus exſtingui contingeret; tum enim vero, curioſi ſcrutatores, vltimum vitæ diſcrimen adituri eſſent. Maximus receſſuum ille eſt, qui in parietem ſiniſtrum, nouum antrum aperit, fundo lapideo, veluti e candido marmore, in modum teſſelati operis, confecto. Sed, vbi in ſeptentriones declinauit, planam fundi ſuperficiem, diuerſi fonticuli interpolant, alii rotundi, alii trium quatuorue orgyiarum longi, duarum lati, & veluti data opera, lapidea macerie, vnius ſpitamatis, inuicem ſeparati. Aqua reſtagnant limpidiſſima, & extra modum frigida,

vt

g.) Habemus omnium harum rupium icones, a GEORGIO BVCHHOLTZIO noſtro, ſcite adumbratas; ſed quas, impenſarum nimietas, vetuit æri incidere.

h.) Sunt & hæc in noſtris cimeliis, partim hinc protracta, partim, ex antris *Carpathi Kämierkienſis*, aliis. quorum imagines, alibi expreſſas dabimus.

vt rigorem eius, vix momentum temporis, immiſſa manus peſue, tolerare poſſint. Bibitur tamen ab iis, magna ſalubritatis opinione, qui doloribus calculi diuexantur: quaſi, in corpore humano, ſolueret lapidem, in quem ſuapte natura, latex hic ſueuit concreſcere. Lepidiſſimos heic naturæ luſus, ex ſtillicidio lapideſcentis aquæ, iſthic, in ſpeciem organi pneumatici, ibi, in ſimulacra tentoriorum, conorum, columnarum, & id genus formarum, coalitos, ſpectare poſſis. Qui habitus, etiam per illius antri conuexitates, veluti de induſtria factus, obſeruatur, quæ amplo tramite, ab iſto, in meridiem arcuantur. Nullam hic deuexitatem videbis, quam non complures ſtiriæ, amœno dependentes poſitu, exornarent. Fundus tamen, qua propius ad finem accedit, maximam partem cotibus, & grandioribus ſaxis impeditus eſt, impediturque toties, quoties, in iuſtam molem ſuccreſcentes ſtiriæ, pondere ſuo auulſæ, humum petunt. Nullus dubito, quin, hac concreſcentis aquæ copia, poſt longos annorum decurſus, omnes meatus, aut penitus obſtruantur, aut cogantur in arctiſſimas fauces: niſi forte, quod opinantur aliqui, ſubterraneis halitibus, liqueſcat iterum, concretus ad eum modum, latex: quod, de reliquis etiam antris tenendum. Sed, proxima fini ſpecus regio, quod omnium eſt depreſſiſſima, locum ſtagnis fecit. Forte, omnis vnda, quæ lapideſcentes particulas alibi depoſuit, huc locorum, occultis antri meatibus, confluit. Nam, & ſinceriſſima eſt, &c. quibusdam in ſtagnis profunditatis imperueſtigabilis. His, anguſto calle, ad latus ſiniſtrum ſuperatis, gemino, in vtramque partem, receſſu, ad modum obtuſæ crucis, antrum terminatur. Latitudo eius diſpar eſt, ſicuti & altitudo; at longitudo, quingentis, plus minus, orgyiis definitur.

I I.

Deflexo hinc, ad auſtrum itinere, profectis, altera ſe. aperit ſpecus, ſuperiore multo minor, tametſi, in petram maximam *Benikowa*, impreſſa. Ab accolis, vulgato nomine *Dwere*, id eſt *Ianua*, adpellatur, quod, temporibus inteſtini tumultus, inæqualem antri ingreſſum, & muro exæquarunt, & foribus ſtudioſe præcluſerunt: vt perfugio eſſet reculis, contra frequentes latrunculorum impreſſiones. Et videtur omnino, his vſibus, a natura deſtinata ſpelunca. Nam, & aditu ita eſt occulto, vt eum prius ſubire, quam conſpicere poſſis, & ab humoribus, ſupellectili maxime noxiis, prorſus fere immunis; eo quod, in editiorem petræ partem eſt incauata, faciemque, perpetuis ſolibus meridianis, obuertit. Subeuntibus, poſt paſſus aliquot, in aquilones, altum conclaue adaperitur; ſed ab ima parte, præcipiti deſcenſu, ita interruptum, vt, niſi ſcalæ miniſterio, adiri nequeat. cuius, in præſentia, vices, pinus ſupplet, pro gradibus, ramos, ad dimidium ſublucatos, hinc & illinc, porrigens. Sub ipſo deſcenſu, triginta propemodum paſſuum, in meridiem, regreſſio eſt, meatum habens, in molliter anguſtas fauces, cuneatim deſinentem. Abit, per medium, ſic ſatis recto tramite; ſed laterum ſinuoſæ excauationes, tam

Specus Dwere:

eius opportunitas:

& habitus.

diu ſuaues mæandros ludunt, vsque dum, in altum ſubducto itinere, vna cum antro, ſenſim deſinant. Fundo, præditum eſt, lapidoſo, & maximam partem, vetuſtis doliorum aſſulis, quibus res incolarum adſeruabantur, reſperſo. Nunc, veſpertilionum eſt luſtrum, qui hic globatim hoſpitantur.

III.

Okno *maius, eiusdem, cum* Cserna maiore *natura:*

Antra porro ſuperſunt duo, quorum mentio, in his montium propaginibus, habenda eſt omnino: Okno ſcilicet *maius*, & *minus*. Feneſtram, *Slauicum* vocabulum ſignificat. Prius, tantæ eſt capacitatis, & longitudinis, vt ſit merito, poſt *maiorem Csernam*, ſecundum: ita, & ingreſſu, & præcipitiis, luſibusque naturæ admirandis, illi eſt ſimile. Diſcedit a *Benikowá*, eodem iugorum tractu, tria circiter ſtadia, in plagam meridionalem, aditurque meatu ampliore, quam *Benikowá*, qui ab occidente paullum in meridiem deuergit, & donec in ima cauernæ penetralia deducat, decliuitate ſua, plus minus viginti orgyias, definit. Nolo prolixus eſſe, in percenſendis ſimulacris, quæ hic natura, mirificis colluſionibus, affatim depoſuit, ad eum pene modum efformatis, quem in ſuperioribus antris, obſeruauimus. Receſſus pandit, in vtrumque latus deuexos, nunc ſemicirculi, nunc prolixiorum ſinuum ſpeciem mentientes. Duo, qui in rotundum feruntur, mediocri concauitate, quam proxime ad ſacella accedunt. Nam, & pro altari, cauernoſum lapidem exſtantiorem oſtendunt, & reliquum ornatum, minoribus conis, veluti arte ſtatuaria exciſis, ſupplent. Nec longiore interuallo, quam viginti ferme greſſuum, inuicem diſſident. Ad prius hoc ſacellum, meatus antri, in fauces arctiſſimas coit, quem haud aliter, quam reptando humi, penetrare licet. Idem obſeruabis, ſi a poſteriore ædicula, in finem antri velis pertingere. Prolixiores, in latera, deflexiones, tres numerantur, omnes, eandem ſpeluncæ partem, perforantes, ſed inæqualibus interſtitiis dislocatæ. Quartus, alterum ſpeluncæ latus occupat, rami potius, quam receſſus nomine, compellandus. Nam, vbi ſe ab hiatu medio ſeparauit, rectum, cum priore, curſum tenet, cumque ſpecui formam indidiſſet bifurcam, in tantam abit laxitatem, vt in medio aliis hiatibus, lambendo quaſi excauatis, ſpatium relinquat. Terminatur in cuſpidem; relicta limpidiſſima aqua, paſſim in fonticulis redundante. At maior ille, a quo ramus prior ſeceſſionem fecerat, non prius deſinit, quam, & ſuperiorem longitudine ſuperarit, & cauernauerit conclaue, admirandis ſtiriis, conis, globulis, tabulis longioribus, menſis, botris, & his ſimilibus naturæ portentis, completum. Finem antri, *Oſſa Draconum*, ſub arenis, & poroſis lapidibus, latitantia, inſignem faciunt.

habet ſacellorum duas ſpecies:

IV.

Okno *minus.*

Antrum Okno *minus*, ab eadem petra *Benikowá*, ad teli fere iactum, in auſtrum recedit, duplici introitu, viam, in adyta ſua, pandens. Qui patentior eſt, dexrram; ſiniſtram, anguſtior occupat; donec

nec in plana laxaque ſuperficie conuenientes, per fundum, ob contuſos quaſi lapides, ſalebroſum, ad geminas columnas ducant, quæ conclauis aream, & efficiunt mirifice, & ſuſtentant. Nihil hic commemoratione dignum, præter meatum, qui, poſtquam præcipiti accliuitate adſurrexerat, bifario hiatu, cauernulæ finem imponit, ab ingreſſu, vix LX. orgyias diſtantem. Potuiſſemus, ſingula hæc, æneis tabulis expreſſiſſe, adcurate, non dimenſa tantum a Cl. Bvchholtzio, ſed etiam adumbrata; niſi nos, ſumtuum deterruiſſet profuſio.

§. VI.

Fluuii Liptouienſes.

LVſtratis ita montibus, petris, antrisque, *Fluuios* iam videamus *Liptouienſium*. Duos vero nominabimus, Vagvm, & Belam, nam reliqui, inter riuuos potius, atque torrentes, habendi ſunt.

I.

Vagus: eius etymon:

Vagvs, antiquis *Cuſius*, ſi integra eſt lectio, Tacit. Hungaris *Vág-Vize*, Germanis, *die Vag*, dictus. Si notionem Slauicam *Váha*, interpreteris, *libram* ſignificabit, qua denominatione, forte, ad geminum eius caput, reſpexerunt primi homines, quæ in diſiunctis, atque oppoſitis ſibi montibus, exiſtentes, amnem, quaſi in bilancem coëuntem, fundunt. Latina terminatione Vagvs enunciatur; ſi ludere auſim, nulla quidem iniuria; nam *Vagus* reuera eſt, atque alueo coërceri neſcius. Quoties enim, montanis torrentibus, quos ſiue pluuiæ, ſiue diffugientes niues, auxerunt, intumeſcit, ripas ſupergreſſus, late vagatur, atque in primis, ſi glaciem vehat, proxima quæque, damnoſa eluuione, inundat.

> - - *Aggeribus ruptis, cum ſpumeus amnis*
> *Exiit, oppoſitasque euicit gurgite moles.*
> *Fertur in arua furens, cumulos camposque per omnes*
> *Cum ſtabulis armenta trahit (i.).*

geminus ſum: t

Quidquid eius ſit, rectius, e Germanico vocabulo, *die Woge*, quod *(k.) fluctum* ſignificat, nomen amnis deriuaueris. Eſt enim fluctuoſus extra modum, & feruens: maxime, per ea interualla, vbi ſaxa rupesque alueum reddunt confragoſum. Tunc vero, ab vna cautium eliſus, ruit in aliam, iterumque repercuſſus, non tam fluere credi poteſt, quam æſtuare. Id, cum apud *Liptouienſes* paſſim; tum in *Strecsnenſi* valle, quam pernix interluit, præcepsque, illac nauigantes, obſeruauimus. Ceterum, gemino, quod nunc diximus, fonte ſalit. Alter, in radicibus *Krywán* minoris, ad ſeptentrionem ſcatet, & ſicuti illic obſeruauimus, *Lacus viridis*, ob coloris aliquam ſimilitudinem, adpellatur. Vnde, per ductus ſubterraneos, quos magno cum fragore

i.) Aeneid. Lib. II. verſu 496.

k.) Induxit nos in hanc opinionem Gloſſarium du Fresne.

ſubit, proſiliens, *Vázecz* dicitur, atque vicum cognominem prætergreſſus, recepto riuo, *Bielansko*, per vallem *Markuſſowo*, in meridiem labitur. Iſte, fontis ſeptentrionalis, alueus eſt. Fontium alter, in meridiem ſepoſitus, inter limitaneos montes, *Regium*, & *Scabioſum*, quærendus, quemadmodum monuimus, cum montes recenſeremus. Huius profluentem, ab ipſo monte, *Nigrum Vagum* dicunt, qui per anfractuoſas montium conualles, in ſeptentrionem primum, mox, flexo alueo, in occidentem æſtiuum, præcipiti aquarum curſu, voluitur; dum recepto, ſupra *Király Lehotum*, amne *Vázecz*, ratium patiens eſſe occipiat. Poſtea, complures vtrinque, a ſeptentrione, & meridie, riuos admittit. quorum ſingulos, infra recenſebimus. Ita

quem curſum teneat:

valentior factus, *Comitatui* ſe penitius intimat, atque vicis *(l.)* pluribus adlapſus, tertio, a confluente, milliari, oppidum *S. Nicolai*, ac poſtea, pari fere interuallo, diſiunctam inde *Roſenbergam*, adluit; donec infra *Stankowan*, Aruæ, nauigabili fluuio, a ſeptentrione adlabenti, conſociatus; (oram hic eiusdem Comitatus, aliquantiſper lambit,) *Fatramque* montem præteruectus; *Comitatum Liptouienſem*, deſerat,

eſt piſcium, & cancrorum, diues:

& in agrum *Thúróczienſium*, exſpatietur. Fluuius ipſe, piſcium, & cancrorum diues. Sunt autem præcipui, *Salmones*, *Muſtella*, *Truta*, *Thymalli*, *Mugiles*, & his rariores, *Carpiones*, atque *Lucii*. Tametſi vero, patiens ſit ratium *Vagus*, & lignatoribus, ad educendas trabes, atque id genus materiam, perquam commodus; neſcio tamen, an commoda iſthæc, damnis, quæ exundationes inferunt, potiora incolæ habeant. Vix enim annus abit, quin ſtrages edat, euaſtetque regionem, ripis adfinem. Id quod, cum ante hæc duo luſtra, anno nimirum MDCCXXV. pridie, & ipſis Nonis Auguſti; tum in primis anno MDCLXII. menſe eodem, magno, *Liptouienſium*, & totius *Vagana* oræ, damno euenisſe, facto, ad ciendam miſerationem, carmine, aliquis, eius ætatis doctorum *Liptouienſium*, deplorauit. quod, ne intercidat, cladis autem tantæ memoria, ad poſteritatem transmittatur, intertexendum putauimus.

de Vagi eluuione, miſerabile carmen:

Triſte canat Phœbus, numeris præſagia certent:
Horrida lympharum rabies, centumque pericla
Et ſegetum raptus, & tanta incommoda rerum
Auſonio carptim verſu recluſa pateſcant.
Tu, qui veliuoli moderaris murmura Ponti,
Terrarum calique ſator, qui ſideris aſtus,
Qui grauidas pluuiis nubes compeſcis habenis,
Adſis, & ipſe lyra lachrymoſa plectra reſolue.
Lux erat Auguſti, *ſeptena ſub orbita tauri*
Anni ſexcenti ſimul ac bis terque decennes.
Atque duo ſupra currunt, per tempora mille.

Hen

l.) Prolixa eos diligentia recenſuit, SAMVEL TIMON S. I. in nupero, eoque ſcito libello, cui titulus: TIMISCI, Vngariæ Fluuii NOMEN, VAGIQVE ex parte, Caſſouiæ, A. MDCCXXXV. for. duod. §. XVII. p. 130.

Heu mihi! quis furor Hungarico quæue incubat orbi
Vndarum clades? Memoro hæc, dum faucibus hæret
Vox, ſimul & gelidus percurrit pectora ſenſus.
Nulla ſuper tanto caſu vox ſufficit? Ipſum
Sedibus ex imis æquor ſpumaſſe putares,
Et tumidos fluctus rapida cum vortice longe
Fundere per montes, lateque patentia rura.
Eſt mons Scepuſia *longe celſiſſimus ora,*
Carpathus, *& ſtagnis gelidis & fontibus vber.*
Hunc ſimul ac Zephyri vernali flamine perflant,
Aut quoties tepidis pluuius rigat imbribus Auſter,
Aequoreos fluctus ſummo de vertice collis
Prouoluit, nimbisque ferox & grandine præceps.
Forte dies Petri Vinclorum *illuxerat orbi,*
Eripitur tetro paſſim velamine cælum,
Imbreque terra madet, pluuiali nocte dieque.
Talem fert faciem ſeptenis ſolibus Auſter.
Hinc bene turgeſcunt telluris gurgite venæ,
Fontibus hinc riguis abſorbet Carpathus *æquor,*
Vsque adeo, vt tandem lympharum pondere victus,
Ruperit (m.) antra domus niuea, rapidosque per arua
Et curuas valles, fœcundos fuderit amnes:
Campus hiat venis, quaquatenus orbita cæli
Impetuoſa furit, vel nubila cæca nigreſcunt.
Hinc curſu triplici gurges ſe ſcindit in orbem.
Altera vertit iter rapidum pars ſolis ad ortum;
Altera ad occaſum; ſed tertia vortice flexo,
Labitur ad gelidas partes Erymanthidas vrſæ.
Nec mora, per latos, tumido ſe flumine campos,
Inſtar montis aquæ rotant, ruit atra Mephitis
Saxa ſimul colliſa tonant, boat vndique vallis:
Pondere ſub tanto tellus tremefacta remugit.
Quid referam? verrit per præceps omnia gurges:
Fluctibus inſanis, hinc atque hinc, cuncta feruntur.
Non villis, pecudi, rabies non parcit aquarum,
Raptat iniqua domos, quaſſat radiataque tecta:
Sternit & ex imo celſas de montibus ornos:
Caucaſeas rupes ſcindit, mox ſepta reuellit.
Hinc ſeges, hinc fructus, diſtracti fluctibus vndant;
Hinc vir, & inde thorus fluitant: hinc femina vaſto
Rapta vado præceps ſcopulis impingitur atris.
Cum rate ſalque natat, clauſo precioſior auro,

Ciſta

m.) Nimirum, perruptis cataractis, lacus *Carpathici*, tantum in ſubſitam regionem, aquarum effudere, vt diluuium Deucalioneum credi potuiſſet, de quo IVSTINVS, Lib. II. 6. 7. & 11. Fiſſuræ *Carpathi*, per quas æquor illud effuſum eſt, notari hodieque poſſuot, in montis præcelſo latere.

Ciſta ripis teritur, merguntur lintea gyro.
Heu? quid nunc memorem longe ſuperantia famam?
Fama canit Boios *quatuor ter curribus, vltra*
Scepuſiacas oras, lino pannisque refertis,
Cumque viris & equis decumanis fluctibus hauſtas,
Illico quos limo turbo ſuperobruit alto.
Sic quoque fama refert, equitem dum forte per arua
Liptica carpit iter, ſinuoſo vortice cinctum,
Auxilii mentisque inopem, vix tergore miſſo
Cornipedis, celeri ſalicis tum vimina lente
Corripuiſſe manu, truncique ſubiſſe penates;
Nec prius ire datum, quam cum deferbuit aquor.
Magna ſatis ſunt hæc; at mox maiora reuoluam.
Oppida ſunt villaque vadis contermina Vagi,
Vagus *(ſic fluuium* Liptoi *cognomine dicunt)*
Carpathicis primum tenerum caput exerit vndis:
Poſt, vbi ſe anguſtis euoluit faucibus antri,
Lata petens, vires validas acquirit eundo,
Atque acquiſitas per tot curuamina lymphas
Voluit ad Heſperias maiori flumine partes.
Carpathus *aſt vnquam ſi mons exæſtuat vndis,*
Tunc rapidus longe ſpumat quoque gurgite Vagus,
Fœda conſpurcans virides vligine campos.
Aſt modo non campos fœdarit tantum & agros:
Altius vrſit opus. Solidos nunc frangere colles
Nunc viua e ſilice exciſos diſrumpere calles
Præſumſit; nunc tecta domus abſumſit hiatu.
O quam dira mali reſonant nunc nuncia paſſim!
Nunc gemit abreptas ſegetes Liptovia *tota*
Tota gemitque ſuas pecudes hinc Arua *voratas;*
Ingemit, ah juſte! Thúrócz *incommoda tanta.*
Sed ſuper omne gemit Powás *(n.) ſegetesque domusque*
Tot pecudum greges male ſano gurgite merſos.
Heu quot parua Turan *(o.) vel huic contermina* Suchan
Paſſibus haud longis hinc diſſita myrthea Solna.
Vel Beſtercze *(p.) vel tot domibus* Puchovia *caſſa:*
Arceue perpulchra renitens Illavia: *dico heu!*
Quot fato hoc miſero diſperſit commoda vita?
Quis villas priuasque domus, quis funera dira,
Queis infeſta tument reſonantia littora Vagi
Enumeret verſu? memori vel mente reſumat?
Nulla ſuper tanto caſu vox ſufficit, eheu!
Deucalioneis ſimilis fuit imbribus imber:

A ta-

n.) Ita *Slani* regionem vocant, per quam decurrit *Vagus.*

o.) Oppida, ſunt *Thúrócziuſſam.*
p.) Treuſchinienſis prouinciæ oppida.

At tamen & tanta in rabie, diuina poteſtas
Praſto eſt, & ſolo patrat miracula nutu.
Femina cumque domo rapidis male percita nimbis
Inclamat ſocios, & opem per numina poſcit,
Mox Seruatori *proprium fundumque laremque*
Cedens, aut certe vitam cum munere ſpondens.
Irrita vota cadunt! miſeram non ſubleuat vllus,
Aedibus & clauſam longis iactat paraſangis.
Poſt vbi profluuio languet nimboſus Orion
Electam curuo, nec leſam littore linquit.
Vndique viſendi ſtudio ſtupefacta virorum
Turba ruit, certatque manu comprendere tutam.
Illa manus renuens, æſtro ceu percita ſacro
Talia, depoſita tandem formidine, fatur:
Non opus hoc veſtrum, non hoc mihi munus ab vllo
Fluxit mortali, quod ſeruor, diua poteſtas
Hoc largita mihi eſt, diſcedite vana caterua.
Sic volucris paſſim rumor nunc talia ſpargit:
Infans in cunis aliquot per millia paſſum,
Vbera vix linquens, ſpumantes innatat vndas,
Nec tenerum rapidi merſit violentia fluctus.
It celeri penna varios mox fama per oras
Triſtem ſeruato quærens pro tempore matrem,
Infanti miſero. Proh mira volumina rerum!
Aduolat en puppa genuino mater ab ortu
Impoſitaque humeris dat baſia mille labellis.
Sed nimium forſan longis ambagibus erro,
Tempus abit, mœſtos iam deſine tibia verſus.
Aſt ego ne cieam ſimplex præſagia vates
Quorſum abrupta ruant, quid portent omina cali
Quidue velit præceps rapidis tot fluctibus Auſter?
Deſino: Diuinum deuote Numen adorans:
Sancte Devs, *qui monſtra freti, validosque furores*
Ipſe domare potes, noſtris auerte carinis
Omnia dira mali, tua te per ſceptra precamur!

Hæc poeta cecinit. Omine profecto haud caruit eluuio, quando ſequuto poſt anno, *Turca* ac *Tartari*, in *Vagi* regiones effuſi, tantum dedere cladium, quantum vel recogitare, animus horret. *Vjvarinum* certe, eadem illa, hoſtium illuuies, abſtulit.

I L

Poſt Vagum, Bela referri meretur, nomen, ab aquarum mira limpiditate, ſortitus, quaſi *Biela Réka*, albus & limpidus fluuius, diceretur. Oritur, ex conuallibus montium ſeptentrionalium, ac collectis paſſim riuulis, fertur præceps in meridiem, *Vago* ipſo multo rapi- Bela: nominis ratio.

rapiditas damnosa:

dior, nocentiorque, pluuio in primis tempore, & cum niues dilabuntur; tunc enim, adſitis campis, & agris, funeſtus eſſe conſueuit. Quod vehementior eſt, quam profundior, ferendis ratibus incommodus habetur; niſi exundationibus inualuerit. Poſtea quam fluuios, hinc quidem *Dowalowienſem*, fundulis abundantem; illinc, *Szent-Péterenſem*, recepiſſet, infra *Liptó-Ujvár*, ſeu *Hrádek*, Vago immergitur. Habet trutas, ſaporis extra modum delicati, probique.

incurrit in Vagum.

§. VII.

Fluuii minores, & riui ſeptentrionales:

IAm ad *Fluuios* mediocres, riuos, & torrentes, quod adtinet, alii quidem a ſeptentrione, a meridie alii, *Vago* illabuntur: illos prius, hos poſtea, recenſebimus.

I. Vichodnensis riuus, exiguus is quidem, & e ſcaturiginibus proximorum montium collectus, infra vicum cognominem, a *Vago* abſorbetur.

II. Gibbensis, ſicuti altius fontes habet, ita copioſior paullo, e regione *Király-Lehota*, *Vago* ſe intimat.

III. Potvrnensis, ex montibus, qui ad ſeptentrionem vergunt, deriuatus, poſteaquam *Iamnjk* pagum adluiſſet, ad *Poturnyam*, *Vago* ſociatur.

IV. Benedekfalvensis, ſiue *Trnotvecz*, ſupra *Huoram*, variis e fontibus coadunatur, & *S. Andream* præterfluctus, infra *Benedekfaluam*, miſcetur *Vago*. Pluuio cælo, magno incolarum damno, exundare conſueuit.

V. Smretsanensis, oritur vltra vicum *Zár*, ex monte *Stjt*, & *Vitálisfaluam* interfluens, in duos inde alueos diuiſus, altero, ad *Okolicsnam*, ad *Wrbitzam* altero, in *Vagum* influit, crebris exundationibus, accolis noxius. In primis, anno MDCCXXV. menſe Auguſto, calamitoſus exſtitit regioni. Tunc enim, ſubruto PP. Franciſcanorum cœmeterio, CCC. plus minus, apud *Okolicsnenſes*, cadauera, iſtic ſepulta, abſtulit. quæ poſtea, decreſcentibus aquis, paſſim reperta, & nouo funere, terræ illata; ſed pleraque tamen, limo, hinc, atque illinc, obruta, accepimus.

VI. Andrásfalvensis: Emanat ſupra *Ialouetz*, & hinc *Nádasfaluam*, illinc *Bobrouetz* lambit, *Vago*, poſt rigatam *Andrásfaluam*, a qua nomen trahit, illapſus.

VII. Tarnowitzensis, non tam aquarum, quam cancrorum copia, memorabilis. Riuulo *Benjusházenſi* accepto, infra *Alsó-Rásztokam*, a *Vago* hauritur.

VIII. Szelniczensis, emergit in valle *Hutenſi*: inde, vicos *Kwaczan*, & *Hoſzſzurét* præterfluctus, & cum rapidiſſimo, nocentiſſimoque *Mátyásfaluenſium* riuo, iunctus, *Brnitzam* & *Szelnitzam* ſecat, ac poſtquam *Proſekienſem*, mox & *Bukouienſem*, riuos accepiſſet, ad *S. Mariam*, copioſiore oſtio, *Vago* ſe intimat.

IX.

IX. Teplensis, ex gemina valle, *Kalamenenſi* hinc, *Lucskenſi* illinc, deriuatus, rigatisque *Madáschan*, & *Teplá*, vicis, *Vago* ſe inſinuat.

X. Tvrikiensis, fontes in monte *Chotsch* habet, vnde præcipiti lapſu deiectus, infra vicum cognominem, *Vago* immergitur.

XI. Likaviensis, in Comitatu *Aruenſi*, ad *Dubowam*, ortus, atque inde per vallium gyros, egreſſus, arcem & vicum *Likauienſem*, ſubluit, poſteaque e regione *Roſenberga*, in *Vagum* deuoluitur. Atque hi ſunt riui, *Septentrionales:* nunc, transmiſſo *Vago*, *Meridionales* videamus.

XII. Lvbocsensis, aquas, & nomen, a valle *Lubocsenſi*, ducit, prope ad *Gombaſinum*, a quo & fluuiolum alii denominare volunt, *Vago* conſociatur. *Meridionales.*

XIII. Revvczensis poſtea *Vagum* auget, mediocris fluuii, ſed rapidiſſimi, modum habens. Fontes eius, ſub monte *Suchá* quæras, ex quibus, vbi primum dimanare coepit, vicos *Felsö* & *Alsó Hritsko*, adluit, atque admiſſo apud *Oſzadam*, *Luznenſi* riuo, pagum *Bily-Potok*, interfluit, poſteaque ad *Roſenbergam*, in *Vagum* ſe exonerat.

XIV. Naoy-Selmeczensis, cum riuo *Ludrouenſi* coniunctus, infra *Kis-Szelmetz*, *Vago* ſe infundit.

XV. Szletzchensis, vicos eiusdem nominis, atque oppidum *Trium-Szlétzch*, irrigat, labiturque in *Vagum*, infra pagum *Lazy*.

XVI. Liptschensis, ex valle cognomine deiectus, oppidum *Teuto-Liptsche*, interfluit, poſteaque ad *S. Michaelem*, vbi officinæ papyraceæ ſeruit, in *Vagum* ſe præcipitat.

XVII. Malatinensis. Tres *Malatinas*, (tot enim ſunt, ſuperiot, mediocris & inferior) interluens, infra *Nagy-Olaszinum*, e regione vici *Demtschin*, in *Vagum* illabitur.

XVIII. Nagy-Olasziensis, inter montium meridionalium iuga, e pluribus riuis confluens, relicto vico *Klatschán*, *Nemes*, & *Király Lubela*, *Krmes*, & *Nagy-Olaszinum* rigat, poſteaque infra pontem, *Vago* ſe immergit.

XIX. Nagy-Palagyvsensis, ortus in montibus meridiei obiectis, cum riuos complures accepiſſet, fiſſo, ſupra *Dubrauam*, alueo, hinc quidem torrente *Laziskenſi* auctus, *S. Crutem*, *Antschikowam*, *Gálſaluam*, & *Nagy-Palagyam* permeat, ac demum, infra *Bertelenfaluam*, *a Vago* ſorbetur: illinc vero, per *Gutowam Fiatſitsch*, & *Szokolcs*, lapſus, ad diuerſorium *Korytiny*, in eundem *Vagum*, defertur. Inter minores *Liptouienſium* fluuios, muſtellarum facile ditiſſimus; ſed quibus lutræ, auidum genus, damnoſe inhiant.

XX. Deménfalvensis, ſcatet *(q.)* in montibus *Deménſaluenſibus*, eſtque meatu ſubterraneo, nobilis, ex quo, vbi ſemel emerſit, pone

q.) Locus, vbi oritur, immo ipſum, cum valle, lugum, Wodawywienania, dicitur. Erumpit hic, formidabili cum ſtrepitu, ſub altioris petræ concauo, ad ſimilitudinem capacioris hypocauſti, natura facto; tanta aquarum mole, quæ modico poſt interuallo, pluribus molis agendis, facile ſuffecerit.

Pautschinám-Lehotam, *Bodófaluam*, *Deménfaluam*, & *Kis-Palugyam*, in *Vagum* præceps vehitur. Trutas, dum in conuallibus adhuc labitur, copioſe & benigne alit.

XXI. ILLANÓVIENSIS, *Plaſtienſis*, *Német-Porubenſis*, exiles riuuli, nomen a vicis, quos adluunt, ſortiti.

XXII. SZENTIVANYENSIS, in valle, quam præcelſi montes, & opaci ſaltus, longe amœniſſimam reddunt, e fontibus pluribus confluit, meatu & ipſe ſubterraneo, ac trutarum copia, memorabilis. Ingerit ſe *Vago*, ea regione, cui vicus *Poturnya*, in aduerſa ripa, obiectus eſt.

XXIII. PORVBKENSIS riuus exiguus, & *meridionalium* fere minimus, nomen a vico mutuatur. Mergitur *Vago*, prope pontem *Hrádkenſem*.

XXIV. BOCZENSIS, oritur ſub montibus, qui *Boczam* oppidum, circumſident. Inde, admiſſis pluribus riuulis, in eam quandoque aquarum molem excreſcit, vt amni, quam riuo, euadat ſimilior. Iungitur *Vago*, infra *Király-Lehotam*.

Atque hi erant *Liptouienſium* amnes, & riui, qui regionem omnem reddunt irriguam, eo ſubinde incolis noxii, quod ex pluuiis, etiam non copioſis, facile increſcant, & agros late inundent. Quia enim plerique omnes, ex præcelſis montium iugis, deiiciuntur, aquas pluuias, & diffugientium niuium torrentes, paſſim colligunt, atque demum, rapidiſſimo curſu, ſi alueos ſuperauerint, quaqua verſum diffunduntur. Quæ vti frequens, ita damnoſa *Liptouienſibus* calamitas eſſe conſueuit. Quidquid eius ſit, reddunt tamen, frequentes hi amniculi, non minus amœnam regionem, quam piſcium ſaxatilium diuitem.

§. VIII.

Fontes dulces:

SEd nondum aquis valedicere animus eſt, *Fontes* porro, *Dulces* ii, atque *Acidi*, iuxta & *Salutares*, cum *Admirandis*, ſuperſunt, quibus recenſendis nos adcingamus. Et dulcium quidem fontium, ea eſt copia, cum in montibus, tum locis humilioribus, vt laborem is ſibi omnino inexſuperabilem contraheret, qui eorum numerum inire conaretur. Neque id fieri poteſt aliter, in regione montana, & diuturnis niuibus infeſſa, quam, vt multas, easque perennes, ſcaturigines habeat, aquam fundentes limpidam, frigidam, ſalubremque. Certe, in celſiſſimis montium ac petrarum cacuminibus, vbi vix vegetandæ herbæ ſuccum crederes ſuffecturum, copioſiſſimos fontes reperias, deque iis occinas, licet:

Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.

ita, & iucundo ſapore, & amœna limpiditate, ad bibendum inuitant potores. Verum, quia commune iſtud naturæ beneficium eſt, plerisque iis regiunculis, vbi in editis montibus, diutinæ ſedent niues;

ad

ad eam *Liptouiæ* laudem veniamus, quæ ei eſt quodammodo propria. Nempe, ACIDVLARVM numero, ceteris Hungariæ *Comitatibus*, palmam præripit. Sunt in his *Acidi* 1

I. BOCZENSES, quas ob præſtantiam, oppido ſingularem, primo loco nominamus. Præterquam enim, quod odoris, & ſaporis delicatioris ſunt, quam vt credi poſſit; efficacia profecto pollent haud vulgari, ad aluum ſoluendam: id quod, in præcipuis virtutibus fontium acidorum, cenſeri conſueuit. Plures autem hic ſcaturigines reperias, quarum optima, quæ eſt e regione templi, & in *Regiæ Boczæ* fundo. Fas vero eſt exiſtimare, inſigni, naturæ parentis, beneficio, latices iſtos, heic ſcatere; vt ſcilicet metallici, egenum genus, non potum modo, ſed medicinam quoque habeant.

II. IARABENSES, non æque celebres, ad *Iarabam*, ſuperioris *Boczæ*, ebullientes.

III. SZENTIVANENSES, pluribus locis ſcaturiunt; omnium tamen nobiliſſimæ, quarum fons ad *Parabkienſem* viam eſt.

IV. MAGYARFALVENSES, prope viam regiam, aliquot a *Vago*, paſſibus, ſalientes, infelici admodum ſitu: periculum eſt enim, ne facta eluuione, abſorbeantur penitus, ſalubertimis, iure adnumerandæ.

V. SZLÉCSCHENSES, ad *Felsö-Szlécsch*, in montium meridionalium radicibus, tam præſtantis efficacitatis, vt balneis etiam, a peritioribus adhiberi ſoleant.

VI. NAGY-SELMETZENSES. Plures harum ſunt fontes, omnium autem optimus, qui pone molam ſalit.

VII. LVDROVIENSES, ſcaturiunt medio vico, & incolarum ſunt deliciæ.

VIII. ROSENBERGENSES, parum laudatæ, forte, quod oppidani, delicatiores paganis, *cereuiſia*, quam *Acidulis*, victitare malint.

IX. Celebriores longe ſunt STANKOWANENSES, *Vago* adſitæ.

X. BESSENOVIENSES, exiguo, a pago interuallo, in ſeptentrionem, ſepoſitæ. Fons earum, propterea memorabilis eſt, quod in colliculo, e rupe ſaliat, & alueo limum inducat rubrum, naturæque ſit lapideſcentis; ceteroquin, ad bibendum, bene ſalubris.

XI. POTOKIENSES, proximæ ſunt *Beſſenienſibus*, vt fas ſit coniicere, iisdem, ſaltem adfinibus e venis, has quoque ſcaturire.

XII. Eſt & in agro SZELNITZENSI, ea regione, quam *Pod Stary Hrad* dicunt, fons acidularum, præſtantia, vix vlli cedens.

XIII. ZÁRENSES, ſupra vicum, monti ſeptentrionali ſubſitæ, magna ſalubritatis opinione bibuntur.

XIV. KONSKENSES, cum reliquis, totius Comitatus fontibus acidis, de palma creduntur certare; ita eas ſapor, iuxta, & eximia ſalubritas commendant.

XV. BENEDEKFALVENSES, non a paganis modo, ſed ab accolis etiam, bibi conſueuerunt.

XVI. Pribilinenses, quod longius ſunt a vico diſiunctæ, negligentius habentur, & nonnunquam ranarum ſunt perfugium, quas ſubinde emortuas innatare deprehendas: hinc earum faſtidium, & venenati laticis ſuſpicio.

Hi ſunt fontes *Liptouienſium Acidi*, non ü quidem omnes, præcipui tamen. Enimuero, ſi quis curioſius indagare plures ſcaturigines occiperet, nullum eſt dubium, quin augeri earum numerus poſſet in immenſum: eo quod, tota iſta regio, metallorum diues, adeoque, procreandis fontibus acidis, maxime idonea eſt.

§. IX.

Aqua admiranda Szentiuanenſes:

SVnt & fontes, quos inter admirandos, merito retuleris. Principem heic ſibi locum

I. *Szentiuanenſis* vendicat; qui ad muros cœmeterii, orientem proſpicientis, viſitur. Fontis hiatus, orgyiam latus longusque eſt, ſeſqui vlnam profundus, aquas, notabili cum murmure, eructans, atque iterum reſorbens, ea vaporum, quos exhalat, malignitate, an ſubtilitate, vt aues præteruolántes, enecet. Eundem fontem, ſi domeſticæ aues bibant, emoriuntur; id quod agnis quoque euenisſe, meminerunt incolæ. Aqua ipſa limpida eſt, tametſi ob lapides calcarios, albicans adpareat, ſaporis *ſub acido amari*, quem odor ſulphuroſus comitatur. Alioquin, in virtutibus letiferæ huius aquæ, illud ſilendum haud eſt, quod ſcabiei, quin & *morbo gallico*, ſi ad balnea crebrius adhibeatur, mederi eam, non vno documento, obſeruarint, rerum iſtiusmodi curioſi, aut certe indigi.

Stankowanenſes:

II. Eſt & ad *Stankowán*, lacuna quædam, triginta circiter paſſibus, a *Vago* diſiuncta, conſimilis naturæ: quippe, quæ ſupervolantes aues, nociuis itidem halitibus, ſuffocat. Illud oſtenti fere ſimile eſt, in eadem iſta lacuna, reſinam odoris bene fragrantis, nonnunquam reperiri, quæ, num ex arboribus, an vero in lacuſtri iſto loco, gignatur, non habeo adfirmare. Ii, qui viderunt, reuera in lacuna creſcere, perhibent. quod ſi eſt, in eam iuerim ſententiam, *Succinum* eſſe, forte, non prorſus excoctum, conſolidatumque. Siue enim credas cum vulgo, lacrumas arborum reſinoſarum, primam *Succini* materiam eſſe, quæ poſtea corporibus aliis permixta, *electrum* præbeat; ſiue in gemmarum numero cenſeas; ſiue exſudari a fundo maris, & lacuum, exiſtimes; haud quidem difficile fuerit, cauſſam reperire, quomodo apud *Liptouienſes*, ſuccinum naſci poſſit. Nimirum; arboribus reſinoſiſſimis, plenus eſt *Comitatus* noſter, ex quibus, ſi quid reſinæ diſluit, rapi id facile poteſt a riuulis, per valles montium diſcurrentibus, deferrique, per ſubterraneos meatus, ad iſtam, de qua iam ſermo eſt, lacunam. Sin gemmam dicas, huic quoque procreandæ, habilem regionem noſtram eſſe: quippe, halitibus mineralibus refertiſſimam, deprehendes. Neque obſtabit quidquam, cur non, regio

no-

noſtra, lentum quendam, ſicuti mare, liquorem poſſit exſudare. Sed nec natura *Succini* repugnat, quod in lacubus potiſſimum, & fontibus reperiri, *(r.)* auctores perhibent. Verum hæc ob iter.

III. Ad eundem vicum *Stankowanenſem*, prope *ad Vagum*, ſaxum, vltra viri altitudinem, adſurgit, ambitu trium fere orgyiarum, in cuius vertice, aqua, ingenti cum ſtrepitu, ebullit, & illico reſorbetur. *ibidem alter:*

IV. Parschitivs, meminit, ad *Roſenbergam*, prope viam, in plaga meridionali, fontem eſſe, vilitatis, caritatisque annonæ, præſagum: quippe qui, ſi prius immineat, copioſe & ſine ceſſatione manet; ſin poſterius, ſalire deſinat, & inareſcat penitus: cuius ſimilem ſcaturiginem, lagrum quoque *Nagy-Selmetzenſem*, habere. Præſagii cauſſas veſtiganti, nihil occurrit, quod certo queat definiri; niſi quis credat, aquas ſubterraneas, ſicopioſiores ſint, fœcundare telluris ſuperficiem, contra, ſi parciores, effœtam reddere ſterilemque. *fontes caritatis, aut vilitatis annonæ, præſagi:* Roſenbergenſis: Nagy-Selmetzienſis:

V. Nec minus admirandæ indolis fons eſt, quem *Szmretſanenſium* ager, ſub monte *Zár*, habet. Enimuero, vno eodemque puteo clauſus, duabus quidem ſcaturiginibus, acidam, tertia vero dulcem fundit. Illum quoque, fontibus prodigioſis adnumerant, qui, ad vicum *S. Annæ*, in valle ſalit. Ferunt enim, virginem *S. Annam*, & *S. Eliſabetham*, heic olim adparuiſſe, atque miraculorum edendorum virtute, fontem donauiſſe: cuius oſtenti, ne intercideret memoria, duos olores, contra regionis ingenium, ſubinde iſthic poſtea viſos: quam ob rem, peregrinationibus quoque religioſis frequentatum, adfirmant. Szmretſanenſis: S. Annæ:

VI. Sed nec *falſum* fontem deſideres, de cuius reſtagnantibus aquis, ſupra, ad montem *Kriwány* maiorem, mentionem iniecimus. *aqua falſa:*

VII. Aquas *lapideſcentes*, ſaltem non ſiluiſſe, iuuabit. In his aciduias *Beſſenouienſes* numerant, quarum aquæ dimanantes, ſenſim in lapidem coëunt, topho ſimilem, vtilemque fornicum concamerationibus. Id quod, & in *Nagy-Selmeczienſium* vico obſerues. nam, & hic eſt fons acidarum, cuius aquæ, vbi e fonte, qui in colle ſalit, defluxerunt, ſorbentur illico, pumicemque poſt ſe relinquunt, leuem omnino, & ſpongiæ inſtar, *poroſum*. Quæ de aquis *glacialibus* dici oporteret, in eo capite expediemus, quod, in *Naturali* Hungariæ *hiſtoria*, aquis admirandis deſtinauimus. *lapideſcentes:* *glaciales:*

VIII. Thermas olim apud vicum *S. Iohannis*, *Szentivány* Hungari vocant, exſtitiſſe, Vernhervs *(s.)* indicio eſt: *In Comitatu*, inquit, *Liptouiénſi*, *ad pagum*, *qui vocatur*, Diui Iohannis, *fons eſt tepidarum*, *ad quem confugiunt*, *quibus ſcabie*, *aut pſoris*, *fœdata eſt cutis*. *Exilis vero is*, *& magno impetu eiaculatur potius*, *quam emittit aquas*. Verum hodie, vix veſtigium Thermarum iſtarum reperias, niſi aciduli, Thermæ Sz. Iohannenſes:

r.) Vide omnino *Hiſtoriam Succini Pruſſici, Phyſicam & Ciuilem*, Philippi Iacobi Hartmanni. Lib. I. Cap. I. §. IV, V. vbi & Pannoniam, Münstero præeunte, inter regiones, ſuccini feraces, recenſet. Ceterum, de ſuccini natalibus, motam inter eruditos controuerſiam, noſtram facere nolumus, vide, laudati auctoris Lib. II. c. I. & Kircherym, Mund. ſubterr. Tom. II. Libr. 8. s. 3. c. 3.

s.) De Admirandis Hungariæ Aquis.

li, & ſulphuroſi fontes, locum proderent, vbi olim lauacra fuerunt inædificata.

Lútskenſes. IX. Aetate ſuperiori, *Calidæ Lutskenſes*, celebrari occeperunt, ſupra vicum cognominem, in ea valle, qua in *Comitatum Aruenſem*, itur, ſcaturientes. Fontes earum bipartito diuiſi, tecto, cellulisque inſtructi ſunt, ſed frigidis tamen venis adhuc permixti. quæ, ſi poſſent, a calidis adcuratius diſcriminari, nullum eſt dubium, quin ad lauandum commodiores fierent, iuxta & ſalubriores. Mederi feruntur, cum morbis aliis, tum maxime articulorum doloribus, atque iis incommodis, qui iſtos comitari adſolent. Agreſtes pagani, inuiſas habent thermas, credo, quod lauantium concurſus, moleſtus iis nonnunquam exiſtit. hinc eas fere ad vaſtitatem redegerunt ſubinde, hominum ingratiſſimi. Sed de earum virtutibus, ſuo loco.

§. X.

Fertilitas Comitatus mediocris: AD reliqua, *Liptouienſis* terræ, beneficia, quibus eam natura parens, donauit, quod adtinet, inter illos *Hungariæ Comitatus* habendam exiſtimauerim, qui ſunt exili, ſaltem mediocri admodum fertilitate. Montes enim vbique impendentes, ſicuti regionem auſteram reddunt, & diutinis frigoribus obnoxiam; ſalubritate tamen nulli cedentem; ita fœcunditati agrorum, multum omnino demunt. Hinc eſt, vt, quo viciniores montibus ſunt vici, vel iis prorſus interpoſiti, agrum eo habeant ſteriliorem. Contra, quæ ad *Vagum* vergunt, & in mollem ſubſidunt deuexitatem, ſegetum ſunt patientiora.

eius fegetes: *Triticum* certe, quod hic procreatur, nulli, tota Hungaria, ſecundum eſt; nam & gluma inueſtitur tenuiore, & farinam, ſi molatur, vberiorem præbet. *Siligo*, quam pro more, exilior, tametſi in culmos adſurgat altiores. Sed *Hordeum*, granis egregie turgentibus, naſcitur, ideoque, parandæ *Cereuiſiæ* commodiſſimum. Omnium autem lætiſſime, *Auena* prouenit, non equorum modo, ſed & plebis ruſticanæ, pabulum: hinc, inter conuexa montium, ſtudioſiſſime ſeri videas. Frequentius vero accidit, vt frigus, omnis generis ſegetes, penitus exurat: id quod annis ſuperioribus, puta MDCCVI. & MDCCXVII. euenisſe, meminimus, magno incolarum damno, quibus ea calamitas, neceſſitatem impoſuit, vt, vel dilaberentur penitus, e vicis potiſſimum montanis, vel magno ſumtuum impendio, annonam e vicinis *Comitatibus*, cogerentur adportare. Quin, ſi benignior etiam anni fuerit temperies, difficilius tamen ſegetes matureſcere videas, ac ſubinde meſſem inire, cum alibi deſiit, hoc eſt, æſtate in autumnum declinante. Immo, ne adulto quidem Septembri, congeſtæ

legumina: vbique in horrea fruges obſeruantur. *Leguminum* tantum ſeritur, quantum rei annonariæ ſufficit. In primis, copioſus *Piſorum* prouentus eſt, in *Tarnoczenſium*, *Wrbicenſium*, atque *Selniczenſium*, agris; ſed *Lentium*, parcior ſit ſementis. *Cannabis* autem & *lini*, vix, quod

vſibus

vſibus ſufficiat, naſcitur; credo, ob aeris intemperiem. Colligas hinc, iniquius, tota iſta regione, pomaria conſeri. Interim, ſi cælum faueat, neque in ipſo flore, fructus ſuffocentur, pomorum, pirorum, atque prunorum affatim, potiſſimum ad *Vagi* oram, prouenire aiunt. Hortorum cultus ſegnior, & totus, ad culinares herbas, radicesque procreandas, comparatus eſt. *fructus hortenſes.*

§. XI.

PRo ſoli, cælique ingenio, res pecuaria tenuior eſt, quam in campeſtribus *Comitatibus*; ſi *Ouium* greges excipias. Hi enim, vix tota Hungaria commodius, fructuoſiusque alerentur, niſi gelu, tenerum adhuc fœtum, infeſtaret, eaque re, vtiliſſimæ pecudis propagatio, impediretur. *Caſeo* interim, qui hic præſtantiſſimus conficitur, laus eſt præcipua. *Boues* alit exiguos, & maculis fœdos, contortis, vt plurimum, cornibus, labori tamen agreſti ferendo, pares. *Vaccæ*, non tam ſtatura; exiles enim ſunt, & adſpectu deformes; quam lactis, quod præbent, copia inſignes; hinc illa *Butyri* adfluentia, qua, non ſibi tantum, ſed *Montanis* etiam *Ciuitatibus*, Neoſolio præſertim, *Liptouienſes*, ſufficientiſſime prouident. Enimuero, quia paſcua, pecudes iſtæ, montana, frequentant; herbis medicatis, vt plurimum luxuriantia, fieri nequit aliter; quam, vt lac colligant ſubactum, & pingue, quod demum in butyrum cogitur, ſicuti copioſum, ita longe ſalubrius vnctuoſiusque illo, quod, ex armentorum campeſtrium lacte, fieri conſueuit. *Equi*, rariores a ruſticis aluntur. Sunt & hi, compagis tenuioris, & ea pedum gracilitate, quam vix ferendo corpori ſuffecturam, crederes, niſi, induratos efficeret laborum patientia. *Porcis*, iniqua regio eſt, quia glandium inops; qua re fit, vt auena partim, partim furfuribus, incolæ, ſaginare eos neceſſum habeant. *Res Apiaria*, niſi eam quoque, frigus temeraret, fructuoſiſſima heic inſtitui poſſet; ſed, quod auſterum aerem ægrius tolerant apes, ſegnius inde examina producunt, & tametſi mel optimæ notæ, atque copioſum faciant; magno tamen rei ruſticæ damno, hiemis acerbitate, innumera aluearia, enecantur. *Res pecuaria Liptouienſium*; *Apiaria.*

§. XII.

DOmeſtica hæc fuerunt animalia. Montes, & ſaltus, vti conſici poteſt, feris abundant. *Vrſos*, primo loco nominauerim, qui inacceſſa montium colunt, & rarius, depreſſiores ſiluas, adeunt, niſi forte prædæ adacti inopia. Hoſpitantur vero in primis, in *Likauienſibus*, & *Pribilienſibus* montibus: vbi ſingulis annis, venatus eorum, ab his, qui eo delectantur, inſtituitur. At, *Ceruos* pauciores obſerues, credo, propter frigoris, quod ægre ferunt, vehementiam. *Dama* contra, rariores antehac viſæ, annis ſuperio- *Fera animantes.*

ribus, ita inualuerunt, vt gregatim, per montium iuga, cernerentur graſſari; forte, ex vicinis *Comitatibus*, huc illapſæ, depulſæque in deuexa montium, niuium, quæ tunc fuit, altitudine. *Rupicaprarum* ingens, intra *Carpathi* rupes, multitudo; ſed, ad venandum difficilis. *Apri* pene nulli, *lynces*, & *lutra*, frequentiores; *vulpes* autem, *leporesque*, ita copioſi, vt, niſi perpetua venatione diminuerentur, breui, ſingula dumeta, leporum, & vulpium agmina, enutrirent. Hinc illa, nobilitatis ad venandum propenſio, qua plerique, non dies tantum fallunt; ſed & hebdomadas, ſubinde cum bonæ valetudinis iactura, extrahunt. *Mures Norici*, in montium radicibus, habitant. Animal ſoli *Carpatho*, in Hungaria noſtra, familiare, oblongum, ſpithamas tres, quatuorque, coloris ſubfuſci, & porcellorum inſtar, grunniens, ac grauiter olens. Vbi hiemem imminere præſentiunt, corraſo paſſim gramine ac fœno, cauernas ſuas inſternunt, atque illic, agminatim ſe condunt, os vero cauernæ, farmentis, mira induſtria, ſibimetipſis innexis, gnauiter præmuniunt; ne, ſiue aëris iniuria lædantur, ſiue, ab aliis animantibus, temere infeſtentur. Poſtea, hiemem totam, dormiunt, decubitu ita conglobato, vt ſe mutuo calore foueant, cetera, emortuis ſimiles: niſi, quod ſubinde acutum fiſtulent, eaque re, vitam prodant. Hinc, qui eos indagare volunt, & capere, hieme, id vt faciant, neceſſe eſt; nam æſtate, quia pernices ſunt, capturam reddunt difficilem: quin hieme etiam, operoſa foſſione opus eſt, dum ad earum contubernia perueniatur. Pinguedinem animalis, in primis adipem, cum luxationibus aliis, tum ruptis ilibus, prodeſſe aiunt. Pellium autem, ea eſt indoles, vt inſectorum penitus ſint impatientes: certe pediculi, pulices, culiceſue, qui forte irrepſerint, opinione celerius exanimantur; ea propter, veſtibus itinerariis, ſubdi a noſtris conſueuerunt. Quod carnem habent ſapidam, a ruſticis, domi quoque aluntur, in dolium aliquod, aut cauernam, proiecti, ne diffugiant. At vero, cicurare inuſitatum animal, fruſtra occipias; tabeſcit enim, cauernarum ſuarum deſiderio. Sed, non feris tantum, verum auibus quoque ſilueſtribus, abundat Liptouia. *Tetraonum* prima eſt gloria, qui ad *S. Crucem*, & *Dubrauam*, frequentes viſuntur. Ex eorum aucupio diſcas, falli, qui credunt, ſurdam eſſe auem: nam, & fiſtulando adlicitur, & minimo ſtrepitu, fugatur, neque redit, niſi ſequutura die. Quid, quod PLINIVS *(t.)* ſuperſtitioſus alioquin rerum iſtiusmodi obſeruator, nihil ſurditatis meminit: *Decet*, inquit, *tetraones ſuus nitor, abſolutaque nigritia, in ſuperciliis cocci rubor. Nec vlla ales, excepto Struthio camelo, maius corpore implens pondus, in tantum aucta, vt in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos alpes, & Septentrionalis regio.* Aucupium tale eſt. Locum, vbi pabulari ſueuerunt, opimæ aues, ſollicite notant, qui iis inſidiantur, atque illic caſulam, e ramis, & fronde, faciunt. Poſtea, antelucano tempore, iſta ſe caſa abſcondunt, aduolantesque, ex more, aues, traiiciunt. *Mela-*

Mures Norici

Aues Silueſtres

t.) Libr. x. Cap. xxii.

Melagrides rariores videas, copioſiores *Anates*, præſertim *Boſchades*, hæ quidem, in pratorum paludibus, illæ, in reſtagnantibus *Vagi* aquis, hoſpitantes. *Perdices*, *Cothurnices*, *Ortygometræ*, *Cothurnicum duces*, atque *Turdi*, varii generis, paſſim ſunt obuii. Pauciores *Palumbes*, ac *Sturni*; ſed quorum inopiam, *Oſtines*, ac pene innumeræ auicularum ſpecies, egregie compenſant. *Ciconiæ* & *Grues*, raro, neque vnquam ſine caloris præſagio, maxime, ſi vere primo, & ineunte autumno, aduolent, viſuntur. *Aquilæ*, Scepuſiacis ſimillimæ, quia eiusdem ſunt, vti credere fas eſt, genituræ, in montibus degunt, ac ſubinde rupicapras, & mures alpinos, in prædam rapiunt: vt *miluorum*, & *accipitrum* genera, taceamus. *Striges*, & *Caprimulgi*, infauſtæ alioquin aues, anno MDCCXVII. numeroſiſſimæ obſeruabantur, non ſine prouidentia numinis, muribus, qui ſata, mirum in modum depopulabantur, immiſſæ. Ceterum, inſecta, quibus infeſtantur vicini Comitatus, iniquius aërem *Liptouienſem* ferunt. *Serpentes* autem, in petrarum rimis, longe numeroſiſſimi gignuntur, quorum aliquando mille conglobatos, & per deuexa petrarum, delapſos, in *Lutskenſium* agro, obſeruatos eſſe, accepimus. Nonnulli, ad eam molem quandoque excreſcunt, vt *Draconum* nomen mereri videantur: id quod, annis ſuperioribus accidit, cum opiliones, in *Roſenbergenſibus* montibus, inuſitatæ magnitudinis ſerpentem detexerunt. An vero oſſa, quæ ex antris *Demenſaluenſibus* protraxit Cl. Gronovs Bvchholtzivs, *(u.) draconum* ſint, ſuo loco, & cum cura, diſputabimus.

Inſecta.

§. XIII.

DIximus ſupra, regionem *Liptouienſem*, pene omnem, metalliferam eſſe: id quod iam doceamus. Et Avri quidem metalla, Boczae in primis, eruuntur, magno olim, ac diuite prouentu; ſed qui iam pridem diminui cœpit. Fodinarum hic præcipuæ ſunt, quas vocant: *Geplowo*, ſeu *Gapel*, *Weliky Czach*, ſiue *Groſſe Zech*: *S. Saluator*: *S. Marcus*: *S. Petrus*: *Stará Boczа*, ſeu *Vetus Boczа*: *Pomaha Buh*, Germanis, *Gottes-Hülffe*. *S. Theodorus*, Slauis *Bozy Dar*, *S. Trinitas*; *Diwy Muz*, ſiue *Satyrus*, Germanice *Wilde Mann*, denique *Plaué Sowa*. Coluntur vero iisdem legibus, quibus in Montanis reliquis: ſi excipias, quod nullam hic rex portionem, vti apud Cremnitzienſes, capiat, ſed ſoli ciues metallici, quos *Vrburarios* vocant, ſumtus faciant: gemino obnoxii vectigali, regio alteri, alteri autem, quod *Terreſtribus Dominis*, præſtare moris eſt. Alioquin, *Boczenſe Aurum*, in Hungaria optimum eſſe credunt, & Arabico ſuppar, qui id norunt exiſtimare. Quidquid eius colligitur, *Cremnitzium* deportari ſolet, & in nummos aureos, toto orbe celebres, procudi. Sunt, & in

Metalla, & in his, Aurum Botzenſe:

u.) Multum, viro huic longe doctiſſimo, nos, cum in concinnanda *Hiſtoria* hac *Liptouienſis Comitatus*, tum in rebus aliis, ad noſtram adtinentibus deſtinationem, in acceptis ferre debere, eo lubentius profitemur, quo magis cupimus vt eruditorum de nobis bene merita, orbi litterato palam fiant.

monte *Kywán*, diuites auri venæ, ſæpe coli cœptæ; ſed neſcio, quo malo fato, deſertæ iterum, iterumque. Cauſſam alii, in venarum duritiem intractabilem, in frigus alii, reiiciunt, quod hic immaniſſimum eſſe, cum montem deſcriberemus, notauimus. Et ita omnino eſt: vtrumque impedit operas, retardatque. Accedit, *Vrburariorum* diſſenſio, & metallicorum, ſiue inſcitia, ſiue iniuria, iuxta & nonnullorum maleuolentia. Quibus rebus fit, vt magno licet conatu, parum tamen proficiatur. Certe, cum annis ſuperioribus, ſpes præclari ſucceſſus, certo conciperetur, *Fuſoria Officina* exuſta, locum ſuſpicioni fecit, maleuolorum id factum fuiſſe petulantia. Ex eo tempore, inculta hic denuo ſunt omnia. Huc, & *Smretzanenſes* montes referas, quibus aurum ineſſe, rerum periti, norunt.

Argentum:

ARGENTVM, locis fere iisdem, quibus aurum effoditur, venis, aut inuicem mixtis, aut quomodocunque conſociatis, reperiri certum eſt. Sic auriferi *Boczenſium* montes, fodinas argenti habent, neutiquam ſpernendas. Noſtra ætate, in primis celebrantur, quas vulgo adpellant: *Trich Bratow*, ſeu, *Trium Fratrum*; *Pod Iſtwán*, ſeu, *der Steffel*; *S. Caſparus*; *Popag Wrſſek*; *Geza*; *Zuberowá*. Ne quid de puteis obſoletis dicam, quos *Kluffti Sſalowſké* vocant. Quin mons quoque, & vallis *Thomanowá*, fodinas olim habuit, *auri*, & *argenti*; has ad orientem, illas vero ad ſeptentrionem; hodie, rudera admodum, vici metallici, oſtentans.

Antimonium:

Omnium vero frequentiſſimum eſt ANTIMONIVM, quod in montibus *Teuto-Liptſenſibus*, adhuc erui, & excoqui, videas. Sed, *Lazyskenſium* minera, tametſi optima, minime tamen tractabilis eſt. Sunt, quibus modus conflandi antimonii, qui heic obtinet, prorſus improbatur, tanquam ſumtuoſus, atque mineræ, iuxta & lignorum prodigus: qui iſtiusmodi eſt. Ollas habent, inferne pertuſas, quibus *Antimonii* mineram iniiciunt. Has demum, alii ollarum ordini imponunt. Supra vtramque ollarum ſeriem, lignorum ſtrues eſt, quæ accenſa, poſt medium horæ ſpatium, liquefacit mineram, vt Antimonium excoctum, in ollas ſubſitas, defluat, ſcoriis, in ſuperiore ollarum ordine, manentibus. Nemo vero non videt, ignem ſuperne accenſum; quod is natura, non inferius, ſed ſuperius feratur, partem maximam, conſumi inutiliter, atque mineram antimonii, minus excoctam, in ſcoriis relinqui: vt de ollis nihil dicamus, quarum ſubitaneo iſtiusmodi, ac pertinaci calore, ordo vterque corrumpitur; cum neque antimonium, neque ſcorias, eximere poſſis aliter, quam fracto vaſe fictili. Igitur, non defuere, *(x.)* qui ſuaderent, vt focus impoſterum ſic inſtrueretur, quo & ſubtus, & ſuperne, ollarum iſtiusmodi ordines, diſponi poſſent, relicto, excitando igni, inter vtramque ſeriem, vnius fere vlnæ minoris, interordinio. Atque tunc, ſuperiorem ollarum ſeriem, ferreis crateribus, ita imponi oporteret, vt a flammis verberari poſſet, & non minus percoqui, quam

x.) Erat in his laudatus nunc BVCHHOLTZIVS noſter, qui cum A. MDCCXX. has operas ſpectauiſſet, compendium iſthoc monſtrauit.

quam, qui inferne collocatus eſt: qua demum ratione, & lignis patceretur, & fictilibus. Sed, quia operas iſtas, agreſtes peragunt, vix ſperes, aliam eos viam inituros, niſi ſint, qui id eos facere adigant. Eſt præterea, præſtantiſſimum *Antimonium*, in vtroque *Vázetzenſi*, & *Vychodnenſi*, montis *Krywán*, latere, quod, ob coniunctam auri mineram, *ſolare* vocant: quale in monte quoque *Wisoká*, & alio, cui *Loch* nomen, reperias; ſed, quod loca ſunt frigore, & præruptis petris, intractabilia, fit, vt erui nequeat, ab hominibus, nihil, quod arduum eſt, tentare adſuetis. In primis autem, memoratu dignum eſt, ANTIMONIVM illud, quod e ſeptentrionali montis *Visoká*, latere, hoc eſt, ea parte, qua *Poloniam* proſpicit, eruitur. Præterquam enim, quod & ipſum *Auro maritatum* eſt copioſiore, & colorem *caudæ pauonis*, referat; ferrum profecto, & chalybem, ſi liquefacere inſtituas, deuorat. quam quidem *Antimonii ſolaris* mineram, ab eremita, iſtis errante iugis, detectam fuiſſe, relatum accipimus. Sed, FERRO conflando, vnicam admodum officinam reperias deſtinatam, in agro *Bilypotokenſi*. vicus eſt, milliari, in meridiem, *Roſenberga*, ſepoſitus. In valle autem *Czaniowá*, iuxta *Swaryn*, minera ferri eruitur, *hæmathita* haud abſimilis, qualem, & in montibus *Carpathicis*, reperias. Reliqua, quæ huc referri oportet, fere ſunt: *Nitrum*, quod in oppido *Szelnicze*, & alibi paſſim, excoquitur. *Rubrica Fabrilis*, elegans ſub monte *Chotsch* eruitur: vbi, & venam *Cinnabaris*, ſed duriſſimæ petræ inſperſam, obſeruarunt. Sub eodem monte, ea regione, quam *Na Powázj* dicunt, fons eſt, in quo, *Marcaſita auri & argenti*, *Serpentes*, *Lymaces*, & *Pyra*, referens, inuenitur. Ad pedem montis *Ipolticza*, terra foditur, *minio maritata*. *Iaſpis*, coloris ſubrubri, ad *Vagum* nigrum legitur, e regione montis *Muránik*, quem vulgus, pyritæ loco habet. *Anthrax*, ſeu *Carabe*, inter *Kwatsán* & *Huty*, reperitur: vbi & *Aquilonites*, viſitur. *Granatellos* denique, mons *Granát*, ſæpius dedit. Obuia hæc ſunt paſſim. quibus indagandis, ſi cura & contentio adhiberetur exquiſitior, non equidem dubitarim, gemmas, in montibus iſtis, collectum iri, exoticis, nihilo deteriores.

Ferrum: Cætera.

§. XIV.

SVpereſt, vt *vegetabilium*, quæ ſunt in *Comitatu* noſtro, mentionem faciamus. De fructiferis arboribus, ſupra quædam monuimus, quibus aſpera frigoribus regio, minus fauet. Hinc, facete, ſubinde *Liptouienſes* rideri audias, quaſi qui arboribus ignem ſubdant, eumque ſtramine alant, vt maturitatem fructuum procurent. Sed, nec Silueſtres arbores mitius habentur, quarum fructus, rariſſime mature ſcunt, atque in his *auellana* in primis nuces: quæ, ſi, & copioſæ naſcantur, & mature ſcant penitus, præſagio ſunt ruſticis, *variolarum* morbis, infantiam, adultam vero ætatem, *dyſenteria*, adfli-

Arbores fructiferæ.

ctum iri: quorum iſtud, haud grauatim conceſſerim; ſi intemperantius edantur auellanæ, a gente, fructibus minime adſueta; ſed *variolarum*, cum nucibus illis, conſenſionem, nullam reperio. Iam, quod ad arbores ſteriles adtinet, easdem montes, & ſaltus, habent, quas apud *Scepuſienſes* recenſebimus. Sunt nempe, varia reſinoſiſſimarum arborum genera: *Terebinthus*, *Abies*, *Larix*, *Pinus*, *Pinaſter*, & *Libanus*, (*y.*) cuius ſcrobili, nucleos ferunt delicatiſſimos, tuſſi inueteratæ medentes. quos, quia graculi, & id genus aues aliæ, populari adſolent, erectis, ad fugandum terriculamentis, cuſtodiri oportet. Eadem arbor, hortis inſita, ſegnius creſcit, & rariſſime fit fructifera. Eſt & falcati illud ligni genus, quod male vulgo, pinaſtrum dicunt, montibus, *Krywán*, & *Chotsch*, familiare, ea nimirum regione, quæ eſt ſupra abietum ſiluas: amat enim, altiores locorum ſitus, id quod, ad *Carpathum Scepuſiacum*, obſeruabimus: vbi & de oleo, quod ex ligno iſto fieri conſueuit, nonnihil. *Iuniperorum* porro, ingens copia, quorum baccæ maceratæ, & deſtillatæ, vinum illud factitium præbent, quod *Crematum* vocant, contra *arenam* vtile: *calculum* enim *confirmatum*, exacerbare potius, quam ſoluere, crediderim. *Tiliæ*, frequentes adeo, vt nomen *Comitatus* iis tribuere, nihil dubitent, nomenclatores quidam. In fruticibus ſunt: *Myrica*, ſeu *Tamariſcus*, paſſim ad *Vagum*; *Cynosbathus*, *Rhamnus*, & *ſpinarum* varia genera. quarum fructus, ſtudioſe colligunt agreſtes, atque arefactos, hibernis deliciis, adſeruant. hos inde, vuas *Liptouienſium*, vocitant dicaciores. Huc & *ſubfrutices*, referas, *Rubos* nimirum, atque horum mora; *Myrtillos*, baccarum feraciſſimos; & *Fragorum* denique plurimas ſpecies. quibus plebs miſera, ante meſſem; tunc enim, vt plurimum, inedia laborat, vitam conſueuit tolerare. Herbas, & radices medicatas, cum montes recenſeremus, paſſim reperiri, notauimus. Sunt vero, vt earum indiculum hic ſubiiciamus: *Rhabarbarum Monachorum*, tam felicis prouentus, vt viri ſubinde brachium craſſitie adæquet; in primis, montibus *Deménfaluenſibus*, familiare. *Radix Rhodi*, ex flauo rubra, ſi recens ſit, vix aliquem; fragrantiſſimum contra, odorem ſpargit, ſi inareſcat, tres plerumque digitos craſſa. Herba eius, ad duorum pedum altitudinem excreſcit, florem, cimicum inſtar, graueolentem habens. Eſt hæc quoque radix montibus, *Deménfaluenſibus* propria. *Daucus Creticus*, in monte *Granát*, iuxta & *Doronicum* reperitur. *Napellum*, mons *Iaworowe*; *Coronupum* & *Valerianam*, *Mlynitza* habet. *Lunaria*, monte *Hoſzſzurétenſi*, germinat, & vulgo, aduerſus faſcinum, haud quidem ſine faſcino, adhiberi conſueuit. *Ariſtolochia* rotunda, in valle *Botzenſi*, & *Deménfaluenſi*, natales habet. *Gentiana*, paſſim effoditur; ſed omnium efficaciſſima, in montibus *Krywán*, & *Krizno*. *Angelicam*, montes *Deménfaluenſes* ferunt, cuius craſſities pu-

Siluſtres, eorum genera:

Fruticus:

Subfrutices:

Herba, & radices medicatæ:

y.) Eſt genus quoddam *Pinus Carpathica*, de quo, in PRODROMO Operis noſtri, *Hungaria Noua*, Libro II. p. 78. dedita opera diximus. Poſſis, & *Cedrum Carpathicam*, optimo iure vocare, ob materiæ durabilitatem.

pugnum viri, longitudo, vlnam plerumque, ſuperat. Creſcit & in *Poludnicza*, ſed minutior, neque præſentis adeo efficacitatis. *Angelicam*, circa *Proſzeg*, verſus *Párisházam*, ex arenoſo ſolo, eruunt. *Tormentilla* & *Veronica*, in *Cremnitzenſi* nemore, ad riuuli, qui illic manat, oram, lætiſſime ſuccreſcit. *Ros Solis*, inter *S. Crucem*, *Dubrawam*, & *Lubelam*, in pratis vliginoſis, copioſiſſime prouenit, flore rubro, & ſolem radiantem quodam modo referente, in cuius radiolis, ad horam vsque diei IX. ſub ardentiſſimo ſolis æſtu, ros quidam viſcidus adparet. Pro anni indole, tempeſtiuius tardiusque germinat, adſequiturque maturitatem, cum floſculorum radii, bene porrecti ſunt, atque, rubore illo natiuo, ſubfuſi; hoc eſt, ineunte fere *Iulio*, quando, & floſculos colligi moris eſt. quos demum, *vino aduſto* immittunt; partim, vt colorem ei concilient; partim etiam, vt vim indant, *Cardialgiæ*, vti credunt, medentem. *Acetoſella*, *Adianti*, ſiue *Capilli Veneris*, atque *Polipodii*, modus fere nullus. Neque tacenda ſunt *Tubera terreſtria*, *Ceruina* vulgo dicunt, quæ copioſa in montibus *Liptouienſibus* leguntur, & magno, in montanis vrbibus, atque alibi, veneunt. quorum hiſtoriam alibi explicabimus. *Tubera ceruina.*

§. XV.

ISta, ad *Naturalem* Comitatus *hiſtoriam*, pertinebant. Vnde conii- *Prouentus Comitatus tenues:*
cere eſt, quibus, ſiue opportunitatibus gaudeat, ſiue prematur incommodis; quin, ferri etiam iudicium poteſt, de prouentibus *Liptouienſium*. Et *Agricultura* quidem, vix alendis incolis ſufficit; ma- *agricolatio exilis:*
xime, ſi frigus ſementem adurat, aut, intempeſtiuæ niues, obruant, quod annis ſuperioribus, iterum iterumque eueniſſe memorauimus. Tunc vero, hinc ad *Zolienſes*, illinc ad *Scepuſios*, frumentationis cauſa, magno pecuniarum, & temporis impendio, proficiſcendum erat. *Res pecuaria*, omnino fructuoſior eſſet, niſi inimiciſſimum frigus, *res pecuaria tenuior:*
pabula, diuturnis hiemibus neceſſaria, depaſceret. *Caſeo* interim *Liptouienſi*, primaria laus eſt, qui ſecundo *Vago* deuectus *Poſonium*, & *caſei laus:*
vicinas vrbes, *Sempronium* item, quin & *Viennam*, deportatur. Optimum eſſe credunt, qui in monte *Dominii Hrádekenſis*, *Ipolt*, colligi ſueuit. Nimirum, non, vti apud *Batauos*, in diſcos tantum comprimere caſeum, in more habent noſtri, ſed vaſis etiam ingerunt, quod genus poſtea, barbaro vocabulo, *Burendam* dicunt; delicatum omnino, & ita pingue, vt butyri inſtar, pani illiniri poſſit, neque opiparas menſas reformidet. Certe, & his, qui faſtidioſo plerumque ſunt palato, in deliciis eſſe nouimus. *Butyri* eadem præſtantia, quod re- *butyri præſtantia:*
cens adhuc, *Neoſolium*, ad hebdomadarios mercatus, feminæ, gregatim deferunt; liquatum autem, & doliolis conditum, cum caſeo ad vrbes, quas diximus, deuehitur. *Mercatura*, vix aliquis apud Liptouienſes locus: quippe, partem maximam, victitantibus e re ruſtica: Iudæis contra, vicos cum mercibus, diligenter obeuntibus. *Lignationem*

lignationis copia:

tionem interim, facile ad præcipuos *Comitatus* prouentus, referre possis. Quia enim, siluosis montibus horret, ingens, singulis annis, arborum numerus, *(z.)* cæditur. quæ demum, partim in rates compinguntur, partim finduntur, in asseres, scandulas, tigillos, ridicas, & id genus materiam, deuehunturque secundo *(a.)* amne, ad *Comitatus* campestres, *Posonienſem*, *Laurienſem*, *Komaromienſem*, & qui sunt *Danubio* adsiti, reliquos. Maximum autem, ex *Fodinis*, fructuum, in *Liptouienſes* redundaturum, rerum periti existimant, si industriam, in colendis eis, ponerent maiorem, constantioremque. Sed, quia, in sumtu faciundo, parciores sunt, ex ditissima metallorum regione, nihil quidquam erui videas, præter *Botzenſe aurum.* Adde huic, *Antimonium*, quod ad exteros dimissum, egregie, labores & sumtus, compensat: hinc enim in *Austriam*, & *Silesiam;* illinc in *Poloniam* & *Prussiam*, exportatur. Vina, e *Comitatu Posonienſi* inuehi consueuerunt, puta, *Sz. Györgyenſia*, *Grünauenſia*, *Basingenſia*, cetera. Iis tamen annis, qui sunt vini feraces, *Tokaienſia* quoque, rarius licet, & non nisi ad primorum mensas, bibuntur. Tametsi vero, creberrima *Cereuisiæ* coctura est apud *Liptouienſes; lupuleta* nihilominus, negligentius haberi, aduertas. hinc, eius quoque ab exteris mercatio. Quidquid eius sit, opes profecto suas, *rhytmis* memorialibus, subinde celebrare solent *Liptouienſes*. qui ita habent:

fodinarum, si colerentur adsrutius, fructus praecipuus:

laus opum pronincia, in rytmos relata.

Optima sunt in Liptovia
Et non vbique obuia,
Aurum Boczense,
Antimonium Dubrauiense,
Szelniczense *Nitrum*,
Gombassense *Vitrum*,
Thermæ Lutschkenses
Acidulæ Magyar-faluenses.
Crematum (*b.*) Bobrouiczense,
Corium Liptsense,

Bu-

z.) Sunt, qui credant, exhaustum iri, siluosissimos montes, nisi in arboribus cædendis, modus mature ponatur. quod optandum sane est.

a.) Vide, Anni MDCXXVIII., Artic. LXV. vbi, nauigationi *Liptouienſiam*, sua adseritur libertas: ne incolæ Comitatuum *Lyptó*, Arua, & Túrócz, ac Trenchin, in demissione secundo fluuio *Vagi*, & libera venditione ratium, asserum, scandularum, & id genus materiarum lignearum, per *Galgotzenſes* & *Somptenſes* officiales, indicta cauſſa, impediantur, arrestentur, præter ius & æquum taxentur & trahantur; quin potius, sine vlla difficultate & impedimento, rates, mercesque suas, iusto pretio, quibus voluerint, exponere possint; inque contrauenientes seuere animaduertatur, Status & Ordines decernunt. *Ita lex.*

b.) Dirum illud potus genus, quod ex malo habito frumento, arte igniaria, educitur. Hinc Germanis, *Brandte-Wein*; *Egrett-Bor* Hungaris; Slauis, *Pálenka*, Polonis, *Gorzalka*, dicitur.

Burenda (*c.*) Hrádkienſis,
Caſeus Wychodnenſis
Fictilia Roſenbergenſia,
Piſa Tarnoczenſia,
Scandulæ Wázeczienſes,
Rates Szokolczienſes,
Ollæ Nagy-Palugyenſes,
Aſſeres Deménfaluenſes.
Tigni Lehotenſes,
Corbes Goutfaluenſes,
Cereuiſia Liptſchienſis.
Martialis Alsó-Ráſztokienſis.
Caro Roſenbergenſis,
Panis Nicopolienſis,
Montes Pribilenenſes,
Fides Beharfaluenſes
Campus Vrbicenſis,
Siligo Olaſzienſis,
Parochia Roſenbergenſis,
Eccleſia Okolitsnenſis,
Limbi Pribilinenſes,
Larices Bodófaluenſes,
Salices Felsö-Ráſtokienſes
Specus Deménfaluenſes,
Papyrus Szent-Mihályenſis,
Fons Szent-Iuanenſis.

Hæc nimirum ſunt bona, quibus ſe ſolantur *Liptouienſes*. Adeo, nulla, tam aſpera regio eſt, quin, ſiue a natura, ſiue ab induſtria hominum, acceperit quidpiam, ſibi peculiare. Hinc illud, SAMVELIS TIMON, S. I. de *Liptouia*; *(d.)*

Quæ campi, & colles generant, nonnulla precarer;
Quæ montana ferunt; non mihi plura precor.

Nos iam, regioni bene precati, porro pergamus.

c.) Caſeum, vaſis impreſſum, ita dici ſupra monuimus. Suo vocabulo *Brinza* dicunt Slaui; *Bronza* Hungari; Germani *Brinſen*.

d.) Loco citato, ad calcem §. XVII. p. 136.

MEMBRVM II.
POLITICVM.

De

Incolis, horum moribus, & Magiſtratibus COMITATVS LIPTOVIENSIS.

SYNOPSIS.

Antiqui Liptoviae *incolæ:* Iazyges Sarmatæ: Germani: Quadi: Venedi & Slaui: *quos* Hunni *in fidem accipiunt: aucta horum colonia, recentioribus temporibus.* §. I.

Quando ad Christvm *conuerſi* Slaui *iſti: Fraternitas Liptouienſis: diplomate Archiepiſcopi Strigonienſis confirmata.* §. II.

Slaui *Liptouienſes, Ciuitate Hungarica donantur:* Nobilium *indoles & ſtudia: Lingua: occupatio.* §. III.

Corporis Liptouienſium *habitus: opera ruſticana, domi & peregre: ſterilitas, & huius cauſſa, intemperies: occupationes cetera.* §. IV.

Magiſtratus Liptouienſium: a Iohanne, *Matthiæ* Coruini *filio, Ducatus titulo, regitur: Supremi Comites.* §. V.

Ceteri magiſtratus: congregationes Comitatus: Inſignia. §. VI.

Nobilium familiarum fata. §. VII.

§. I.

Antiqui Liptoniæ incolæ:



Iazyges Sarmatæ:

Via tota illa regio, quæ vltra *Siluas Sarmaticas*, Carpatho ſubiecta eſt, atque inter eius radices, late, hoc eſt, ad *Tibiſcum* vsque, & proiectam inde planitiem, procurrit, *Iazygum Sarmatarum* ſedes fuerat, antequam gentium migrationibus, priſci populorum termini, dimouerentur; facile ad coniiciendum erit, quinam, primi omnium, montanos iſtos tractus, coluerint: *Iazyges* puta *Metanaſtæ*, Sarmaticum genus, idiomatis, quale poſtea *Slauinorum* exſtitit. Sed *Iazygibus* iſtis *Sarmatis*, nequiuit diu intemerata eſſe regionis poſſeſſio. Enim vero, Germanicæ Ciuitates, pro illorum ingenio temporum, e ſedibus ſuis digreſſæ, nouas ſubinde quæritabant, in *Sarmatia* potiſſi-

Germani:

tiſſimum, quam peruagati, paſſim inhabitabant. Primi autem, qui ex Germania huc illapſi ſunt, *(a.) Cimbri*, & *Teutones* erant. Atque inde fortaſſis *Teuto-Liptsha* nomen. Poſt hos *Gothi*, *Herulos*, *Rugios*, *Burgundiones*, ſecum trahentes. Inde *Vandali*, in Sarmatiam penetraſſe leguntur, qui nunc tumultuariis poſſeſſionibus, nunc etiam fixis ſedibus, laxe colebant regionem, ac pene in Sarmatarum mores tranſibant. De *Venedis* TACITVS *(b.) Venedi*, inquit, *multum ex moribus Sarmatarum traxerunt, nam, quidquid inter Peucinos Fennosque, ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* Quin, & *Quados* poſteriores illos, habitaſſe locis iſtis, ex hiſtoriis certum eſt, quibus *Cuſum* ſiue *Vagum*, niſi fallat lectio, & *Granauam*, amnes, tribui legas. Denique, easdem haſce regiones, a ciuitatibus Germanicis, ſiue armis, ſiue demigrationibus, vacuefactas, *Venedi*, *Slauique (c.)* Sarmatici populi, penitus inſederunt, protuleruntque ſedium fines, in orientalem Germaniam, vltra Viſtulam, atque Albim. Ex eo tempore, perpetuo *Venedos*, *Slauos*que iſthic habitauiſſe, exiſtimamus, quos in fidem acceperunt HVNNI, ſociosque adſciuerunt, expeditionum varie ſuſceptarum, donec conſtitutis *Hungarorum* rebus, in eandem cum iis ciuitatem, coaleſcerent. Poſtea, cum ſacra Chriſtianorum fuiſſent amplexi, cumque frequentibus inuicem bellis, *Hungari*, & vicini *Bohemi* ſe infeſtarent, nouis quaſi coloniis, *Venedi Slauique*, oræ iſtius incolæ, adaucti ſubinde fuerunt; atque in primis, ELISABETHAE tempore, quæ montanam regionem, Bohemorum munierat præſidiis, vt tutius, LADISLAO filio, regnum præſtaret. quæ demum MATTHIAS *Coruinus*, ægerrime diſiecit, ac regionem omnem, dominationi priſtinæ, vindicauit.

Quadi:

Venedi & Slaui:

quos Hunni in fidem accipiunt:

auctæ eorum coloniæ recentioribus temporibus.

§. II.

HAEC certa ſunt, & fide hiſtoricorum explorata. Qui autem de priſcis regionis incolis, aliter ſentiunt, aut coniectando errores quærunt, aut ignari ſunt antiquitatis. An vero, ſub idem, quo *Hungari*, tempus, *Slaui* Liptouienſes, ad religionem CHRISTI acceſſerint, adfirmare nequeo. Sunt, qui credunt, exeunte ſeculo vndecimo, factum id eſſe. equidem, ea de re, nihil vſpiam legi; neque illi, quo id doceant, teſtimonia adferunt. Non ſine ratione tamen exiſtimarim, eadem *Slauis* huiatibus, conuerſionis ad CHRISTVM, tempora fuiſſe, quæ *Mahavenſibus*. Auget opinionis veroſimilitudinem, *Epiſcopatus Nitrienſis*, longa, ante *Hungarorum* aduentum, ætate, iſthic conſtitutus: qui ſane, ad *Slauos Venedos*que hic colentes, non minus adtinuit, quam ad *Mahavenſes*. Id tamen, pro eius tempeſtatis ingenio, accipi velim: vt nutarint non raro in fide, & ſiue ſponte, ſiue barbarorum gentium exem-

Quando ad CHRISTVM *conuerſi* Slaui *iſti?*

a.) STRABO Lib. VII. p. m. 203, 18.
b.) Germ. Cap. XLVI. p. m. 653. edit. Lipſianæ.
c.) Vide, IACOBI CAROLI SPENERI, Notit. Germ. Antiqu. Lib. I. §. IV. p. 38.

Fraternitas Liptouienſis, *diplomate Archiepiſcopi Strigonienſis confirmata.*

exemplis illecti, redierint ad *ethnicam* impietatem; dum conſolidarentur penitus in ſacris Chriſtianorum. Poſteaquam autem, pluribus ſeculis, religio diuinior inualuit, *Parochi Liptouienſes*, ſocietatem, *Fraternitatis* inſignitam nomine, adunarunt. quam *Archiepiſcopus Strigonienſis*, publicis litteris, confirmare, nihil addubitauit. Non omnino piget litteras heic adſcribere, vt lectorem, antiquitatum huiusmodi curioſum, oblectemus. Ita vero habent: CHANADYNVS *DEI, & Apoſtolica Gratia, A. Epiſcopus Strigonienſis, locique eiusdem Comes perpetuus, omnibus Chriſti fidelibus, præſens ſcriptum inſpecturis, Salutem in Domino, benedictione cum paterna! Pia & alma mater Eccleſia, de animarum ſalute ſollicita, fideles* CHRISTI, *ad viam ſalutis, & deuotionem, per quædam munera ſpiritualia, videlicet, indulgentiarum largitionibus, inuitare conſueuit, vt quanto deuotius, & crebrius, ipſi fideles inuitantur, tanto ſalubrius, & deuotius DEO & ſuis ſacris adibus, cum eorum piis operibus, ſint adſtricti, vt Saluatoris clementiam precibus implorando, delictorum ſuorum veniam, & gloriam regni cœleſtis, conſequi mereantur æternam. Hinc eſt, quod cum in nomine Domini, eiusdemque Sacra Indiuiduitatis, Vniuerſitas Plebanorum, Eccleſiarum Rectores de Liptow, inuocata Spiritus S. gratia, in vnum conueniſſent, & ea, qua ſalutis ſunt, pertractaſſent, & inter eos, quandam confraternitatem, vulgariter* KALANDVS, *nominatam, iuxta illud ſacri eloquii veritatis præconium:* Eſtote fraternitatis amatores; *& illud;* mutuam vobismet ipſis continuam karitatem habentes, quia karitas operit multitudinem peccatorum: *Cum ipſe Saluator noſter, ſolus ſit karitas, & qui in karitate manent, in ipſo manent, edidiſſent, & ordinaſſent, quam Confraternitatem in anno bis celebrandam ſtatuiſſent; tandem cupientes nos, vt ipſa confraternitas inter ipſos edita, per indulgentiarum largitiones, decoretur. Volumus igitur, vt quicunque Chriſtiana fidei religionis cultor, in prædictis duobus terminis, prædicta Confraternitatis celebrationis, illic deuote oraturi, ad miſſarum ſolemnia, & qualibet alia diuina audiendi acceſſerint, & eleemoſynas ſuas elargierint, ac etiam pro noſtra ſalute DEVM, &* Matrem *gratia, imploraverint, de omnipotentis DEI miſericordia, beatorumque* Petri *&* Pauli *Apoſtolorum eius, nec non beati* Adalberti, *martyris, patroni noſtri, auctoritatibus confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, quadraginta dierum indulgentias, miſericorditer in Domino elargimur. Volumus etiam, vt cuiuscuis, vel ſtatus, ſeu dignitatis homines, bona Eccleſiæ indebite, & per manuum violentarum iniectionibus, vſurpauerint, ſemper canonicis admonitionibus præmiſſis, ad ſatisfactionem, per interdicti, & excommunicationibus ſententiam, totiens quotiens fuerit oportunum, compellendi habeant facultatem, auctoritate noſtra mediante. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes conceſſimus noſtras litteras, pendentis ſigilli noſtri munimine roboratas, ſaluo tamen iure noſtro A. Epiſcopali, in omnibus punctis, & articulis, in iisdem plene & integre remanente. Datum* Strigonii, *in Feſto Vndecim Millium Virginum. Anno Domini MCCCXLVIII.* Iſta

CHA-

CHANADINVS *(d.)* ex quibus hoc quoque colligas, non defuiſſe iam illa ætate, qui Eccleſiarum dotibus inſidiarentur, easque ad ſe raperent: deterrendi ideo, a ſacrilegis iſtiusmodi auſibus.

§. III.

TAmetſi ergo, *Slaui*, conſtitutis *Hungarorum* rebus, primi *Comitatus Liptouienſis* fuerunt inquilini; procliue nihilominus, immo neceſſum fuit, *Hungaris* eos miſceri: quippe, a quorum nutu & imperio, pendebant. Accepti demum in ciuitatem, in eandem gentem, cum rerum dominis, coaluerunt, eo ſubinde infelices, quod *Bohemicis* armis, quæ illi Hungariæ inferebant, partim cedere cogerentur, partim velificari. Illud certum eſt, acceptaſſe *Huſſitarum* ſacra, defenſaſſeque vltra ſeculi medium: magno *Romano-Catholicorum* detrimento. Hodie nominis *Hungarici* decus, haud inique tuentur *Liptouienſes*. Certe, nobilitate qui præſtant, mores habent cultos, quos eruditio haud vulgaris, iuxta & legum patriarum peritia, mirifice ornat. Hinc illa *Aduocatorum*, inter eos, copia. quod, cum apud gentes alias, opprobrio ſibi ducerent, viri, nobilitate conſpicui, in *Hungaria*, ita conſuetudine inualuit, vt nemini, niſi nobilis ſit, cauſſarum patronum liceat agere. *Lingua Slauica*, vernacula *Liptouienſibus* eſt: nam, *Hungaricam*, in Comitatibus interioris Hungariæ, raro domi, addiſcunt. quam ideo, moleſtius non plane nulli, pronunciant. Qui forum non ſequuntur, otii tempora, hi quidem venatu; aucupio illi; alii piſcatione; omnes, rei domeſticæ procuratione, diſtinent: cetera, cultu, ad decus compoſito, etiam, qui tenuiorum ſunt fortunarum, nulli cedentes.

Slaui Liptouienſes Ciuitate Hungarica donantur:

nobilium indoles & ſtudia:

lingua:

occupatio.

§. IV.

ALioquin, *Liptouienſibus*, fere omnibus, ſtatura concinna, membra & artus robuſti, ceruix erecta, toroſum pectus, atque totius corporis habitus, ad duritiem, laborumque patientiam, factus. Hinc, rariores obſerues, qui obeſo ſint abdomine, in nobilibus etiam viris: quippe quibus, perpetuus in venatione labor, niſi habeant, quod, vel in foro agant, vel in re familiari. Agreſtes, rus colunt eo ſcrupuloſius, quo agrum nacti ſunt iniquiorem. Quod vero operæ ruſticanæ, tardius, propter diutinas niues, ineunt, quam alibi, primo vere, integræ cohortes agreſtium, illinc ad oram *Tibiſci*, hinc ad *Danubium*, abeunt, vt vinetorum paſtinatione, ſtipem mereantur, inediamque domeſticam, leuent. Eſt hoc enim

Corporis Liptouienſium habitus:

opera ruſticana domi, & peregre:

d.) Habeo aliud quoque Diploma, quo IACOBVS, *Frater de Bononia*, & ANTONIVS *de Roma Clericus*, collectores, & procuratores generales, plurium Pontificum indulgentias, *Confraternitati* huic tranſcribunt. Datum in *Caſtro Liptouienſi* 1481. & a Venerab. Capitulo Scepuſienſi tranſumtum, & recognitum. A. 1485. Sed alii id loco aſſeruare animus eſt.

enim in vitiis *plebis Liptouienſis* ponendum, quod coactas fruges, prodigat, exinaniatque penum, antequam hiems exeat, ac poſtea, vix reperiat, quo vitam toleret. Ergo, panem auenaceum, in deliciis habeant, neceſſe eſt, qui & ipſe tamen, ſimila rarior ſubinde eſt: in primis vere imminente. Atque, hinc deriuandum putant multi, quod ruſticum iſtud genus, in procreanda ſobole, ſterilius ſit, quam apud vicinos. Nunc enim vitam degit, ruſtice lautam, nunc iterum inedia tabeſcit. Quam illi intemperiem, & his locis, vbi mercenarii ſunt, abunde produnt. Certe, ſtipem, diuturno quæſitam opere, rariſſime domum referunt: quippe, dies feſtos, in tabernis vinariis, inter ſaltus, & inconditas vociferationes, extrahentes. Poſtea, vbi labor vineaticus ceſſauit, metendis graminibus, frugibusque, fructu tamen haud meliore, operam locant, atque inde reduces, frumenta demum domeſtica, cogere incipiunt. Reliqua eorum occupatio, in lignatione & paranda materia, quam ſecundo *Vago* deuehunt, fructu meliore, ponitur. Mercaturæ heic ſtudium fere nullum, *Iudæis*, vicatim oberrantibus, & merces exponentibus tumultuarias. Olim, *Sal Polonicus* quæſtui incolis fuit, quo ceſſante, magno ii quidem reditu diminuti creduntur. Eapropter, dieta Poſonienſi anni MDCCXV. *(e.)* libertas inuehendi ſalis polonici, Liptouienſibus, Aruenſibus, & Thúróczienſibus, redintegrata denuo eſt. Verba legis hæc ſunt: *Reſoluit Sua Maieſtas Cæſareo-Regia, vt Comitatus Túrócz, Árua*, Liptó, *articulariter etiam priuilegiati, abſque vlla ad alios vlteriori extenſione, habeant* priorem ſalis ex Polonia liberam inductionem & vſum: *cuius tamen quæſtum, non niſi intra limites ſuos admitti, ſublata etiam denariorum viginti quinque, ex Articulo XV. Anni MDCLXXXI. deductarum exactione: ſalua nihilominus, & regii ſalis, in eosdem Comitatus inductione.* Ceterum ex his, quæ de indole ac moribus *Liptouienſium* diximus, colligi poſſe credo, ita ſe naturam eorum habere, vt egregiæ virtutis capax ſit, modo cultus accedat; ſi vero is deſit, vti in plebe videas, ruit in deuia, ſitque vitiorum miniſtra. Opilionum certe, qui ſiluas, cum gregibus habitant, ea laus eſt, vt, ſi latrociniis ſe dediderunt, nullum ſcelus intentatum relinquant. quod & dicterio locum fecit. Quemadmodum autem corporis, ita & ingenii viribus valent noſtri. In procliui eſſet, eruditorum, *(f.)* qui hac regione prodierunt, catalogum dare, niſi id ſeiunctum eſſet ab inſtituti rationibus.

ſterilitas, & huius cauſſa, intemperies:

occupationes ceteræ.

§. V.

Magiſtratus Liptouienſium:

AD magiſtratus *Liptouienſium*, quod adtinet, iisdem legibus, & creantur, & rebus præſunt, quas in *Comitatibus Hungaria* ceteris, vidimus. Illud, grande celebritatis argumentum eſt, quod

e.) Articulo XIII.

f.) Horum Φασίων merito dixeris, MARTINVM SZENT-IVANY S. I. ſcriptorem, diligentem, copioſum, & doctrinæ multiplicis. Vitam, celeberrimi viri compendio exhibitam, vide apud ZWITTINGERVM, in *Specimine Hungaria Litterata*, p. 372. ſequ.

quod MATTHIAS *Coruinus*, filium naturalem, IOHANNEM, Ducis adtributo titulo, Comitatui Liptouienſi, præfecerit. Ita BONFINIVS *(g.)* cum Liptouienſis Comitatus mentionem habet: *Quo*, inquit, IOHANNES, *fauſtiſſimus*, *Diui Matthiæ filius*, *in ampliſſimi ſpem imperii*, *ab infantia educatus*, *a pientiſſimo patre*, *donatus eſt*, *dum qualis princeps futurus eſſet*, *a teneris præferret annis*. Atque tunc, *Ducatus (h.)* nomine, ſuperbiebat Liptouienſis Comitatus. Mortuo poſtea MATTHIA Coruino, *Iohannes*, partim *Beatricis*, nouercæ ſuæ, partim Hungarorum factione, a ſpe regni deiectus, & ditionibus Hungaricis cedere coactus, *Liptouiam*, Regi WLADISLAO reliquit, ipſe *Sclauoniæ*, *Croatiæ*, *Dalmatiæque Banatu*, contentus; vocabulo nihilominus, *Ducis Liptouiæ*, inter titulos retento. Ab eo tempore, magiſtratus, Comitatum rexerunt, ordinarii. Et e *Supremis* quidem *Comitibus*, quos indagare licuit, ſequentes emicuerunt:

a Iohanne Matthiæ Coruini filio. Ducatus titulo, regitur:

LVDOVICVS PEKRY, de *Petrouina*, anno MDXXXIV., FERDINANDI I. ſupremus Capitaneus, qui *Sophiam*, Ducem Naſſouienſem, in matrimonio habuiſſe legitur, in tabula interioris arcis *Likauienſis*, portæ inædificata. *Supremi Comites.*

IOHANNES KRVSITH de *Ipoglaua*, anno MDLXXVII. S. C. Regiæque Maieſtatis Conſiliarius, & in Regno Hungariæ Magiſter Curiæ Regiæ, cuius conſors, *Catharina* Pálffy, *Nicolai I.* ſoror fuit, ſicuti in ruderibus caſtelli *S. Sophiæ* legitur.

STEPHANVS ILLÉSHÁZY, anno MDLXXXVI. Comes Comitatus *Trenchinienſis*, & *Liptouienſis*, eandem *Catharinam Pálffy*, improlem duxit, ditionemque *Kruſithianam* ſuam fecit. Fit *Palatinus* Regni Hungariæ, anno MDCVIII. moritur, anno ſequente.

CASPARVS ILLÉSHÁZY, anno MDCX. a *Stephano*, e conſanguineis, adoptatus, opimam hæreditatem adit, ſitque perpetuus *Trenchinienſis*, & *Liptouienſis* Comitatuum, Comes.

GEORGIVS ILLÉSHÁZY, Caſparis filius, ſuccedit patri, irrequieti vir animi, locum in ea dignitate fecit, filio adoptiuo, *Nicolao*.

NICOLAVS ILLÉSHÁZY, anno MDCXXX. Regni Hungariæ Cancellarius Aulicus, ac *Trenchinienſis* & *Liptouienſis* Comitatuum, perpetuus Comes.

IOSEPHVS ILLÉSHÁZY, ſucceſſit patri *Nicolao*, in vtriusque Comitatus adminiſtratione, anno MDCCXXIII. *Feliciter!*

§. VI.

SVpremi hi Comites fuerunt, quorum nomina eruere licuit. Magiſtratus reliquos gerunt *Vice-Comes*; huius vicarius; *Notarius*; *Quæſtor*, quem domeſtico vocabulo, *Perceptorem* dicunt; *Iudices* *Ceteri magiſtratus:*

g.) Decad. 1. Lib. 1. p. 16, 41.

h.) Hinc & Hungaris, *Liptóság*, tunc dicebatur, quod eſt ducatus nomen. Vbi aduertendum erit *Lectori Hungaro*, Comitatuum nomina, in *ſág* & *ſég* exeuntia, *Ducatus* olim notauiſſe. Ita *Somogyſág*, *Szilágyſág*, *Nyitrſég*, *Baranyaſág* &c. dicebantur olim: nunquam vero: *Poſonyſág*, *Temeſſég*, *Nitraſág*, reliqua.

dices Nobilium; omnes, nobilitate insignes, quibus adsident, vbi in commune consulendum, viri, iureiurando reipublicæ obstricti. qui & ipsi, vel gesserunt magistratus, vel certe in eorum sunt numero, e quibus, si vsus ita ferat, eligi eos motis est. Horum præcipui, cum alibi *Adsessores Tabulæ Iudiciariæ* vocentur; hic raro exemplo: *Iudices Appellationum*, tamquam eminentioris dignitatis vocabulo, salutantur. *Iudices Nobilium*, in suo quisque *Processu*, *Perceptorum* quoque munere fungebantur antea; sed, quod fructuosius, a communi quæstore, qui *Perceptor generalis* audit, munus illud administrari posse crederetur; morem illum, exolescere passi sunt prouinciales. Congregationes Comitatus, quoties id necesse est, *Nicopolii*, fiunt, rarius *Teuto-Liptschæ*, *Tarnoczii*, *Szokoltzii*, & *S. Mariæ*. Sed *Instauratoria sedes*, quam vocant, hoc est, magistratuum innouatio, plerumque, *Teuto-Liptschæ*, celebrari consueuit. Insignia, quibus vtitur Liptouiensis Comitatus, a natura regionis petita esse crediderim. Scutum enim arborem habet, decoræ proceritatis, ad cuius truncum aquila, pansis alis, porrectoque ad dextram capite, adsurgit: cuius coronam, hinc vulpes, illinc *Gryphus*, anterioribus pedibus, sustentant. Galeæ, corona cinctæ, eadem, sed nudo capite, aquila insidet. Nolim quidem, in ista lemmata esse iniurius, sed tamen ita existimo, *Arborem* siluosos Liptouiensium montes; sicuti *Aquilam*, & *Vulpem*, ferarum & auium genera significare. *Gryphs* autem indicio fuerit, auri thesauros, qui sunt in montium visceribus, *gryphum* quasi custodia, quo minus erui possint, circumsideri. Idem, sigilli vsum obtinuit, minutioris olim, augustioris hodie, cum ΣΦΡΑΓΙΣ: Sigillvm Comitatvs Liptoviensis. Vetustius illud, nihil, præter duas istas voces adscriptas habuit, Comitatvs Liptoviensis.

Congregationes Comitatus:

Insignia.

§. VII.

Nobilium familiarum fata.

CEterum, dici nequit, quantopere iam tum antiquis temporibus, *Nobilium* familiarum numerus, in *Liptouiensi Comitatu*, inualuerit. Operosum foret, ac forte inutile, nomina earum percensere, quæ pridem exstinctæ sunt. Hodie, quæ floreant, alibi dicemus. Nimirum, adfixerat extra modum *Liptouiensem* nobilitatem, cum *Tartarorum* impressio, quæ cladem Belae IV. sequuta est; tum in primis, *Matthæus Trenchinienſis*, *Vagi*, vti se adpellabat, *Dominus*. Eo, virtute Caroli I. profligato, requieuit, tota vniuersim, *Vagi* amnis regio, atque *Liptouienſis* hæc potissimum. Carolvs certe, prouincialium fidem, quam sibi, fræna mordente *Matthæo*, probauerant sæpius, remuneraturus, non tantum redactos ad puluisculum, viros nobiles, bonis donauit; sed retulit etiam in nobilium numerum, quorum cognitam habuit virtutem, & in defensandis suis partibus, industriam. Ergo, non potuere non, sub optimo rege, & numero inualescere nobiles, & opibus. Patris hanc benignitatem, eo diligentius

MAPPA
COMITATVS
LIPTOVIENSIS
Accuratione Astronomico
Geometrico Concinnata
Nicolai Sc

tius bonitate ſua cumulauit Lvdovicvs; quo ſtudioſius elaborandum ei fuit, vt limitaneis *Comitatibus*, cum *Polonia*, cui imperabat, bene conueniret. Atque, fuere omnino felices *Liptouiæ* nobiles, dum ſuperabat Lvdovicvs. Eo, rebus humanis exemto, cum temporibus *Sigismundi*, ſumma imis *Huſſitæ* miſcerent, infeſſa ab iis regio, & qui hanc colebat, nobilis ordo, aut, ab iniquæ gentis arbitrio pendere cogebatur; aut, hoc ſi pollet, ſolum vertere. Durabat ea temporis difficultas, vsque in Matthiae Coruini, Huſſitarum domitoris, ætatem. qui demum, vti regionem, ſibi ipſi, ita huic nobilitatem, adſeruit. Hæc, *Liptouienſium* nobilium, fata erant, vsque dum inualeſceret *Turcarum* tyrannis. quæ, tametſi non pertigit ad *Liptouienſes*; tamen, non vna eos calamitate adflixit. Præterquam, quod perpetuo militandum fuit, aduerſus ſanguinolentum hoſtem; quod ſane cruoris non minus, quam opum poſcebat impendia; lentius, in illa patriæ calamitate, rem ſuam curare poterant: ſiue, belli curis diſtenti; ſiue ſuſpenſi, metu rerum imminentium. Iam, quæ eſt temporum felicitas, & quiete agunt noſtri, & pro fortunarum habitu, hi illis, adfluentius. *Feliciter!*

PARS POSTERIOR SPECIALIS

De

Proceſſibus Comitatus Liptouienſis.

PROOEMIVM.

Regionem Liptoviensem, ita in Processus partiti ſunt priſci *Hungari*, vt ſingulis orbis plagis, tractus ſingulos, adtribuerent. Vnde, *Proceſſus* numerantur *Quatuor:* Orientalis; Meridionalis; Occidentalis; & Septentrionalis. Singulorum, Arces, Oppida, & Vicos, perluſtrabimus: facturi, eo ipſo, laboris compendium, quia vrbes *Liberas* ac *Regias*, ignorat Liptovia.

MEMBRVM I.

De

Proceſſu Orientali.

ORIENTALIS, a plaga, dicitur, ad quam proſpicit. *Superiorem* vocant, qui ad fontes *Vagi*, & huius profluentem, adtendunt. Reliquorum facile ampliſſimus: quippe, a finibus *Comitatus Scepuſienſis*, vsque ad oppidum *S. Nicolai*, procurrens, ambitu ſuo, totam illam oram complexus, quæ hinc *Polonia*, & *Aruenſi*; illinc *Comitatu Gömörienſi*, & *Zolienſi*, coercetur. Adibimus tractus ſingulos.

SECTIO I.

De

Arce vnica, & Oppidis Proceſſus Orientalis.

SYNOPSIS.

Arx vnica, LIPTÓ-UJVÁR: *eius ſitus ad defenſandum importunus: duplex ædificium, externum, & internum: poſſeſſores: hodie, in* Cameræ *poteſtate eſt.* §. I.

S. Nicolai *oppidum: eius eccleſia: atque huius filia: publicæ Comitatus ades: eſt* Pongratziorum *hæreditas.* §. II.

Vrbicza, *modicum oppidum.* §. III.

Gibbæ, *montanum olim oppidum: eius ſitus: an ſit* Gepidarum *colonia: fuit aliquando* Saxonum *domicilium: eius incolæ: fora: ſtatio veredarii.* §. IV.

Boczæ *oppidi poſitus: Boczæ ſuperior: media; ſiue inferior: infimæ: agri diuiſio, in* regium, & nobilitarem: *agri ſterilitas, paſſeres arcet: de fodinarum* Boczenſium *origine, coniectatio: venarum varietas, pro camporum diuerſitate: campus primus: ſecundus: tertius: quartus: quintus: territorii regii indoles: auri* Boczenſis *præſtantia.* §. V.

§. I.

§. I.

Liptó-Ujvár.

IPTÓ-UJVÁR, Slauis HRADEK, vnica eſt, totius *Proceſſus* arx, neque ſitu, qui ad defenſandum importunus eſt, neque operibus memorabilis. Rupi inſidet humiliori, eſtque ita facta, vt ſeceſſui potius, quam arcendo reiiciendoque hoſti, deſtinata videri poſſit. Ab oriente petræ ei imminent, ex quarum cacumine, ſcloporum ictibus arcis interiora, nullo negotio verberari poterunt. Aedificium eius duplex. vnde arcis in *exteriorem*, & *interiorem* diuiſio. Et interna quidem, vetuſti eſt operis, ea, ſicuti vulgo perhibent, tempeſtate excitata, cum *Tartari*, Hungariam populabantur, vt eſſet commune incolarum perfugium: tametſi, nullum illorum temporum indicium, præter rude opus, in toto ædificio exiſtat. Turrim ei vaſtam inædificatam videas, quæ præſidiariis, ſi qui adſint, ſpeculæ, & propugnaculi loco eſt; nam & ſuggeſtus habet, tormentis diſplodendis, factos, & proſpectum, inter montium illas anguſtias, late patentem. Qua vero ad vulturnum proſpicit, gemina mole, e tignis contabulata, atque oppleta lapidibus, præmunitur. Interiorem hanc arcem, exterior, ſed depreſſiore ſitu, circumdat: opus multo recentius, hoc eſt, anno MDCIII., & antegreſſis, ad eum modum exſtructum, vt ſuperior ædium pars, cubiculis culta ſit, inferior contra, in ſtabula diſcreta. Vtramque arcem, lignei gradus, & qui hos terminat, pons verſatilis, coniungit. Intra geminam, arcis interioris portam, piſcina olim fuerat, trutarum, & id genus ſaxatilium piſcium, receptaculum. Puteus ædificii ſuperioris, in duriſſima petra cauatus, perenni, eoque ſalubri latice, commendatur. Fata arcis nusquam lego; putarim autem in earum fuiſſe numero, quas *Bohemi* tenebant, cum partes *Elizabethæ* tuerentur. Seculo XVI. *Balaſſiorum* familiæ, neſcio quo iure, *Zayanæ* demum, paruit. quod ex propugnaculi exterioris inſcriptione diſcas

Arx vnica Liptó-i Ujvár.

eius ſitus, ad defenſandum importunus:

duplex ædificium, externum, & internum:

poſſeſſores:

SIC VOS NON VOBIS, MELLIFICATIS APES,
SIC VOS NON VOBIS, FERTIS ARATRA BOVES.
MAGDALENA ZAY.
A. 1603.

Inde, ad *Barones* OSTROSITH, de *Ghiletnitz*, adtinuiſſe conſtat. quorum vltimus, MATTHIAS, cum anno MDCCIII. ſine hærede deceſſiſſet, fiſco regio adſcripta, poſteaque principi LICHTENSTEINIO, obnoxia facta eſt, donec, cum tota ditione, per *Cameram* redimeretur denuo. Vltimo tumultu ciuili, ab hoſte deſerta, opportuneque a Cæſarianis occupata, viam eis ad *Scepuſios* præmuniuit.

hodie in Cameræ poteſtate eſt;

§. II.

S. Nicolaus.

S. Nicolai oppidum:

OPpida plura, in hoc *Proceſſu*, numeres. Primum eſt, S. Nicolai, quod & *Nicopolium* vocant. Hungaris *Szent-Miklos*, Germanis, *Sanct Nikloh*, Slauis denique *Swaty Mikuláſs*. Sedet in ſeptentrionali Vagi parte, mediocre id quidem; ſed mercatibus frequens: quorum hebdomadarios, ſingulis diebus *Martis*; annuos vero, *Dominica Reminiſcere*; *Exaudi*; atque feſto *S. Bartholomæi*, & *Nicolai* die, concelebrant. Incolæ, agrum nacti anguſtiorem, partim ſellulariis artibus, partim mercaturæ ſtudiis, pro habitu regionis, ſatis omnino tenuibus, diſtinentur. Eccleſiam, e cæſo potiſſimum lapide, medio foro, inædificatam habent, toto Comitatu, facile ca-

eius Eccleſia:

paciſſimam, quam primi conditores, *S. Nicolao* dedicauerunt. Ex inſcriptione, quæ in templi parietibus legitur, fata ædis colligas. quæ iſtiusmodi eſt:

I. H.

Memoriæ Poſterorum.

TEMPLVM HOC NICOPOLITANVM, QVOD MAIORES NOSTRI, ANNO DNI 1464. ANTE ASCENSIONEM CHRISTI, IVXTA ANTIQVVM PARIETIBVS INSCRIPTVM MONVMENTVM, SVB SERENISSIMO REGE MATTHIA DEALBAVERVNT ET RECONCILIARVNT: ITERVM, DEO DVCE, IN GLORIAM EIVS, A NOBIS, EORVM POSTERIS, POST ANNOS CONTINVOS DVCENTOS. A. VIDELICET 1664. CIRCA IDEM TEMPVS, ET SERENISSIMO REGE LEOPOLDO EXISTENTE, FELICITER RENOVATVM, DEALBATVM, PODIIS NOVIS AVCTVM, TERRA EXALTATVM, NOVISQVE SEDIBVS DISPOSITVM EST: ECCLESIAE PASTORE, R. V. SAMVELE FRANCISCO MESRICENSE MORAVO; CVRATORIBVS, EGREGIIS ET GENEROSIS DOMINIS, DN. SAMVELE PONGRÁTZ, DE SZ. MIKLÓS, ET IOHANNE FABRICI, EXISTENTIBVS. ETC.

Quod *reconciliatam* ædem, dicit inſcriptio, ſatis, credo, innuit, ab *Huſſitis*, qui hinc MATTHIAE auſpiciis, accepto in fidem *Giskra*, depulſi ſunt, vſurpatam aliquamdiu fuiſſe, reconciliandam ideo, ritu *Romano-Catholico*. Habet vero *Nicopolienſis* iſta Eccleſia, plures *filias*, quas vocamus, ſeu templa & cœtus, ſibi adunatos, puta: *Wrbiczenſem*, *Okolitsnenſem*, *Deménfaluenſem*, *Ploſtinenſem* & *Illanouienſem*. Anno MDLXXXIII. d. XVIII. Octobris, ſynodum prouincialem, *Clerus Liptouienſis*, in oppido noſtro, agebat, vt *Gregorianum* Calendarium, *Iuliano* abrogato, mutua conſenſione, reciperet. Demtis ergo decem illis diebus, qui inter IV. & XV. Octobris intercedunt, frequentari *Calendarium* illud, apud Liptouienſes, cœpit: tametſi incolarum pars maxima, vsque ad ſeculi XVII. initia, *Iuliano* vti maluerit. Accedit inde quoque oppido celebritas quædam, quod priuata Comitatus comitia, *congregationes* vocant, plerumque heic coire ſoleant. cui fini,

fini, annis ſuperioribus, ædes, pro loci indole, ſplendidæ, publico ſumtu erectæ, & variis ornatæ ſunt inſcriptionibus, quæ magiſtratus, muneris ſui commonefacerent. In his legas:

DIVINO ET HVMANO IVRE,
Hac domus odit, amat, punit, conſeruat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, iura, bonos.

Memoriam excitatarum ædium, hac inſcriptione, ad poſteros voluerunt propagatam:

DOMVS
I. CŌTTVS. LYPT. SVB EXC.
ET ILLO. D. D. PERP. COMITE,
NICOLAO ILLÉSHÁZY,
R. H. CANC. ERECTA ANNO
1713.
VICE CŌTE D. LAD. OKOLITSÁNY,
IVR. NOT. STE. ANDAHÁZY,
G. PERC. D. GAB. SZENT-IVÁNY,
D. D. IVD. IO. ET AND. RÁDY. AL.
ANDREANSKY. MA. IOOB.

Crebris incendiis, ad vaſtitatem ſubinde redactum fuit oppidum. quorum illa, quæ anno MDCCXIII. MDCCXIX. MDCCXXIV. atque anno MDCCXXXII. die *B. Georgio* martyri ſacro, acciderunt, maxime luctuoſa exſtitiſſe incolis, meminimus. Ius hæreditarium, vetuſta *Pongrátziorum* familia ſibi vindicat, quod lemmate ſupra fores publici conclauis inſcripto, teſtatum voluerunt *Liptouienſes:* *eſt* Pongratziorum *hæreditas.*

Gloria Ieruſalem, iura Iſrael vnde petebat,
Stirps habet hanc Pongrátz proprietate loci.

Hinc auitus *Pongrátziorum* titulus, vt *de Szent-Miklós*, hoc eſt; *Nicopolienſes*, ſiue, de *S. Nicolao*, adpellentur. Sed plateæ, cui *Huſſták*, ſiue, ſuburbii nomen eſt, pars potior, ditioni *Hrádkenſi*, cum diuerſorio, adſcripta eſt: vt liberas domos aliquot, iam taceamus. Incolarum mores, elegantiores aliquanto, quam ſunt reliquæ plebis, obſeruauimus.

§. III.

Wrbicza.

WRBICZA hinc eſt, in eadem *Vagi* ripa, ſed reducto aliquantum, in meridiem ſitu, a ſalicetis, Slauico vocabulo, nuncupatum: Hungaris *Verbitze*. Idem, cum *Nicopolio* oppidum crederes, niſi exiguo, quod interſitum eſt, interuallo, diſcri- Vrbicza, *modicum oppidum:*

minarentur. Olim, incolis frequens, & agriculturæ prouentu diues. Enim vero, fœcundo agro, lateque porrecto, gaudet; ſed frequentibus incendiis, ita iam diminutum, vt ægre oppidi nomen tueatur. Profecto, incolæ, agreſte quid præ ſe ferunt: quippe, idem genus vitæ ſequentes. Hodie, ratium, quas, prono amne, deuehunt, frumenti præterea, reditibus, quomodocunque vitam tolerant. *Piſa* agri huius laudatiſſima fere ſunt: ditio *Hradekenſis* eſt.

§. IV.

Gibbæ, ſeu Hybe.

Gibbæ, *montanum aliquando oppidum, eius ſitus:*

ALtius in orientem, nempe, duobus milliaribus Hungaricis, oppidum GIBBAE, Slauis, *Hybe*, *Geib* Germanis, in regia, ad Scepuſios, via, inter amœnas ſiluas, & colles apricos, ad ſeptentrionale *Vagi* latus, inſedit. Cum apud *Liptouienſes*, operæ metallicæ feruerent, inter *montana oppida*, cenſebatur: cuius tamen dignitatis, ſi inſignia excipias, malleos, transuerſim poſitos, oſtentantia, nihil amplius ſuperat. Sunt, qui ex Germanico oppidi vocabulo, *Geip*, arguant, *Gepidarum* inquilinatus, monumentum id eſſe oportere. Non repugnat vocis ſonus, ſed nec nationis iſtius migrationes, & ſedes; modo, prætet coniecturas, idonea eius rei argumenta ſufficerent. Certe, a *Saxonibus* cultum aliquando fuiſſe, agrorum nomina, quæ ſuperſunt adhuc, teſtantur: exempli cauſſa: *Mühewieſs*, *Vorwerk*, *Riegel*, *Lerberg*, reliqua. Ceterum, *Euangelici*, *Eccleſiam Articularem* iſthic habent. Sed templum, quod eleganti ſubſtructione, in medio foro, adſurgit, *Romano-Catholicorum* eſt, cum aliis monumentis, tum in primis, *Emerici Balaſſæ*, tumulo, inſigne, cuius tamen epitaphium, incendio, quo ædes iſta, anno MDCLXXXIII. fœdata fuit, deletum eſt penitus. Hodie, a *Slauis* colitur. Rebus oppidi integris, fora heic agebantur annua, non minus, quam *hebdomadaria*: iſta quidem, ſingulis diebus *Lunæ*; illa vero, *Annunciationis B. V. Mariæ*; *Corporis Chriſti*; *B. Egidii*, *S. Pauli*, & *Oo. Sanctorum*, quæ, vt celebritatem priſtinam recipiant, quemadmodum incolæ, inſtauratis, poſtliminio iuribus priſtinis, connituntur, eſt, quod adtrito oppido, voueamus. Alioquin, ager, quo ambitur, ſpatioſus eſt, neque plane ſterilis. Pertinet ad *Dominium Hradekenſe*. Statio veredarii publici, ex *pago Vychodná*, haud ita pridem, huc reducta eſt.

an ſit Gepidarum colonia:

fuit aliquando Saxonicum domicilium:

eius incola:

fora:

ſtatio Veredarii.

§. V.

Botza.

Botzæ oppidi poſitus:

INde, per conualles, ad duo milliaria, in auſtrum progreſſo, BOTZA, oppidum montanum, occurrit, in profunda valle poſitum, atque in tres regiones, diſiunctum, eo prolixius, ſuo loco, deſcri-

ſcribendum, quo aurum, quod hic eruitur, præſtantius eſt. Prima oppidi regio, *Botza ſuperior*, dicitur, ſedes *Vrburariorum*, qui omnes, ex eadem fere *Wozariorum* vetere familia, propagati ſunt. *Botza ſuperior*.

Superioris nomen, a ſitu, vti coniicere eſt, accepit; nam priſcis temporibus, in altiore valle fuit; fodinarum poſtea cauſſa, quæ iſthic repertæ ſunt, huc translata. Altera *Bocza*, media, ſiue *inferior*, *Iochims-Thal*, ſeu vallis Ioachimica dicitur, forte, a primo inquilino, cui *Ioachimo* nomen; vel celebri illa Bohemorum *Valle Ioachimica*, adpellationem trahens. *media, ſiue inferior*.

Infima *Bobrow* vocatur, quod *Caſtorem* Slauis notat, quem huc, e Vago deuium, captum aliquando a metallicis, ferunt. *infima*.

Vtraque hæc regio, vico ſimilior eſt, quam oppido, ab operariis culta, quibus quotidianus, in metallis eruendis, labor eſt. Ager, territorium dicunt, bipartito diſpeſcitur, puta, in *Regium*, & *Nobilitarem*. *Agri diuiſio, in Regium, & nobilitarem*.

Iſte, familiæ *Szent-Iudniana* obnoxius eſt, ex quo illa quidem, iure ſuo, præter cenſus, quem oppidani, paſcuorum cauſſa, coguntur pendere, auri, e venis eruti, iamque elaborati, partem decimam ſeptimam, capit. *Regium* contra ea territorium, ſi excipias reditus, e metallis, publico fiſco, adſcribi ſolitos, immune ab eiusmodi onere eſt, atque ius, e *Neoſolienſi Camera Montana*, accipit.

Oppidum, vndiquaque altiſſimis præruptisque montibus, incingitur, ſoloque adeo ſterili, vt ſementis hic fere nulla fiat; hinc & paſſeribus ita inuiſum, vt nullos iſtheic hoſpitari obſeruatum ſit: certe, portenti modum habere videtur, ſi errore aliquo, paſſer huc deferatur. Cauſſam in eo ponunt, quod pabulo careat, auis, natura, ſegetibus noxia. Alii, metallicos halitus, arcere volucrem adfirmant; ſed priores tamen cauſſatius. *agri ſterilitas, paſſeres arcet.*

Ceterum, agrum vtrumque, *Regium*, & *Nobilitarem*, adeoque oppidum etiam ipſum, fluuiolus *Botzenſis*, diuidit. De *Acidulis*, ſuo loco diximus.

SECTIO II.

De Vicis Proceſſus Orientalis.

Proceſſus Orientalis vici.

NVnc vici ſuccedant, qui ad PROCESSVM hunc ORIENTALEM pertinent. Sequemur, in eis luſtrandis, ſitus ordinem, vicinitatemque, in finibus Comitatus Scepuſienſis, exorſi. Sunt autem ſequentes:

1.) *Strba*, Hungaris *Cſorba*, *Tſchirben* Germanis; Trans montem *Hóuald*, prope ad Scepuſiorum terminos, duobus Gibbis milliaribus ſepoſitus, *Szent-Ivaniana*, *Baanyana* & *Szurecsaniana* familiæ, vicus. Incolæ, partim materiarii ſunt, partim carbonarii. quas illi merces, ad Scepuſiorum oppida, deuehunt.

2.) *Vázecz*, Germanis *Wág*, Teplicskenſibus, a ſeptentrione oppoſitus, ſub ipſis montis *Hóuald*, radicibus, eo itinere, quod ad Scepuſios ducit. Adluitur a *profluente* Vago, cui ſiue nomen dedit, ſiue

ſiue ab eo accepit. Incolæ, materiarii ſunt, familiis *Baan*, *Pothurnyay*, *Szent-Iványi*, & *Szmrecsány*, ſubditi. Aedes ſacra, cum *Csorbenſi* Eccleſia, coniuncta eſt. Ager, auenæ, quam ſiligini, aptior. In montibus, *Tubera Ceruina* paſſim eruuntur. Fœni prouentu, nulli vicorum *Liptouienſium*, facile cedit.

3.) *Wichodná*, inter *Wazecz*, & *Gibbas*, in via regia ſitum, veredarii, iam ad *Gibbenſes* translati, antea ſedes. Agrum habet, ſementi quidem iniquum; ſed pinguibus tamen paſcuis, præditum, ideoque incolas, rei pecuariæ, ſtudioſos. *Caſei*, qui heic colligitur, prima, poſt Boczenſem, gloria. Eccleſia, *Gibbenſi* adunata eſt; ſed ditio *Hradekenſis*.

4.) *Dowalow*, antehac *Dobola*, vicus, vltra arcem *Hrádek*, in via regia poſitus. Templum, ſurgente ſeculo XVII. pientiſſima femina, *Magdalena Zay*, quippe tunc ditionis *Hrádekenſis* domina, ſuo ſumtu, excitauerat. Riuulus, a quo rigatur, fundulorum, ſaporis delicatiſſimi, diues eſt. Nupero tumultu, Cæſariani, aggerem quadrangularem, prope ad *Biala* fluuii ripam, communiuerant, quem demum, incurſantibus ſubinde hoſtibus, fortiter tuiti ſunt. Supra pagum, monumentum emortuale cernitur, ad crucis formam, e lapide cæſum, cuius pars altera hæc habet: SISTE GRADVM VIATOR! ET VIDE, HIC PROXIME, EGREGIVS DOMINVS, DANIEL PHANSCHMIEDT, CIVIS ET NEGOTIATOR LEVTSCHOVIENSIS, ANNO 1677. D. 7. DECEMB. AETATIS 48. VVLNERIBVS QVINQVE, A LATRONIBVS ACCEPTIS, MISERE TRVCIDATVS EST. Altera vero iſta: NON NOCET BONIS, SI OCCIDANTVR, AVT SVBITANEA MORTE RAPIANTVR, &c. *Anshelmus*. Ceteroquin, ager *Dowalowienſium* fertilis, & ouibus alendis, maxime idoneus eſt.

5.) *S. Petrus*, Hung. *Szent-Péter*. Slau. *Swaty Peter*. Oppidum fuiſſe olim, *Præpoſitura* inſigne, perhibent: nunc poſſeſſio eſt, familiæ *Pothurnyayanæ*. Anno MDCCIX. cum *Rákóczíani* impreſſionibus fatigarent, Cæſarianum militem, templum, ſolido opere ſubſtructum, pagumque vniuerſum, foſſis, bene altis, incingendum curauerunt belli duces. Ab atce *Hrádek*, in ſeptentrionem occiduum, ad tormenti iactum, diſiungitur, amne *Biala*, interlabente.

6.) *Wawriſſow*, priſcis, *S. Laurentius (a.)* dictus, quadrante, ſupra S. Petrum, in ſeptentrionem, milliaris, *Bela* fluuio adſidet, & ipſe, bello nupero, vallis munitus, ſtrenueque defenſus, cum a *Rákóczianis*, tumultuaria obſidione, globis ignitis impeteretur. Eccleſia, cum *S. Petri*, vnita eſt, *Pothurnyayanæ* familiæ ditio. Incolis, tignorum prouentus, quæſtui eſt.

7.) *Kokawa*, eleuatiori loco impoſitus, & ditioni adſcriptus *Hrádkenſi*, incolas, lignationibus ſuſtentat. ſacra ædicula, quam habet, Eccleſiæ *Dowalowienſi*, obnoxia eſt.

8.) *Pri-*

a.) Corruptum nomen, ex Bohemico *Wawrinecow*: enim vero, Bohemis, *Wawrinec*, Laurentium ſignificat. forte colonia Huſſitarum fuit.

8.) *Pribylina* hinc eſt, ſubducto altius in ſeptentrionem ſitu, in orientali, *Bialæ* fluuii, plaga; montes habet, longe lateque procurrentes, herbarum & fruticum omnis generis, feraces, id quod nomen vico dediſſe, nonnulli autumant. enim vero, *Bylina*, herbam, culmum, fruticemque notat, cui adiecta præpoſitio *Pri*, integrum vici nomen, tantundem ſignificabit, ac ſi dicas; *ad herbam*, aut *frutícem*. Ceterum, montes, quos diximus, ab vrſis, inuſitatæ molis, frequentantur, in quibus, albi quoque dicuntur obſeruati. Lacus, in iisdem montibus, viſitur, præruptis ſaxoſisque crepidinibus, incinctus, neque, niſi opilionibus; quippe, hominibus proiectæ audaciæ, acceſſus; profunditatis adhæc imperueſtigabilis, bolide, tercentarum orgyiarum, fundum nequaquam attingente. Trutas alit, ſolito pinguiores, habetque limpidiſſimam aquam, & ad omnem ventum facile mobilem; quin æſtus maris quodammodo referentem, ſi tempeſtas paullo ſit concitatior. *Fraga Muſci*, quæ paſſim montes iſti ferunt, eius ſunr naturæ, vt per hiemem, niuibus obruta, matureſcant, quibus poſtea diffugientibus, colliguntur, ſed non niſi cælo ſereno; nam, ſi nubilum ſit, profundius ſe in muſco abdunt. Ipſe vicus, *Pongrátziani* iuris eſt, Templum vero, *Parochiæ Doualouenſi*, adtributum. Quod hinc, ſemita equeſtris, per montium iuga, in *Poloniam* tendit, atque eo itinere, plebs nonnumquam ruſticana, ad mercandum ſalem Polonicum, proficiſci obſeruata eſt, viarum obſeruatores, hic excubare conſueuerunt. Deos ſemitales, ſed inexorabiles, crederes: quidquid enim mercis referunt, præuaricatores, ab excubatoribus iſtis deprehenſis, adimitur, iumentumque publicatur.

9.) *Iamnjk*, poſſeſſio familiæ *Pothurnyayanæ*, a ſitu ita cognominatam credunt, quia in valle poſita eſt, riuo irrigua, ac bene fertili, Adhæſit Eccleſiæ *S. Petri*.

10.) *Potthurnya*, ſeptentrionali *Vagi* ripæ inſidet, gentis *Potthurnyayanæ* natalibus, clara, cui hæreditario iure obnoxia eſt. Aedes habet complures, pro familiæ dignitate, commode, atque eleganter, factas. *Slauicam* nominis rationem inde repetunt, quod in proximo colle, ſpecula fuerit, ex qua impreſſiones Tartarorum, Belae IV. temporibus, regionem omnem miſere vaſtantium, obſeruarint excubatores. Vici hinc vocabulum: *Pod turnya*, id eſt, *ſub turricula*, nam *Turnya*, ſignificat *turrim*. Pagus, extra modum cænoſus, quod redundanti quandoque *Vago*, adſcribunt.

11.) *Benedekfalua*, Slauis *Benedikowá*, olim *Detrichfalua*, ſed quam ex ſuo nomine, *Benedictus Kiſzel*, ita voluit adpellatam; modico interuallo, a regia, in ſeptentrionem repoſita, atque acidulis ſalubribus, memorabilis. Eſt iuri familiarum *Kiſel*, *Detrich*, & *Luby*, obnoxia. Pertinet ad Eccleſiam *S. Andreæ*.

12.) *S. Andreas*, Hung. *Sz. András*, Slau. *Swatý Ondreg*, riuo *Trnowecz*, qui & *Benedekfaluam* interfluit, adſitus, iuribusque *An-*

dreanſzkyorum obſtrictus. Vallem hanc, vsque ad *Benedekfaluam*, ioco, *Philiſtæorum*, dici accepimus.

13.) *Iakubowany*, Hung. *Iakabfalva*, trans eundem riuum *Trnowecz*, ad paſſus, plus minus, bis mille *S. Andreæ*, diſiunctum, *Pongrátziana* familiæ hæreditas, nunc a *Potthurnyana* poſſeſſa. Spectat ad *Parochiam S. Andreæ.*

14.) *Huora*, a monte, cui inſidet, accepit nomen, idemque familiæ *Huoransky*, dedit: quippe, poſſeſſionis hæredi. Quia incolæ, crebro atque inaniter iurare conſueuerunt, eaque re, male audiunt, dicterio locus factus. *Huorenſem ruſticum*, *ſublatis*, *more iurantium*, *digitis*, *naſci ſolere.*

15.) *Konská*, vicinus priori pagus, iuribus familiarum *Detrich*, *Luby*, & *Kiſzel*, Parochiæ vero, *S. Andreæ*, adſcriptus. De *Acidulis*, ſuo loco dictum.

16.) *S. Stephanus*, Hung. *Szent-Iſtván*, Slauis, *Svaty Steffan*, arido colli impoſitus, atque templo, totius, vti creditur, *Comitatus*, antiquiſſimo, celebris; ſed eo infelix, quod aduſtis, intempeſtiuo gelu, ſemel iterumque, frugibus, incolas plerosque abegerit. Poſſeſſio eſt familiæ *Okolitsány*. Anni MDCCXIX. æſtate, tellus naphtica, ignibus ſubterraneis accenſa, diutius heic arſit. Eccleſia, cum *S. Andreæ* coadunata eſt.

17.) *Zár*, vicus, montibus ſeptentrionalibus ſubſitus, familiæ *Szmrecsány*. Acidulas habet, non ignobiles.

18.) *Szmretsan*, ſiue *Szmrecsany*, nobiliſſimæ, cognominisque gentis, origine, memorandus, cui iure hæreditario adſcriptus eſt. Pagus, fluuiolo nomen dedit, nocentiſſimo ei quidem, ſi crepidines ſupergredi eum contingat. quali eluuione haud pridem, integram *Szmretſanenſium* plateam, ſubruit. Eccleſia, *Nagy-Bobroviczenſi* adunata eſt; habet tamen ædem ſacram domi.

19.) *Weterná Poruba*, Hungarice *Szeles-Poruba*, ita dicta, quod perpetuis aquilonibus, propter ſitus altitudinem, ſit expoſita. Poſtea quam frigora, ſegetibus, iterum iterumque, calamitatem intuliſſent, diffugientibus incolis, gens *Okolitsanyorum*, nam ad eam ſpectat, *allodia* heic conſtituit, ne fructum non redderet ager, paſcuis alioquin lætus. Ad vici incommoda, id quoque referunt, quod aquis careat, atque gemino admodum puteo, hominum, pecudumque vſibus, ſeruiat.

20.) *Vitális-Falua*, Slau. *Witáliſſow*, fecatur *Szmrecsanenſi* riuo, eſtque familiæ cognominis proprius. Spectat ad Eccleſiam Okolitſanenſem.

21.) *Podhorany*, exilis vicus, gentilitio iure, *Podhoranyorum* familiæ, cui nomen tribuit, obſtrictus.

22.) *Stoosháza*. Slau. *Stoſſicze*, viculus, & hærediolum *Vitaliſiorum.*

23.)

23.) *Okolitsná*, pagus eſt, inclytæ *Okolitsaniorum* familiæ gentilitius, & cum pluribus ædibus nobilium, tum ſubſtructo, annis ſuperioribus, caſtello, inſignis. Adiacet ripæ *Vagi* ſeptentrionali, habetque, tertiam iſto *Comitatu*, veredarii ſedem. Templum, inter maxima, quæ ſunt in *Comitatu Liptouienſi*, numeratur, ſolidi operis, & pluribus pilis, e quadrato factis lapide, ſuffultum. Cœnobium *PP. Franciſcanorum*, quod anno MCCCCXV. *Michael Okolitsány*, vnus ex vetuſtiſſimæ gentis attauis, fundauerat, ætate noſtra, LADISLAVS MATTYASOWSKY, *Nitrienſis Epiſcopus*, & *R. H. Cancellarius*, e ruderibus excitatum, priſtinæ celebritati reſtituit: cui tamen *Vagus*, in dies propius adrepens, ruinam minatur; niſi obiecta crepidine, mature arceatur fluuius rapidiſſimus. *Nunc traiecto amne, meridionalem proceſſus oram, peragremus.*

24.) *Ploſtin*, transmiſſo ad *Nicopolin*, *Vago*, primum ſe offert, vicus ditionis *Hrádkenſis*. Verſus Septentrionem amœnus adſurgit collis, opaco nemore inueſtitus, *Rohaczkam* vulgo dicunt, ideo non ſilendus, quod ſpeculæ, peruetuſta rudera, oſtentet, in quibus, præter teſtas priſci operis, nummi quandoque antiqui, *Romani* partim, partim *Gothici*, reperiuntur.

25.) *Illanow*, radicibus montium meridionalium ſubiectus, non modo iuris, cum priori, eiusdem, ſed etiam, ita cum eo coalitus, vt vni iudici pareat, quem vicus vterque, alternis eligit, ac plerumque *Ploſtin-Illanow*, vocitatur.

26.) *Német-Poruba*, Slauis *Záwázná Poruba*, *Szent-Iványorum* familiæ, vicus. Dicitur etiam, *Welká Poruba*.

27.) *Magyar-Falua*, Slau. *Uherská Wes*, ſedet in ripa *Vagi*, ponte iuncti, in cuius aduerſa parte, *Acidulas* habet ſupra laudatas. Olim, ad *Detrich faluam*, quæ hodie, *Benedekfalua* dicitur, pertinuit; poſtea vero, ob *Szent-Iváný* cuiusdam cædem, florentiſſimæ eidem genti, in *homagii* redemtionem, traditus.

28.) *Szent-Iván*, latine *S. Iohannes*, Slau. *Swaty Ján*, vicus, ex induſtria quaſi, faucibus amœniſſimæ vallis, inædificatus, riuoque, trutarum ferace, irriguus. In primis, nobilem reddidere pagum, natales inclutæ familiæ *Szentyvanyana*, quæ hic, longa auorum ſerie, dominatur. Vtinam ſit, qui vetuſtiſſimæ gentis decora, in litteras referat. Aedes nobilium, pro loci indole, egregie cultæ, vrbiculæ ſpeciem præ ſe ferunt. De *admirandis* vici aquis, ſupra diximus. Cæmeterii nunc mentio iniicienda eſt, eius nimirum, quod templum, collini ſitus, incingit. Nempe, ſepulta iſthic cadauera, diutius, atque ſeculo integro, perdurant incorrupta. quam eorum antiquitatem, habitus indicat, ab eo, quo iam vtuntur *Liptouienſes*, longe diuerſiſſimus. Cauſſam, inuſitatæ huius rei, veſtigantibus, non alia facile occurrit, quam, quod regio *Szentiuanenſis*, ſubtus halitibus mineralibus ſcateat, qui, vbi ſe corporibus mortuorum intimauerunt, cauent poſtea, ne a putredine correpta, fatiſcant, & in cineres abeant.

29.) *Porubka*, alias *Malá Poruba*, in eadem *Vagi* plaga, medio milliari, a *Lehotenſibus*, in occidentem diſiuncta, familiæ *Szent-Ivány* poſſeſſio, cum eadem *Szentivanenſium* Eccleſia coniuncta. Colitur potiſſimum a materiariis.

30.) *Király-Lehota*, Slauis, *Králowá Lehota*. Pagus, a *Vago*, quadrante milliaris, intra montes, atque ſiluas, reiectus. Poſſidetur a nobili *Lehotzkyorum* familia, cui & nomen conciliauit. Ager ſegetis impatientior, vnde, præter armentorum curam, in ratibus iungendis, & paranda materia, incolas occupari videas. Sacra, cum *Gibbenſibus* habet communia.

31.) *Teplicska*, declinante in meridiem ſitu, non longe abeſt, a fontibus *Nigri Vagi*. Vicus, auorum ætate, excitatus, ab *arcis Hrádekenſis dominis*, credo. ne lætiſſima montium paſcua, ſine fructu, interciderent: copioſos, ea de cauſſa, ouium greges alunt incolæ. Aedicula ſacra, *capellam* dicunt, nuper admodum excitata eſt, iure *Parochiæ*, iam pridem, *Kubachenſi*, apud *Scepuſios*, Eccleſiæ, adſcripto. Coloni, *Slauicum* idioma loquuntur, ſed *Polonico* quam proxime accedens. Hucusque, de *Proceſſu Orientali.*

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Meridionali.

PROOEMIVM.

Ram, quæ vltra *Vagum*, & meridionales montes interiacet, atque agro *Teuto-Liptſchenſi* terminatur, nomine PROCESSVS MERIDIONALIS, inſigniunt. Oppidum is habet vnicum; vicos autem complures; arces contra nullas, ſi veſtigia munitionum, ætatis incertæ, excipias, paſſim obuia, & referentia permultum vetuſtatis.

SE-

SECTIO I.

De Oppido Teuto - Liptscha.

SYNOPSIS.

Teuto - Liptſcha, *Oppidum: origo eius, prope fabuloſa: germanica tamen.* §. I.

Eius ager olim, Auri venis diues: Sacra ades: incolarum occupatio: & mores: nundinæ: Oppidi, ex magiſtratuum prouincialium inſtauratione, celebritas. §. II.

§. I.

TEVTO-LIPTSCHA, Hungaris, NEMET-LIPTSCHE; Germanis *Teutſch-Liptſch; (a.)* Slauis, *Nemeczká Luptſcha.* Oppidum bene amplum, originem ſuam, vti nominis ratio indicat, *Germanis* debet, ſiue antiquis illis, qui *Teutones* dicebantur; ſiue recentioribus, huc arceſſitis, vt metalla colerent. Metallicum enim, priſcis temporibus fuiſſe, rudera fodinarum, & huc pertinentium adparatuum, paſſim exſtantia, condocent. Diſſidet *Nicopolio*, in meridiem occidentalem, milliaribus duobus. Primo, ripæ *Vagi* meridionali, inædificatum fuiſſe, perhibent, vrbis, ſi BONFINIO credimus, axiomate inſigne; translatum poſtea, in eum locum, vbi nunc ſedet. Originem vero, hoc modo habuiſſe, ex fide manuſcripti codicis, BONBARDI adſerit: Mercatores nempe *Lipſienſes*, ad nundinas *Eperieſinum*, iſthac iter faciebant. qui, cum ad dumetum, incolis *Hvosdecz* dictum, equos forte adaquarent, a riuulo, quem fonticulus deſcribebat, auream vehi arenam, obſeruarunt; poſteaque, ſagaciter de regionis diuitiis, coniectantes, ſedes fortunarum, bono omine, heic fixerunt. Addunt alii, nomen *Lipſia*, loco inditum, quaſi qui *Lipſienſium* eſſet colonia, factumque, *Slauo* idiomate, ex *Lipſia*, *Lipſa*, ſiue *Liptſcha*. Nolo, vulgi huic opinioni, contraire, tametſi plura ſint in ea narratione, quæ fabellam redolent. Germanis debere originem, ſupra confeſſi ſumus; ſed regum indulgentia, huc euocatis, qui lapſu. atque iniuria temporum, vel deſierunt penitus, vel in *Slauorum* mores, ac gentem, tranſiuerunt.

Teuto-Liptscha *oppidum:*

origo eius prope fabuloſa:

germanica tamen.

§. II.

CErtum eſt autem, diuitibus auri argentique venis, inſignem fuiſſe *Liptſchenſem* agrum, quibus exinanitis, cultus metallorum penitus deſiit, ſi *antimonium* excipias, quod adhuc eruitur.

Eius ager, auri venis olim diues:

a.) Diſcriminatur hac adpellatione, a *Zolienſium* oppido, quod *Tót-Liptſcham*, id eſt, *Slauorum Liptſcham*, vocant. Vide ſupra, eodem hoc Tomo II. in Hiſtoria Comitatus Zolienſis, Parte Speciali, Memb. I. Sect. III. §. II. p. 454.

ſacra ædes: tur. Templa habet duo, quorum maius, foro inædificatum, ob turrim peramplam proceramque, celebre, a *D. Matthæo Apoſtolo*, nomen accepit; contra ea, minus *B. M. V. Doloroſa*, dedicatum, & ad extimam oppidi partem, ſepoſitum eſt. Illius ἰσοζύγιον, cadauer habet, mumiæ inſtar, incorruptum, & in angulo, vt ſpectari poſſit a curioſis, erectum. Nomen hominis, dum viueret, *Hano* fuiſſe perhibent, qui periurii culpa, hanc, cadaueri ſuo, pœnam acceleraverit, vt contabeſcere nequeat. Certe, qui hodie, apud *Liptſchenſes* peierant, ritu id *Hanonis* facere dicuntur. Hinc prouerbium: *Peierat, vt Hano.* Anno MDCXLIV. cum tumultus *Rákótzianus* inierat, miles Cæſareus, hac Caſſouiam profectus, oppidum diripuit, ſed nec templis pepercit. Fluuius, qui oppidum interluit, trutas alit mugilesque, incolis, eo commodus, quod e montibus,

incolarum occupatio: longe diſiunctis, materiem aduehat, quam demum, nullo negotio, in *Vagum* deducunt: præter agros enim, quos pro habitu regionis, fertiles nacti ſunt, ac late porrectos, quosque ideo, diligenter colunt, cædendæ potiſſimum materiæ, vacant. Alii, officinis coriariis inſu-

& mores: dant. Hinc illa, *Corii Liptſchenſis*, præſtantia, & fructuoſi mercatus. Illud in primis memorandum, quod oppidanorum peruetuſta lege,

nundinæ: dos, coniugium ineuntium, quatuor nummos argenteos, *Florenos* vocant, excedere haud poſſit. Fora *hebdomadaria*, diebus *Sabbathi*; annua contra, feſtis *SS. Pauli, Georgii, Iohannis, Matthæi, Thomæ*-

oppidi, ex magiſtratuum prouincialium inſtauratione, celebritas. que, celebrant. Si magiſtratus prouinciales inſtaurari oporteat, *Nobilium Vniuerſitas*, iſthic coire adſolet. Olim, & *Fraternitas* illa *Plebanorum*, cuius inſtitutionem, ſupra dedimus, *Conuentus* ſuos, apud *Liptſchenſes*, agebat. Ceteroquin, licet oppidum ditioni accenſum ſit *Lykauenſi*, habet tamen nobilium quædam prætoria, *curias* vocant, regum priuilegiis, iam pridem donata.

SECTIO II.

De Vicis Proceſſus Meridionalis.

LIPTSCHA, in orientem digreſſis, frequentes vici occurrunt, quos, ita recenſebimus, quemadmodum ſe inuicem contingunt:

1.) *Alsó-Malatin*, Slauis, *Nizny Malatin*, mediocris vicus, ſed *Malatinskyanæ* familiæ origine, nobilitatus. Iure hæreditario adſcriptus eſt, *Malatinskiis*, *Fejérpatakiis*, reliquis. Agro gaudet modico, ſed ita fertili, vt quædam eius pars, parciore ſtercoratione, contra regionis ingenium, indigeat. Pertinet ad *Parochiam S. Michaelis.*

2.) *Középsö-Malatin*. Slauis, *Proſtredny Malatin*, Parochiæ *Liptſchenſi* coadunatus, eiusdem *Malatinskyanæ* gentis, iuxta & *Kiszeliorum.*

3.) *Felsö-Malatin.* Slauis, *Wiſſny-Malatin*, radicibus montium ſubiicitur, e quibus torrentem accipit, qui poſtea, duos illos, eius-

eiusdem nominis vicos, intetlapſus, *Vago* immergitur. Eſt hætediolum *Malatinskyorum.*

4.) *Klacsan*, ſub iisdem montium radicibus, ſed altius, in meridiem orientalem, reiectus, ditionis *Fejérpatakyanæ;* Eccleſiæ autem *S. Eliſabethæ*, adſcriptus.

5.) *Király-Lubele*, ad orientem proſpicit, vicus olim regius, nunc plures poſſeſſotes numerat, puta, *Lubyos*, qui a vico nomen accepetunt, *Okolitsánios*, *Pongrátzios*, *Szmretsánios*, *Bohuſſios*, *Rewizkyos*, *Lyſſowinios*, &c.

6.) *Nemes-Lubele*, occidentalem fluuioli, qui vicum vtrumque diuidit, partem occupat, ſedetque in decliui colliculo, familiarum *Baytsy*, *Köröskény*, *Kubiny*, *Radvánsky*, *Rády*, *Rakovsky*, *Thuransky*, &c. Incolæ materiarii ſunt partim, partim mineram *Antimonii* eruunt, & excoquunt. Vtriusque prouentus, decimas, *Dominis terreſtribus*, antiqua lege, reddere tenentur.

7.) *S. Eliſabethæ Eccleſia*, in agro *Lubelenſi*, inter *Lubelam*, & *Klatsán* pari interuallo, iam tum anno MCCCXXXIX. a Comite Stephano Kvnch, fundata dotataque. Diploma, quo rei memoria, ad poſteros perſcripta eſt, ita habet: „ Nos, Simon, Rector Eccleſiæ B. „ Virginis Mariæ, Archidiaconusque de Liptou, memoriæ commen„ damus, tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit, vniuer„ ſis. Quod Comes Stephanvs, filius Kvnch, vna cum *Martino*, „ *Blaſio*, & *Ladislao*, filiis ſuis, ad noſtram perſonalem accedens præ„ ſentiam, quandam particulam terræ, de poſſeſſione ſua hæreditaria, „ *Lubela* vocata, certis metis, & limitibus, diſtinctam vndique, & „ ſeparatam, circa & in circuitu Ecclesiae *B. Eliſabeth*, per eundem „ *Comitem Stephanum*, ædificatæ, adiacentem, ne Presbyter, in ea„ dem, Deo famulans, vſu corporali, & ſuſtentatione temporali, pro„ pter paucitatem parochianorum, deſtitueretur, ipſaque S. Eccleſia, „ diuinis cultibus priuaretur, tam ad remedium animæ ſuæ, quam etiam „ ad ſalubrem iuſſum, venerabilis in Chriſto Patris noſtri, *Chánadiny*, „ Dei gratia Archiepiſcopi Strigonienſis Eccleſiæ, tempore, & ex cui„ ius gratia ac permiſſione gratuita, ipſa eadem Eccleſia Sancta *B. Eli„ ſabeth*, cum loco, iure Eccleſiaſtico conſecrato decenti & congruo „ exſtitit fundata, ipſi Eccleſiæ *Se. Eliſabeth*, & per conſequens, Pres„ bytero, in eadem Deo famulanti, confeſſus eſt, oraculo viuæ vo„ cis, dediſſe, donaſſe, & contuliſſe perpetuo, & irreuocabiliter pos„ ſidendam, tenendam, & habendam, contradictione qualibet non „ obſtante. Cuius quidem Eccleſiæ metæ, hoc ordine diſtinguuntur: „ prima meta incipit a patte Orientali, circa vnum fluuium *Pothok*, „ qui exit, de vno fonte, qui fons vocatur, *Fons Iuliani*, Iulián-Ku„ ta, circa quod *Pothok* habetur meta terrea. Deinde vadit directe, „ ſupra, ad occidentem, ad vnam foueam, & ibi eſt meta erecta. „ Deinde declinat ad ſeptentrionem, & vadit ad vnum truncum abie„ tis. Deinde vadit ad vnam arborem ſalicis, quæ eſt in medio loci

vligi-

„ vliginoſi, *Mochár*. Deinde vadit verſus eundem ſeptentrionem, ſu-
„ per vnum *Vozdecz*, & peruenit ad vnum monticulum paruum, ibi-
„ que eſt meta terrea. Deinde venit ad vnum *Pothok*, qui currit de
„ vno fonte, qui fons venit a parte occidentali, circa quod *Pothok*,
„ eſt meta terrea, & per eundem *Pothok*, vadit ad alium *Pothok*,
„ quod currit a parte meridionali, & per eundem *Pothok* per nemo-
„ ra, cadit ſupra ad partem meridionalem, ad priorem metam, & ibi
„ terminatur. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad
„ petitionem eiusdem Comitis, & filiorum ſuorum, conceſſimus lit-
„ teras noſtras, ſigilli noſtri pendentis munimine, roboratas. Da-
„ tum Dominica proxima, ante Feſtum Beati *Stanislai* Martyris, Anno
„ Domini: *Milleſimo Trecenteſimo Trigeſimo Nono.* Hactenus verba diplomatis, quod vt inſereremus integrum, rei nos antiquitas permouit.

8.) *Dubrawa*, copioſus vicus, & a pluribus poſſeſſus, puta: *Okolitsaniis*, *Kubiniis*, *Andaházíis*, *Lehotſzkiis* &c. Eccleſia *S. Eliſabethæ*, tamquam matri, accenſetur. Ad vici laudem pertinet, quod montes eius, largam *Antimonii mineram* habeant, in qua eruenda excoquendaque, incolas aſſiduos eſſe videas. Reliqui, materiarii ſunt, & agricolæ, *Dominis terreſtribus*, ita obnoxii, vt *Antimonii* non minus, quam materiæ omnis generis, decimas pendere teneantur.

9.) *Guotowan*, Hungaris, *Gotfalva*, vicus, a nobilibus cultus, qui & nomen ei dederunt; ſed ad eam fortunarum redactis tenuitatem, vt partem maximam, artibus ruſticanis, vitam cogantur tolerare. Adſcripti ſunt *Eccleſiæ S. Mariæ*, trans *Vagum* poſitæ.

10.) *Fiacſicz*, ad globi iactum, a priore, in eadem valle, qua verſus ſeptentrionem procurrit, ſepoſitus. Poſſeſſio familiæ *Kubiny*. Nemora, quæ circumpoſita habet, frequentes alunt lepores.

11.) *Krmeſs*, modicus admodum vicus, *Köröskenyiorum* hæreditolum, ædi *S. Mariæ*, cum priori, accenſum.

12.) *Nagy-Olaſzy*. Slauis *Wlach*, proxime ad *Vagi* ripam ſedet, cui heic pons, egregii operis, impoſitus eſt. Pagus *Kubiniis* obnoxius, atque ſubſtructo haud pridem, caſtello, inſignis. Territorium, ſerpentum, ſicuti *Nagy-Palugyenſium*, prorſus impatiens eſt. Pertinet ad *Eccleſiam S. Mariæ.*

13.) *Szokolcs*, bene amplus vicus, a *Vago*, ad teli iactum, in meridiem reiectus. Incolæ, ratibus, quæſtum faciunt, quibus compingendis, trabes paſſim coemunt: quippe, agrum nacti anguſtum, &, ſi nemus vnicum excipias, ſiluis nudum. *Portum Liptouienſium* merito dixeris: quia enim inquilinos habet, rei nauticæ, & gurgitum *Vagi* peritos, plurima heic onera imponi ratibus vidimus. quæ prono alueo, vsque in Danubium, *ratiarii* iſti, curate deuehunt. Ditio, partim *Lykauienſis*, partim familiarum nobilium. Eccleſia *S. Mariæ*, iuncta eſt.

14.) *Bertelenfalva* inferior, Slauis *Dechtáry*, ſitu, in *Vagi* ripa, amœno & fertili; ſed infelici tamen, propter amnis eluuiones.

Caſtel-

Caſtellum *Kubinyorum*, diuerſorium, & publici curſoris ſtatio, qualemcunque vico celebritatem conciliant. Pars eius quædam, præter *Kubinyos*, *Rakowskiorum* eſt. Eccleſia *S. Maria.*

15.) *Bertelenfalua* ſuperior, alias, *Vidaföld*, viculus, tametſi agro fœcundo gaudeat, ad ſolitudinem tamen proximus, quin & eluuioni *Vagi* periculoſe expoſitus. Familiæ *Osko* hæreditas, ſed *Bohuſſiis* olim pignori data: nunc poſſeſſio *Kubinyana.* Eccleſia, *Parochia S. Mariæ* adiecta eſt.

16.) *Nagy-Palugya*, Slauis, *Welká Paludza*, a regia via, in meridiem, modico interuallo, ſepoſitus, amœno ſitu luxuriat, quem interſitæ, ex induſtria, tiliæ, decorum reddunt. harum vna, tam latos porrexit ramos, vt vmbra eius trecentos viros commode diſcumbentes, accipere poſſit. Sunt & Nobilium domus, vico, haud ineleganter, paſſim inædificatæ. Sacellum, e lapide ſubſtructum, ad Eccleſiam *S. Crucis*, pertinet; locus, cetera, *articulariter*, hoc eſt, publica lege, ædificando templo, *Euangelicis* permiſſus. Cryptæ iſthic emortuales ſunt, *Kubinyorum*, *Khebritschiorum*que. Illud plurimum admirationis habet, agrum *Nagypalugyenſem*, quantus quantus ſit, ſerpentes, non modo non gignere, ſed ne ferre quidem poſſe, aliunde, caſu, vti cum foeno fieri adſolet, illatos: langueſcunt enim ſubito, & ſole occiduo, emoriuntur penitus: tametſi, in proximis vicis, copioſe proueniant. Riuus, pagum interfluens, trutarum mugilumque ferax eſt: quin, nec muſtelarum impatiens, ſed quæ lutris ſubinde in prædam cedunt. Quod ager vici argilla gaudeat, fingendis ollis idonea, incolarum plerique, figulinam exercent. Ius hæreditarium familiæ *Plathyana* eſt.

17.) *Csemicze*, Vago adſitus, cuius fluctibus ædes complures, atque in his *Czemitzkyorum*, ſolido opere exſtructæ, ætate noſtra, abſorptæ ſunt; vicus, cetera, natalibus familiæ *Csemiczkyana*, memorabilis. Planities, quæ inter *Nagy*, & *Kis-Palugyam*, *Csemicze*, & *Andaházam*, interiacet, toto *Comitatu:* quippe, qui montibus horret; ſpatioſiſſima eſt, atque metandis caſtris, maxime idonea. Ager ſiliginis ferax, iucundis nemoribus, trans, & cis *Vagum*, diſtinguitur.

18.) *Kis-Palugya*, Slauis, diminuto vocabulo *Paludczka*, vetuſtæ *Palugyaiorum* genti originem dedit, nomenque; nunc, *Okolitsaniis*, & *Zmeſskalianis*, potiſſimum obnoxia, caſtello, aliisque nobilium ædibus, culta. Templum vetuſti operis, Eccleſiæ *Bodafaluenſi*, accenſum eſt.

19.) *Andaházа*, Slauis, *Andice*, vicus exiguus, familiæ cognominis ortu nobilitatus, cuius ditionem riuus, ita partitur, vt quæ ad orientem proſpiciunt, *Andaházyorum* ſint; *Plathyorum* contra, quæ ad occidentem vergunt.

20.) *Benicze*, modico interuallo, in orientem repoſitus, *Benitzkiana* genti, quæ ei nomen vel dedit, vel debet, hæreditario iure addictus; tametſi iam & *Lehotzkii*, partem vici, poſſideant. Se-

det in colliculo, eamque ob rem, ſubinde, ob ſitus habitum, aquæ penuria, laborat.

21.) *Gálfalva*, Slauis, *Galowani*, *Nagy-Palugya*, mille circiter paſſibus, in meridiem ſubductus, familiarum, *Bohuſs*, *Csemiczky*, *Madacsány*, *Vitalis*. Anno MDCCXVII. coorto ſubito incendio, deletus fuit penitus, a qua calamitate, ægerrime adſurgit. Vallis, in qua ſitus eſt, a vico, *S. Crucis*, nomen habet.

22.) *Záhorowisko*, olim familiæ cognominis, *Záhor*, hæreditas; ſed horum acciſis opibus, iam *Okolitſaniis* obnoxius, & villa ruſtica potius, quam vicus dicendus; ſitu tamen haud inamœno, qui ab *Andaházа*, ad geminum ſclopi iactum, in meridiem reductus eſt.

23.) *Antſikowany*, vicus tenuis admodum, cuius incolæ, e picearum radicibus, ruſtico opere, axungiam, ſiue picinum oleum, excoquunt, eaque re, quæſtum qualemcunque faciunt. Alii ollas fingunt, eliquando *Antimonio* vtiles. Poſſeſſio familiæ *Okolitsanyana*. Eccleſia, *Parochia S. Crucis*, adſcripta eſt.

24.) *Szent-Kereſzt*, Slauis, *Swaty Kryz*. Vicus, ad defluum, e montibus, riuum, longo tractu, exædificatus. Quod ædes paſſim ſparſas habet, diuerſa inde nomina, diuerſis eius partibus, indita, qualia ſunt: *Czinowiſzte*, *Motkowiſte*, *Strányán Strana*, *Csrmno*, *Király*, *Sz. Kereſzt*, *Priechod*, &c., quæ, diſcretos inuicem agellos, habent; & per dicterium, *Tredecim Liptouienſium oppida*, dicuntur. Incolarum plerique, materiarii ſunt, iidemque famoſi fures, vt accolas, imprecabundos ſæpe dicere audias. *Fures S. Crucis*, *peſſima cruce digniſſimos eſſe*. Vici poſſeſſio, inter plures diſpertita eſt, puta: *Almányos*, *Dlholutzkyos*, *Lehotzkyos*, *Motkoyos*, *Medzihradskyos*, *Okolitsánios*, *Zmeſskalios*, reliquos. Eccleſia colli inſedit eleuatiori, opere ſolido ſubſtructa, cuius encænia, die, *Exaltata Cruci*, feſta, cum filiabus, *Laziſſte*, & *Ancſikowany*, ſueuerunt concelebrari.

25.) *Lazyſſte*, alii *Lazyſko*, ad pedem montis, cui *Syna* nomen, poſitus, ab *Okolitsaniis*, poſſidetur: modicus vicus. Montes, proceris arboribus opacos habet, in quibus fodinarum *Antimonii* veſtigia notantur. Hodie, ob inſignem mineræ duritiem, negligi accepimus.

26.) *Pautſina-Lehota*, exilis viculus, cuius pars quædam, *nobilitatis* prærogatiua gaudet, poſſideturque a nobilibus tenuioris ſortis. quod reſiduum eſt, a ruſticis colitur, *Madacsaniis*, & *Thuránskiis*, iure hæreditario obſtrictis. Nunc, in poteſtate ſunt *Okolitsanyorum* & *Palugyaiorum*. Riuulus, vicum irrigans, e radicibus montis *Iaworowicza* ortus, meatu ſubterraneo, memorabilis eſt.

27.) *Bodó-Falva*. Slauis, *Bodicze*. Nomen familiæ *Boda*, quæ *Palugyana* originem dedit, communicauit; ſed gens *Boda*, a poſſeſſione vici, temporum iniuria, prorſus deiecta eſt. Succeſſerunt in in eius iura, *Okolitsanii*, *Zmeßkal*, *Feja*, admixtis *Palugyaianis* quibusdam. Templum, colli, molliter adſurgenti, ſuperædificatum eſt.

28.)

28.) *Demiénfalua*, latine, *Fanum S. Damiani*. Slauis *Demanowa*, confinis priori, ſed Eccleſiæ *S. Nicolai*, adſcriptus. Incolæ, nobiles partim ſunt, partim ruſtici. In hos, præter *Kubinyos*, ius habent, familiæ *Kubány*, *Melioris*, *Schuhajda*, *Záborsky*, &c. Heic quoque ex lignatione, quæſtus incolis præcipuus; trabium enim, ingentem numerum, ex præcelſis montium iugis, rigida niuoſaque hieme, deducunt. quas, partim, in varii generis materiam ſcindunt, partim in *Vagum* propulſas, ratibus compingendis, adhibent. Hinc natus prouerbio locus: *Deminfaluenſes*, *hieme ſuas habere meſſes*; quod tunc, lignatione hac, maxime proficiunt. *Admiranda Deménfaluenſium antra* ſupra memorauimus.

MEMBRVM III.

De Proceſſu Occidentali.

PROOEMIVM.

Ic, ab Oppido *Trium Szlétsch*, exorſus, & trans *Vagum*, ad *S. Mariam*, procurrens, totam illam regionem, ex vtraque fluminis parte, complectitur, quæ *Comitatui* reliquo, occidentalior eſt. Habet arcem vnicam, oppida duo. quæ, more noſtro videamus.

SECTIO I.

De

Arce & Oppidis Proceſſus Occidentalis.

SYNOPSIS.

Arcis Likavensis *opportunitas: excidium: ortus: Comes* Donch, *eius conditor: quos poſtea habuerit poſſeſſores:* Sigismvndvm *Regem: inſidetur a Bohemis: occupatur a* Matthia *Coruino: monumenta Coruiniana: reliqui arcis poſſeſſores:* Vladislavs *Rex:* Ludouicus Pekry: Iohannes Kruſith: Stephanus, & Caſparus Illyésházy. §. I.

Emit arcem Stephanus Tököly, *nouisque operibus auget: recidit ad* Fiſcum Regium: *arcis adificium, & commoditates reliquæ.* §. II.

Roſenbergenſe *oppidum: eius caſtellum: ditio iam olim* Lykauenſis: *priſci eius domini*, Iohannes Kruſith: Stephanus Illyesházy: *nundinæ oppidi: incolarum victus.* §. III.

Trium-Szlécs, *oppidum ex tribus vicis conflatum.* §. IV.

§. I.

Arx Lykawa.

Arcis Lykawenſis opportunitas:

ARx LYKAWA, vnicum olim, regionis fere totius, ſi quid tempeſtatis imminebat, perfugium; ſed quam, nupera ſeditione ciuili, *Rákóczíani*, magno regionis malo, propugnaculis nudatam, demoliti ſunt.

excidium:

Inſidet rupi ſolidæ, atque præeminenti, quam montes, multo altiores, neque longe diſiuncti, circumſident. Prima eius exordia, Io-

ortus:

HANNI CORVINO, BONBARDI *(a.)* tribuit: ſed altius omnino reponenda ſunt, nempe, ad CAROLI I. tempora. Hic enim, cum ex Italia, ad capeſſenda ſceptra Hungariæ, anno MCCCVIII. denuo acceſſiſſet, plures Italorum familias, in comitatu ſuo, adduxit. Erat in his, præter Comitem *Drugeth*, cui poſtea de *Hómonna* nomen, Comes quoque *Donch*, ſiue, noſtrorum pronuntiatione, *Doncs*, aliis *Konch*, qui tanta apud CAROLVM, gratia valuit, vt villas, & oppida, priuilegiis, non ſecus, quam ſi regis auctoritate collata eſſent, donare potuerit: quod, illius ætatis diplomata condocent. Atque hunc, arcem *Lykawam* exædificaſſe, iisdem illis documentis, certum eſt. Sed, vbi gens *Donchiorum* deſiiſſet penitus, *Likawa*, ad regem, lege patria, recidit. SIGISMVNDVM fuiſſe credunt, qui eam, cum vniuerſa ditione, receperit. Sequutis temporibus, cum & *Huſſitarum* arma, regiones iſtas corripuiſſent, & LADISLAI mater, ELISABETHA, *Alberti Auſtriaci*, vidua, *Giscram*, manu & conſilio pollentem, vt ſibi, filioque, præſidio eſſet, ex Bohemia exciuiſſet, a Bohemis inſidebatur; dum, MATTHIAS *Coruinus*, adtritis eorum viribus, arcem, cum vniuerſa ditione, ſub ſuam poteſtatem mitteret. Erat enim hoc in more poſitum, priſcis Hungariæ regibus, vt arces iſtiusmodi, ſibi haberent proprias, quas demum, bene de ſe, & patria meritis, liberaliter impertiebantur, inque eorum nomina & titulos, transſcribebant. Exſtant *Coruinianæ* huius poſſeſſionis monumenta, lapidi, ſuper eam portam, quæ ad occidentem ſolem proſpiciebat, inciſa, in quibus, præter gentilitium corui inſigne, lemmata *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Dalmatiæ*, *Valachiæ* &c. viſuntur, anno, ſiue neglecto, ſiue exeſo vetuſtate. BONBARDI, portæ interiori annum MCCCCXXXV. qui *Iohannis Coruini* notet dominationem, inſcriptum eſſe, memorat; ſed non ſine aberratione, quia tunc *Sigismundus* rerum potiebatur; *Iohannis* autem nulla adhuc,

Comes Donch eius conditor:

quos poſtea habuerit poſſeſſores:

Sigismundum regem:

inſidetur a Bohemis, occupaturque a Matthia Coruino:

monumenta Coruiniana:

apud

a.) Topographiæ Regni Hungariæ, p. 114.

apud hiſtoricos mentio. Neque tamen negarim, *Likawam* poſſeſſam a *Iohanne* fuiſſe, forte, a *Sigismundo* ei donatam. a quo opibus auctum fuiſſe, certum eſt. Enim vero, inſignia, quæ portæ occidentali, inſculpta diximus, terna ſunt, ſingula autem coruum referentia. Primum in his, coruum, roſtro annulum gerentem oſtentat, ſcuto, vero, nullis ornato laciniis, humanum caput, quale inſignia *Valachiæ* referunt, incubat. quod equidem, patris IOHANNIS *Coruini* fuiſſe, reor. Ad dextrum latus, IOHANNIS, MATTHIAE filii, quemadmodum coniicio, inſignia, viſuntur, ſcuto quadrifariam diuiſo, cuius campus dexter ſuperior, atque ſiniſter inferior, tribus diſtinctis areolis, tres Hungariæ fluuios, lilia, gallicis haud abſimilia, ſeptem; denique erectas cruces quatuor, gerit. Sed campus ſiniſter ſuperior, atque inferior dexter, trabes quatuor præ ſe fert, pendulo ſita; medium ſcuti, coruus occupat. Vtrique huic, regium MATTHIAE inſigne, impoſitum eſt, parte ſcuti ſuperiore, *Hungariæ;* inferiore autem *Bohemiæ*, & *Dalmatiæ* inſignia complectens. Ex ſitu, inſignium, colligo, IOHANNIS, MATTHIAE filii, opus id fuiſſe: quippe qui, viuo adhuc patre, *Dux Liptouiæ*, ſalutatus, honore eo non prius, quam vita, deceſſit. qua functus, ditionem auito, vti credere fas eſt, iure poſſeſſam, regi WLADISLAO reliquit. Huius filius, LVDOVICVS II. cum ad Mohátſium interiiſſet, arx a FERDINANDO I. *Ludouica Pekry*, de *Petrouina*, collata fuit: quam is, nouis operibus, anno MDXXXIV. auxit ornauitque. Docet hoc, interioris arcis porta, cui, innexis ſibi inuicem litteris, inſcriptum legas: *Arma, Magnifici Dni. Ludouici Pekry*, de *Petrouina*, *Supremi Capitanei Regiæ Martis. Arma, Illuſtris Dominæ Sophiæ, Ducis Naſſouiæ Ruſſiæ.* Adiectus eſt, ex vtroque latere, annus MDXXXIV. cum illo Pſaltis DAVIDIS: *Niſi Dominus cuſtodiuerit ciuitatem, in vanum laborat, qui cuſtodit eam.* Poſtea, neſcio, quo caſu, *Fiſco regio* adſcripta fuiſſe, in decreto FERDINANDI I. octauo, *(b.)* quod Tyrnauiæ concinnatum eſt, legitur: vt neceſſum fuerit, publicis eam precibus, *Pekryo* adſerere, anno demum MDXLVI. eidem, iure quaſi poſtliminii, reſtitutam. Sed, vbi *Pekry*, naturæ debitum perſoluiſſet, arx, cum vniuerſa ditione, *Iohanni Kruſith*, de *Ipoglaua*, adtributa fuit. Huius poſtea viduam, *Catharinam Pálffy*, *Stephanus Illésházy*, duxit, ſimul *Likauienſem (c.)* indeptus dominationem. qui, quod improlis eſſet, *Caſparum Illésházy*, e conſanguineorum numero, adoptauit. Adiit ergo *Caſparus* opimam ditionem, & cum ea, poſſeſſionem quoque ar-

reliqui arcis poſſeſſores: Wladislaus *Rex*: Ludouicus Pekry: Iohannes, Kruſith: Stephanus & Caſparus Illyésházy:

b.) Articulo LVI.

c.) Legi, in eius ætatis faſtis adnotatum: *Magnificus* D. Stephanus Illésházy, *poſſeſſionem, ad arcem* Likaua *Spectantem, emit pro ſe, & ſuis haredibus, ab Imperatore* RVDOLPHO II. *ita, vt ante* Iohannes Kruzith *poſſidebat. Facta proteſtatio per* Capitularem, *hoc die* Roſenbergæ, *apud iudicem* Thomam Lognjk; *Capitaneo* Iohanne Rákocio; *præfecto*, Nicolao Mindſzenthi, *A. MDLXXXVIII. die XXVI. Martii.* Ergo, habebat, quod redimeret *Illyésházius*, & poſt fata *Kruſithii*. Sed *Caſparum* etiam *Illyésházy*, Stephani adoptiuum filium, idem feciſſe, inibi reperio: Anno MDCXIX. die 1. Septemb. *Magnificus* Caſpar Illyésházy, *adduxit* Capitulum, & *poſſeſſiones* Likava, *hareditario & perennali iure, in ſe, ſuosque poſteros, tranſtulit.*

cis *Likawa*, quam & plerumque habitabat, montano eius ſitu, delectatus. Ea propter, porta orientali, & propugnaculo, eam inſtruxit, ſub idem plane tempus, cum *Suecorum* exercitus, *Sileſiam*, *Morauiamque*, laceraret. Loquitur id tabula memorialis, in hunc modum: ILLVSTRISSIMVS COMES CASPAR ILLÉSHÁZY, PERPETVVS A TRENCHIN, EIVSDEMQVE, ET LIPTOVIENSIS, HAEREDITARIVS COMES, AC ARVENSIS COMITATVVM SVPREMVS COMES, S. C. REG. MAIESTATIS CONSILIARIVS.

Dum fureret Suecus, Morauorum tecta petendo,
Et Sileſiacos rumperet enſe focos.
Hanc ego ſuſpendi tabulatam pondere portam,
Vt ſit aperta bonis, non pateatque malis.
Magne DEVS, *ſerues hæc propugnacula tanquam*
Perpetuæ gratum poſteritatis opus.
Anno 1642.

§. II.

Emit arcem, Stephanus *Tököly*, *nouisque operibus auget:*

CAſparo fatis functo, *Georgius*, & *Gabriel*, filii, ſucceſſerunt. Sed *Gabriel* incertum, quibus inductus rationibus, arcem *(d.)* cum ditione vniuerſa, Comiti, *Stephano Tököly*, pignori dedit, homini, ſupra modum pecunioſo. Erat is, pro opulentiæ habitu, architectonices in primis amans: qua re factum, vt arcem reddiderit auguſtiorem multo, munitioremque. Omnium vero, quas excitauit, ſubſtructionum, facile præcipua fuit, qua fontem, arci, a meridionali latere adſitum, incinxit. Propugnaculum fuit, ad modum corniculantis lunæ factum, cuius murus, orgyias duas craſſus, fornicem, quo fons integebatur, validiſſimum ſuſtentabat. Vnicum iſthoc opus, LXX. millia nummorum *Rhenenſium* popoſciſſe, dicitur. Enim vero, e cella vinaria, laxa quidem ea, & profunda, aditus ad fontem per duriſſimas petras, ad gradus circiter XXX. pertuſus erat, vt ſi obſideri arcem contigiſſet, aqua tuto hauriri, & fons, obiectu inædificatæ molis, præſtari poſſet intemeratus. Neſcio, an fidem mereatur, quod vulgo perhibent, *Stephanum Tököly*, coemtis, ex vtroque, vbi late dominabatur, *Aruenſi*, & *Liptouienſi Comitatibus*, ouis gallinaceis, parando ea cæmento, adhibuiſſe, vinoque, loco aquæ, calci adfuſo, effeciſſe, quo moles illa, cum fornice, ſolida adeo euaderet, vt non coagmentatam, ſed e viuo cæſam lapide, crederes. Certe, cum anno MDCCVII. *Rákóczii* iuſſu, diſiiceretur opus, ita erat refractarium ac tenax, vt arcem vniuerſam, deſolare citius, quam molem iſtam, vel remerare potuerint operarii. Poſt *Stephani* fata, *Emericum Tököly* filium, res nouæ, quas in regem & patriam molitus fuerat, a poſſeſſione arcis, deturbauerunt, vniuerſa ditione, fiſco regio adſcripta. Ceterum,

recidit ad Fiſcum regium;

d.) A WAGNERO, in Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. III. p. 248. ad *Stephani Tökölii* mentionem, *nec ignobile, nec immunitum oppidum* adpellatur LIKAVA: cum arx fuerit, oppidi prorſus ignara, habueritque villam, quam ruſticam dicunt, radicibus montis, inædificatam.

rum, arcem, triplici portarum clauſtro diſcretam fuiſſe, ſilueſcentia rudera, oſtendunt. Media, ſolario inſtructa fuit, deambulationibus, & captandæ auræ, perquam opportuno. Intimam, hypocauſta in plures faſtigata contignationes, ornabant. Arcis ſeptentrionale, & meridionale latus, horti ambiebant, pro cæli, & temporum illorum ingenio, non inamœni: vt ſtabula, equis accipiendis, ſumtu & opere lautiſſimo excitata, ſileamus. Placuit, fuſius, arcis perſequi hiſtoriam: quippe, tot illuſtrium virorum nominibus, claram, iam vero, inſigni maleficio, diſiectam. *arcis ædificium & ornamenta reliqua.*

I nunc ambitio, turres ad ſidera tolle!
Grandia cum videas caſtraque poſſe mori.

§. III.

Oppidum Roſenberga.

IN Oppidis, ROSENBERGA nominanda iam eſt, incolis, & mercatibus, frequens. A roſis, *(e.)* loco nomen hæſiſſe, vocabulum ipſum indicio eſt: Slauis *Ruzomberg* dicitur. *S. Nicolao*, tribus, in occidentem, milliaribus, ſed modicis diſſidet, meridionali *Vagi* ripæ, haud ineleganti ſitu, *(f.)* inædificatum. Qua ad orientem reſpicit, Caſtellum habet, amœno loco ſedens, & leui opere munitum. Dicatum eſt *S. Sophiæ*, ſed iam parte altera, deſertum pene; altera vero, a procuratore, ditionis *Lykawenſis*, regio, cultum, eſtque accipiendo ſali, qui ſecundo *Vago* huc aduehitur, peropportunum. Heros olim habuit eosdem, quos arx *Lykawenſis:* nam ad eius dominationem hodieque pertinet. Et *Iohannis* quidem *Kruſith*, nomen, dignitatem, & inſignia, porta caſtelli, in ruderibus iacentis, adhuc oſtendit, ad hunc modum: *Magnificus Dominus* IOHANNES KRVSITH, *Lib. Baro de Ipoglaua, Comes Comitatus Lipt. Sacræ Cæſar. Regiæque Maieſtatis Conſiliarius, & in Regno Hungariæ Magiſter Curiæ:* & parte ſiniſtra: *Generoſa ac Magnifica Domina* CATHARINA PÁLFFY, *de Erdöd, conſors Magnifici Domini Iohannis Kruſith, &c. Anno ſalutis* CIↃIↃLXXVII. Inter vtramque tabulam hanc, inſignia *Kruſithiana* viſuntur, in clypeo non minus, quam in galea, aquilam, beſtiæ quadrupedi, expanſis alis, inſidentem, cumque ea colluctantem, oſtentantia. Memoriam *Stephani Illésházy*, qui *Kruſithio*, in matrimonii, iuxta & poſſeſſionum iuribus, ſucceſſit, porta alia, in aream caſtelli ducens, loquitur: TEMPORE RVDOLPHI, IMPERATORIS ROMANI, M. D. STEPHANVS ILLÉSHÁZY, COMES COMITATVS TREN. ET LIPTOVIENSIS, AC PER REGNVM HVNGARIAE MAG. CVRIAE, ET CONS. G. AC M. DOMINA CATHARINA PÁLFFY, HOC AEDIFIC. 1586. Ad fora oppidi, quod adtinet, *hebdomadalia* quidem ſingulis

Roſenbergenſe *oppidum:*

eius caſtellum:

ditio, iam olim Lykawenſis:

priſci eius Domini, Iohannes Kruſith:

Stephanus Illésházy:

nundinæ oppidi:

e.) Germanicum oppidi nomen, arguit, primos eius conditores, Germanos fuiſſe.

f.) Icona oppidi, iuxta & caſtelli, *Mappa Geographica* huius Comitatus, exhibet.

incolarum victus.

lis *Iouis*, annua contra, diebus feſtis, *Trium Regum*, *Aſcens. Chriſti*, *S. Michaelis*; & *S. Andreæ*, frequentari ſolent. Oppidanis, ex lignatione, & re ruſtica, victus præcipuus. Templum, colli impoſitum, *Caſparus Illésházy*, condidiſſe fertur. Iuuat heic, ad laudem caſtelli Roſenbergenſis, meminiſſe, quod anno MDCXXII. III. Kal. Aprilis, CORONAM HVNGARIAE, Etſchedino, ex pacis, inter FERDINANDVM II. & GABRIELEM BETHLEN, initæ, conditionibus, *Trentſchinium* reducem, vna cum eius cuſtode, PETRO de RÉVA, hoſpitem acceperit, cuius rei memoriam, *Daniel Hrabéczius*, Coronæ duumuiro, a ſecretis epiſtolis, carmine proſequutus eſt, quod ex ſuo ipſius ſcripto, idoneo loco, *(g.)* expromſimus. Sed, nec iſtud ſilendum, quod Tranſiluaniæ Principem, *Sigismundum Báthori*, Pragam, ad viſitandum RVDOLPHVM Imperatorem, profectum, *Stephanus Illésházy*, anno MDCII. menſe Auguſto, lautiſſime iſthic acceperit. Atque fuit omnino *Roſenberga*, diuerſorium quaſi quoddam, Principum Tranſiluaniæ, cum ciuilibus bellis, iſthac, vltro citroque, commigrabant. Nam, anno quidem MDCXXII. die XXIII. Ianuarii, pace *Niclasburgi* compoſita, GABRIEL BETHLENIVS; atque, commoto iterum bello, anno MDCXXIV. die XXIV. menſis eiusdem, *Neoſolio* veniens, iſthic pernoctabat. Idem, & de CATHARINA Brandeburgica, *Gabrielis* ſponſa, ad annum MDCXVI. diem XXII. Februarii, in faſtis eorum temporum, reperio: CATHARINA, inquiunt illi, *Illuſtriſſimi principis* Bethlenii *nupta*, *qua ex Germania*, *ſolemni & regia pompa*, *Caſſouiam deducebatur*, Roſenbergæ *noctem egit*. vt iam taceamus, quæ dici poſſent, reliqua.

§. IV.

Oppidum Trium-Szlécs.

Trium Szécs, oppidum, ex tribus vicis conflatum.

SVccedit Roſenbergæ, oppidum TRIVM-SZLÉCS, Slaui, *Try Slyácze*, eo quod tres vici, vnius oppidi nomine, inſigniantur. Sunt vero, *Medium Szlécs*, ter mille, plus minus, paſſibus, *Teuto Liptscha*, in Occidentem, ſeiunctum. Eccleſiam habet, opere ſubſtructam, non ineleganti, eamque inferioris, & ſuperioris *Szlécs*, incolis communem. Ac *ſuperior* quidem *Szlécs* montibus ſubiacet, ad meridiem vergentibus; *Inferior* autem, qua regio ad *Vagum* ſubſidet, viſitur. Tametſi vero, ægerrime oppidi ſuſtentet nomen, *iure* nihilominus, quod *gladii* vocant, adhuc gaudet. Ditio eſt *Conuentus Thúróczienſis*.

SE-

g.) In Hiſtoria vrbis Piſonienſi, Cap. v. Articulo II. §. VI. p. 330. Operis noſtri TOMO I. quorſum Lectorem dimittimus conſulto.

SECTIO II.

De Vicis Proceſſus Occidentalis.

FRequentes hinc vici, ad vtrumque *Vagi* latus, meridionale, & ſeptentrionale, ſparſi ſunt. quorum illos, prius; iſtos poſtea recenſebimus.

1.) *S. Michael*, Slauis, *Swaty Michal*, viculus, a *Medio Szlècs*, in ſeptentrionem, paſſus circiter mille, ſeiunctus. Sedet in colle, *Vago* imminente; ſed ita iam decreuit, vt ſolitudini, quam vico, ſimilior ſit. Alioquin *Eccleſiæ Teplenſi* accenſus.

2.) *Ivachno-Falva*, Slauis *Iwachnowá*, Vago, ponte iuncto, adhæſit, importuno ſitu. Sæpius enim, atque in primis, glacie diffluente, magno incolarum damno, inundatur. Riuulus, qui pagum irrigat, e proximo ortus nemore, quoties increſcit, granula quædam, aureæ arenæ deuehit. Cetera, vicus modicus, a familia *Rády*, poſſeſſus, atque Eccleſiæ *S. Michaelis*, adſcriptus.

3.) *Lazy*, eodem ſitu, ad globi iactum, in orientem repoſitus, obiectis aggeribus, ægre hucusque, a præterfluente *Vago*, defenſus. Habet etiam ædiculas aliquot, trans *Vagum* excitatas. Ditio familiæ *Ketskeméty*, *Ghilány*, & *Barna*, cum *Teplenſi Eccleſia*, coniuncta.

4.) *Nagy-Selmecz*, Slauis, *Stáwnicza*, altius, in meridiem reiectus, caſtello *Rakowskyorum*, iuxta & acidulis, memorabilis. Adde, copiam cædui pumicis, qui ſupra vicum eruitur, & concameran-dis fornicibus, ſeruit. Hæreditatem, *Rakowskyorum* gens, cum *Thuoltiána*, partitam habet. Dedit nomen familiæ *Styawniczky*.

5.) *Kis-Selmecz*, Slauis, *Stáwnitska*, minutus reuera viculus, familiarum *Selmetzy*, & *Thuolt*, tenue hærediolum.

6.) *Ludrowá*, radicibus, montium meridionalium, ſubſitus, & partim *Lykawienſi Dominio*, partim nobilibus aliquot familiis, puta, *Andáhaziis*, *Thuoltiis*, &c. ſubditus.

7.) *Templum OO. Sanctorum*, Slauice, *Wſſech Swatych*, medio fere, inter *Ludrowam*, & *Roſenbergam*, itinere, in aperta planitie, inſedit, agro, quem ei pietas fundatorum adtribuit, fertili, neque anguſto, gaudens. Seruit ſacris conuentibus *Ludrowienſium*, *Kis*, & *Nagy-Selmeczienſium*.

8.) *Fejèr-Patak*, Slauis *Bily Potok*, fluuio *Revútza*, eo itinere, ſupra *Roſenbergam*, adſitus, quod ad *Comitatum Zolienſem* ducit. Accenſetur ditioni *Lykawienſi*, *Parochia* vero *Roſenbergenſi*, vnde & iura capit.

9.) *Wlkolenecz*, ſi latine reddas Slauicum vocabulum, *ſpeluncam luporum*, ſignificabit, quod ei nomen a ſitu hæſiſſe credunt, quiá intra montes, profundæ, & inamœnæ valli, inædificatus eſt. In monte, vico imminenti, arcis rudera viſuntur. Pertinet ad dominium *Lykauenſe*, cetera, *Roſenbergenſi Parochiæ*, & magiſtratui adiectus.

10.) *Oſzada*, *Roſenberga* in meridiem occidentaliorem, ad fluuium *Rewucenſem*, duobus milliaribus, ſeiunctus, & ipſe *Dominio Lykauenſi*, accenſus, cimicibus ſordidus.

11.) *Luzno*, noſtra ætate, in montium conuallibus, ſupra *Oſzadam*, a *Weſelowskyo*, quem *Tökölius*, cum familia, huc deduxerat, habitari cœptus. Erat is, ex *Aruenſi* prouincia, vico *Weſeluo*, editus, atque ea lege huc collocatus, vt oram hanc, cum ſuis, aduerſus prædonum impreſſiones, armatus defenſaret. Eſt *Lykauienſi Dominio* adſcriptus. Riuus, vicum interluens, trutis lætatur.

12.) *Rewútza*, monti *Suchá*, ſubſitus, & tripartito diuiſus. Valli is, cui inſidet, iuxta & fluuio, nomen indidit. Quia finitimus eſt, *Comitatui Zolienſi*, ſuperior *Rewútza* dicitur, diſſidetque *Roſenberga*, milliaribus propemodum tribus. Templum, operis vetuſti, ruderibus ſuis obrutum eſt.

13.) *Rewútza* hinc eſt *media*, alias *Felsô-Hritschko*, mille circiter paſſibus, ſitu, in ſeptentrionem reducto, ad riuum cognominem. Quia montanos habet agros frumentarios, incolæ, ob ſitus aſperitatem, meſſes ſuas, trahis æſtiualibus, conuehunt. Paupertatem vici, ex æde ſacra, coniicias, quam ex tignis, rudi opere, contabulatam habet, *Roſenbergenſi Eccleſiæ* adnatam.

14.) *Rewútza* inferior, ſiue *Alsô-Hritschko*, ad eundem fluuium, pari interuallo, a *media*, diſcretus. Ante *Coruinorum* tempora, *Rewútzam* hanc, trium fratrum, *Iuthæ*, *Mesk*, & *Ivanka*, fuiſſe accepimus: quibus MATTHIAS *Coruinus*, vt vicum *Lykauenſi* ditioni adſereret, *Felsô-Kubin*, permutationis iure, apud *Aruenſes*, contulit. Ab his demum fratribus, familiæ *Kubiny*, *Mesko*, & *Lavanovitsch*, propagatæ fuerunt. Vallis hæc, ſicuti inimica eſt ſementi, quæ autumno fieri conſueuit: quippe, auenæ ſolius, atque hordei patiens; ita paſcuis, contra ea, prædita pinguioribus, quam poſſis credere. qua re fit, vt numeroſos ouium greges alant incolæ, cum quibus, per montana errantes tuguria, nimium quantum ſilueſcunt. Illud vero aeris vitio, an incolarum ſordibus adſcribendum ſit, neſcio, quod ædes, & reliquam ſupellectilem, a cimicibus oliditſimis, fœdatam habeant. Quæ in montibus ſuperſunt, veſtigia fodinarum, a *Saxonibus* relicta eſſe, perhibent.

15.) *Gombács*, extremus, iſta regione, *Liptouienſium* vicus, hinc quidem *Vago*, illinc radicibus montis *Fatra*, adpoſitus. Cenſetur, in ditione *Lykauenſi:* alioquin Eccleſiæ *Komryatnenſi*, trans *Vagum*, coniunctus. Vallis, quæ hac in meridiem procurrit, *Lubochnenſis* dicitur, a monte cognomine; de cuius cuniculis, auro refertis, multæ fabellæ, vulgo circumferuntur. In eadem iſta valle, officina eſt, vitro conflando deſtinata.

16.) *Csernowá*, inſidet ripæ *Vagi*, medio, inter *Roſenbergam* & *Gombaſſinum*, poſitu, cimicum lue, qua & *Gombaſſenſes* laborant, infelix. Ditio Lykauienſis, *Parochia*, & magiſtratui *Roſenbergenſi*, ſubiecta.

17.)

17. *Traiecto*, *ad Roſenbergam*, *Vago*, vicus *Likauka*, arci cognomini adtributus, ſe offert. Pertinet ad *Eccleſiam Roſenbergenſem.*

18.) *Komnyatná*, in limitibus Aruenſium, familiæ *Thuránsky* hæreditas, aliis etiam, partem eius aliquam, tenentibus. Memorabilis eſt, ob ſpeluncam glacialem, in qua æſtiuis menſibus deſtillans aqua, in glaciem concreſcit. Eccleſia, quæ heic mater eſt, plures adſciſcit filias, ſuis locis commemoratas.

19.) *S. Martinus*, Slauice *Swaty Martin*, monti *Mnych* inſidet, domicilio *Templariſtarum*, vti perhibent, aliquando nobilis, a quibus monti quoque, *Monachi* nomen inditum credunt. quod alii, a petra, *Monachi* quodammodo ſpeciem mentiente, malunt deriuare. Vicus Dominii Lykauienſis eſt, Eccleſiæ Roſenbergenſi, accenſus.

20.) *Liſzkowá*, Hungaris, *Liſzkófalua*, ad pedem montis *Mnych*, Vago adhæret, optimis, ditionis *Lykauienſis*, vicis adnumerandus. Eſt hic, & familiæ *Török*, gemina poſſeſſio, quam *Lykæwæ* dominus quidam, homini *Turcæ* donauerit, eo quod, ex captiuitate tyranni liberatum, hucusque comitatus ſit, fidem poſtea Chriſtianam profeſſus. Antrum heic viſitur, cuius meatus nondum perueſtigati, penitus montem *Mnych* ſubeunt. Templum, & ſacrorum antiſtitem, habet ſibi proprium.

21.) *Thurjk*, in Septentrionem, a via regia ſubductus, antea Hungarico vocabulo *Thurapatak* dicebatur; familiæ *Thuránsky* natalibus, nobilitatus. Riuulus, pagum irrigans, duplicem molam frumentariam, verſat. Ager, vici, qua ad occidentem ſpectat, *lapidibus frumentariis*, quomodo ab iſtarum rerum curioſis, vocantur, memorabilis eſt. Nimirum, omnis generis frumenti, ac leguminum, puta, tritici, ſiliginis, hordei, piſi, lentis, ſeminis lini, *reliquorum*, ita lapillis, natura ingeneratæ ſunt, formæ, vt ſumma arte exſculptas crederes. Quin & ad monetæ modum, qualis veterum Romanorum fuit, ſignatos lapides, reperias. Tametſi vero, nemo vnquam doctus ambigebat, luxuriantis naturæ luſus, hæc iſtiusmodi oſtenta, eſſe ſolere; vulgus tamen, atrox obtendit facinus, quod prodigio locum fecerit. Erat ſcilicet, in collium vno, qui ſunt vico proximi, priſcis temporibus, arx, cuius tenuia hodie rudera, ſuperſunt. Hanc, deparcus quidam Euclio, inhabitabat, pecuniarum, & frumenti, longe ditiſſimus; ſed ita tenax, vt, cum annonæ caritas, tota illa regione, ad cadaueroſam vsque famem, inualuiſſet, nullis precibus expugnari potuerit, quo inediam illam publicam, leuaret. Igitur, peſſima quæque, auariſſimo homuncioni, imprecata plebs, breui, frumentum eius, in agris non minus, quam granariis, vna cum theſauro, in lapidem commutatos vidit. qua ille vindicta diuina, nihilo factus melior, nouo prodigio, ipſe, vna cum vxore, ſceleris participe, in lapidem abierit: cuius rei monumenta, duo lapides, quos *herum*, & *heram* dicunt, oſtenduntur. Fabula ſit, an hiſtoria? nihil diſputamus. Profecto, in arcis, quam diximus, ruderibus, frequenter numi repe-

riuntur, lapidei non minus, quam e metallo ſignati. Antrum, quod ſupra vicum in petra adaperitur, veſpertilionum perfugium eſt.

22.) *Lucsky*, pagus, *Dominii Lykauienſis*, haud facile poſtremus. de cuius Thermis, ſuo loco, dicemus. In valle, his proxima, ſerpentum ea eſt copia, vt ex petrarum rimis, conglobati, dolioloorum inſtar, in vallem præcipites deuolutos, ſubinde accolæ obſeruarint. Agrum habet laxum, & pinguibus paſcuis, lætum, adeoque, alendis ouibus, opportunum.

23.) *Kelemenfalua*, Slauis *Kalemeny*, familiæ *Lòfay*, ea parte, quæ *curialis* eſt, obnoxius. Portio enim vici altera, a ruſticis culta, *Madacſanianæ* familiæ iuribus, deuincta eſt.

24.) *Madacsan*, vicus, caſtellis *Kubinyorum*, atque origine familiæ *Madacsány*, clarus. Riuus, ex montibus ſeptentrionalibus deiectus, licet vndas vehat copioſiores, & limpidas, piſcium tamen, ob immixtam Thermarum aquam, impatiens eſt.

25.) *Teplá*, priori a meridie vicinus, inclutæ familiæ *Dwornokowitsch*, poſſeſſio, cum caſtello, eleganter inædificato. Aedes ſacra, *S. Iacobo* dicata, plurium vicorum, puta, *Lucsky*, *Kelemenfalua*, *Madácsan*, *Lazy*, *Thurjk*, & *Beſſenowæ*, communis eſt.

26.) *Beſſenowá*, Vago adpoſitus, periculoſo admodum ſitu. *Dwornokowitschiorum* hæreditas. Acidum fontem, qui hic ſcatet, alibi laudauimus.

27.) *Mytoſſiny*, Hung. *Mitosháza*, ſeu *Marczelháza*, viculus, priori ita contiguus, vt idem credi poſſit: certe, ſuo nomine raro eum vocari audias. Olim, familiæ *Mitoska* fuit, qua exſtincta penitus, regis munificentia, *Mattyasoffskiis* adtributus eſt.

28.) *Wrba*, exilis nimium, & fluctibus adlabentis Vagi, expoſitus: ceteroquin *Kubinyorum* iuribus, obſtrictus. Salices, nomen loco dediſſe, *Slauicum* vici vocabulum, indicio eſt. Cum anno MDCCXXV. Vagus amnis, extra modum exundauiſſet, clade adfectum accepimus, haud facile memoranda. In primis, fati habuit plurimum, *Brunczko* quidam, loci colonus. Is enim, infans adhuc, eiusdem *Vagi* exundatione, vna cum paternis ædibus, abreptus, ægre per caminum extractus, & periculo exemptus fuit. Nunc autem, ſexagenario maior, fato functus, atque tumbæ immiſſus, dum funus adparatur, noua illuuione amnis, vna cum domo, quam viuus incolebat, ablatus, ſepulchrum, quod infans euaſerat, quaſi poſtliminio, repetiit. *Adeo fati leges, eludere difficile eſt.* Eadem iſta Vagi inundatione, villicum *Wrbenſem*, in fœnili ſuo, ſecurius dormientem, vna cum tectis, ſublatum, atque decreſcentibus aquis, ſub *Liptſchenſium* patibulo, inſontem fuiſſe relictum, accepimus. Scilicet, *fruſtra ſollicitauerit gurgitem, cui crux deſtinata eſt.*

29.) *Potok*, alias *Patak*, a Vago, in ſeptentrionem ſepoſitus, *Potokyanæ* familiæ originem, ſibi vindicat.

30.)

30.) *Demtſin*, vici exilitatem, agri, haud quidem ſpatioſi, fertilitas, compenſat. Poſſeſſio familiæ *Demka*. Vago imminet.

31.) *Kis-Olaſz*, Slauis *Wlasky*, ſitus eſt ad pontem *Vago* inſtratum, parte altera parochiæ *S. Mariæ*, altera *Kubinyorum* genti, obnoxius.

32.) *S. Maria*, Hungaris, *Bóldog-Aſzſzony-Falva*, Slauis *Swatá Maria*, editiori montis lateri, inædificatus, & vetuſtiſſimi operis templo clarus. Sunt, qui adfirment, poſt acceptam a *Liptouienſibus*, fidem CHRISTI, primam hanc omnium, quæ excitari cœperunt, ædem fuiſſe. Illud extra dubium poſitum eſt, *Præpoſituram Eccleſiæ* huius, iam tum ſeculo XII. floruiſſe. Enim vero, hodiedum, inter *Parochias Liptouienſium*, dote gaudet ampliſſima. Præterquam enim, quod *Filiales*, quemadmodum vocant, complures habet; ditione profecto, paſſim in vicis nobilium ſparſa, gaudet haud exigua. Supra vicum, arx olim fuiſſe, perhibetur, colli præeminenti, impoſita, & a *Templariſtis*, ſi fas eſt credere, poſſeſſa; ſed quam *Taborita* Bohemi, anno MCCCCXXV. direptam, ſolo æquarint.

33.) *Atque hic quidem Proceſſus huius, vicus, in orientem, vltimus fuit. Nunc, flexo itinere, in occidentalem eius oram demigremus.* Eſt vero illic, prope ad *Vagi*, & *Aruæ*, confluentes, *Stankovan*, a familia *Khebritschiana*, annis ſuperioribus, per *Cameram Neoſolienſem*, redemtus. Accenſetur Parochiæ *Komnyatenſi*.

34.) *Royko*, tenuis vicus, in aduerſa quidem *Vagi* ripa ſitus, ſed huc referendus, quia *Stankowanenſium* iudici, antiqua conſuetudine, adtributus eſt.

35.) *Ssuoſſou*, adfinis *Vago*, & rapis ſerendis, quæ heic lætiſſime proueniunt, perquam opportunus. Adtinet ad ditionem *Likauenſem*. Incolæ, *Eccleſiam Roſenbergenſem*, frequentant.

36.) *Studnitsná*, ex ædiculis ſex, coactus viculus, iuris *Thuránskyorum*, *Eccleſiæ* autem *Komnyatenſi*, adunatus.

37.) *Hrubotowá*, Vago adſitus, atque dominationi *Likauenſi* adſcriptus. *Eccleſia*, ad *Komnyatenſem Parochiam* ſpectat. vicus exilis.

38) *Haláſz Mezó*, Slauice, *Ribár Pole*, nomen piſcatoribus debet, *Vago* enim adſidet. Cenſetur in eadem *Likauenſi* ditione. Hæc, de *Proceſſus* huius vicis.

MEMBRVM IV.

De

Proceſſu Septentrionali

PROOEMIVM.

REgio, quæ inter Vagum, & ſeptentriones, intereſt, atque hinc orientali, illinc occidentali ora, clauditur, Processvs Septentrionalis adpellatur. Oppida eius & vici, qui ſint, videamus.

SECTIO I.

De

Oppidis Proceſſus Septentrionalis.

SYNOPSIS.

Szelnicze, *oppidum, vico haud abſimile: ditio* Lykauenſis, *& Eccleſiæ* S. Mariæ: *agro eſt fertili, & amœno: qui ſalem nitri procreat: oppidum, damnoſæ illuuiani obnoxium.* §. I.

Alterum oppidum, Trnowetz: *eius nundinæ; libertatis indices: oppidanorum mores: ager piſorum fertilis.* §. II.

Tertium oppidum, Bobrowetz: *eius incolæ, craſſi oris: ditio Okolitsányorum & Zmeſkal.* §. III.

§. I.

Szelnitze *oppidum, vico haud abſimile:*

SZelnitze, Slauis *Selnicza*, oppidum aliquando amplum copioſumque, quod iam, temporum iniuria, multum decreuit, incolis, fere in agreſtium mores, transeuntibus. *Nicopolio*, in occidentem, milliari Hungarico, recedit, a *Vago* autem in ſeptentrionem, dimidia eius parte, ſeiunctum eſt. Ditio *Lykauienſis Dominii*, *Eccleſia* vero, *Tarnoczenſi* coadunata. Agrum obtinuit laxum fertilemque, & paſſim nemoribus diſtinctum, in quibus iucundiſſimum eſt, pineum illud, quod lateri ſeptentrionalis colliculi, increuit, atque oppido imminet.

Ditio Lykauienſis & Eccleſia S. Mariæ:

Cre-

Credunt, pinum, quam inſignia loci referunt, nemori illi, in acceptis ferri debere. *Sal nitri*, copioſo prouentu, ab incolis cogi ſolitus, glebæ ingenium abunde loquitur, fœcundum ſcilicet, & vegetandis ſegetibus, commodum: tametſi, nec alibi deſint, cocturæ huius, non minus ſtudioſi, quam periti incolæ. Interluitur oppidum, a fluuiolo rapidiſſimo, atque eluuionibus noxio: quippe qui, e pluribus capitibus, ſupra vicum *Brnitze*, corriuatus, adeo aquarum mole tumeſcit nonnunquam, vt late euagatus, non ædibus tantum oppidi; ſed agris etiam, damnoſus exiſtat. Cum res oppidi florerent adhuc, fora heic agebantur frequentia, non minus, quam lucroſa; ſed eorum, vel memoria, pridem exoleuit.

agro eſt fertili & amœno:

qui ſalem nitri procreat:

oppidum, damnoſa eluuioni obnoxium.

§. II.

TRNOWETZ, Hungaris *Tarnótz*, alterum, iſta regione oppidum, *Szelnitzenſibus*, ad orientem ſolem, poſt leue interuallum, obiectum, & *Dominio* accenſum *Lykauienſi*. Superſunt tamen, oppidanæ libertatis veſtigia, nundinæ, *S. Matthiæ Apoſtoli*; ſecunda *Pentecoſtes*, *B. Galli* & *Luciæ*, diebus, celebrari ſolitæ; ſed nimium infrequentes. Oppidani, quales hodie ſunt, multum quidem agreſtis habent ſimplicitatis, hæſit tamen ipſis dicterium, vt vulgo craſſum & impudens mendacium, *Trnoweczká Prawda*, hoc eſt, *Veritas Tarnoczenſis*, dicatur; forte, quod priſci oppidi habitatores, Cretenſium in mentiendo, vanitatem, fidemque Græcam, referebant. Ager late porrectus, & ſiluis decorus eſt; in primis autem, piſorum ferax, quæ heic magna copia ſeri conſueuerunt. *Eccleſia* huius, *Mater* eſt, & *Szelniczenſem* quoque accenſam habet. Neſcio autem, cui, ſiue cauſſæ tribuendum, ſiue occaſioni, quod oppidi inſignia, caput *S. Iohannis Baptiſtæ* ferant, Herodis ſcelere, præciſum.

Alterum oppidum Trnowetz:

eius nundinæ, libertatis indices:

oppidanorum mores:

ager piſorum fertilis.

§. III.

Obrowetz hinc eſt, *Bobrócz* Hungaris, *Nicopolio*, medio, in occidentem æſtiuum, milliari ſepoſitum: oppidum quidem illud; ſed vico haud abſimile, neque alia re magis, quam craſſiore *Slauica* dialecto, notum: vocales enim, ſoni ſimplicis, in diphtongos permutant, partim cognatas, partim diſcrepantes, quas demum, pleno & hiante ore, pronunciant *(a.)* magno audientium tædio. Aedes ſacra habet filias, *Kis-Bobrócz*, *Pálfalva*, *Ialócz*, *Nádasfalva*, *Smretschan*, & *Ziar*. Poſſeſſio eſt, partim *Okolitsánya*, partim *Zmeſkaliana*

Tertium oppidum Bobrowetz:

eius incolæ craſſi oris:

ditio Okolitsanyorum, & Zmeſkal.

SE-

a.) Sic, Slauicum: *tem ſem byl*, efferunt, *tem ſom bun*, aut *bona*: hoc eſt, *illic fui*, quod moleſte ferunt, *Slauis* aures.

SECTIO II.

De

Vicis Proceſſus Septentrionalis.

Oppida hæc, ſaltem oppidorum monimenta quædam fuerunt: nunc vicos, otſi ad *Vagum*, luſtrabimus.

1.) *Twarozná*, vicus modicus, colli *S. Mariæ* hæreſcens, iuribus obſtrictus *Kubinyorum*, & ex parte nobilium *Mezőházy*, & *Dimatsek*.

2.) *Seſtercs*, cum *Neſitháza*, alias *Nezitowce*, viculus *Sanctæ Mariæ* vicinus, ditioni itidem *Kubinyorum*, eccleſiæ vero *S. Mariæ*, adſcriptus.

3.) *Bobrownjk*, altius in ſeptentriones, *Hodáſz* antiquis dictus, familiæ *Bobrowniczky*, *Andaházy*, & *Kubiny*. Pertinet ad Parochiam *S. Mariæ*.

4.) *Zadiel*, oppido *Szelniczenſium* adfinis, nobilium *Iób*, & *Schlachta*, hærediolum, *S. Mariæ*, ſacrorum cauſſa, adtributum.

5.) *Hlinjk*, exilis vicus, familiæ *Csemiczky* & *Lehotsky*. Pertinet ad *Eccleſiam S. Mariæ*.

6.) *Iſip-falva*, Slauis, *Iszipowicze*, pagus *curialis*, a nobilibus, *Dobák*, *Lawota*, *Koſztura*, & *Csemiczky*, quorum præcipuum heic ius eſt, cultus. *Parochiæ S. Mariæ* adhæſit.

7.) *Bukowina*, ſedet in faucibus vallis, *Malatinenſis*, eo itinere, quod in *Comitatum Aruenſem*, tendit, Nobilium *Bukouinsky* ſedes *curialis*, Eccleſiæ *S. Annæ* adunata. Iſta regione, arcis veſtigia quærenda ſunt, quam *Liptó-Ovár* alii, alii *Vas-Vár*; quin & *Nagy-Vár*, adpellant. Inædificata fuit petræ, bene celſæ, ſuis iam ruderibus oblitterata.

8.) *Duſſani*, contiguus *Bukouinæ* vicus, *Kubinyorum* hærediolum, a *Kiſzeliis* poſſeſſum, quod figulorum vulgus colit, ita aſſiduum, vt ſi per religionem liceret, ne feſtis quidem diebus, ab opere vacaret. Cenſetur inter filias *Eccleſiæ S. Annæ*.

9.) *Iánosfalvæ*, Slauis *Iánoſſowcze*, iuris, cum priore, eiusdem; *Eccleſiæ* tamen *S. Mariæ* adunatus, poſſeſſio nunc *Kiſzeliana*.

10.) *S. Anna*, Slauis *Swatá Anna*, prope *Bukowinam*, montibus ſubſitus, cuius Eccleſia, tametſi plurium *Mater* nuncupatur; tamen, toto *Comitatu* pauperrima eſſe creditur. Ditio *Kubinyorum*, *Bobrowmitzkyorum*, *Dluholutzkiorum*, & *Dobákyorum*.

11.) *Proſſzek*, vicus, partim *curialis*, familiæ *Iób*; partim ruſticanus *Kubinyorum*, ad montis cognominis radices poſitus.

12.) *Dlúhá-Lúka*, Hungaris *Hoſzuſzú-Rét*. Germ. *Lange Wieſe*. Exilis vicus, altius, in ſeptentriones, repoſitus, quem caſtella familiarum,

liarum, *Khebritsch*, & *Iób*, eximie ornant. Anno MDCCXIX. nocte, diem *Magdalenæ* ſacrum, antegreſſo, latrones, *Khebritschianum* caſtellum, fraude ſubiuerunt, captoque, & male habito hero, ſupellectilem omnem, cum magna vi pecuniarum, diripuerunt, duobus, e famulitio, glande interemtis. Periit, iſto latrocinio, egregius, veterum numismatum, theſaurus, diu, magno, & ſumtu, & ſtudio, a *Iohanne Chriſtophoro Khebritschio*, collectus: quippe quem, iniquiſſima gens, in *Poloniæ* finibus, nepotabunde diſſipauit. In riuulo, caſtellum interluente, lapis reperitur *Lydius*.

13.) *Kwatsan*, confinis priori, in radicibus montis *Holicza* ſitus. Paret *Dwornokowitschiis*, & parte quadam, *Khebritschiis*, *Eccleſia*, quam habet, *Mater* eſt.

14.) *Huty*, trans montem *Holicza*, loco admodum ſterili, exædificatus; ſi enim auenam excipias, & lini qualemcunque prouentum, ſementis impatiens ager eſt. Poſſeſſio *Dwornokowitschiorum*.

15.) *Swynárky*, montibus interſitus, territorio anguſto, ac ſupra modum effoeto, in quo, nil niſi *ſteriles dominantur auenæ*. Accenſetur familiæ *Iób*, Eccleſiæ autem *S. Annæ*.

16.) *Borowo*, ſitus infelicitate, prioribus ſuppar. Accedit, hebes incolarum ingenium, quod, dicteriis, non raro, petulantiores exagitant. Familiæ *Ioob*.

17.) *Felsö-Mátyás-Falva*, Slauis, *Viſſné-Matyaſſowce*, hæreditario iure, a familia *Matyaſſoffsky*, poſſeſſus. Frumentaria mola, heic viſitur, inſignis: riuus enim, quem canales, duriſſimæ petræ inciſi, ad rotas vsque deuehunt, paullo poſt, a terra hauſtus, ad *Alsó-Mátyás-Faluam* demum emergit, eius alioquin naturæ, vt hieme etiam rigidiſſima, glaciem reſpuat, credo, halitibus ſubterraneis, teporem ei inducentibus. Adhæret *Eccleſiæ Alsó-Matyás Falvenſi*.

18.) *Alsó-Mátyás-Falva*, Slauis, *Nizné Matiaſſowcze*, declinante, in meridiem poſitu, iisdem, cum priori, iuribus, obnoxius, & natalibus, Ladislai Matyasoffsky, *Cancellarii*, clarus. Eccleſia heic viſitur gemina. quarum altera, ad propugnaculi modum, muro incincta, atque ſumtuoſo altari inſtructa eſt; lignea altera, vetuſti operis.

19.) *Benikháza*, Slaui, *Benikowicze*, tenuis admodum viculus, nobilium *Benikowsky*, Parochiæ *Tarnoczenſi* adſcriptus.

20.) *Ialótz*, Slauis, a iuniperorum copia, *Ialowetz* dictus. Familiæ *Bán*.

21.) *Nádaſfalva*, Slauis, *Trſtenno*, vicus vliginoſus, qui ab arundineto, nomen accepit. Quatuor antiquiſſimæ nobilium familiæ, *Bán*, *Szmretsány*, *Szentivány*, & *Pothurnay*, hinc originem traxiſſe perhibentur, ex *Bogomir*.

22.) *Beharfalva*, Slauis, *Beharowicze*, priori, ſuperato colle, in orientem vicinus. Colitur a nobilibus diuerſis, quorum nonnullis, ob tenuem ſortem, fabriliopere victitandum eſt. In primis, fidiculas, ſcite

compaginant, quas per vicinorum Comitatuum mercatus, circumferunt. Poſſidetur a *Pongrátziis*, *Nemeſſiis*, *Urbaniis*; cetera *Eccleſiæ Tarnoczenſi*, accenſus.

23.) *Kis-Bobrócz*, Slauis *Bobrowecsek*, oppido cognomini vicinus, cuius incolæ, vino factitio, *cauſticum* vulgo adpellant, quod mira induſtria norunt parare, quæſtum faciunt; agrum ceteroquin nacti, haud infœcundum. Numeratur inter poſſeſſiones *Pongrácziorum*, iuxta & inter filias *Bobrouiczenſis Eccleſiæ*.

24.) *Pálfalva*, Slauis, *Pawlowá-Wes*, *Pongrátziorum* & *Kubinyorum* viculus. Incolæ ſolertes ſunt aurigæ.

25.) *Benyusháza*, Slauis *Benuſſowcze*, exilis vicus, inter familias *Nemeſsány*, *Matyaſſoffsky*, & *Feja*, diuiſus. Pertinet ad *Parochiam Tarnouitzenſem*.

26.) *Brnitze*, contiguus oppido *Szelniczenſi*, nobilium *Kmoßko*, & *Omaſzta*, tenue hæredium.

27.) *Andrásfalva*, Slauis, *Andráſſowá*, non longe a *Vago*, poſitus. Salicetum habere perhibetur, ſpectris infame. Numeratur inter filias *Eccleſiæ Nicopolitanæ*, eſtque *Pongrátzianæ* familiæ poſſeſſio.

28.) *Felſö-Ráſztoka*, Slauis, *Wyſſny-Ráſtoky*, hæret in *Vagi* ripa, plurium nobilium habitatione, inſignis; cetera, ſitu, ſiluoſa iſta regione, ita infelix, vt lignatione careat. Poſſeſſio parte aliqua *Lehotzkyorum*.

29.) *Alsó-Ráſztoka*, Slau. *Nizny-Ráſtoky*. Adſcribitur *Lehotskyorum* familiæ. Viculus, oppido exiguus, veteri *Vagi* alueo, adpoſitus. Sua hic & *Motuſziana* genti poſſeſſio eſt.

30.) *Párisháza*, Slauis, *Párizowcze*, ſuperbit eleganti *Dwornokowitschiorum* caſtello. Vicus, olim piſcinis nobilis; ſed quarum aggeres, frequentibus *Vagi* exundationibus rupti ſunt pridem. Vterque, Eccleſiæ *Tarnouicenſi* accenſetur. Tantum eſt, quod de Comitatu iſto, habuimus ſcribere.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS LIPTOVIENSIS.

I. *Via Regia* Curſoris publici, ex *Comitatu Thúróczienſi*, in *Terram Scepuſienſem*:

1. GOMBÁS, *Csernowá*:
2. ROSENBERGAM *milliaria.* 1½. inde Vago traiecto, *Liſzkofalvam*, *Teplam*, *Beſſenowam*, *Vrbo*, *Demtſin*, *Kis-Olaſzi*, ſuperato iterum Vago, *Nagy-Olaſzi*.
3. BERRELENFALVAM *mill.* 2. hinc campeſtri itinere *Kis-Palugyam*, atque transmiſſo Vago, *Nicopolium*:
4. OKOLITSNAM *mill.* 1. impeditior inde via eſt, *Pothurnyam*, *S. Petrum*, & ſuperato rapidiſſimo fluuio, BELA, *Doualouinum*:
5. GEIP, ſiue *Hybe* *mill.* 2. denique, per *Wychodná*, & *Wazetz*:

6. *Lu-*

6. *Lutschiwnam*, in *Comitatu Scepuſienſi.* *mill.* 2.

II. Itinera, in *Comitatum Thúróczienſem.*

PRIMVM: 1. *Roſenberga*, *Cſernowám*; *Gombaſinum*, *mill.* 1½.
2. *Nyoltsvam*, ſuperato monte *Fatra* maiore. *mill.* ½.

SECVNDVM. Commodiſſimum iter eſt, ſecundo *Vago*, & vbi is gelu concreuit, traharum beneficio.

TERTIVM: 1. Ex *Stankovan*, transmiſſo fluuio *Arua*, per *Kralowani*, Comitatus Aruenſis, vicum,
2. *Sutó*, &c. *mill.* ½.

III. Itinera, in *Comitatum Aruenſem.*

PRIMVM: Ex *Kwatsan* per montem *Holicza*, & vicum *Huty*, verſus *Zuberetz*, *mill.* 1.

SECVNDVM: Ex *Bukowina*, per vallem *Malatinenſem*, *Malatinam*, vicum *Aruenſem* *mill.* 1.

TERTIVM: Ex *Lucska*, per cognominem vallem, verſus *Leſſtin.* *mill.* 1.

QVARTVM: Ex *Lykawa*, per eandem vallem, ad *Dubowam.* *mill.* 1.

IV. Itinera, in POLONIAM.

PRIMVM: Ex *Pribilina*, præruptum, idemque pedeſtre tantum, aut equeſtre, iter; vel, per montem *Goriczkowam*; vel, per vallem *Tománowam*; vel denique, per conuallem montium, *Kameniſtá*, & *Tomanouka*, verſus *Zakopany*, aut *Witow*, vicos Polonicos *mill.* 2.

SECVNDVM: per Comitatum *Aruenſem*, quod illic vide.

V. Itinera, in *Comitatum Gomórienſem.*

PRIMVM: Ex oppido *Bocza*, ſiniſtram verſus, per montem *Baczuch*, equeſtri, iuxta & pedeſtri itinere, in vicum *Poluonka.* *mill.* 1.

SECVNDVM: Ex vico *Teplicska*, arduа ſemita *Závadkam.* *mill.* 1.

VI. Itinera, in *Comitatum Zolienſem.*

PRIMVM: *Roſenberga*, per *Bielý-Potok*, *Oſzada*, *Rewúza*, per latera montis, *Sucha*, ad vicum montanum, *Starého-ry.* *mill.* 4.

SECVNDVM: *Teuto-Liptscha*, per vallem & fauces *Pyla.*

TERTIVM: Ex *Luzno*, in *vallem Dominorum.*

QVARTVM: *Bocza*, ſuperato prærupto monte, cui *Nuptiarum Diabolicarum* nomen, ad viculum *Mjto.* *mill.* 2.
Inde *Neoſolium.* *mill.* 4.

FINS.

TOMI SECVNDI.

047388